

Io. Dom. Ferretti inv. et del. *Carol. Gregorj sculp.*


IOANNIS MEVRSI OPERVM

VOLVMEN VNDECIMVM

EX RECENSIONE

IOANNIS LAMI

LVCVBRATIONES QVAE IN EO CONTINENTVR SEQVENS PAGINA INDICAT.



FLORENTIAE. CIϽ. IϽ. CC. LXII.

REGIS MAGNI ETRVRIAE DVCIS TYPIS

APVD TARTINIVM, ET FRANCHIVM

CVM ADPROBATIONE

IOANNIS MEVRSI ET ALIORVM AD EVM SCRIPTAE EPISTOLAE.

PRAEFATIO.

QVantum utilitatis & emolumenti ad Historiam literariam & civilem contexendam, confirmandam, perficiendam, ex mutuis Clarorum Virorum Epistolis profluat ac derivetur, neminem profecto fugit, nisi ἰδιώτην prorsus & ἀμύητον, & tantis mysteriis numquam initiatum. Quum enim Epistolis unusquisque animi sui sensa & conceptus sinceriter aperiat, res cuiuscumque gestas, prout sunt, nude & simpliciter narret, amicorum interrogationibus veridice & enucleate respondeat: nec velit quis cum familiariter scribit, populo & multitudini fucum facere, turbas excitare, in insidias alios artificiose pertrahere, nec abs se literis mandata in propatulo conlocari: nulla causa subest, cur vereamur, ne non veritas pura ac puta, & qualis a mortalibus omnibus desideranda est, integre liquideque contineatur. Quamobrem, quum reliquos *Io. Meursii* operum tomos promto ac lubenti animo in vulgus prodiderim; hunc tamen undecimum eiusdem Auctoris Epistolas, & contemporalium illustrium Virorum ad eumdem scriptas, complectentem alacriter & lubentissime publici iuris facio, tamquam Historiae literariae illius aetatis, non penum copiosum dixerim tantum, sed vere thesaurum inaestimabilem. Ut quanti facienda sit uberrima haec & locupletissima Epistolarum collectio perspicue ac dilucide & primore adspectu comprehendatur, sufficit illorum nomina, qui eas scripserunt exponere & recensere; statim enim succurret, & adgnoscetur, fuisse illos quidem plerosque omnes eruditionis & litterarum fama percelebres, & praeclara suorum temporum lumina, & decora praestantissima. En igitur nominum famosorum tumultuariam seriem digero, & benevoli Lectoris ob oculos pono:

Io. Meursius Pater, & Filius.
Iac. Bruno.
Theodor. Canterus.
Petrus Scriverius.
Franc. Dousa.
Hugo Grotius.
Daniel Heinsius.
Ioan. Wouvverius.
Balthasar Lydius.
Martinus Lydius.
Lambertus Vanderburchius.
Ianus Gruterus.
Hadrianus Vanderburchius.
Iustus Lipsius.
Petrus Ab Iverendee.
Petrus Levvius.
Andreas Schottus.
Ioseph Scaliger.
Iacobus Gruterus.
Ioannes Heurnius.
Isaacus Casaubonus.
Iacobus Monavius.
Trid. Lindenbrogius.
Bonaventura Vulcanius.
Marcus Velserus.
Melior Goldastus.
Ottho Heurnius.
Frid. Taubmannus.
Albertus Euphrenius.
Iac. Bongarsius.
Ioan. Frid. Gronovius.
Ioan. Bongarsius.

Cornelius Schollius,
Nicolaus Rigaltius.
Eizo Tiarda.
Io. Commelinus.
Iac. Augustus Thuanus,
Iac. Gillotus.
Dan. Heinsius,
G. Goddaeus.
Ioan. Drusius.
Paullus Petavius.
Carolus Paschalius,
Bonifacius Vulcanius,
Ioan. Luntius.
David Hoeschelius,
Dom. Baudius.
Paullus Merula.
Marquardus Freherus,
P. Bertius,
Theophilus Ryckevvaert,
Georgius Queccius.
Cunrad. Rittershusius.
Petrus Denaisius.
Dionysius Gothofredus.
Caspar Barthius,
Georg. Michael Lingelshemius,
Mich. Piccartus.
Georgius Remus.
Franciscus ab Arsen.
Anton. Fayus.
Alfonsus Miniatus.
Ioan. Deodatus.
Nicolaus Vassanius,
Iac. Lectius,
Ian. Rutgersius.
Geverard. Helmenborstius,
Ever. Vorstius.
Petrus Pantinus.
Ioan. Wtenbogart,
Maximus Aemylianus Vrientius,
Sixtus Arcerius.
Heribertus Rosvveidus.
Io. Brantius.
Theodorus Dousa.
Christianus Anesorgus.
Philippus Iacobus Maussacus,
Vbbo Emmius.
Casperius Gevartius.
Edovardus Hobaeus.
Beniaminus Auberius Maurerius,
Io. Georg. Hervvartus,
Eustathius Svvartius.
Hier. Isbrandus,
Io. Philippus Pareus,
Vincentius Marinerius.
Petrus Castellanus,
Georgius Archiepiscopus Cantuariensis,
Rinaldus Brederodius.
Iacobus Omphalius.
Er. Puteanus.
L. Pynacker.
Peirescius,
Bilderbeccius.
Cornelius Wander Mylius,
Io. Baptista Laurus.
Ioannes Kirchmannus,
Georgius de Bye.
Dominicus Molinus.
Christophorus Surianus,
Paullus Servita.
Petrus Gruterus.
Christianus Thomaeus.
Balthasar Bonifacius,
Henricus Dormalius.
Oligerus G. Rosencrantz,
Iacobus Schickardus.
Lucas Holstenius.
Franco Berdenne.
Matthaeus Raderus.
Cyr. Herdesianus.
Ludovicus Contarenus,
I. A Woestenraedt.
Patricius Iunius.
Laurentius Realius,
Georg. Ludovicus Frobenius,
Lampertus Alardus.
Henricus Hudemannus.
Gerardus Vossius.
Andreas Rivetus.
Io. Boedecherus.
Nicolaus Vismarus.
Christophorus Bulaeus.
Casparus Hoffmand.
Ioannes a Leistich.
Henricus Spelmannus,

Wilhel-

Wilhelmus Alardus.
Sixtus Amama.
Caspar Erasm. Brochmandus.
Caspar Bartholinus.
Franciscus Maria de Monaco.
Arn. Buchellius.
Io. Loccenius.
Adolphus Vorstius.
David de Willem.
Henricus Hernstius.
Io. Cluverus.
Petrus Cunaeus.
Stephanus Ioannes Stephanius.
Frider. Guntherus.
Io. Cabelliavius.
Olaus Wormius.
Christianus Friis.
Christianus Rave.
Io. Ravius.
Helvicus Dietericus.
Christophorus Bolerus.
Nicolaus Henelius.
Nicolaus Fossius.
I. Polyander.
G. Buytevvech.
Balth. Moretus.
Ioannes Canterus.

Quis, quum hæc nomina legerit, Senatum quemdam maxime observandum hominum praestantissimorum, litteris, eruditione, dignitate, insignium, ab se conspectum subspectumque fuisse non existimaverit? Quis autem statim non diiudicaverit, virorum tantorum Epistolas, nonnisi eruditissimas, instructissimas, ornatissimas, esse potuisse? Sed quomodo tot praeclara ingeniorum cultissimorum monumenta nancisci tamdem prospere ac feliciter potui? Id mihi nunc edisserendum est. *Ioannes Grammius* vir Danus adprime eruditus, oppido diligens, & incredibiliter humanus & liberalis, Hafniae morans, Serenissimo Danorum Regi a Consiliis, Bibliotheca, & Tabulis publicis, erat; ac insuper in Hafniensi Academia Graecam linguam profitebatur, qui paucis ab hinc annis fato functus est. Is cum ex me intellexisset, amplissimam operum Meursianorum omnium syllogen Florentiae me curante parari, quo absolutissima eorum editio fieret, multa mecum perhumaniter & prodige communicavit, quae ad eam editionem complendam, illustrandam, ornandam, absolvendamque, inservire possent; quemadmodum ex Praefationibus, quas voluminibus superioribus praeposui, ediscere & comprehendere est: plenum enim ingenuitatis semper esse arbitratus sum, indicare & profiteri per quos profecerim.

Hic igitur inter alia copiosam Epistolarum ab viris clarissimis Meursio scriptarum collectionem ad me misit, de qua usque ab anno MDCCXXXV. ita scripserat: *Ne ad irritum omnino spes cadat, quam de Dania concepistis nostra, ecce vobis obfero insignem syllogen Epistolarum ad Meursium, ex privata mea Bibliotheca depromtam, quam in usus vestros integram curabo describendam. Exceptum est exemplar manu perquam nitida Zachariae Lundii, praestantis oppido Viri, Graeceque & Latine doctissimi, ex ipsis autographis, quando in Bibliotheca Seefeldiana exstabant, antequam scilicet in Svecorum venirent potestatem; continetque, ut dixi, non quidem Epistolas ipsius Meursii, sed ad illum celeberrimorum hominum, eruditionis per Europam ea aetate principum, Iosephi Scaligeri, Lipsii, Thuani, Paulli Petavii, Rigaltii, Is. Casauboni, Iani Gruteri, Dan. & Nic. Heinsiorum, G. I. Vossii, Hug. Grotii, P. Cunaei, Andr. Schotti, Petri Scriverii, P. Berti, Ph. Iac. Maussaci, Erycii Puteani, Iani Rutgersii,*

Bonav.

Bonav. Vulcanii, Peirescii, Dominici Molini, Theod. Canteri, Dav. Hoeschelii, P. Pantini, Fr. Taubmanni &c. Harum nonnullae iam olim lucem adspexerunt, inter Scaligerianas, Casaubonianas, Vossianas &c. longe vero maxima pars numquam in dias luminis oras prolata. Rogabitis fortasse, (nisi id iamdudum vobis exploratum) quo autographae pervenerint, atque an ne in Svecia reperiendae? Minime vero. Samuel enim Pufendorfius eas, una cum supra memoratis, illinc exportavit, (cuius herus, ut superius referebam, olim apud nos in supellectilem librariam Seefeldii, tamquam in possessionem caducam, involaverat) & postquam multos annos servarat, tandem anno MDCLXXIX. *dono dedit Academiae Lipsiensi, in cuius Bibliotheca, quam Paulinam adpellant, adhuc ostenduntur. Et excerpta ex iis nonnulla reperietis evulgata in Nova librorum variorum Collectione Fascic. 3. (Halis Magdeb. edit. ex officina Rengeriana an.* MDCCX. *in 8.) aliquot paginas implentia. Subdubitabam vere, an non rectius facturi sitis, solicitando Lipsienses, ut istum vobis codicem concedant usurpandum, vel saltem describi faciant. Licet vix putem, quemquam accuratius facturum hodie, quam praestitit isto aevo meus Zach. Lundius. De eodem Lipsiensi codice plures mentionem fecere, ut notavit Io. Mollerus Flensburgensis in Bibliotheca Septemtrionis Eruditi, cuius Hypomnemata ad Alb. Bartolinum de Scriptis Danorum, varia subpeditant (pag. 284. ad 290.) ad notitiam vitae scriptorumque Meursii, utique non contemnenda.* Sed hic non stetit humanitas, liberalitas, eruditio, viri clarissimi *Ioan. Grammii*: Epistolas omnes suae copiosae collectionis brevibus quidem, sed opportunis, Adnotationibus & Animadversionibus insuper instruxit & illustravit: quas omnes in hac editione exhibuimus. Observandum tamen est, neque dissimulandum, non eumdem a nobis ordinem Epistolarum, ac in sylloge Grammiana erat, servatum fuisse; in illa enim cuilibet Auctori suae Epistolae adsignatae fuerant, & simul collocatae, nulla temporum, quibus generatim omnes scriptae fuerant, ratione habita: nos autem satius esse existimavimus, ita illas universas digerere & ordinare, ut quaelibet suae aetati redderetur, Auctorum licet inde confusio quaedam necessario oriretur atque exsisteret: ita enim secundum temporum seriem Epistolis dispositis, ex illarum numero & congerie quaedam veluti tabula resultabat, in qua res gestas omnes, scripta, studiaque, *Io. Meursii* uno intuitu & iusto ordine spectare, legere, subspicere, esset; eiusque vitae veluti copiosa & luculenta Historia recta ordineque concinnata haberetur. Illas vero tantum Epistolas, quae nulla temporis nota insigniebantur, quae tamen paucae sunt, separatim ac seorsim seposuimus, ut *pag.* 648. videre est. Id in caussa fuit, cur a vita *Meursii* scribenda supersederem, & non tantum quod a pluribus aliis iam litteris mandata esset, ut initio primi voluminis huius collectionis videre est; imo ipsemet *Meursius* propriam vitam luculente scripserit deductam usque ad annum MDCXXV. quae habetur libro II. *Athenarum Batavarum pag.* 546. voluminis X. huius editionis; necesse enim mihi fuisset, & alios Scriptores compilare, & pleraque omnia repetere, quae sparsa & diffusa in Epistolis habentur, labore improbo & supervacaneo, nec Lectoribus satis utili, & delectabili; nam ut ille aiebat: *Gratius ex ipso fonte bibuntur aquae.* Idem praestitimus etiam quod ad illas Epistolas, quae in Grammiana sylloge deerant, & ex aliis Epistolarum collectionibus, aliisque monumentis & Scriptoribus excerpsimus ac selegimus; omnes enim istas suis

locis

[illegible] scriptionis tempori conveniebant, apte adpositeque collocavimus. N[illegible] enim labori & diligentiae pepercimus, ut universas, quotquot sunt, [illegible] Epistolas, vel ad eum scriptas, vel quae ad eum quoquomodo adtine[illegible], eum vel memorando, vel commendando, vel de eo aliquid exponen[illegible] compararemus, colligeremusque, atque in hac editione produceremus. Siqu[illegible]em hae Epistolae pleraeque omnes ineditae erant, seu collectionem Grammianam spectemus, sive illas, quae Roma, Lugduno Batavorum, aliisque Europae Civitatibus, a Viris aliis eruditissimis communicatas accepimus. Inter eos autem praecipue mihi memorandus est V. Cl. *Abrah. Gronovius*, & eius humanitas ac liberalitas laudibus ferenda; is siquidem multa contulit, & quod ad Epistolas attinet, ita Viro Amplissimo *Silvio Valentio Gonzagae*, tunc Pontificio apud Belgas Oratori, deinde S. R. E. Cardinali Eminentissimo, Lugduno Batavorum inter alia rescripsit: *Inter Epistolas a Viris doctis ad Avum meum datas duas Meursii manu conscriptas reperi, easque lubens transscribam: praeter hasce etiam aliquot Epistolas Virorum eruditorum ad Meursium scriptas possideo, quae ut puto non leve ornamentum editioni Meursianorum operum conciliarent, earumdem* αὐτόγραφα *veluti pignus meae erga Excellentiam Tuam observantiae primo nutu tuo Bruxellas cum reliquis opusculis transmittam. Praeterea indicem contexam Epistolarum Meursii in variis collectionibus Epistolarum exstantium.* Haec *Gronovii* Epistola refertur *Praefatione* primi voluminis *pag.* XV. Quamquam vero multa solicitudine & sedulitate Epistolas omnes ad *Meursium* spectantes conquisierimus & collegerimus, non tamen ea fiducia nostrae diligentiae est, ut non subspicemur, facile & proclive nobis fuisse, seu humana quadam incuria obrepente, seu certorum librorum ignoratione, earum quasdam, invitis licet & indignantibus, praeterire, & omittere: vel etiam oblivione suborta, & schedis memoralibus deperditis, amplius non meminisse, unde quaedam repetendae essent: & certe id postremum de duabus vel tribus Epistolis contigit. Nam alias, quae tractu temporis, aut amicorum subgestione, aut memoriae redintegratione, aut librorum lectione, subinde repertae sunt, appendicis mantissaeque loco, in calce aliarum Epistolarum adiecimus: ut quoquomodo involuntarium defectum, & ingratam penuriam, subpleremus. Sed quum Catalogum eruditorum Virorum praemiserim, qui *Meursio* litteras scripsere, subdere quoque Indicem par est eorum, ad quos ipse *Meursius* Epistolas, quas hic edimus, dederit. Scribit igitur insequentibus.

Iusto Lipsio.
Lamberto Vander-Burchio.
Caspari Hoffmanno.
Georgio Michaeli Lingelsheimio.
Iano Grutero.
Christiano IV. Regi Daniae.
Gerardo Ioanni Vossio.
Olao Wormio.
Georgio Seefeldio.
Ioanni Gronovio.
Theodoro Cantero.
Ioanni Cantero.
Isaaco Vossio.
Ioanni Kirkmanno.

Errata quaedam in hasce Epistolas inrepsisse non diffiteor; sed ea non multa sunt, & Typographorum incuria ut plurimum intrusa: Manuscripta etiam, ex quibus descriptae formis sunt, non semper correcta erant & castiga-

ſtigata: αὐτόγραφα enim nobis videre & conſulere non licuit. Sed in huius Praefationis calce omnia, quoad fieri poterit, emendabimus; & eo lubentius, quo pauciores meas Adnotationes & Animadverſiones in harum Epiſtolarum decurſu interſperſi. Interim, quum alia quaedam *Meurſii* Epiſtola nos fugiſſet, heic eam damus, atque inſequens eſt:

Ioanni Vitenbogardo V. R. Ioannes Meurſius S. P. D.

Cum liber tuus mihi traderetur, neceſſario proficiſcendum mihi Vltraiectum; atque inde mox reduci in nuptiis perdendum tempus fuit. Facile itaque cauſam vides, cur hactenus tuis non reſponderim. Nunc hiſce diebus Hagae fui, & te domi tuae quaeſivi ut ſalutarem, ſed eius diei fortuna colloquium mihi tuum invidit. Volebam ſimul gratias agere pro munere tuo, magno illo, non tam mole libri, quam rerum pondere & dignitate. Quaeris iudicium & cenſuram; ita enim viſum tibi loqui. Sed vide quid agas: quippe teſtor humanitatem tuam, nimium me honoras, id eſt, oneras: quod facis contra Scitum Plinianum. Quando tamen non aliter tibi videtur, accipe verum animi mei ſenſum. Diſtincte, & ordinate, addo etiam ornate, qui genius tuus eſt, omnia ponis, examinas, & diſpungis; ut negem aliquid fieri in eo genere poſſe perfectius. Vbique oſtendunt ſe iudicium ſubactum valde, & multiplex lectio, rerumque cognitio. Adfirmo omnino: aeſtimabit te poſteritas vel ab uno hoc ſcripto, quod dignum transfundi in plures linguas. Habes ſimplicem ſententiam, quam non mihi meus in te adfectus, ſed veritas dictavit; illa, inquam, cuius tu patrocinium neceſſario ſubſcepiſti, etſi concitato, uti teſtaris, odio implacabili eorum, quorum amorem & benevolentiam vel ſanguine, ſi ita uſus veniat, redimere paratus ſis. Macte iſta virtute, V. R. & animum obfirma. Spondeo tibi: adferet aliquando voluptatem haec res non exiguam, & debere ſe tibi plurimum Reſpublica grata fatebitur. Ominor, & in hoc omine deſino, Deum Opt. Max. ſupplex venerans, uti Eccleſiae te ſuae quam diutiſſime ſervet incolumem. Vale V. R. & me amare perge nominis tui cultorem frequentiſſimum. Lugduni Batavorum VII. *Iulii* MDCX.

Haec Epiſtola ſcripta eſt *Ioanni Vitenbogardo*, qui in diffamato illo diſſidio Eccleſiarum heterodoxarum Hollandiae exſilio voluntario Synodi Dordracenae ſaevitiem evaſit, ut colligitur ex eius Epiſtola *Conrado Vorſtio* ſcripta die XV. Decembris an. MDCXVIII eo quod *Iacobi Arminii* partes ſequeretur: de quo *Arminio* agit *Meurſius Lib. II. Athenarum Batavarum pag.* 568. Voluminis X. huius editionis. De hoc diſſidio Batavarum Eccleſiarum, & Synodo Dordracena, aliquid mihi delibandum eſt, cum ſuae procellae caſibus *Ioannem Meurſium* etiam involverit. In Synodo enim illa, quae die tertia decima Novembris anni MDCXVIII coacta eſt, & uſque ad calendas Martii anni MDCXIX. perduravit, *Franciſci Gomari* Calviniani factio praevaluit, de quo *Gomaro* ſcribit *Meurſius* citato *Lib. II. Athenarum Batavarum pag.* 540. Voluminis X. huius editionis: & *Iacobi Arminii* doctrina proſcripta & damnata fuit, cum in *Pelagii* & *Socini* errores propendere videretur. *Arminii* ſectatores *Remonſtrantes* adpellati fuere; *Gomariani* autem *Contraremonſtrantes*. Cum igitur *Remonſtrantes* a Synodo damnati fuiſſent, poenarum ſeveritas in eos, *Mauricii* Principis Auriaci auctoritate, exercita eſt. *Remonſtrantium* praecipui erant, *Simon Epiſcopius*, *Hugo Grotius*, *Simon Goldartius*, *Nicolaus Grevincovius*, *Ioannes Oldenbarneverdius*, *Conradus Vorſtius*, memoratus *Ioannes Vitenbogardus*, *Matthias Martinius*, *Gerardus Ioannes Voſſius*, *Cornelius Sylvius*, *Ioannes Meurſius*, *Cornelius Vandermylius*, aliique viri docti & illuſtres, quorum nomina ex *Epi-*

ſtolis

stolis Ecclesiasticis & Theologicis anno MDCCIV. Amstelaedami editis colligere est, & de quorum plerisque agit *Meursius Lib. II. Athenarum Batavarum*. Itaque *Remonstrantium* quidam vel ultimo supplicio adfecti, vel carcere inclusi, vel in exilium missi, vel in ordinem redacti sunt. Sed ut capita controversiae inter *Arminianos* & *Gomarianos* melius apertiusque cognoscantur; & quanta a Gomarianis in Synodo Dordracena collectis & conspirantibus persequutio in adversarios excitata sit, perspicue & certo intelligatur, huc verba quaedam Supplicis Libelli Arminianorum *Ludovico XIII.* Galliarum Regi oblati, ut in Gallias se recipere & confugere possent, transscribenda censui. Illa autem ita habent: *Sire: les dits Suppliants exposent en toute humilité a V. M. que n' ayans peu, selon le devoir de leur charge, dissimuler, moins approuver & ensuivre les erreurs & abus, qu' ils avoient remarquez en la Religion, qui prend le nom de Reformée, es choses, qui touchent la Predestination eternelle de Dieu; le merite de la morte de nôtre Seigneur & Sauveur Iesus Christ; la divine Grace, le franc Arbitre, & la Perseverance: se trouvant la creance & doctrine de plusieurs d' entr' eux directement contraire a la veritè, pietè, & bons moeurs, comme aussi à ce, que de toute ancienneté l' Eglise Chrestienne a creu & croit encor à iour d' huy: iceux Supplians à ceste occasion ont estè & sont encore grandement affligez. Car quelques uns des principaux du pais ayans esté emprisonnez par force & contre les loix, & plusieurs Magistrats, sous l' authoritè legitime des quels ils avoient enseignè la verité contraire aux susdits erreurs, & abus, deposez de leurs charges, l' on a practiquè & convoquè un Synode en la ville de Dordrecht en Hollande, au quel les parties formelles des Supplians, ayans prins la place des iuges, les ont, sans vouloir entrer en conference sur ce, qui est controversè, ni leur permettre leur iuste & necessaire defense, iniustement condemnez, privez de leurs charges, & fait impitoiablement chasser de leur pais, au quel journellement encore on exerce de bien cruelles persecutions contre plusieurs milliers de personnes faisans profession de ceste mesme verité.* Haec quidem produxi, non ut Arminianos probem, qui non minus, quam Gomariani contra Orthodoxiam peccabant, sed ut aliqualem controversiarum, & turbarum illius temporis speciem obferrem. Quicumque autem plenius ac latius controversias illas animo comprehendere avet, doctissimum *Bossuetum* adeat in *Historia Variationum Ecclesiarum Protestantium libro* XIV. Inter eos, qui poena mortis plexi sunt, *Ioannes Oldenbarneveldius* fuit, qui die tertia decima Maii anno MDCXIX. ultimo supplicio adfectus est, quod Arminianis favere visus est, ut saltem tolerarentur proponens; quod crimen eo maius habitum est, quo certius *Mauricio* Principi homo inimicus invisusque existimabatur. Erat ille ipsius *Ioannis Meursii* patronus beneficentissimus, cuius is filios Ephorus ac Praeceptor moribus formabat, & literis ac disciplinis instituebat, ut Praefatione primi voluminis *pag* CI. CX. CXVI. videre est. E re esse arbitror heic Epistolam *Oldenbarneveldii* proferre, quam pridie quam moreretur familiae suae scripsit, quod lucem adferat Epistolae *Cornelii Vandermylii* ad *Meursium* datae, quaeque habetur hoc volumine *pag.* 329. Epistola est quae sequitur.

Carissima Coniux, Liberi, Generi, & Nepotes, dilectissimi.

Saluto vos omnes peramanter. Hac ipsa hora ad me defertur nuncius durissimus ac tristissimus, nempe ut ego senex pro omnibus officiis, tot annis, bona semper & optima fide patriae praestitis, postquam Excellentissimum Principem sincero adfectu (tot annis & quibus potui servitiis, quantum per munera publica & vocationes licuerit)

humilibus obsequiis coluerim, multis ex omni hominum genere benevolentiam exhibuerim, nemine mortalium, quod sciam, iniuria adfecto, ad mortem crastino die subferendam praeparare me debeam. Consolor me in Domino Deo, qui & omnium corda novit, & omnes, quotquot sunt, homines est iudicaturus: obsecro, ut & vos omnes idem facere velitis. Dominis meis Hollandiae & Westfrisiae Ordinibus (nempe) Dominis Nobilibus & Civitatibus, animo sincero, probo, & fideli inservii, nec non Dominis Ordinibus Vltraiectensis Provinciae, utpote patriae meae Supremo Magistratui, ipsis petentibus sincerum consilium dedi & fidele, ut a seditione populari, & sanguinis effusione, a qua iamdudum ipsis periculum imminuit, liberarentur. Eaedem erga Civitates Hollandiae intentiones meae, nempe ut nemine laeso omnes protegerentur. Vivite inter vos in caritate & pace. Rogate pro me Dominum Deum omnipotentem, qui nobis omnibus sancto suo praesidio aderit. Ex tristitiae cubiculo XII. *Maii* MDCXIX.

Vestri amantissimus Coniux, Parens, Socer, Avus
Ioannes ab Oldenbarnevelt.

Eamdem *Vandermylii* Epistolam illustrat alia, quam ei *Daniel Heinsius* scripsit, quamque in medium adduco.

Nobilissimo Viro Cornelio Vandermyle Daniel Heinsius S. P.

Vir nobilissime, Testor Deum immortalem, nec me vivere immemorem tui posse, & si aliquid humanitus eveniat, non posse ingratum mori: quare certo persuade tibi, nullae fortunae tuae partem esse, quam non sentiant amici tui, qui in te fortunam tuam non amarunt, sed quos aut virtute in admirationem tui pertraxisti, aut benignitate tibi vindicasti. Ego te absente toties, ac tam frequenter, de te cogito, ut longe te existimem feliciorem, qui amicis tuis tantum cares, quam amicos tuos, qui hic soli sine te vivunt. Incredibilis, & heroicae aequanimitatis olim indicium in te fuisset, quod me aliter quam quidam iudicare te existimabant, sentientem, & modeste id profitentem, tuleris, imo & amaveris; nisi fieri non posse existimarem, ut is aliter quam omnes orthodoxi sentiant, qui tales maxima benignitate semper prosecutus est. Si nunc essem tecum, multi hic sunt, quorum oblivisci possem. Quod cum fieri non possit, ita de te loquor, ut oportet eum, qui ne verbis quidem quantum tibi debeat posse se exprimere fatetur. Quae ne unquam animo hoc elabantur, mea res in primis & existimatio agitur. Ita autem mihi in mentem venire solet, ut non videam, quare minus quam tuorum quisquam, etiam qui maxime propinqui tibi sunt, calamitatem tuam debeam dolere, quem non amoris tui tantum, quod fuisset satis etiamsi impudens fuissem, sed fortunae quoque tuae ad extremum participem fecisti. Vale vir nobilissime, & de nobis saltem mutuo nonnunquam cogita. Lugd. Bat. anno MDCXX. XXI. *Iun. Festinationi, quaeso te, ignosce. Spero, te erecto esse animo. Habes sane magnum in adversis solatium, quod pauci apud nos sunt, qui non ut parentem publicum te lugeant. Nuper mihi Bontius elapsus est. Non enim eum absque meis dimisissem. Invidi ei hanc felicitatem. Vbi meas tibi gratas esse intelligam, scribam sigillatim de nonnullis, quae ad meditationes nostras spectant. Accepi nuper literas a summo viro Paulo Servita. Gaudeo de nostra in religione sententia tantum hominem sic iudicare.*

Ampl. Tuae observantissimus & nunquam ingratus
dum vivam futurus Daniel Heinsius.

Oldenbarneveldii ruina clientem suum *Meursium* pene obruit & oppressit: & populare odium contra ipsum concitatum est, ita ut se iam periclitantem videret. Id quidem animadvertit *Ioannes Albertus Fabricius* volumine XIII.

Biblio-

Bibliothecae Graecae pag. 626. illis verbis: *Tamen odio gravatus Patroni sui Oldenbarneveldii anno* MDCXXV. *non invitus Soram Danorum abiit*. Indicat haec loculenter ipse *Meursius* Epistola ad *Lingelsheimium*, quae in hac editione quadringentesima septuagesima prima est *pag.* 338. Eius verba sunt: *Quae sit in Rep. nostra mutatio facta ab aliquo tempore, ignorare minime potes. Nunc ad Academiam etiam, tamquam nostra quoque toga sit timenda, est perventum. Nudius quintus quinque e Professorum numero loco moti; & mox sextus ego addendus, quantum divinare licet. Ecce autem quidnam obiiciant. Auditorii infrequentia accusatur, quum frequentius tamen illud dicere possim, quam multorum collegarum est; de quibus querela nulla; quin in victrice parte numerantur: beati nempe sunt gallinae albae filii. Me calamitas Maecenatis mei involvit; nec quid aliud est, quod nocet. Infrequentiam auditorii in frequentiam lucubrationum conferunt, detrahique lectionum curae censent, quantum istis diligentiae adbibetur. Itaque & haec reprehenditur, quamquam oblique, & per istud quasi latus. Quodque Academiae aliae magno sane redimere velint, nostra debeat, per obtrectatorum invidiam, qui nunc nimium in me validi, si non palam improbatur, certe minus, quod adfine vituperio, aestimatur. Vides culpam, & ob hanc denunciatum est, nisi intra hoc semestre omnino efficiam ut frequentius posthac auditorium habeam, munere publico Professoris amovendum: interimque a Senatu Academico abstinere me iusserunt. Vides, quis sit rerum mearum in praesens status, & quam illae in praecipiti collocatae. Sed eventum exspectabo, animi intrepidus: ac fidentem recta conscientia facit, & illae dotes, quas benignus mihi Deus est largitus. Quod si patria mihi noverca esse velit, meque eiicere, quod non sperem; forte terram peregrinam alibi inveniam, quae sit patriae instar futura. Artem quaevis terra nutrit, & omne solum forti patria est. Certe, quod inimicis doleat, quocumque abiero, omnia mea mecum feram, nec per Dei gratiam Meursio male esse uspiam terrarum poterit*. Hactenus *Meursius*, qui cum videret se in patria adversa fortuna premi, alio se conferre cogitabat, uti iam ex eius verbis intelleximus: sed & amicos etiam rogabat, ut sibi munus aliquod alibi conferendum procurarent. Id satis elucet ex Epistola ad laudatum *Georgium Michaelem Lingelsheimium*, quae in hac editione quadringentesima octogesima est. Et quidem Curatores etiam Academiae Lugdunensis & Consules Civitatis eiusdem, anno MDCXIX. die quarta Iulii, Athenei Lugdunensis statum reformare instituerunt, & id perficere posse non existimarunt, sine remotione & subspensione quorumdam Professorum ac aliorum eiusdem Vniversitatis membrorum, inter quos & *Ioannes Meursius* fuit, qui tunc temporis in ea literas Graecas profitebatur. Quid autem decretum fuerit a Curatoribus illis & Consulibus, ut melius intelligatur, saltem quod ad Professores pertinet, inter quos & *Meursius* noster, haec ex Actis publicis excerpsimus:

Postquam res instituta, ac porro instituenda satis animo ac cogitatione esset versata, visum est, ut Domini, de omnibus plene edocti, Hagae-Comitis, praesente Principe, ne aliquod praeiudicium opinioni eius caliginem obfundat, negotium peragerent. Rogati Lugdunenses Consules ne gravarentur proficisci Hagam: morem gesserunt, & sic Curatores aliique primores, vigesimo octavo eiusdem mensis, se Hagam conferentes, rebus, quae Lugduni Batavorum actae erant, denuo cogitatis ac excussis, post deliberationem cum Principe Auriaco, & omnibus antea memoratis, subsceptam, vigesimo nono eiusdem mensis statuerunt, quod sequitur: Primum Magistro Petro Bertio Professori Ethices, & Caspari Barlaeo Collegii Subregenti, indiceretur, Principem Auriacum, ceterosque memoratos, illorum operam, quam hactenus Vniver-

sitati navarint, ultra non requirere, eosque habere a professione sua remotos. Postquam haec ultimo. Augusti essent acta, ambo professi sunt, quod se dictis submitterent, nec munere posthac fungerentur. Addente Bertio, Dominos nihil agere sine rationibus. Ambo promiserunt, ita se gesturos, ut nulla incideret querela. Quare promissum est iis, quadrantis anni, quem ingressi erant, & migrationis Barlaei, aequam rationem habitum iri. Vossio denunciaretur, quod & eodem die factum, Principem Auriacum, Curatores ac Consules Lugdunenses aliosque Delegatos, ob rationes non exigui momenti, nondum potuisse a se impetrare, ut illi aliqua professione consulant, sed spe inducti, quod modeste sine offendiculo sit acturus vitam, illi destinasse ad tempus, donec aliter decernatur, honorarium octingentorum florenorum annuum, ea conditione, ne convictores alat, aut Collegia disputantium sive domi, sive alibi, instituat. Quod attinet colloquium a Synodo Hollandiae Australis, cum quibusdam dimissis ex suo coetu indictum, mandatum Vossio, ne se ei immisceat, antequam a Principe Auriaco DD. Curatoribus ac Consulibus Leidensibus, detur venia, qua excusatione se apud Legatos Synodi possit defendere. Haec quando Vossio relata sunt, honorarium grato animo exceptum, & promissum ab eo, se bene ac honeste instituturum vitam, & sicut iussum erat colloquium illud declinaturum. De DD. Gulielmo Coddaeo & Gilberto Iacchaeo, decretum est, ut subspendantur a lectionibus, alendis convictoribus, disputationibus & habendis Collegiis tam intra, quam extra aedes suas: ut acerba castigatione in ipsos animadvertatur monitos, si posthac in Rempubl. aut Ecclesiam peccent, quod professionis ac stipendii iacturam non effugient. Spe tamen, ipsos prudenter ac quiete acturos, & ita animum inducturos, ut exemplo suo aliis calcar addant, ad tempus, donec aliter visum sit DD. Curatoribus ac Consulibus, illorum stipendium, aut pars eius, pro arbitrio Curatorum ac Consulum, continuabitur. Verum ea lege, ut se ab Vniversitatis Senatu abstineant. Ioanni Meursio indicaretur, Dominis innotuisse, quam exiguos fructus Vniversitati ferat, sive hoc ex quodam ingenii vitio oriatur, sive invita Minerva fiat; quo circa enitendum ipsi, illud ut diligentia ac omni conatu corrigat, studiosis maiori usui sit, & Spartam melius ornet. Quoniam verisimile est, scribendo multos libros solemnia eius studia inhiberi, potius libros edere supersedeat, admonitus, nisi se melius gerat aut gerere possit, DD. Curatores ac Consules evitare non posse, quin post elapsos sex menses alteri Professionem Graecae linguae, quae, quod ipsum non fugit, ad communia studia permagnum habet momentum, committant. Quod illi etiam ad Senatum Vniversitatis praeclusus erit aditus. Haec ubi illi nuntiata sunt, excusationes aliquas protulit, attamen officio se defuncturum recepit. Tandem D. Cornelius Sylvius, Professor Institutionum Iuris Civilis, missionem, quam petierat, speciosis rationibus eo inductus, impetravit, addito interdicto, ne peculiaria Collegia aut privatas disputationes institueret: ad quae se componere non abnuebat, quamquam seria excusatione, quae sibi crimini data erant, dilueret. Haec autem omnia lubenter produco, quod Epistolas nostrae editionis sparsim, & mirifice illustrent, & Adnotationum loco esse possint.

Vt igitur hisce omnibus turbas, molestias, procellas, minitantibus *Meursius* sese eriperet anno MDXXV. in Daniam Hafniamque se contulit publicus Academiae Soranae Professor a *Christiano IV.* Rege renunciatus. Id ipse exponit Epistola ad Regem illum data, quae inter nostras quingentesima septuagesima tertia est, & habetur *pag.* 424. Literarum initium ita habet. *Literas Regiae Maiestatis vestrae, datas ex Arce Regia Hafniensi ad diem XV. Iulii, recte accepi Kalendis Septembris. In iis Regia Maiestas vestra munus mihi Professoris Historiarum, & Politices, cum stipendio, Professioni ei constituto, clementissime demandat,*

dat, & ut ſuum in me favorem propenſiſſimum magis declaret, addit alterum Regii Hiſtoriographi, cum ſtipendio ſexcentorum uncialium annuorum. Ego vero utrumque munus eo magis bonorificum, quod a tanto mibi Rege demandatum, qua debeo animi demiſſione in me recipio, & ſedulo omnem operam dabo, ne R. M. Veſtram ſuae in me benignitatis poenitere unquam poſſit. Iam innui ſuperius, quanta perſecutio in Arminianos a Calvinianis & Gomarianis exerceretur; ſed ut quantis malis & aerumnis *Meurſius* in Daniam proficiſcendo ſeu perfugiendo ſe ſubduxerit, amplius innoteſcat, quamdam turbarum & tumultuum illius temporis deſcriptionem heic inſerere fert animus, quam ex Epiſtola *Simonis Goulartii* ad *Petrum Cupum* anno MDCXXVI. ſcripta repetivi. Verba *Goulartii* ſunt quae ſequuntur: *Innotuit nobis adverſariorum male ſibi conſciorum apud praedictos Ordines contentio & reluctatio, metuentium ſi boc eveniat, & libertas noſtris concedatur, ne forte de cauſa ſua ſit conclamatum: praeſertim cum ipſis probe notus ſit ingenuorum Batavorum genius, Eraſmo ſuo, vel Arminio, plus deferentium, quam Calvino vel Gomaro. Ideo omnem operam in Synodis ſuis navant, omnemque per ſuos adſeclas lapidem, ipſoſque adeo aedium & platearum lapides, adverſus noſtros movent, ut libertas illa tantopere expetita, & ſpes illius, nobis penitus eripiatur. Cum vero id in primis metuant, ne noſtri etiam Amſterodami pedem & ſedem figant, quem locum, tamquam bierarchiae ſuae proprium, iampridem ſibi vindicare contendunt, in eo toti ſunt, ut inde noſtri, ſicut olim Galli a Capitolio Romano, arceantur; idque tanto fervore, vel potius furore, agunt, ut ethnicorum feritatem in Chriſti Eccleſiam, non ſolum imitari, verum etiam ſuperare velle videantur &c*

Quum *Meurſius* in Daniam evaſiſſet, nec linguae Graecae Profeſſor amplius Lugduni Batavorum eſſet, *Ger. Ioan. Voſſio* iniunctum fuit, ut linguam illam interim doceret, ut ex Indiculo Profeſſorum aliorumque, quem *Meurſius* in *Athenis Batavis* profert, perſpicue conſtat. Nam *pag.* 618. Voluminis X. huius editionis legitur: *M. Gerardus Ioan. Voſſius, Eloquentiae & Chronologiae Vniverſalis Profeſſor, qui etiam extra ordinem pro tempore Graecam linguam profitetur, donec aliquis in locum Io. Meurſii ſubſtituatur.*

Haec quidem omnia paullo prolixius copioſiuſque exſequutus ſum, quod hanc vitae *Meurſii* partem, quae eius caſus, turbelas, & pericula, contingit, veraſque cauſas eius in Daniam profectionis ſeu fugae oſtendit atque explicat, intactam relictam eſſe viderim ab iis, qui de eius vita & ſtudiis commentaria literarum monumentis conſignarunt. Et profecto, quum ii omnes ab *Arminii* partibus & placitis abhorrerent, & tenacius ſeu Lutheranis, ſeu Calvinianis, haererent; quamquam *Meurſium*, & eius memoriam, colerent, aut propter cum eo contractam amicitiam & familiaritatem, aut propter morum eius & conſuetudinis dulcedinem, aut denique propter multiiugis, & peramplae, caſtigataeque, eruditionis, multipliciumque literarum, admirationem; ſatius opinati ſunt cetera omnia de eo literis tradere, & eius ingenii monumenta poſteris commemorare; quam odioſa illa, & ſibi omnibus etiam inviſa, ne dicam periculoſa, propter Principis Auriaci auctoritatem & imperium, illuſtriumque Bataviae Ordinum indignationem & vindictam certo promerendam, narratione accurata litteris tradere. Prolixius etiam hanc tractationem produxi, quod ex *Meurſii* Epiſtolis, quas edimus, ea diſcere nequeamus, quae ſibi inauſpicato & infauſte religionis cauſſa contigerant, ſive quod hac de re nihil ſcripſerit, ſive quod Epiſtolae illae interciderint. Satis tamen ſuae ſectae opiniones & placita redolere & ſubindicare videtur *Meurſius* eo libro, quem *Meditationes Chri-*

stianas inscripsit: hae enim Pelagianismum passim sapiunt, quod ipse adnotavi, cum eas volumine X. ederem.

Praeter *Ioannis Meursii* Senioris epistolas, quatuor *Ioannis* filii postremo loco addidi, non tantum quia in iis de patris obitu agitur, quantum quia omnia, quae *Ioannis Meursii* Iunioris essent, & ad manus meas pervenissent, iterum in vulgus prodere proposueram. Consilium enim viri eruditissimi *Ioannis Grammii* in Epistola anno MDCCXXXVI. mihi scripta datum sequi volebam. Cum enim ille *Ioannis Meursii* Iunioris mentionem fecisset, haec addidit: *De quo cum sermo iam incidit, non possum dissimulare, me indignatum saepius fuisse, quod nusquam repererim, quo anno doctissimus ille iuvenis rebus humanis sit ereptus, uti nec quo vitam hanc ingressus. Vixisse autem ad annum* 1643. *ex epistola Gerb. Io. Vossii in Arboreto Sacro edita, solum est quod didici. Et quum parvae molis ipse liber sit, ut & cetera eius, vix* 16. *aut* 20. *folia impletura, haud male vos facturos esse existimem, gratiam vero potius inituros, si & illa parentis scriptis adiunxeritis. Sunt autem: Maiestas Veneta, Lugduni Batav.* 1640. *in* 12. *Observationes Politicae miscellaneae, Hafniae* 1641. *in* 8. *Collectanea de Tibiis veterum, Sorae* 1641. *in* 8. *Arboretum Sacrum Lugd. Bat.* 1642. *in* 8. *De Coronis liber singularis, Sorae* 1643. *in* 4. Hinc *Arboretum Sacrum*, *Meursii* Iunioris opus, in calce tomi X. iterum publicavi; in fine autem huius voluminis Tractatum seu Collectanea de *Tibiis* rursus vulgavi. Ceterum alia eius opuscula reperire & comparare non valui, quod mihi ingratum & molestum admodum fuit; cum rarissimos libellos repertu faciliores nova editione reddere desiderarem.

Post Meursianas Epistolas & ante Collectanea de *Tibiis*, interserui *S. Procli* Archiepiscopi Constantinopolitani Orationem *In Diem Iesu Christi Natalem*, cum *Ioannis Meursii* Senioris emendationibus, Graece quidem ac Latine, interpretatione usus viri doctissimi *Francisci Combefisii*. Huius Meursiani laboris nullus eorum, qui de eius vita & scriptis lucubrationes edidere, meminit: non *Frekerus*, non *Schrammius*, non *Mollerus*, non ipse *Meursius*, non denique *Fabricius* ipse, ubi volumine XIII. *Bibliothecae Graecae* de Graecis *Ioannis Meursii* scriptis & commentationibus agit, nisi tantum volumine VIII. ubi de *Proclo* Constantinopolitano loquitur. Eius verba sunt: *In eundem Natalem Christi. Incipit:* λαμπρὰ καὶ παράδοξος. *Hanc primus, sed Graece tantum & minus emendatam, vulgaverat Elmenhorstius pag.* 248. *e Codice Bibl. Palatinae, additis Meursii castigationibus. At Riccardus ex aliis tribus Romanis emendavit. In Actis Concilii Ephesini T. I. edit. Binianae parte* 2. *pag.* 381. *legitur Homilia similis & iisdem incipiens verbis, sub nomine Theodori Ancyrani. Procli Constantinopolitani* λόγον εἰς τὸ γενέθλιον *laudat Ephraimus apud Photium Cod.* 229. *pag.* 423. *Idem pag* 435. *citat & Proclum* ἐν Πυλχεριαναῖς *(Homiliis praesente Pulcheria dictis)* μετὰ τὸ γενέθλιον. *Meursius* quidem multa docte & acute in hanc *Procli* Orationem adnotaverat, & loca luxata & corrupta sagaci coniectura restituerat: sed non semper collimaverat: *Combefisius* fuit, qui post *Vincentium Riccardum* Clericum Regularem Theatinum omnia perspicaciter recensuit, & feliciter emendavit; quare hic Orationem iuxta Combefisianam editionem protulimus, & ubi opus fuit Meursianas restitutiones reprobavimus.

Cum ante *Procli* Orationem pagella quaedam vacua hiaret, Michaelis *Glycae* Epistola illam occupavi, Graeca quidem, & a *Bonaventura Vulcanio* sub *Ioannis Zonarae* nomine iam edita, sed nulla adiecta Latina interpre-

terpretatione. Ipse quidem eam Latine reddere decreveram, qui alias *Glycae* Epistolas plures iam edideram, & in Latinam linguam converteram, prout ex opusculorum collectione, quae *Deliciae Eruditorum* inscribitur, intelligere est; sed post formis descriptum Graecum exemplar, tantum paginae non superfuit, quantum versioni Latinae capiendae subiaceret. Hinc e re esse arbitror dare hic illius Epistolae Latinam versionem, ut defectus quoquo modo subpleatur.

Michaelis Glycae Epistola sive Oratio.

Novi quidem igitur, Dilecte, quosdam propria ratiocinatione distractos de natura etiam intemeratorum Christi sacramentorum non modice dubitare; nunc quidem incorruptibilem declamantes, utpote quae vitam immortalem operatur; nunc vero corruptibilem esse confirmantes, quoniam nostris dentibus conteritur & manducatur. Quamobrem & multa quidem adgrediuntur dicere de suo, non consentanea vero: & ludere, ut videtur, in non ludicris, & ridere in non ridiculis, non secure adducuntur. Sed neu secundum illos, Dilecte, divina sacramenta tu etiam curiose investigaveris; neve tamquam tibi fidens super effossa incedito, anxie scrutans, an sancta Christi transumtio corruptione superior sit, an ipsa temporaria. Etenim huiusmodi silentio magis, quam disquisitione, digna sunt. Verumtamen non ita ratiocinatio tua in ambiguo feratur, ut eorum altero tamquam pio adhaereat; alterum vero rursus tamquam impium non recipiat. Invenies enim in hac communione utraque, si catholice disquiras verbi potestatem. Igitur panis quidem propositionis, haec est illa Christi caro mactata, tunc etiam figura data, ut manifestum est ex iis, quae ipse Dominus dicebat Apostolis, quando substituebat novi testamenti sacramenta. Haec enim tradens ipsis dicebat: Accipite, manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum. Attende igitur. Nisi corruptibilis fuisset Christi caro, in corruptionem mortis non incidisset. Quod enim incorruptibile est, omni corruptione superius exsistit. Ita igitur & propositionis panis corruptioni subiectus, siquidem caro Christi vere exsistens, & secatur dentibus nostris, & molitur. Si enim incorruptibilis esset, non reciperet sectionem ullam qualemcumque, neque utique omnino a nobis manducaretur. Verutamen ne tristeris, neque grave tibi videatur & onerosum, quod dictum est. Si enim & corruptionem audisti in divina hac & tremenda communione, hanc etiam incorruptio posterius insequitur, ut sermo manifestavit. Caro enim Christi etsi morti subiecta est, etsi sepulcro data, non tamen corruptioni obnoxia fuit, iuxta Prophetam dicentem: Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. A Divinitate enim custodita, omnimodis incorruptibilis evasit. Ita etiam propositionis panis secundum quod dentibus conteritur, & oesophago tamquam sepulcro traditur, ad incorruptionem secedit, iuxta Damascenum Ioannem, constitutus in ordine substantiae animae. Inde etiam ex hac vita discessuri, si participaverint in munda conscientia sancta Christi sacramenta, ab Angelis comitati abducuntur per illud omnino, quod acceperunt, ut divus Chrysostomus de hoc ait. Sed vide hinc Dei humanitatem. Quandoquidem enim machinator ille draco per gustum nobis intulit exitium, per gustum rursus etiam curationem excogitavit. Vnde differentes nimium sibi ipsis aliquando sanctam Christi communionem, cum viventibus esse omnino non possunt. Et id manifestans Dominus dicebat: Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Itaque mundemus nos ipsos & ad spiritalem mensam accedamus, atque ita nutrimenti immortalis facti participes ibimus obviam Christo Iesu Domino nostro, cui gloria in saecula saeculorum. Amen.

Tan-

Tandem Index locuples rerum memoria dignarum in fine voluminis additus est, ne quid ad eius absolutionem, & Lectorum commoditatem, deesse videretur.

Iam paullo superius monui, errata quaedam commissa seu librariorum, seu typographorum, incuria & oscitantia emendanda esse: quod nunc praestare adgredior. Itaque.

Epistola CCXXX. pag. 168. titulus ita reponendus est: *Theodorus Canterus Io. Meursio* S.

Epistola CCCCXCI. columna 356. titulus ita legatur: *Io. Meursius Io. Kirchmanno* S.

Epistola DCXXXXV. col. 494. titulus ita corrigatur. *Io. Meursius Io. Kirchmanno*. S.

Epistola DXII. In inscriptione legendum: *Christophorus Surianus*.

Epistola CXXIV. col. 99. legendum in titulo: *Dan. Heinsius*.

Epistola DCXXXVII. Reponatur titulus ita: *Dominicus Molino Io. Meursio*. S.

Epistola DLXXII. col. 423. restituendus titulus: *Dominicus Molino Io. Meursio*. S.

Epistola CXLVI. col. 114. legendum in titulo *Bonaventura Vulcanius*.

Epistola CCCCLXXXVII. col. 350. restituenda est inscriptio sic: *Io. Meursius Iano Grutero V. C. L. S. P. D.*

Epistola CCLXXX. col. 200. lin. 12. legendum: in Galliis editam, sive περὶ φιλαδελφίας, quam ego Themisthii esse puto, si per Plantinianos &c. Pars seu complementum huius Epistolae nescio quo casu distractum separatumque numerum Epistolarum DCCCV. in hac editione format col. 656. Quod quidem ad hanc Epistolam retrahendum est, & illi coniungendum, ut elucet ex volumine XII. Bibliothecae Graecae Fabricii, ubi haec eadem Epistola producitur.

Epistola CCCCXXI. col. 305. Inscriptio ita legatur: *V. Cl. Iano Grutero Io. Meursius S. D.* Et in prima linea legatur: liberalitate.

Epistola CCCCLXXXXI. legatur: *Triginta annuos Imperiales*.

Epistola DLXXXII. legatur: *cum supellex mea amni pridie adducta esset*.

Epistola DCXXIV. legatur: *Epistolae Photii* 46. praeter eas 85. quae ex Bibliotheca &c. Restituatur insuper: Ὠρίων *Lexicographus &c.*

Col. 687. in adnotatione legatur: De qua consulatur inferius Epistola DXXXV.

Col. 686. in adnotatione legatur: In hac sylloge in vulgus prodere animum induxi.

Alia sphalmata minoris momenti facile erit erudito Lectori corrigere; & si una aut altera harum Epistolarum duplicata in hac editione occurrat, nullum id dispendium fuerit, nullum negotium facesset eruditis hominibus: nam quod abundat & superfluit proclive est resecare & de medio tollere: quod de defectu & omissione dici non potest; subplere enim, quae desunt, & aliunde haberi non possunt, vere difficillimum est, imo dicam ἀδυνατόν.

Quamquam autem superius eos omnes, quibus *Io. Meursius* scripsit, & eos omnes qui ad ipsum literas dederunt, tempestive recensuerim, quum tumultuaria quadam enumeratione illud praestiterim, operae pretium esse existimo Catalogos illos hic repetere secundum ordinem elementorum digestos & concinnatos, paginis etiam indicatis signatisque, quo Lector facile singulas cuiuscumque scriptoris Epistolas, pro suo desiderio, reperire possit, & legere.

CATA-

C A T A L O G V S

EPISTOLARVM IOANNIS MEVRSI

QVAE IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

Primus numerus Epistolarum numerum designat, alter paginarum columnas.

C A T A L O G V S

EPISTOLARVM VIRORVM ILLVSTRIVM

AD IOANNEM MEVRSIVM.

Bran-

CCCLXXXVI.

Van-

Stepha-

CATALOGVS
EPISTOLARVM
QVORVMDAM VIRORVM ILLVSTRIVM, IN QVIBVS DE MEVRSIO TANTVM, AC DE EIVS OPERIBVS, AGITVR.

IOANNIS MEVRSI
ALIORUMQVE VIRORVM DOCTORVM
AD IOANNEM MEVRSIVM
EPISTOLAE

I.

Ann. Chr. MDXCVI.

IA. BRVNO (a) IO. MEVRSIO S. P.

RECTE factum, D. Meursi; dum ego sileo, prior humaniter interpellas. Hoc est τῇ τιμῇ ἀλλήλους προηγεῖσθαι. Sed si voluntatem meam culpas, haud recte facis. Ad neminem promtior, quam ad te, litteras dederim. Dilata tamen scriptio, quia semper, dum hic fui, ad te scripturio, interveniente aut hoc, aut illo. Inlibenter sane locum mutavi, quia avellor ab iis, cum quibus, & in quibus, versari pro tempore malebam. Quare non semel animus meus apud te fuit, & de te sermo meus apud alios, cum quibus quae ad studia tua. Nam ea occasione exemplar Arnobii hic nactus sum editum Basileae a Frobenio, cuius tibi aut factam copiam iam arbitror, aut lectionem parum profuturam. Hoc tamen ex eo didici, non septenario numero libros eius adversus gentes, sed octonario terminari; saltem hac editione; quem tamen librum postremum nothum, & subpositititium, esse lectio eius facile indicat. Miror, cur nihil, quod ego sciam, Canterus huius rei adtigerit. Enimvero, etiamsi hic non sit foetus Arnobii, dubitari tamen potest, octone, an septem scripserit, istud adserente I. Trithemio, hoc Hieronymo. Si tamen censes, prodesse tibi posse eumdem, verbo indica, & habebis, usum eius dico; nam possessio ne quidem penes me est. (b) Vale, mi Meursi, & cum eo, qui te amat, chartaceum hoc iter frequenter tere. De me confido, de te spero. Amsterd. VII. April. CIↃIↃXCIII.

II.

Ann. Chr. MDXCVI.

THEOD. CANTERVS IO. MEVRSIO S.

GRatissimae mihi multis nominibus fuere literae tuae, doctissime Meursi, & multo maxime, quod ex iis deprehenderim, te non in trito & vulgari aliquo Scriptore enucleando, sed in difficillimo & obscurissimo Auctore (c) illustrando, laborare. Macte virtute; cuius talia principia, qualis finis erit? Fratrem meum piae memoriae multa intacta reliquisse, in tali praesertim Scriptore, non est mirum. Nam si Deus O. M. illi longiorem vitam concedere dignatus fuisset, forsan maiorem operam in eo explicando conlocasset: nunc tibi ceterisque illam palmam concessit. (d) Si quae adminicula & subsidia habeas ad novam Parthenii editionem, nisi molestum sit, scire velim: certe doctissimus Scaliger hac in parte multum te iuvare posset. Quod autem literis tuis statim non responderim, non est, quod moleste feras; nam quotidie tantis occupationibus distringor, ut ex voto amicorum literis respondere nequeam. Tu qui maiore otio abundas, si nos tuis literis saepissime invisere dignatus fueris, tam gratum illud futurum, quam quod gratissimum. De Artemidoro (e) meo quod scribis, nunc certe eo commode carere nequeo; si tamen interim loca quaedam inde per me evolvi velis, libens morem tibi gesserim. Itaque tam hac in parte, quam aliis in rebus, me semper promtum & paratum invenies. Puto tamen & illic apud vos exemplar Graecum reperiri. Nam ille, qui Notas ad Petronium scripsit, Graeca multa inde depromsit (f). His vale, doctissime Meursi, & nos, quod facis, amare perge. Raptim Vltraiecti X. Febr. MDXCVI.

(a) *Iac. Brunonis* Carmen in *Meursii* Poematibus occurrit: An alia ab eo viderim, non memini. Fuit, ni fallor, Ecclesiastes Amstelodamensis, antequam in Academia Lugduno-Batava bonis litteris operam dederat, *Grotio*, *Meursio* &c. familiaris; seq. Epistola videtur de deserto Theologico studio cum nostro expostulare. GRAMMIVS.

(b) *Meursius* ergo ex hoc tempore ad emendandum *Arnobium* animum adplicuisse videatur, quare inde *Criticus Arnobianus* prodiit anno MD IIC. quem nos iterum edidimus *Tomo* IV. nostrae Collectionis *pag.* 77. LAMIVS.

(c) Id tandem praestitit *Meursius*, ediditque *Lycophronem* a se illustratum anno MD IIIC. nosque iterum publici iuris fecimus *Tomo* V. nostrae Collectionis pag. 867. LAMIVS.

(d) In *Oneirocritica* commentatus est & *Meursius* noster, nosque eius *Astrampsychum* iterum formis excudimus *Tomo* V. nostrae Collectionis, pag. 63. quum primum editus fuisset anno MDCXXXI. LAMIVS.

(e) Scilicet *Gu. Canterus* antea in *Lycophronem* commentatus fuerat. GRAMMIVS.

(f) Intelligit *Wouverium*, qui *Petronium* Notis inlustratum nuperrime, seu proximo anno, ediderat, usus haud raro exemplis ex *Artemidoro*, ut vel videre est ex iis, quae de *Tutelis* & *Παρασήμοις* commentatur ad *Cap.* 105. GRAMMIVS.

III.

AD IOANNEM MEVRSIVM
PETRVS SCRIVERIVS.

ACcipe, quos ardens petiisti, Meursie Iambos, (a)
Misisse ut dicas me nisi quisquilias.
Quisquilias tamen haec laeta, precor, accipe fronte,
Nec rubrum ob nugas tolle supercilium.
Otia quum fuerint, dabo mulsea carmina, namque,
Quae nunc do, propera sunt properata manu.

Vt videbis, non invidebis.

IV.

AD IOANNEM MEVRSIVM
P. SCRIVERII SCHEDIASMA,
ex puris putis Iambis.

AMice, IANE, mi colende perpetim,
Quid esse subspicer? petis,
Petis tuo a SCRIVERIO novum melos?
Petis poema musteum?
Quid? an te, IANE, fallit esse murcidum
Tuum, tuum SCRIVERIVM?
Me hercle serio aestuo, & tremo, velut
Mari in tumente cymbula
Minuta, plurimum furentibus Notis.
Et eiulante Caecia.
Adesse quae lubens solent Puellulae
Novem mihi Hippocrenides:
Et ipse Apollo, Apollinisque filia
Patrima Virgo, Vitula.
Lubentiae, Cupidinesque, Gratiae,
Et ipsa Diva Cypria,
Dedere terga, & abstulere ocellulos
Suos, & ora turbida
Mihi liquere; o scaeva saeva Numina!
O infrunita pectora!
Quid ergo, amice MEVRSIE expetis? quid o
Lacessis improbe tuum
SCRIVERIVM relictum ab omnibus Deis?
Deesse nam Lubentias,
Carere & hunc Leporibus Facetiisque,
Amice, cernis, & doles,
(Vt arbitror.). Mele inficeta mittimus,
Damus leves ineptias;
Lutum, merum rus, atque fracta vitrea,
Aranearum inanias;
Quibus nihil potisset esse vanius
Vtroque sub Polo Arctico

Raptim & tumultuarie scribillabat

PETRVS SCRIVERIVS

Anno Messiae CIↃIↃ XCVI. IV. Kal. Apr.

V.

P. SCRIVERIVS IO. MEVRSIO ΕΥ'ΠΡΑ'ΤΤΕΙΝ.

TE nimis addictum studiis, suavissime MEVRSI,
Monet mea ista Pagina,
ESSE MODVM: paulum dimitte ad ludicra mentem,
Iube valere seria.
Fallor? an exturbas tetricas e pectore curas
Et dulce quaeris otium?
Fallor? an eiuras Themidem pro tempore, & ultro
SCRIVERIO vacas tuo?
Et mecum lustrare iuvat mollissima Tempe,
Circumire amaena moenia?
Laeta ubi gaudet humus flores dispergere crinis
Quis secla bucera incubant.
Multa ubi lascivae committunt praelia caprae,
Vbi explicant agni latus.
Auguror. Invitat suda non lampade Phoebus:
Lucescit hoc iam tertius.
Egredere. atque animum diffunde ad gaudia; longe
Sit anxitudo pectoris.
Ite alio curae: mecum hoc vult MEVRSIVS: Euge!
SCRIVERIO vacat suo.
Nec frustra. Si fors opus est, IVBEATQVE VELITQVE,
Lubens vacabo MEVRSIO.

Mense Septembri Anno CIↃIↃ XCVI.

VI.

QVA ERVDITIONE, QVA VIRTVTE
POLITO IVVENI
IOANNI MEVRSIO MEO.

QVos petis, atque avide exspectas, mi MEVRSIE, versus
Accipe, conscriptos insubide & subito:
Non meus is mos est, calamistris carmen inustum
Mittere; seu fuco non placet illinere;
Sed tamen hos versus inculto pumice tersos:
Perlege; grata haec sit & tibi rusticitas.

Ἐγκώμιον.

Soli Meursiadae credit se caesia Athena;
Desine, Nasute, hanc ducere velle domum:
Vni Meursiadae se dicit nubere velle;
Huic, quia sunt mentis intima nota suae.
Tu plora, Nasute, cui Sapientia magno
Constat, cum in medio cum ratione foro
Insanis, vendens nebulas in pariete pictas;
Heu captus vulgi gloriolae aucupio;
Qui gaudes falsis fabellis scalpier aures,
Quem vinctum laqueis detinet Ambitio.

Aliud.

Dum

(a) NB. Hoc Epigr. Iambis illis puris an. 1596. IV. Kal. Apr. scriptis, qui sic incipiunt: *Amice Iane, mi colende perpetim*, vel praemittatur, vel postponatur. GRAMMIVS.

Dum lego, dum relego; quos scripsti, Meursie, versus;
In summos videor laetus abire polos.
Tanta his verborum maiestas; gratia tanta,
Tanta venus, penitum ut me mihi subripiant.
Ha! quid non faciant tam dia poemata! quippe
Quae dat Cecropio Musa fluens latice!
O ego si parili modulari carmen avena
Possem, vel simili veste mela induere!
Fors sed iniqua negat; negat hoc mihi saevus Apollo;
Qui iam me torvum conspicit, heu doleo
Indocto doctum quod pensem carmine carmen,
Invisatque domos quod mea Musa tuas,
Vilibus & laceris pectus subcincta lacernis;
Et vixdum Latia conspicienda toga.
Quid mirum? Aonias postquam novus advena pulso
Sedes, proiectus Palladis e gremio,
Cum demens Helicona volo conscendere, Musae
Me me furcillis praecipitem eiiciunt.
Non licet, heu misero, Divorum accumbere mensis,
Non licet in pictis me recubare toris.
Sed cur quisquilias calami lingua eloquor? & cur
Plus nugarum addo? iam puto, plus satis est.
Doctum, Iane, melos si me vis pangere, frustra es.
In Batavo Attalicas littore quaeris opes.
Tu mihi nectareis mitte ebria carmina poclis,
Mensaque flexibili pollice Calliopes.

Haec Schediasmata scribillabat

Tuus P. SCRIVERIVS.

Valeant, qui inter nos dissidium volunt.

VII.

PETRVS SCRIVERIVS IOANNI MEVRSIO S.

NE me hactenus Vacunae' fecisse, Aioque Locutio litandum esse dicat, ecce, tandem rescribo, oculissime Meursi. Quid igitur? quaeris, an gratae nuperae tuae mihi fuerint literae? noli. gratissimae, in his enim candoris tui & bonae mentis notas adgnosco. Mittis divinationes tuas, meique iudiciique facis. BONVM FACTVM! Medicinam, quam adtulisti Agellio olim Medico, profecto bona est, & delicata. Ne Hygeia ipsa quicquam salubrius aut suavius potest. Perge porro, & pertende, o fidissime Chiron! Castigationi tuae in Solino favet optimae notae penes me liber, patrum memoria excusus, qui eam ipsam scripturam, quam ex blattarum dentibus opera antiqui tui codicis eripuisti, signate praefert. Quae adfers de duobus Arnobii locis, eumque corrigere conaris, hoc quidem candide, sed [tecum libere loquor] conaris tantum. Tu redhostimentum habe; & Petronii locum, quem desperatum noster Wowerius pronunciavit, vide an in eo quid viderim. is est. fol. 48. *Inclusus ego vitam finire constitui, & iam semicintio stanti ad parietem spondam iunxeram, cervicesque nodo condebam, cum, reseratis foribus, intrat Eumolpus, meque a fatali meta revocat ad lucem.* Inanimatis his verbis, animam talem hisce diebus inspirabam legebamque: *& iam semicinctum stanti ad parietem spondae me iunxeram, cervicisque nodo condebam.* Viden? aliqua nunc elucet sententia, vulgaria certe scriptura frigidissima, quae vel Neronianas thermas refrigerare posset, ut & illa, quae modico intervallo sequitur fol. 51. *Publicus vero servus, insertans commissuris secures claustrorum infirmitatem laxavit.* Hic animi mei mens haec est. Si infirma claustra, laxandis & diffringendis iis secures non opus fuisse; quin & ante dixit diligentius oppessu latas fores invenit. quare lubens repono discretim. *claustri omnem firmitatem laxavit.* Ego ita quidem censeo, cum lege recipiendi, & resiliendi, si quis meliora: mutare quicquam in hoc scribendi genere lato & diffuso, in quo

Alius alio plura invenire potest, nemo omnia,

non mihi probrum, aut religio. Tu mihi vale, Meursi, & Posteritatis memor, ne patere Sibyllam cecinisse, quae, non solum, dum vivebat, utilia erant hominibus; verum etiam, cum periisset ipsa, quibusque ignotissimis quoque conducebant. Tu ea in lucem profer, quae non solum hodie hominibus, sed quae quoque retro-seculis profutura sunt. Sere arbores, quae postumis tuis fructus uberrimos ferant, pleno, ut ita dicam, sinu. Hoc optat speratque tuus amicus, qui te animitus amat.

PETRVS SCRIVERIVS.

Pro lino, & cera, hoc signetur Epistola voto,
Quod saevum & scaevum est hinc procul omen eat.
Rerum Actaearum vindex fortissime Meursi,
Sit tibi posteritas aequaque fama, precor.
Haec te pennato per coeli caerula curru
Evehat, & nomen tollat in astra tuum.
Illa sed adspiciat dii monumenta laboris,
Et faciat, ne ulla haec secula nocte tegant.

Scripsi in Lyceo Batavienfi. A. D. III. Septemb. A. Messiae CIↃIↃ XCVI.

VIII.

PETRVS SCRIVERIVS IO. MEVRSIO S.

SCribo ad te, & libere, mi Meursi, ignosce. Debeo enim, quod labefactas & evertis divinatiunculas meas in Petronium, & alias subponis, nescio, an laudis, an culpae, notas mereatur. Facile tibi erat quid aliud colligere, postquam manuductore me viam illam ingrediebaris. Eo etiam, quo tu rescribis, modo legi posse, inter alternas confabulationes tibi iam nuper in parte adsentiebar; hancque emendationem, quam-

Ann. Chr. MDXCVI.

vis nauci est & quisquiliae, conieceram in Animadversaria mea, alia etiam addita, magis verosimili; quam parco adscribere, cum voles, videbis. Huiusmodi tamen sunt coniecturae meae

Neque inimicis invidiosae, neque amicis exoptabiles (a),

quas videre magis, quam laudare eruditus lector possit. Pro queis me hercle si par sigillaria in auctione venirent, neque Aristophanes γρῦ suum, neque Plautus ciccum obferret. Subtexam quasdam; tu judicabis, quo flagro digna sint.

Nonius ad partes vocandus; is mutilus in Salis voce; *Salis neutro genere; Varro, Commentario veteri Fabii Pictoris legimus: Tos fit & sale, quo sale sordidum ustum est, & ollam rudem facile abiectam est, & postea id sal Virgines Vestales serra ferrea secant*. Quae verba luxata non uno loco restitues, suadente me, & Festo Pompeio in Manes. *S. n. g. Varro. Commentaria vetera F. Pictoris leg. Muries fit ex sale, quod sal sordidum pinsum* (*vel tunsum*) *& in ollam fictilem coniectum est, &c.*

In Sinum & Galeola: Varro lib. I. de vita P. R. *Vbi erat vinum in mensa positum, aut galeola, aut sinum*. Locum hunc qua auctiorem, qua meliorem, ex Schedis Servianis rescribe: iudicante Domino Iosepho Scaligero, Europae ocello. *Vbi erat vinum in mensa positum, aut lepestam, aut galeolam, aut sinum, dicebant*. Quae optime & concinne his adglutinari posse censeo, quae ex eodem libro laudat Marcellus; in *Cupas* & *Tivas*. *Antiquissimi in conviviis utres vini primo, postea tivas* (b) *ponebant; ubi erat vinum in mensa positum, a. l. a. g. aut sinum dicebant*.

In Mansum: Lucillius lib. XXX. *Sperans aetatem eandem haec proferre posset mansum ex ore datur*. Colloca versus in numeros suos, & lege, praeeunte fide V. Codicis.

Sperans si aetatem eandem hanc proferre potesset
Mansum ex ore daturum.

Mansum ex ore dare, proverbiali specie dicimus iis, quos tenere amamus; tralatio sumta a matribus & nutricibus, quae nefrendibus cibos praemansos obferre solent, ut docuit Bataviae ille Smaragdus Desiderius Erasmus; quem velim parcius conviciis & calumniosis dictis ab huius aevi doctis inequitari. Is revera est, quod mecum vel ipse Livor fateatur, qui multis praeiverit, imo iuverit. Sed in Nonio pergo; & quid somniaverim hac nocte aperio.

In *Nitidant*. *Nitidant, abluunt, dictum a nitore; Ennius Cresfon. O pie eam secum advocant, eunt ad fontem, nitidant corpora*. Somnium accipe: lego; *Ennius Cresphon. Opigenam secum advocant, eunt a. f. n. corpora*. Festus: *Opigenam Iunonem matronae colebant, quod ferre eam opem in partubus credebant*. Vel si magis adridet, rescribe mecum: *Opem Deam secum*, &c. Quarum divinationum, si apud te rationem darem, amicissime Meursi, pepo, non homo essem. Sed ohe iam satis est, ohe Scriveri. Tu vale, meque serio gaudere scias, quod probas castigationes meas (c) in Arnobium. Meritissime hic proclamo; si tanti vitrum, quanti margaritam! levi enim nisu, & quasi sub acumine ipso stili, natae mihi erant. Hactenus. Lugd. Batavor. a. d. IIX. Septemb. CIƆIƆXCVI.

IX.

PETRVS SCRIVERIVS IO. MEVRSIO S.

IN aere me tuo esse fateor, optime amicorum Meursi; nunc ut nomen expungam, fidemque liberem, has literas meas amoebaeas habe, atque have plurimum. Tuas literas sane accepi, vidi & legi lubens. Locum Sexti Pompeii, quem tibi monstro, sed corruptum esse perscripseram, correctum a te, & nova luce inlustratum, mihi transmittis, quidque de divinatione tua super eo censeam, ut indicem, petis: quid dicam? rancidam & aridam esse coniecturam? non me hercle: mentirer: veram & genuinam tamen esse lectionem, haud ego sum, qui adfirmaverim, saltem vero similem iudico, paret patetque nunc sententiae bonae micidissima stella. Quid plura? gaudeo equidem, te Censorio, ut ita dicam, Caduceo Festi locum miserrime depravatum ab Orcivo thesauro in lucem revocasse. Macte hac virtute, nove Mercuri! his talibus porro locis animam agentibus, aquam adfundere perge; me pollicem premente, & adplaudente literatorum manu imae & mediae caveae. Enimvero censuram super hac castigatione tua velim audire nostri Apollinis, Iosephi Scaligeri, qui meritissimo harum litterarum regnum obtinet, frustra fremente & furente livida illa Dea. In illum ipsum Sex. Pompeii locum coniectura mihi erat nata iam nuper, quam quia ipse mucidam & frivolam iudico, non dignor tollere, ablego potius in insulam Atlantidem, ubi narrantur somnia non videri. Quod mecum in altero Festi loco censes glossema iudicandum, & mittendum ad ipsum, qui nobis saepius fucum facit, ineptissimum Glossographum, est, quod triumphem serio. Correctionibus tuis in Nonio lubens accedo; nisi quod in nonnullis a te dissentio, quod mutaveris non mutanda. Sed de his alias, cum per otium licuerit, latius. Iam moneo tantum, locum Varronis ex *Flexibula* (sic enim istius Satyrae titulus scribendus, non *Flextabulis*, vitiose. *Flexibulam* enim ariolor inscripsisse, quod ea homines consilio flecteret, dictione Graeca & Latina comparata) *Quare, o Marce, pransum & paratum esse minime* (quid si *numine?*) *oportet*, ut rescribis. *Q. o. M. p. & p. esse hominem oportet*. Ita ab Ausonio Popma esse emendatum: insuper alia addita divinatione, *esse hoc munere*, subple provinciali.

(a) Lucillius. GRAMMIVS.
(b) Vide Epist. IX. LAMIVS.
(c) In *Arnobium* incumbebat etiam *Meursius*. Consule Epist. I. superius. LAMIVS.

Ann. Chr. MDXCVI.

ciali. Sed accipe iam levia quaedam, quae in Nonio observabam.

In voce *Tangere*. *Tangere est circumvenire*. *Turpilius Leucadra*: *Hoc quaero cognoscere, istic solet necis minoris noxia rerum si forte quasi alias res vini cabo*. Qui versus non uno labant vitio, revera non in genua procumbunt, sed in os prostrati sunt, sublevare conatus eos est Palmerius acutissimi ingenii iuvenis. Sed conatus tantum. Vide an eos firmo aliquo tibicine fulcierim. Hac enim forma eos componendos & corrigendos existimo. Turpilius Leucadia.

——Hoc verum; ignoscere
Istis solet necis minoris noxias
Erus, si forte quis galeolas vini tagat.

Erus, sine adspirata illa litera est, Herus; scriptitasse sic veteres doctis notum. *Galeola* vasis genus est sinuosum, auctore nostro Marcello: *Sinum & Galeola*, inquit, *vasa sinuosa*. Varro, de vita P. R. lib. primore: *Ubi erat sinum in mensa positum, aut galeola, aut tina*; sic inibi enim. Varronis illa legi posse putabam, cum Ms. agnosceret (a). Libro eodem: *Antiquissimi in conviviis utres vini primum, postea tinas ponebant*. Sed transilio hinc ad vocem *Grumae*: indidem legitur hodie: *Grumam dirigere dixit Ennius lib. XVIII. degrumari ferrum, Lucillius lib. III.*

——Viamque vis degrumari, ut castris
mensor facit olim.

Lege, me suasore, imo impulsore; *Grumam dirigere* dixit Enn. lib. XVIII.

Degrumari vero Lucillius——viamque
Degrumaris, ut in castris mensor facit
olim.

Ita enim exserte illum Lucillii versum apud Ambros. Calep. quod mirere, conceptum reperies, & recte.

In *Ancillantur*. Titinnius Praelia. *Verum enim dotibus deliniti, ultro etiam uxoribus ancillantur*, non auguror, sed vere dico legendum, *Viri enim dotibus deliniti v. c. v. ancillantur*.

In *Buas*. Varro Caton. sive de liber. educand. *Cum cibum ac potionem buas, ac papas docent, matrem & mammam, patrem tatam*. Scribo, *ac papas vocent*, leve & pusillum est.

In *Cirros*. Varro de liber. educand. *Itaque Ambraciae primum capillum demtum, item cirros ad Apollinem ponere solent*, sincerius existimo; *cirros ad Apollinis ponere solent*, scilicet, aras, templum; sic loquuntur, ut ad Sarapidis, Veneris, intellige, fanum &c.

In *Dividos*: *Dividos*, *separatos*. Hic Nonium nobis vendere puto nebulas in pariete pictas. Ita Accium loquutum, ne ipsa quidem mihi persuaserit Suada. Rescribo: *Dividuos*, *separatos*, & sic Accii ex Andromeda versum constituo & lego: *Nosque ut seorsim dividuos laeto auferas*.

In *Pestilitas*. *Pestilitas*, *Pestilentia*. *Lucillius VI.*

Atque ea vis omnis morborum pestilitasque

Lucretii est, non Lucillii: quare scribe: *Lucretius lib. VII.*

Atque ea vis &c.

Lucretius lib. VI.

Haec igitur clades subito nova pestilitasq.

In *Rostrum Lucillius lib. IX.*

Adripio & rostrum lube, atque hos re-
feriatim
Percutio.

Facio: *Adripio & rostrum labens atque os feriatim*
Percutio.

nihil verius.

In *operibo*, pro *operiam*. *Pomponius Praef. Morum pater at est negato, hic esse me operibo caput*. Corrige & interpunge. *Pomponius Praefecto morum*: *Pater adest*. *Negato hic esse me o. c.*

In *Expedibo*, expediam. Ennius Eumenid. *Id ego aequum aptius fecisse expedibo, atque eloquor*, versus hic adspersus librariorum luto, quod si deterseris, senarius est. I. e. a. ac ius fuiss. e. a. e.

In *Aptum*. *Aptum*, *connexum & colligatum*, *Lucillius lib. X. Satyr. Consellas quoque validas in finibus aptas*. Vide vanitatem & ride, ausim tentare. *Cum sellas propere vidissem funibus aptas*, quod nec tam ineptum est, quam prima fronte videtur. Cogita.

In *Innumera*. *Innumera*, *pro innumerabili*, *Lucretius lib. II. Non est una*, *sed numero magis innumera*. Puto inventam veritatem, si rescribatur: *innumerali*, *pro innumerabili*. *Lucretius lib. II.*

Non esse unica, *sed numero magis in-*
numerali.

Sic enim hodie signate iste versus apud Naturae magnum Mystam legitur:

In Contendere. *Contendere*, *significat comparare*. *Licinius*, *Epist. ad Senatum*. *Illi suam vitam mecum contendunt*, *quorum in corpore ita crebra sunt vulnera vitae*, *novae cicatrici ut locus non sit*. Quae verba, vix est, ut intelligas, nisi mecum levicula mutatione reponas. *quorum in c. i. crebra vulnera visa*, *novae &c.*

In *Puellos*. *Lucretius lib. IV. Et natae possunt tamen inde puellos Suscipere*, *& partu possent ditescere longo*. Scribe hic, ut apud Lucretium ex correctione Lambiniana leguntur.

——& natae post sunt tamen, *unde*
puellos
Suscipere——.

Hic habes, suavissime Meursi, ex plurimis paucas observationes ad Marcellum: quas tui iudicii lubens facio. Verum antequam consignem literas, rogo, an tibi quid lectum de ritu illo, quem notat vetus Statii Interpres, sive is Lutatius, sive Luctatius, aut denique Lactantius, sit vocandus, ad haec Papinii verba, lib. Thebaidos IX. v. 881.

Et prensis concussa comis ter colla, quaterque,
Stare negant, *ipsique nefas lacrimabile Thebis*.

Moni-

(a) Consule Epistolam praecedentem. LAMIUS.

Morituris, inquit, *solent erigere capita, comas concutiendo, sive vellendo, quasi revocent illis sensum*. Qui mihi ritus alibi non lectus. Vale, mi Meursi. Lugd. Batavor. a. d. IX. Septemb. Anno CIƆIƆXCVI.

X.

Franciscus Dousa Io. Meursio S. D.

Binas abs te literas, doctissime Iuvenis, Pater mihi ostendit, quibus quum sibi infinitis occupationibus districto respondere non liceret, mihi negotium dedit, ut suam vicem in iis obirem. Ne proinde mireris, quid causae sit, quod ad priores tuas tanto tempore ante scriptas nihil dum responsi acceperis; scito omnem culpam hanc peregrinationibus nostris imputari debere, quibus insuper diuturna iniquitas coeli remoram obiiciens, diutius nos domo prohibuit, quam speraveramus. Sed percommode accidit, quod una eademque opera & his & posterioribus respondere contigerit. Patris itaque iudicium de singulis coniectutis tuis, quod inquirebas, accipe.

In Festo, Catonis locum, quem restitui, placet, tamen lectio vulgata videtur defendi posse. Titulus Orationis M. Catonis est. *In M. Coelium, si se Trib. Pl. adpellavisset*. Ita enim saepius a Grammaticis citatur.

In Iuvenal. Sat. 3. quod reponis *Persibus*, loco *Persicus*, magis placet Patri recepta lectio.

Censorini lacunam praeclare exples.

In Symmacho lib. 2. cap. 46. emendas *Nihil igitur moror familiam Spartaco nequiorem*, nihil verius.

Ad alteras literas venio, in quibus Apuleium [a] variis locis purgas. Milef. I. *Aetnaeo melle*. Legis tu *Actaeo melle*. Maluit Pater propius vulgatae lectionis vestigiis inhaerens, *Ennaeo melle*. Enna Siciliae umbilicus, raptu Proserpinae celebris. Ibid. *Re praecisione genitalium*, clara correctio tua: *Se praecisione*.

Milef. 2. *Tamen dum luxu temulento similis*, &c. non dubitas rescribere, *lixae temulento similis*, quod probum est. Ibid. *Vini cadum in aetate pretiosi*, tentas legere *inaetate*, coniectura audaciore, non prorsus tamen spernenda. Placebat Patri potius *aevitate*.

De reliquis emendationibus tuis, non est quod dubites, quin verissimae sint. Vale VI. Kal. Octob. Hagae Comitis CIƆIƆXCVI.

XI.

Petrus Scriverius Io. Mevrsio S.

Narro, quod actum est, amaenissime Meursi. Senecae Natur. Quaestiones cum lego, hunc locum lib. I. c. VI. simul ut adspexi, in vitio cubare subodoratus sum. *Fons cuique* (inquit) *pellucidus, aut leve saxum imaginem reddit. Nuper me littore vidi Cum placidum ventis staret mare—— qualem fuisse cultum putas ad hoc speculum se cernentium?* Haec mihi sub manu, quod aiunt, nata medicina: *adb. sp. se cernuantium*, optimo sensu & necessario, ne quid addam. Tu cogita, & iudicium tuum perscribe; quod ardenter cupio, imo pro amicitia iubeo. Dictio proba *Cernuare*; usurpat hanc idem Seneca Epist. VIII. *Non avertit*, inquit, *Fortuna, sed cernuat, & adlidit*. Apuleius lib. Asin. Aur. primore: *Denique corpus exanimatum in flumen pene cernuat*. In Lexico Latino-Graeco veteri lego, *Cernuat* Κυβιστᾶ non *cernulat*. Illi quidem se cernuant, qui se inclinant,

Obstipo capite & figentes lumine terram,

ut Persii versiculo utar. Prudentius contra Symmach. lib. I.

Cernuat ora senex barbatus, & oscula figit.

Sic Sollius Apollinaris, Panegyrico Aviti.

——curvato cernua collo Ora gerens.

Lucillius lib. III. Saturar.

Cernuat extemplo plantas convestit honestas.

Vbi fortassis scrib. *convellit* adposite sane τὸ *cernuus* restituendum fors Hieronymo, contra Ruf. *Quamquam tu occupatus*, inquit, *in sensibus, & ad instruendam mihi calumniam cernulus, Grammaticor. & Orator. praecepta contempseris*. scrib. *ad instr. m. c. cernuus*. eleganter, nisi valde fallor animi, nam qui construere, aut fabricare cogitant, ut se inclinent & ad terram adpronent, necesse est. Virgilius lib X. divini operis,

——erectoque incumbit cernuus armo.

sic apud Nonium repone, & ad hunc versum, quae notat Servius, si tanti est, vide. Sed abrumpo, pudet pigetque enim me harum ineptiarum. Adhibe his meis, si operae, Scaligerum ad Fest. & Nonium Marcellum, in *Cernuus*. Sed antequam finio, ecce insuper addo eiusdem Romani Scriptoris locum ex lib. Declamat. X. *Non curabis*, ait, *quod solitudines suas isti beati ingenuorum ergastulis excolunt, & miserrimorum iuvenum simplicitatem circumveniunt, speciosissimum quemque ac maxime idoneum castris illidunt, & detrudunt*. Nota marginalis Codicis mei praefert, *al. illudunt & detrabunt*, cuius lectionis vestigiis insistens corrigendum censeo εὐςόχως (praeficine quod loquor) *speciosissimum quemque ac max. id. castris excludunt & detrabunt*, fors fuat, ut haec quoque verosimilis sit emendatio mea, quam ex ductu vulgatae lectionis elicio: *castris excludunt & defrudunt* q. e. defraudant, antiqua scribendi ratione. Quae tibi nota, amicissime Meursi. Aurora puniceum quatiebat lacertum, & hisce vacabam cogitationibus. Sententiolas aliquot Publii & Labeii adnexas habeo Senecae meo. Inter illas & haec gnome est insignis, si e vitio, quo laborat, depravatae lectionis eximatur, & erigatur. Sic se habet in vulgat. edit.

Bis enim mori est, alterius arbitrio mori.

puti-

(a) *Meursium* in *Apuleio* emendando laborasse, patet ex opere inscripto: *Adnotationes in Apuleii Apologiam*: quod edidimus Tom. VII huius Collectionis pag. 893. Lamius.

Ann. Chr. MDXCVI.

putide & inepte, scribendum esse fidenter dico:

Bis emori est, alterius arbitrio mori.

accreverat litera una aut altera ex confusa repetitione literae, vocisque sequentis, ea mendi indoles. Liceat mihi & in hoc versiculo ariolari.

Cottidie est deterior posterior dies.

Scio, quid velit: apta certe gnome ad hoc aevum: sed putabam scrib. *Cottidie est dexterior posterior dies*, ut cum illo eiusdem Publii vel Laberii dicto conveniat:

Discipulus est prioris posterior dies.

Tu nosti, quae ad hunc finem. Flagitiose corruptus iste versus:

Dediscere flere feminam est mendacium.

Tu cum animo cogita de hoc sequiore sexu, & pollicem premes, si legendum esse dixero: *Didicere flere feminae in mendacium*

Versus ille, qui pauxillo intervallo sequitur

Exsuli ubi nusquam domus est, sine se pulchro est tanquam mortuus.

mire glossematibus laborat: ita, nisi fallor, concinnandus:

Exsul, qui nunquam domi est, sine sepulchro est mortuus.

vel, si placet, Trocharius erit, si rescribas:

Exsuli, cui nusquam domus est, sine se pulchro est mortuus.

Ad Lycophronem notasti, de navium pedibus, quibus incedunt, & ambulant, ubi eorum opinionem refutas, qui id posse fie ri negant, imo pernegant. o durae frontis, & audeo dicere, o infrunitae frontis homines! navis ambulare, adfirmandi locus elegans Catonis de R. R. lib I Quibus addas licet; ut *naves ambulare* dixit Cato; Sic Sallustius, *naves ingredi* dixit. Idem *Transgressum* appellavit, maris transitum, & viam navibus factam: eosque *Transgressos* dixit, qui fretum transmiserant, & transfretassent, haec sunt eius verba: *Itaque Sertorius, levi praesidio relicto in Mauritania, nactus obscuram noctem, aestu secundo furtim aut celeritate:* (rescrib. existimo, *furtiva celeritate*) *vitare praelium in Transgressu conatus est.* Mox in his verbis Transgressos Transfretatos vocat. *Transgressos omnes recipit mons praeceptus a Lusitanis.* Et sane eleganter, si quid iudico, ingredi & transgredi in navigantibus dicitur. Translatio revera est optima, & e medio Latio petita. Idem ille

Crispus Romana primus in historia,

ibidem scaphas quoque nantes *progressas* dixit. *Earum aliae*, inquit, *paululum progressae nimio simul & incerto onere, cum pavor corpora agitaverat, deprimebantur*. Sed quid mirum, Meursi, hoc seculo reperiri tales homines, quibus haec talis locutio sordet & allium olet, cum olim in his verbis Sallustius reprehensus est ab Asinio Pollione; sed frigide & inscite. Lector, cui ridere lubet, eius argutas scilicet indagationes videt apud Agell. Noct. Atticarum scriptorem, lib. X. cap. 25. Transferatur igitur τὸ *ingredi* & *ambulare* non solum ad illos, qui gradiuntur & pedibus emetiuntur iter, sed etiam ad naves per aequora discurrentes, nam cursus quoque navium recte dici, quis iste Thrax, qui neget? Poetae & insuper classici Scriptores legantur. Haec tibi si usui & bono Reipubl. literariae fient, quis adglutinare Scholiis apte poteris & evulgare. addito hoc dicto (Ne quid alieni tollas ariminii, iuxta Laurentium legem) observavit amicus meus P. S. &c. Lugd. Batavor. mense Novemb. An. CIↃIↃXCVI.

XII.

FRANCISCVS DOVSA IO. MEVRSIO S. D.

De hesterna scriptione tua multum te amo, gratissimumque mihi feceris, si frequentius chartaceum hoc aequor iteraveris. Quod ad Capellam me vocas, meumque de emendationibus tuis iudicium exploras, facis tu quidem quam par est humanius. Ego vero quid convenientius, quam Horatianum illud hemistichium, sed sincere intellectum tibi insusurrare possim. Pulchre, bene, recte. Macte ista ingenii indole. Sed ne semper ἀσύμβολος ad te accedam, haec loca eiusdem Scriptoris iudicii tui facio, quae olim e MS. quodam emendata ad marginem libri mei notaveram.

Lib I. De Nupt. Philolog. *Si vero concepta, cuius scaturiginis vena perfluxerint*, lege *profluxerint*.

Ibid. *In connubium Areas superiorum casus optabat*, apte tu quidem emendas, *superorum Camillus*, malim tamen lectioni MS. Codicis accedere, in quo *superiorum cassus*, diserte scriptum erat.

Ibid. *Sed alibi lauros primores, arentesque hederas, alibi cariantem tripodem*, rescribe, *carientem*, id est, putridam, a carie deducta voce.

Ibid. *Festinataque rapiditate praecipites fragososque cursus*, &c. alii, *flagrosos*, nugae merae. MS. *fragosos*, optime.

Ad secundum librum transeo, ubi mendosissime locus ille divulgatus est.

Nisi haec, inquit quibus plenum pectus geris coaptissima egestione vomueris, quo loco *coactissima* reponendum esse quis non videt?

Circa finem eiusd. libri. *Nec longo interiecta ipsa quoque Philologia ambita a Musis* &c. emenda. *Nec longo interiectu*, id est, spatio, ut interpretantur veteres Glossae.

In carmine iambico lib. proxime sequentis: *Titulus monet libelli Mythos ab ore pulsans*, leg. *pulsas*.

Ibid. *At tu gregem sororum nondum datis iugandis*, corrigendum, *nudum dabis iugandis*.

Sed ne fastidium tibi moveam, iam finem facio, illud unum a te postulans, ut haec qualiacunque pro tempore a me notata boni consulas. Frater meus, cui commendari volebas, magnopere crescenti tuae eruditioni favet, teque salutari iussit. Vale IV. Id. Nov. MDCXCVI. Hagae Comitis.

XIII.

Ann. Chr. MDXCVI.

XIII.

Theod. Canterus Io. Mevrsio S.

Licet literis tuis, doctissime Meursi, hactenus non responderim, accepi tamen & cum voluptate legi emendationes tuas ad Arnobium, sed occupationibus praepeditus, iis respondere integrum non fuit. Nunc paululum plus otii nactus, scribendi officium ulterius intermittere nolui. Satis certe feliciter & ingeniose, meo quidem iudicio, nonnulla emendasti; sed, ut scis, periculosum admodum est coniecturis indulgere: nonnulla tamen loca extra omnem controversiam recte emendasti. Singula autem loca examinare nunc otium non est. Perplacet mihi studium & diligentia tua in perlustrandis & pervolutandis cum iudicio bonis Auctoribus. Et libere dixero, si eo, quo coepisti, pede perrexeris, & Deus Opt. Max. tibi vitam & otium concesserit, magnum quiddam de te mihi polliceri ausim, & certis iudiciis colligo, non fore vanum augurium nostrum. Macte virtute, cuius talia principia, qualis finis erit. His vale, amicissime Meursi, & nos, quod facis, amare perge; alias, si otium fuerit, plura. Raptim Vltraiecti VIII. Nov. MDXCVI.

Tuus toto pectore

Th. Canterus.

XIV.

Franciscvs Dovsa Io. Mevrsio S. Dic.

Cum iuvenis hic se ad vos cogitare diceret, nefas putavi, si absque meis literis. Paucula itaque haec raptim ad te exaravi, graviore literarum fasce mox remuneraturus. Nunc interim & meo, & fratris nomine de ingenii tui prodigalitate tibi gratias ago. Nam quo minus ipse hoc tempore faciat, continuus languor eum excusare debet, qui ex diuturna tam maris, quam terrae, iactatione etiamnum illum obsidet. Interea tamen plurimum salvere te iubet. De Carmine Lycophroni tuo praefigendo quod me adpellas, totum Musarum chorum iratum mihi habeam, nisi id impetres. Vale, ac, ut perpetuum hunc amicitiae fructum fruamur, vide. Hagae Comitis XVIII. Kal. Dec. CIↃIↃXCVI.

XV.

Petrvs Scriverivs Io. Mevrsio S.

Dividiae mihi fuerunt tam desiduo tacuisse te, ut leviter immutem Varronis illud apud Placiad. in *desiduo*. Sed quid? hesterna dies ad me pennato epistolarum eloquio convolasti. Bene quidem: verum istae pennae tantum non valuerunt, ut me diuturna tristitia & aegritudine oppressum sublevare potuerint, & ad pristinam mentis habitudinem vocare. Sublevasti tamen in parte. Emendatiunculam in Seneca tibi me probasse, gavisus sum: te nominis mei memorem fore in Spicilegio tuo Theocritico [a], serio laetor. Macte adoloscens, macte o sedulae industriae Commentator, macte non humillimi spiritus Poeta! Sic perge, ambulem per te in ora hominum & famae. Ego in meis scriptis (Deus adnuat) tuum nomen publicare non verebor, imo digniores meas chartas putabo tuo nomine, tamquam inserta pulcherrima vermiculatas & ornatas. Ecce, habes Petronii locum, quem an felice AEsculapio emendaverim, tuum erit iudicium, amicissime Meursi, inquit ille Venerae Satyrae Scriptor lepidissimus: *Priscis adhuc temporibus, cum adhuc vera virtus placeret, vigebant artes ingenuae, summumque certamen inter homines erat, ne quid profuturum seculis diu lateret. Itaque hercula omnium herbarum succos Democritus expressit*. Omissis variis variorum correctionibus scribendum existimo: *Itaque sarculo omnium herb. s. &c.* Glossae priscae Graeco-latinae ὄρυξ, *sarculum, ligo, dolabra*. Columella lib. II. de R. R. scriptum reliquit cap. 12. *Quidam negant eam quicquam profuere, quod frumenti radices sarculo delegantur*. Adi Varronem, Isidorum, de hac voce. A Petronio te ad Placiadem voco, cuius haec sunt, in v. *Fabre*. *Fabre perfecte dicitur. Antidamus in moralibus. Fabre compactum animal, hominem quis ferat ex re pecualum*. (Rogo te Meursi, nonne melius erit Antidamo, si scribatur: *hominem quis ferat esse pecuatum?* id est, stultum) *quis averruncassit tam aretinas hominum mentes?* Haec quoque sunt Antidami. Vbi Fulgentius: *Averruncare dixit pro eradicare*, &c. Si scriptura incorrupta est, non credo, averruncare, eradicare esse. In Africa quaerat homines, quibus persuadeat; in Europa non inveniet. Sed, fallorne? an inventa est veritas? & Antidami verba hoc modo sint concipienda: *Fabre compactum animal hominem quis ferat esse pecuatum? quis eruncinasset tam arietinas hominum indoles?* ut Grammaticus scripserit; *eruncinare* dixit pro eradicare, adposite certe, a *runcina*, *runcinare* verbum. *deruncinare* usus est Plautus. Sic ab *ascia*, *deasciare*, dixit idem Plautus, & Prudentius: *Deasciato supplicare stipiti*. Vel mecum consentis potius scribendum esse in Antidami verbis: *Quis eruncassit tam ar. hom. mentes*, ut Fulgent. dixerit: *eruncare* pro eradicare, *Eruncare* compositum ab simplici *Runco*, quod evello significat, iam vel illis notum, qui nondum aere lavantur. Vocem *eruncare* (cuius exemplum fortasse in numerato non habes) utitur Columella: *Cum severis, eam saepius irrigato, paucos deinde post dies, ubi coeperit fruticare, omnes generis alterius herbas eruncato*. Haec ille. Sed quid, precor, iuvat argutari? nihil (si Dis placet) fortasse an mutandum erit apud Placiadem, & averrunco erit *aberrunco*, prisco illo scribendi more *v* pro *b*, eritque com-

(a) Hoc *Spicilegium Theocriteum* edidimus Tomo V. nostrae Collectionis pag. 773. Lamivs.

Ann. Chr. MDXCVI.

compositum ex duabus praepositionibus; hoc modo; iunge *e* cum *runco*, habet erunco; adde *ab*, & habebis *aberrunco*: quod esset, evello, translatione sumta ab runcina, rusticorum illo instrumento; & fors fuat, ita capiendus sit ille versus Lucilii: *Dimoverint meliora, atque amentiam averruncassint tuam*. Ita ut Lucillius ad Antidamum, vel Antidamus ad Lucillium respexerit. Tamen mihi haeret aqua: & remitto haec talia ad meliores illos magistros, qui divinatrice virgula Genii iuvantur, & felicissime omnia coniiciunt. Ex illis, *Qui bene coniexit, vatem perhibeto optimum*. Vt in hac re Ciceronis versiculo ex Lib. Divinitat. II. (a) utar. Ita quoque omnino scribendum apud Nonium in V. *averruncare*, quod MS. Had. Iunii adgnoscit, *memierint* conruptum existimo, & Ianum Dousam Filium frustra haec mutare iudico. Ecce enim aperte Nonius docet, veteres *moneris* pro *monueris* pronunciasse, adducto hoc eodem exemplo: verum Pacuvio adscribit, memoria fortasse vacillante. Cicero de Finib. bonor. & malor. *Di malint* (inquit) *meliora, atque utinam amentiam aberuncassint meam*. Porro apud eumdem Placiadem Numa Pompilius in libris Pontificalibus, *Tutulum dici ait pallium, quo sacerdotes caput tectabant, cum ad sacrificium accessissent*, puto verius: *quo s. cap. tutabant*. Tutulus a tutare, convenienter, unde Festus, *Titulos* milites adpellari scribit, quasi *Tutulos*, quod patriam tuerentur lib. XIX. Mox in *Titivillitium*. Cornuti illud ex Satyra fragmentum. *Titivillitii sat cedo tibi*, censeo rescribendum: *Titivillitii sat ecce do tibi*, alias enim legitur: *Titiv. Flacce do tibi*. Pergo. *Nasiterna est aquae urna* (id est urceus) *unde Calpurnius Phronesi: Vbi tu nasiternatus aquam petas*. Quae circulis illis semilunaribus inclusa, mihi glossema subolent: hoc primum. Deinde quid illud monstri verbum, *nasiternatus*: conieci iam olim: *Vbi tu nasiterna tutus aquam petas*. In exitu libelli, nil est, quod Iunius pervertat. *Aumarium* recte scribitur: ecce succenturiantes Glossas priscas habeo, si illas prius a vitiosa scriptura liberavero. *Cellarium* (inquiunt) *& Cellaromarium*, ταμεῖον. quae, malum, illa vox *Cellaromarium*? lege meo periculo, *Cellaaumarium*: vel *omarium*, quod idem est, nam veteres *o* ἀντὶ τῶ *au* scriptasse, ut clostrum, claustrum, & innumera talia, quis adeo Antiquitatis ignarus, qui nesciat? Verum enimvero, quod prope exciderat mihi, quod vis me certi quid statuere, de Festi illo & Varronis loco, ecce habes sententiam uno verbo: Festum vitio laborare pronuncio. Tu vale & salve, mi fide Pylades; & Scriverium tuum amicitiae nodulo vadatum tene. Lugd. Batavor ex Museo meo, mense Decembri. A. ultimi temporis MDXCVI.

(a) Scribendum videtur *Lib. De Divinat.* LAMIVS.

(b) Immo adeo confirmant, eriguntque, ut vel inde confutare Heterodoxos facile valeant. Orthodoxi ab Haereticis *Pontificii* audiunt, quod Christo, Pontifici Maximo, ejusque Vicario, adhaereant. LAMIVS.

Ann. Chr. MDXCVII.

XVI.

MARTINVS LYDIVS IO. MEVRSIO S. IN CHRISTO IESV.

CAve tu vero, doctiss. Meursi, ineptias vocare iuveniles, tam doctas, & inde ab ultima antiquitate repetitas, in Lycophronem & Theocritum Notas. Miror in hac aetate tam variam lectionem, & memoriam adeo fidelem ac promtam. Quaeris ex me, Sulpitii Severi de Vita S. Martini Episcopi liber & Dialogi, ecquid mihi placeant. Non displicent sane, cum scripti sint ab eo, qui familiariter cum ipso vixit, & multarum actionum & rerum ab eo gestarum αὐτόπτης fuit: praeterea vir vitae sanctissimae, quem non puto data opera voluisse fingere aliquid, aut mentiri. Potuit fieri, ut quaedam tot seculis inserta sint minime γνήσια vel adulterina: multa tamen etiam vere ita accidisse arbitror, quamvis fidem nostram exsuperantia. Viri vere pii & sanctissimae vitae fuerunt: Gentilibus Christi nomen adnunciarunt, idola everterunt: non mirum ergo mihi videtur, si Deus illorum doctrinam miraculis quibusdam talibus voluit firmare. Si velimus omnibus his, quae a Sulpitio recensentur, miraculis sine discrimine fidem abrogare, etiam in Romani Martyris & ceterorum omnium Historia, idem facile alii etiam, qui faciant, invenientur: sic peribit nobis quoque illud Christianae Fidei ac Religionis testimonium, ac fulcrum, inter cetera illustre & efficax, nempe Miraculorum. Exstant ibi & alia, quorum Historiam exstare profuerit; & quae Pontificios minime sublevant. (b) Testimonium verum clementiae illius, quomodo ne in Haereticos quidem saeviri voluerit, ne involverentur periculo simul Orthodoxi, pag. edit. Plantin. 320. 321. Sed omnino expendendus est locus, qui exstat pag. 312. 313. ubi cuivis videre licet, quantopere fidem adstruat suae Historiae Sulpitius, ut non facile liceat illi diffidere, nisi & illis, quae in Augustini de Civit. Dei; Hieronymi, Paulini Nolani, & aliorum similium libris, ipsisque Martyrologiis, scribuntur, fidem detrahere velimus. Habes iudicium de S. S. meum, quem hac occasione inspexi; nondum attentius pervolvi integrum. Non dissuadeo itaque, ut illi quoque, sicubi potes, medicam adferre manum studeas. Scio alios aliter iudicaturos: sed me movet locus, quem vindicavi, & rationes, quas supra attuli, quibus olim forte adiiciam plures. Si tam sancte nostri viverent, & Gentilibus primi fidem Christi adnunciarent, putarem nec illis defutura miracula quaedam. Certe ut fortassis non omnia mihi placebunt, ubi totum perlegam, ita nec simul & semel omnia in dubium vocabo. De Arnobio, quod pergis, valde probo, & confido te gratiam apud omnes bonos initurum hoc nomine maximam. De Seneca & Tertulliano te rogo, ut

Ann. Chr. MDXCVII.

ut quod tu differs, id ab illo coryphaeo Eruditorum Scaligero impetrare, aut saltem roga, ne desinas. Consulendum est hoc oraculum, dum eo frui datur. Sed de Variarum Lectionum libris quid fit? cur de his tam altum silentium? praebuisti gustum illarum tam suavem in Spicilegio Theocriti, ut eo inescatus, non sim destiturus hasce dapes identidem flagitare, dum impetrem exsatierque. Si scribis interdum ad Gruterum & Colerum, quaeso, ut me adiuves inextorquendo, ab illo quidem Subspicionum libros; ab hoc vero Iuveniles ipsius Curas, nisi me inscio vulgatae iam sunt. Sed etiam Scriverii nostri Decerminum libri lucem quando videbunt? Faciunt haec omnia ad lucem inferendam bonis Auctoribus. Videte itaque, ut fidem de promissis vestram exsolvatis. Vale & saluta ex me Scriverium. Franekerae XIV. Febr. nostri. Hoc est, stilo veteri.

XVII.

Hugo Grotius Meursio suo S.

Magno me delectarunt opere, mi Meursi, literae tuae mellitissimae, praesertim vero Lectiones, quas iudicii mei facis, quae adeo placuerunt, ut nihil supra. Remunerabor te hisce nostris, quas forte non omnino improbabis. Sunt eae in Madaurensem, quo usus sum, prout eum cudit Faber noster; (a) eius editionis paginas adiicio. Primum Pag. 6. Lib. de Mundo; *Minores vero ultra Indos Taprobana & Phebol*, &c. v. e. *Indros Bromanae & Foxae*. ex Aristotele liquet legendum. *Indos Taprobanem & Loxen*. Pag. 45. de Philo. *Iuridicialis illa Medicinae pars est; nam morbis animae medetur, sicut illa corporis*. Non dubitabis, quin legendum sit, *Medicinae par est*. Ibid. infra. *Sic haec scientiam mutata iuris simulat quidem*, &c. si sensum perspicias facile iudicabis *imitata* legendum. Pag. 51. *Prius est nocere, quam noceri: Quid enim his rebus nocetur, quae sunt viliores corporis & externis: quae vel imminui possunt, vel fraudibus interire, illae, sis potioribus, quae ad ipsam attinent animam*. Levia errata hoc pacto restituenda. *Peius est nocere, quam noceri. Quid enim! his rebus nocetur, quae sunt viliores corporeis & externis*. Pag. 16. versu a fine tertio, pro *flores* putem *dolores* restituendum. In loco illo Apologiae, ubi nomina Magorum recensentur, quid sibi vult *Iamnes*, aut quis ille? lege meo periculo *Ioannes* (b). *Hismoses* ibidem mihi temere mutandum non videtur; primum quod videam singulis nominibus disiunctivam coniunctio nem praeponi, deinde quod Ebraicum quid, aut Chaldaicum sapiat. Est enim (ni fallor) *Hismoses* vel *His-Mosis*, איש משה.

Vale & Scriverium nostrum officiose saluta. XXVIII. Iunii.

Ad locum tuum in Macrobio emendatum facit Phurnutus de Mercurio: ἀργειφόντης δὲ ἐςὶν οἱονεὶ ἀργειφάντης ἀπὸ τῦ ἀργῶς πάντα φαίνειν, κ̀ σαφηνίζειν· τὸ γὰρ λευκὸν ἀργεινὸν ἐκάλυν οἱ παλαιοὶ, ἢ ἀπὸ τῆς κατὰ τῦ φοιτῶ ταχύτητος, κ̀ γὰρ τὸ ταχὺ ἀργὸν λέγεται κατὰ ἀντίφρασιν.

(a) h. e. *Bonav. Vulcanius*. Grammius.

XVIII.

P. Scriverius Io. Meursio S.

Salve, mi Meursi, ego quidem valeo, si vales. Familiariter me tecum loqui quis vetat! ob iratum nobis Iovem, cuius rigore & frigore adurimur, in lecticis adhuc cubabam mollibus involutus plumis, ecce, tuae literae me excitaverunt, & evocaverunt, non tergiversantem, sed volentem. Vigilo enim, mi oculissime, vigilo quum Meursiaci nominis aura meas aures pertentat & pulsat. Surrexi itaque derepentino, literas tuas percurri, sane amanter & festive scriptas. Mirum, ni ipse Amor eas & Lepos conscripserint, saltim dictaverint illic in amoenissimo vestro rure, quod tuo semper ingenio vivit, vivetque porro, & spirat nescio quam perpetui veris imaginem, & spirabit porro, ni valde fallor animi. Ut adirem Typographum tuum petis ex me, & rogas blande, id est, imperas. En pareo, & nihil, ita me Novensiles illae nostrae Puellulae respiciant, lubentius facio, Et iam, ut vides, parui, perfeci, paratum recte habuisti, & porro habebis Scriverium. Mitto triginta Lycophronis tui exemplaria, ut volebas. Hagam Comitum ad Typographum Illust. Ordinum Albertum Henricium; ut apte & expedite constringerentur, ut facile aeris irati & ventorum depraeliantium iniuriam propulsare possent, mihi in curas plurimas unica cura fuit. Sarta tecta, ut spero, exemplaria omnia deferentur ad Typographum & Bibliopolam magni Senatus Bataviae nostrae. Vale, mi Meursi, mellitissimum tuum Patrem, Matrem, Sorores, meo nomine, salute amica imperties. Destinaram, quod te non fallit, parentes meos invisere, & amicos; sed nimbosi & protervientis aeris intemperies me cogit, quominus faciam. Exspecto, quod dici solet, post nubila solem. Crastina tamen die (si Deus adiuvat, Harlemum patriam urbem fortassean petam) nam diutius, ob certas quasdam & iustas caussas, salvo honore, abesse non possum Mienburgio meo avunculo, Schonaeo praeceptori. Inter pauculos tamen dies, si excurram, revertar, & subito me tibi hic Leidis sistam, si nos ambos servassit melior ille Deus, qui ut te familiamque tuam clementer respiciat, serias cum animo concipio preces. Vale iterum, elegantissime Meursi, Scribebam haec properanter, & quasi in tenebris (ut cum proverbio Caeciliano loquar) in Museo meo.

Lugd Batavor. III. Bacchanal. die Anno ultimi temporis CIϽ IϽ XCVII.

DA-

(b) *Iamnes* & non *Ioannes* legendum est, ut constat ex D. *Paullo*, & *Plinio*. Lamius.

Ann. Chr. MDXCVII.

XIX.

DANIEL HEINSIVS IO. MEVRSIO S.

EPistolam, mi Meursi, tuam, & in ea benevolentiam studiumque, & animi tui in me propensionem, recepi. Vtrique non respondeo; satis est, si alteri possim. *Heroida* meam, quam poscis, quaesivi passim inter schedas meas; adhuc frustra tamen, quia cum Sibyllae foliis, ut pleraque mea solent, volat profecto. Simul ac invenero, nequaquam patiar te immunem. Ecce autem dum haec scribo, inveni; nec inveni; quia non existimem futurum, ut characterum ductus adsequare. Malui tamen parere, quam excusare. Exemplar in adventum meum reservare poteris. Brevi namque, ut spero, vos videbo. Vale meum decus, & *Grotium* nostrum ex me quaeso saluta. Lugd. Bat. summa cum festinatione.

XX.

DANIEL HEINSIVS IO. MEVRSIO S. D.

Literae tuae, mi Meursi, quomodo non mihi gratae! praesertim e tam sincero benevoloque pectore profectae. De eruditione, quod adfers, nae tu delicias facis, qui nos ad divinam tuam indolem, quam admirari, quam aemulari satius, usquam adspirare arbitreris; praesertim me, qui & aetate, & eruditione, & omnibus, praeterquam candore, vobis inferior. Macrobium & breviores in eum tuas Notas vidi, adprobavi: Arnobium avide exspecto, & Carmen adiungendum habes. Non istarum aurium, fretus tuo tamen, mi Meursi, quem ex literis probe perspexisse videor, candore, mittendum putavi. Tu κρίσιν hic remitte, alias intende. Vale, adolescens doctissime. & me, quod facis, ama. Franequerae Febr. XIV. summa cum festinatione.

XXI.

P. SCRIVERIVS IO. MEVRSIO S.

MAlum me esse nomen, tecum forte murmuras, & fidem meam adpellas, suavissime Meursi; neque adeo magna id fiet iniuria. Sed euge! confitentem habes reum, peccavi, fateor, peccavi. Quum enim Leidis apud te essem, dixi & promisi, me dum apud parentes a te despretus aliquot dies colerem, tibi literas valetudinis meae indices, Carmenque Theocritaeo Spicilegio praefigendum missurum, dixi, promisi, & revera, Lucumo sim, si fidem illam solvendam mihi denegem. At iam praeterpropter tertia septimana fruimur, & tamen altum sileo, mutatus in novum Harpocratem, nihil literarum, nihil versuum, tibi mitto. Peccavi, ut fassus sum, suavissime Meursi, sed capital commisisse me non reor, & attende sis, iam cognosces, quo minus promissis steterim, & spero diuturni mei silentii moris haud morus ignosces. Quam primum igitur Amsterodamum veneram, pede non adeo secundo, quippe vento adverso, imo nullo, ecce, mihi mittuntur Vltraiecto litterae, quibus respondere non stilo, aut papyri aliqua parte poteram, sed praesenti corpore. Ad Hymenaeos cum fratre meo vocabar: cui iturienti me comitem addidi, ut sic exsolverem, quod iam secundis literis petierant, & ardentissimis votis optarant. Sacris illis celebrandis mihi septem octo dies praepropero quodam cursu fugiunt, quippe in deliciis & voluptatibus agenti. Sic Heroes dum ad mensas Iovis nectare & ambrosia delibutas sedent, licet longa sint tempora, tamen non numerant. Vltraiecto reversum amici, consanguinei, interpellant, & iam me tibi aliquod Carmen meditantem in alia omnia pelluat. Hic me per urbem ducit, hic me convivam vocat; sic ut componendi animi, Musasque adeundi, mihi tempus defuerit. Et ut breviter concludam, versibus mihi sua sponte, & sub manu (quod aiunt) natis,

> Non locus hic sacer est Phoebo, Musisque, sed ales
> Hac tantum sedem fixit in urbe Deus;
> Hunc *vino inferio mactant*, huic pocula libant,
> Huic faciunt libo, hinc *fratribus* eliciunt.
> O vere! quorum non audeo dicere nomen;
> Sic spretae Aonides, sic & Apollo iacet.

Luciones hic plurimi & id genus hominum Volturino colore obambulant, quibus si argento os verberes, facile tales perpetiuntur ictus, ut est apud elegantiarum patrem Plautum. Quos in carmine, ut & alios e nostris Politiis & Barbaris, quibus nauseae est, quicquid Graeci Latinique delirarunt (ut inquiunt) perstrinxi, & sale quodam satyrico adspersi. Tu candide interpretaberis. Carmen proxima mihi fetura natum, mediisque in turbis exaratum, miraberis fortassean hisce in locis me tale quid posse, & tam numero (*a*): Ita enim vivam & valeam, si plus biduo isti impenderim. Serius aderit, vereor, tuumque Spicilegium etiam, nunc absolutum esse velim me falso existimare. At tu curabis divulgari, si fortean Typographus solito lentior, & Trico fuerit; dabis illi, ut cum tuis Vigiliis formis imprimatur; sin ad exodium eas perduxerit, quaeso in duabus quatuorve paginis typis illis minutioribus, quibus Lacrimas tuas in obitum Dousae nostri expressas legimus, imprimatur; sed antequam id fiat, curabo, orabo, ut legas, relegas, & limatissimo tuo iudicio recenseas, pro captu tuo mutes libere, quod valde volo; nam ipsi mihi polire, & nonnullis locis digniorem vestem induere, non licet ob temporis angustiam. Quae omnia quum feceris, noli rogare, Meursi, an mihi gratum fuerit,

(*a*) Intellige Carmen, quod conspicitur in Meursii Spicileg. ad Theocr. statim ab initio, sic incipiens: *Heic ubi Neptunus liquido pede moenia pulsat Ampelia*. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDXCVII.

rit, imo in ante iam spondeo, gratissimum. uti tibi hoc meum Carmen, quod ultimum fortean erit, quod a me legetur. Valedicendum enim mihi est Musis, valedicendum Amicis, petendae aliae, & ab nostro orbe dissitae, regiones. Sic mihi nolenti, volenti, sic parentibus nolentibus, volentibus, visum. Sed de his praesens ad praesentem plura referam. Quod fiet: (adnuat Deus Optimus, Maximus) extrema hac septimana. Tu interim, suavissime Meursi, vale. Ego valeo, si vales: quod ut sciam, quam primum mihi scribe. Alumnantes tuas literas iamiam exspecto. Amsterodamo XXII. Aprilis Anno a Christo nato CIƆIƆXCVII.

XXII.

(a) Io. WOVWERIVS Io. MEVRSIO S. D.

MI Meursi, nunc illud est, ut exsurgentem virtutis tuae indolem, ingenii dotes, & feliciter coeptos labores, tum signa, quibus serio te amare ostendisti, spissius basiem, & arctius amplectar, adeo ut te saepe mihi fallaci quadam, sed gratissima umbra fingam. Vt adfectum meum multis tibi explicem, tanti non arbitror, quem amore & factis probavi. Interim te inclusum huic pectori senescere arbitreris. Quod si forcassis favilla ista, qua succensus, intepuerit, patere vel hanc sincerissimam mentem eam reflabellare. Iam duo sunt, quae a te exigam; quod si frigidiuscule aut non satis ex voto me te tractasse sentias, non naturae meae, sed tempori, imputes. Iuro enim tibi, ante abitum curas me mihi eripuisse. Deinde sinas maturescere virtutes tuas, scopum tibi non tantum famam, sed etiam usum, fingendo. Vides, quam curiosus sit hic adfectus. Cave tamen ea ames, ut ait ille, quae vulgo placent. Scio me multos inimicos. [quod magnis viris semper gloriosum fuit (b)] mihi peperisse, apud vos promta illa, & nimis aperta mea facilitate, quorum latratus, serio loquor, etiam hic aures meas verberant. Tu, si sapis, caninam illam loquentiam defensione tua reprimas, quippe qui me longe alium noris. Quam febrientia studia mea facile divinas hominis desultorii, & magis vagi, quam Scythae. Canterum, quaeso, salutes (iubeasque vel meo nomine inhibere Arnobii editionem, nisi omnium risum sibi arcessere amet (c)). Franciscus Pithoeus brevi Arnobium Minutium, Firmicum, tales editurus est, ut de iis merito proclamari possit, quod de Augusti magnis ludis: *tales nec vidisse, nec visurum quemquam*. Vale, mi Meursi, *& si merui*, amare perge. Lutetiae, IX. Kal. Maii CIƆIƆ XCVII.

XXIII.

THEOD. CANTERVS Io. MEVRSIO S.

MAgnam antea ex literis tuis, doctissime Meursi, de te spem opinionemque conceperam, & non vanum fuisse augurium meum, lectis lucubrationibus tuis re ipsa deprehendi, maiora enim amplioraque omnia repperi, quam vel augurari unquam ausus fuerim. Deus Opt. Max. te modo diu nobis ac Reipublic. servare dignetur incolumem. Tuum erit, quo coepisti, pede pergere. Deus, & spero, conatus tuos porro iuvare, ad gloriam suam & Reipubl. salutem, non dedignabitur. De Arnobio eadem mihi voluntas, quae hactenus: sed occupationes me interdum in diversum trahunt. Tu, si nobiscum communicare quae in eum Auctorem observaveris, dignatus fueris, magno nos beneficio adfeceris. Tò *Dibus*, quod postremis tuis literis emendasti, mirifice placet, & eam veram esse eius loci lectionem, omnino persuasum habeo. Quod Notas tuas ad Theocritum nomini nostro inscribere dignatus fueris, tam mihi gratum, quam quod gratissimum; & dabo operam, ne in ingratum tale beneficium contulisse videaris. Illud autem omnino persuasum habeas velim, si qua in re tibi tuisque conatibus adesse potuero, me semper promtum & paratum fore. His vale amicorum optime, & nos, quod facis, amare perge. Scriverium tuum a me salutes velim.

Raptim Vltraiecti X. Maii, stilo antiquo MDXCVII.

XXIV.

THEOD. CANTERVS Io. MEVRSIO S.

QUod hactenus, amicorum optime, librum non remiserim, velim, ignoscas; non enim id culpa, aut negligentia mea accidit; sed quum in dies commodam mittendi occasionem praestolor, ecce dies plusculi, & plures, quam volebam, elapsi. Quaeso, boni consulas. Maximas autem tibi, ut debeo, gratias ago, quod hunc librum, quem antea exstare ignorabam, nobiscum benigne communicare dignatus es. Quid mihi de eo videatur, coram plenius, quum occasio dabitur, aperiam. Interim hoc dixerim, multa non infeliciter ab eo emendata, & accrescente aetate iudicioque, si in eo studii genere perseveraverit, plura alia & maiora me ab eodem exspectare. Nos, laus Deo Optimo Maximo, valemus, quam & vobis diuturnam precamur. His vale, amicorum optime, & nos amare perge. Raptim Vltraiecti VI. Augusti. Saluta omnes communes amicos.

Io.

(a) Edita est haec Epistola, cum ceteris *Wovverianis*; (curante Geverh. Elmenhorstio, Hamburgi ann. 1620 in VIII.) num. XV. pag. 30. GRAMMIVS.

(b) Haec verba, quae uncinulis [ ] inclusi, non adparent in editione Hamburgensi, ubi sine dubio expuncta ab editore Geverhato Elmenhorstio. GRAMMIVS.

(c) NB. Est hic *Wovverius* (non Antuerpiensis ille, *Iusto Lipsio* familiaris, sed alter) Hamburgensis, *Polymathiae*, & Notar. in *Petronium*, *Minutium*, *Firmicum &c.* Auctor. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDXCVII.

XXV.

IOAN. A WOVWEREN IOAN. MEVRSIO S.

MI Meursi, iuro tibi, ex eo, quo divinos tuos partus exosculatus sum, vix me ipsum invenio; quos cum horrore quodam, tamquam sacra, contrecto, tanta eorum admiratio animum invasit. Quid enim unquam politius, quid elegantius prodiit? quid, quod magis hiemale pervigilium & noctes insomnes oleat? nisi quod invidiae oestro erga genus hominum concitor, quos tanto bono h. e. divinis ingenii tui muneribus frui nollem. Nascitur mei ipsius gravissimum odium, quod infelicem inscitiam temere prostituerim. Per fidem, non invenio, quibus tuum opus in coelum feram; neque sane ex eo quidpiam accedat splendoris, quod posteritas statuis & columnis consecrabit. Me tacitum quoddam gaudium perfricat, quod gloriari liceat, divinum tuum pectus incoram amplexum. Quod si non fastidis, licet indignum inter cultores tuos admittere, trabeas, & curules sellas transcendo. Literas tuas nuper accepi adfectus animique indices, quem, nisi ambitiosum sit, mihi talem serves. [(a) Valde fallor, aut conviciis & risu horum hominum sese exponat Canterus Arnobio suo. Dissuade, mi Meursi, editionem. Pithoeo lubenter te insinuarem, nisi ab homine prorsus sese sperneret omnis humanitas.] Macrobium MS. optim. contuli, & in eum Notas condidi, sed quas publice interest, non edi. Quid enim ego astrosus molirer. Quaeso ne quidquam exspectes a febrienti hoc ingenio, quod iam olim abdicavit omne scribendi studium. Tu, si sapis, citis quadrigis perge ad editas famae arces. Ne literae tuae exsulent, oportet, mittas eas Montem-pessulum: quo Kal. Septemb. migrabo. Quaeso meo nomine salutem & adfectum nuncies Fr. Dousae; cui migrationem hanc significabis, huic fini, ut ipse filio Dn. de Scagen intimet. Scriverium (optimum (b) &) doctissimum Iuvenem, quem saepius animi mente exosculor, salvere iubeo. Vale & me ama. Lutetiae Paris. X. Aug. MDXCVII.

XXVI.

THEOD. CANTERVS IO. MEVRSIO S.

QVod prioribus tuis non responderim, amicorum optime, non est, quod aegre feras, tam enim laconice scriptae erant, ut nullam respondendi materiam praebuerint. Idcirco in commodius tempus, scilicet dum me alteris tuis interpellares, responsionem distuleram. Quare nunc accepto calamo, tuis respondere conabor. Quod de Arnobio edendo tantopere urges, recte facis, & gratiam habeo, & currentem, quod aiunt, magis incitas; & pervelim sane tantum mihi otii superesse, ut quam primum coeptum opus ad finem optatum perducere possem: sed, Deo adiuvante, videbo, quid potero. Interim tamen tibi auctor fuerim, ut quas habeas ad hunc Auctorem emendationes, aut observationes in libellum singularem, ea omnia conicias, & sic in publicum proferas, ut in Theocrito iam factum est. Magnopere Macrobium videre aveo, & si eundem ad me miseris, pergratum feceris. Saluta officiose meo nomine omnes communes amicos, & maxime Scriverium nostrum, ad quem prima commoda occasione scripturus sum. His Vale, amicorum optime, & nos, quod facis, amare perge.

Raptim Vltraiecti XV. Sept. MD XCVII.

XXVII.

THEOD. CANTERVS IO. MEVRSIO S. (c)

EA, quae literis tuis, amicissime Meursi, mihi adscribere videris, minime in memetipso recognosco. Quare vide in posterum, ne Cantero tuo nimium tribuere videaris, in quo scies, omnia esse longe infra mediocritatem. Amo tamen viros pios & probos. Et quotiescumque Romanas Historias lego, libere & praefiscine dixerim, pudet Christianitatis. Si illis, ut nobis, cognitio veri Dei fuisset, & veram pietatem prae se ferre licuisset, illisque datum esset, ad summam felicitatis pietatisque metam pervenissent, & quam ferventi zelo eam amplexi fuissent, qui tantopere in falsa religione, & de qua ipsi naturae quodam ductu dubitabant, excolenda, religiosi erant. Nos nunc, pro dolor, nihil praeter nudum Christi nomen circumferimus, ceteris omnibus virtutibus nudi & exspoliati. Metuo nobis omnibus, ne in die iudicii meliori loco, qui Christum non cognoverunt sint futuri, quam nos. Non quod operibus quidem quicquam, (d) aut plurimum tribuendum censeam, sed quia ex operibus nostris, interdum cordis fidem & in Deum pietatem palam reddimus. Vtinam Romanorum virtus nobis semper in oculis versaretur! Quantum in illis hominibus fuit probitatis aequitatisque studium, qui Masinissae inter cetera responderunt; *se Masinissae omnia velle, sed ius gratiae non dari*. O aureum dictum! Quid nos Christiani? Vtinam illud dictum penetralibus pectoris nostri penitius impressum insculptumque esset. Haec tecum. Emendatio tua Arnobiana placet, quamvis meo iudicio non incommode legi possit, *munera iuvandis animis hominibusque portabant*. Tu iudica. Alteras etiam tuas accepi & emendatio Festi perplacet, quamvis otium non fuit penitius eam introspicere. His Vale,

(a) [ ] Quatuor hi versus, uncinulis inclusi, non leguntur in Hamburgensi editione Epistolarum Wowerii. GRAMMIVS.

(b) Neque haec, *optimum &*, in edito exemplari. GRAMMIVS.

(c) NB. Exstat haec Epistola impressa inter Clar. & Doctissimorum Virorum illas cum Gudianis publicatas a P. Burmanno Vltrai. 1697. in IV. pag. 185. GRAMMIVS.

(d) Calvinissat homo heterodoxus. LAMIVS.

Vale, & Scriverium meo nomine saluta, cuius codicem Fortunati accepi; quum usus fuero, bona fide remittam. Saluta etiam officiose Dominum Scaligerum. Iterum vale. Raptim Vltraiecti XXI. Septembris.

Fragmenta Lucilii si ad me per occasionem miseris, pergratum feceris; indicato pretio, statim refundam.

Tuus toto pectore
Theod. Canterus.

XXVIII.

Balthasar Lydius Io. Mevrsio S. D.

QVanta in te sit eruditio, & antiquitatis cognitio, Doctissime Meursi, Lycophron & Theocritus tuus, omnibus tacentibus, posteritati quoque loquentur: sed quanta in te sit humanitas, vel una ad me scripta docet epistola, quam ab ipsa humanitate tibi dictatam esse deierare ausim. Fateor me eam aliquoties exosculatum esse, tanto gaudio perfusum fuisse, quam si maximo, quod cogitari potest, munere fuissem adfectus. O me beatum, quem Meursius ad scribendum provocat, cui ego literas exarare pudore praepeditus nunquam fuissem ausus. Quamvis autem tu mihi amicitiae patefacias fores, subfiriet tamen, si me clientibus tuis adnumeres, cum summo illo Philosopho teste, proprie inter pares sint amicitiae, ego vero infinitis gradibus te sim inferior, nec ullo modo tibi comparandus. Plautinae istae (a) Emendationes mihi placent; *Suinum* tamen praeferrem *Suerino*, quod tetrasyllabum est. Parthenius tuus quando lucem adspiciet? Variis tuis Lectionibus quando animum oblectabis nostrum! (b) An non ibi medicam manum adhibes Senecae Philosopho? cui ego tam bene velim, quam mihi; quantumvis Floridus Sabinus scripta eius (honos sit auribus) cacatilem vocet chartam. Macrobius tuus si absolutus est, manda quaeso meo fratri, ut mihi exemplar comparet. Non credis, quantum tuis adficiar, quantum ex iis proficiam. Est hic studiosus quidam: is dum in Anglia vixit, Macrobium cum MS. contulit, & quaedam non contemnenda observavit. Ea se mihi Arhnems procuraturum promisit; quae si miserit (ut facturum spero) tecum illa communicabo. Tu interim, quia haec incerta sunt, editionem tuam non differes, imo ne procrastinabis quidem. Arnobium vetustissimum Scriptorem, quod versas, summae prudentiae; quodque in eum commentaris, reconditae eruditionis, est indicium. Perge, mi Meursi, scriptis & commentariis aeternum reddere nomen tuum. Iacta est alea; nec infeliciter cecidit. Non credas, quantam sitim mihi istius excitaris libri; quando eam restingues? Radaeus noster nisi tam multa haberet alia, lubens excuderet tua; nunc se nequaquam id posse sancte mihi adfirmavit. Si in se editionem recepisset, ego correctionis tui causa molestiam haud gravate subiissem. Dolui mihi occasionem tibi gratificandi esse ademtam. Romanam editionem quantumvis diligenter quaesitam invenire non potui, neque ego MS. eius exemplar ullum habeo, quod tibi mittam. Existimo clarissimum virum Iosephum Scaligerum, vel B. Vulcanium, aut D. Merulam, tuo voto satisfacere posse. Quid tibi de locis illis Arnobii videtur pag. 8. lin. 25. *nec madidata imbribus arva succeßunt*. Vis cum doctiss. Cantero legere, *succedunt*? Ego malim *succescunt*, aut *succrescunt*, prius tamen praeferrem: posterior lectio nititur phrasi Arnobiana pag. 119 lin. 18. Pag. 14. lin. 9. *tam sceva prodigia*, nisi aliud tibi videatur, legam, *scaeva*, vel *laeva*; ut postea pag. 16. lin. 9 *laevum augurium*. Pag. 27. lin. 11. *senitalis fervor ascitur*, quid prohibet, ut legatur, *nascitur*? In sequenti periodo videtur alia distinctione opus esse; sed hic ampliandum censeo. Pag. 18. lin. 17. *& bos non nos coelestia*, puto, *&* redundare. Si locum expenderis, forte adsentieris, nam tum optime fluit sententia. Nihil in his adsevero, meae sunt subspiciones, & tibi melioribus libris, vel rationibus nitenti etiam somnia videbantur. Posterior epistolae tuae pars, in qua meae industriae requiris specimen, ruborem mihi excussit, nam qui ego tale quid praestem, qui tenuiter tantum in studiis sum versatus & quasi a limine illa salutavi? Nihil eorum, quae tu amore praepeditus mihi tribuis, in me adgnosco: non animi tam vana superbia nostri est. Amo tamen critica studia, atque vestrorum librorum lectione interdum animum fatigatum recreo, atque bonorum Auctorum lectione me oblecto, quorum Dei beneficio in paterna (c) bibliotheca non exiguus est numerus. Lego nunc Horatium, in quo me non parum torsit locus, qui est Od. xxxvi. lib. I. Carm.

——— nec latentes
Classe cita reparavit oras.

Latentes oras de Nilo accipi debere edocebat me doctiss. ille Dousa (quamvis Nili fontes nunc non diutius lateant;) *reparavit* tamen obscurum videbatur, & alterum *repedavit*: an improbatis, si substituam, *repetivit*? Epistola 1. lib. 1. ubi sic in vulgatis editionibus:

Quis circum pagos, & circum compita pugnax,
Magna coronari contemnat Olympia, cui spes,
Cui sit conditio, dulcis sine pulvere palmae?

Deest

(a) Hinc ortae sunt *Curae Plautinae*, quas *Meursius* anno MDIC. primum edidit, & nos in hac Collectione, Tom. V. iterum excudendas curavimus. Lamius.

(b) Nec *Parthenius* cum *Meursii* emendationibus, nec *Variae Lectiones*, unquam in vulgus, quod sciam, proditae sunt, nisi earum pars sunt *Lectiones Atticae*, & *Theophrastaeae*, quae in huius Collectionis Tomo II. & IV. occurrunt. Ceterum de Meursianis in *Parthenio* castigando laboribus aliquid etiam antecedentibus Epistolis indicatum est. Lamius.

(c) Scil. *Martini Lydii*, qui & haud vulgari vir eruditione fuit. De eius, nec non huius *Balthasaris*, & ceterorum eius gentis vitis scriptisque, leg. *Bayle Dictionaire* in *Mart Lydio*. Ex omnibus vero nullum *Valerius Andreae* in *Biblioth. Belg.* memorat alium, quam *Ioannem Lydium*, *Nicolai de Clemangis* editorem. Grammius.

Ann. Chr. MDXCVII.

Deest responsio, & praeterea, ut mihi videtur, sensus est obscurus. Sed si interrogationem transferas, & colloces post vocem Olympia, ut illa verba; *Cui spes* &c. sint responsionis loco, omnis difficultas sublata erit, meo quidem iudicio. Scribe quid tibi de his videatur. Vale, doctissime Meursi, & me tui honoris studiosissimum redama. Franekerae A. MDXCVII. VII. Kal. Decemb.

Tuus ex asse

Balth. Lydius

XXIX.

Theod. Canterus Io. Meursio S.

MAcrobium tuum, amicorum optime, una cum literis accepi, & gratiam habeo pro literario munusculo. Placet mihi industria tua; nam feliciter multa in eo Auctore emendasti. Gaudeo a te lectum Chrysologum, (a) & quid tibi de eo Scriptore videatur, scire velim. Mihi certe probatur; eumque aliis multis praefero, & eius lectione plurimum adficior. Unum in eo male me habet, quod mendis nonnullis interdum, iniuria Correctorum, qui ipsius phrasin adsecuti non fuerunt, deturpatus sit. Vtinam aliquando copia daretur melioris exemplaris. Hic enim Auctor, si quis alius, dignus est, ut omnium manibus teratur. Quam impressionem tu habeas, scire velim: ego nullam aliam vidi, quam Antuerpiensem A. 77. His vale & nos amare perge. Saluta Scriverium tuum, ad quem scribam prima occasione. Raptim Vltraiecti, postrid. Nativitatis Domini MDXCVII.

Est & Maximus quidam Taurinensis Episcopus, qui non absimili modo doctas & elegantes homilias scripsit: sed an eum videris, equidem nescio. Difficulter enim reperitur. Legi eum quidem alias, attamen exemplar ipse non habeo. Vellem me aliunde habere posse. Tu si aliquando in eum incideris, videbis & iudicabis.

XXX.

(b) Martinvs Lydivs Io. Mevrsio S.

S. In Christo Iesu. Gratulatus sum, doctiss. Meursi, Reip. literariae de ingenio illo tuo, cuius nobis gustum praebuisti editis illis in Lycophronem & Theocritum Notis. Semper iudicavi impetus illos ingeniorum criticorum, non minus, quam poeticos, insigne Dei donum esse e sedibus aethereis, cum recte usurpantur. Magni ergo feci non tantum Coryphaeos huius studii, sed mediocres etiam, qui progressus in eo fecissent. Scio, quantus fructus redire ex eo ad rectius intelligendos bonos Auctores, non tantum profanos, sed quosdam etiam sacros, possit. Ideo libenter intellexi ex postrema ad filium epistola, quod ad S. Theologiae studium adplicare statueris animum: quod ita te facturum puto, ut studium illud criticum non plane sit (ut nec debes) intermissurus, sed magis sobrie ac pie tractaturus, quam alii quidam, qui prorsus in eo profanescunt. Probavi itaque valde, quod de Arnobio promiseras, & spero suo tempore etiam ad Tertullianum aliquid adiumenti tua opera, cum in sacro illo studio magis profeceris, accessurum. Quamvis hic Scriptor ita abundat & verbis & ritibus antiquis, ut iis explicandis, qui Antiquitatis sunt peritissimi, magnus ille Scaliger & Lipsius semper occasionem habere possint, bene de Theologis etiam, illustratione huius Scriptoris, merendi, qui semper spicis legendis abunde locum praebet. Noster Typographus, ut varietatem ingenii, suo tantum quaestui inhiantis, adgnoscas, non multo post scriptas postremas ad te literas filii, mutata sententia, tam adpetebat tuorum editionem, quam prius praecise recusaverat, & se ideo ad te profecturum statim, etiamsi terrestri itinere, hoc hiberno tempore, sibi utendum esset, dixerat: & ne nunc quidem recusat, sed incipit differre, dicens: se id in dimidio anno nondum praestare posse: aliis sibi praela sua postulantibus, Arcerio nimirum, Drusio & D. Sibrando. Ego, quae est perpetua aliorum de ipsius cunctatione querela non inanis, cum operis utatur pene nullis, suorum liberorum & propria industria contentus, vereor ne quamvis aliud pollicitus, sicut experti sunt iam alii, eius opera usi, in annum te integrum, si non etiam diutius, reiiciat. Audies tamen, quam certa tibi promittat. Lublinum (c) certe, Vbbonem, Popmam, Fungerum (d) maximo taedio cunctationis suae adfecit; nam ex his quorumdam scripta aliquot annis apud se tamquam in carcere detinuit. Haec tibi vere & sincere aperio, ne vana spe lacteris; & tibi accidat, quod aliis vidimus usuvenisse. Videbis ergo quam certam tibi fidem sit daturus. Est alioquin doctus ipse & bene Latinus Typographus, sed congruit in illum hoc Martialis:

Diligo praestantem: non odi, Cinna, negantem:
Sed tu nec praestas, nec cito, Cinna, negas.

Excusatior esset, si vere diceret, num posset, vel quando integrum sibi esset praestare, quod a se petitur: quod quaeris, cuinam dedicare labores tuos cum fructu aliquo & spe praemii possis, scias me ea de re diligenter cogitasse: sed de nullis mihi spes certior est liberalioris praemii, quam si cum Ordinib. Holl, quorum merito liberalitas commendatur, iam ante aliquid dedicaris, nunc de Ordinib. Zaelandiae cogites: vel si ita tibi videbitur, nunc Ordines Tra-

(a) S. *Petrus Chrysologus* Archiepiscopus Ravennas, cuius habemus disertissimos Sermones. Lamius.

(b) Ad *Martinum* hunc *Lydium*, (cuius filios recenset P. Baelius in *Lex. Hist.*) nonnullae leguntur Epistolae Iusti Lipsii in Gaturiis *Miscell.* atque duae eiusdem in *Sylloge* Burmanniana Tom. I. ubi vid. de eo Burmann. *Not. pag.* 48. Grammivs.

(c) Sic in Apogr. legitur, nescio an recte. Annon potius *Lubbertum*? Theologum illum scilicet, cuius nuper praenomen *Sibrandum* dixerat? Grammivs

(d) *Etymologici Lat.* auctorem. Grammivs.

Ann. Chr. MDXCVII.

Traiectenses adeas, quibus te potest amicus D. Canterus commendare. Nostri ab his, quos dixi, liberalitate vincuntur, quod mihi dolet; nam optarem Criticis diligentioribus largissima praemia, sicut & Mathematicis. Male certe merentur de genere humano, qui huiusmodi viris doctis, aut nulla, aut perquam tenuia, praemia decernunt; unde fit, ut ingenia optima iaceant, nec excitentur. Rogo te, ut de Senecae scriptis moralibus aliquando serio cogites. (a) Diu opto, ut aliquis prodeat, qui difficiliora, quae in textu sunt, loca explicet. Vtinam hoc D. Scaligero vel Lipsio persuaderi posset. Ego quoties in scriptum aliquod criticum incido, primo omnium observo, an aliquid Senecae, Tertulliani, an Arnobii, in eo sit explicatum vel emendatum: adeo cupio plenius hos Scriptores explicari; semper enim in his aliquid explicandum restat. Interim te, ut hac de re serio cogites, rogo, aut D. Scaligerum de Seneca urgeas. Si mihi Leidae vivere liceret, semper illi de Seneca & Tertulliano molestus essem: in quibus tot docta etiam nunc indigent explicatione. Vale in Christo, mi Meursi, quem rogo, ut dona sua tibi cumulet, ac valetudinem bonam tibi insuper his studiis aptam largiatur, quod in hoc novi anni initio tibi & illis maxime ducibus horum studiorum D. Scaligero, & similibus, precor.

Franekerae XXX. Decemb. A. MDXCVII.

XXXI.

DANIEL HEINSIUS IO. MEURSIO S. D.

AUdeamne, iuvenum doctissime? audebo tamen, cum te in hoc adfectu tam suaviter mecum conspirare intelligam. Ante enim praeclare & ingenii tui & eruditionis causa de te sentiebam; nunc vero quum tam lenis ultro benevolentiae tuae adspirarit aura, non potuit se non effundere amor meus, praesertim quum pulcrum ab eo provocari sit, quem ultro provocare mea dissuadebat modestia. Euge ergo, mi Meursi, per hos antiquitatum flosculos sedulo deambulare perge, & mitiores has fluentesque Nymphas diu male acceptas a barbarie adserere. Quod te vel per iocum ludumque posse elegantissimae in Poema obscurum Notae testantur; quas admirationi omnibus, qui politiora haec mirantur, fore confido. Etenim Catones illos, quos ad haec adspirare non patitur naturae austeritas, cur moremur? Candidi nos & Lectores, quos a penetralibus Minervae livor non arceat, desideramus. Cum D. Radaeo de Arnobio tuo egi, quem nullam gratificandi tibi, cum ad vos venerit, occasionem praetermissurum scito. Longaevum tuum senem illum (b), cui te vitam etiam longiorem suppeditas, sic persuasum nobis habemus, avide exspectamus. Parthenio tuo versus aliquot instinctu Lydii nostri adiungam, si mihi faverint meae παρθένοι, & tibi non ingratos fore cognoro. Vale meum decus, & Heinsio tuo, ut coepisti, fave. MDXCVIII.

Ann. Chr. MDXCVIII.

XXXII.

(c) HUGO GROTIUS MEURSIO SUO S.

SALVE OCULISSIME!

GRatias tibi summas ago, quod carissimas horas nostris emendationibus in Capellam a mendis typographicis (velim etiam meis) emendandis non dedigneris impendere. Si tibi aliquid hisce diebus temporis superfuerit, pervelim cum Tiarda nostro excurras. Scriverio tuo gratulor de nuptiis, te officiosissime saluto.

XXXIII.

(d) LAMBERTUS VANDERBURCHIUS (e) IO. MEURSIO S. D.

BInis tuis gratissimis mihi literis, quod hactenus, eruditissime Meursi, non responderim, occupationibus id meis, quae sub hoc anni tempus plurimae fere esse solent, tribuas, velim. Neque enim ego is sum, qui ullius mortalium, nedum hominum literatorum, ac studiis doctrinisque deditorum, in quibus non postremas tenere te video, amicitiam averser. De Lycophrone gratiam tibi habeo, facileque ex doctissimo hoc tuo ad eum Commentario iudicare mihi, eos te in humanioribus fecisse progressus, paucis in hac palaestra uti concedas, aeques multos, plurimos post te relinquas. Macte praeclara animi indole hac, iuvenis optime, & queis mentem tibi, sui prodiga, natura inlustravit dotibus, quo coepisti pede, dum aetas, valetudo, tempus permittunt, excolere sedulus perge: sic fiet, ut sementem hanc opima olim excipiat messis, laborumque tuorum tibi fructus constet. Quod faxit, qui tibi hunc animum dedit, Deus, & dignum te Marone Maecenatem exoriri aliquando permittat. Ad me quod attinet praeclaros istos conatus, quando opportunitas dabitur, iuvare non desinam. Illustri D. Scaligero, D. etiam Vulcanio, plurimam a me salutem dicas velim. Vale, iuvenis doctissime, & a fratre meo salve. Vltraiecto XVI. Cal. Februarias CIↃIↃXCVIII.

XXXIV.

(a) *Meursium* in *Seneca* inlustrando laborasse, indicatur etiam superius Epistola. XXVIII. LAMIUS.

(b) *Macrobium*. GRAMMIUS.

(c) Scripta est anno 1598. quo *Martianus Capella* sub praelo erat. GRAMMIUS.

(d) Adscribimus hic Epistolam *Io. Meursii* ad *Lamb. Vander-Burchium*, quam reperimus in *Thomae Crenii Animadvers. Philol & Hist. Tom. V. p.* 25.

(e) De *Lamberto* & *Adriano Vanderburchiis*, fratribus, *Hadriani* filiis, [quibus Meursius *Catonem* suum de R. R. inscripsit anno 1598.] evolvatur *Valerius Andreas* in Biblioth Belg. *pag* 18 & *p.* 161. Magna cum eis & eorum parente familiaritas intercessit *Iusto Lipsio*. Ex eadem familia fuit *Franciscus Vanderburch* Episcopus primum Gandavensis, & anno 1616. ad Archiepiscopatum Cameracensem evectus: quippe qui avum habuit *Hadrianum* seniorem, *Lipsii* amicum, & patruum salutavit *Lambertum* nostrum, Decanum Vltraiectinum. GRAMMIUS.

Ann. Chr. MDXCVIII.

XXXIV.

IOANNES MEVRSIVS LAMB. VANDER-BVRCHIO V. AMPL. S. D.

Haec Epistola translata est inferius ad annum MDC.

XXXV.

PETRVS SCRIVERIVS IO. MEVRSIO SVO SAL. VOVEO.

EGo vero, mi Meursi, ut sensi te valde conqueri solitum, me, cum absum, nihil ad te literarum dare, statim animum ad scribendum adieci. Queri itaque desine, iam scribo, licet subitas & insubidas literas: alias heic edolare non possum. Fratres, amici me interpellant, imo verius e sede pellunt. Illi in causa, quo minus in scribendo longa cogitatione uti liceat. Tu non indignaberis; quod prima animi intentio dedit, quodque mihi in solum fuit, habes: quo tibi insinuare volo, me cum parentibus reliquisque, quos salvos volo (gratia Deo unitrino) optime valere. Idem de te tuisque spero & voveo, nec immerito. Mi Meursi, quotiens tu mihi in animo, quotiens in ore versaris! perdius, pernox, te somnio, te vigilo, etiam nunc cum literas tibi has repraesento, licet corpore absim, animo atque amore ad te venio. Fide, mi anime, fide, meum desiderium. Iuramentum praestare non opus; novit me ex animo loqui, qui nos omnes novit. Fide, inquam, mi Meursi, amicitias Christi glutino copulatas quis credat locorum ullo intervallo posse divelli? Macte tuo Scriverio, cuius absentiam longiorem increpare noli, ut & de tacito meo abitu sinistre subspicari. Cis paucos dies, Deo faciente, me vobis sistam, & iam nunc iturio. Harlemum crastina luce cum optimo mihi atque unice caro parente pergo. Hinc die sequenti Lugdunum (a) properabo, seu potius volabo; ab urbe sane illa diutius esse non possum; ad felices inibi animas adspiro; hic hominibus pro anima sal adspersum est, nosti? Mercuriale. Enim vero nae ego meos nimium flagello! Vale animo meo, carissime Meursi. Criticus tuus in Arnobium, & in Minutium Hypercriticus, velim cures, ut quam citissime prodeant; (b) ambabus manibus, confido, excipient illos Docti, sed Docti tantum, qui vel meliore palato ad Critices sapiunt vel Sophicae genium. Scripsi Amsterodami XIX. Ian. An. Dom. CIↃIↃXCVIII. Duum locorum correctio mihi nata est in Hieronymo, dum illum saltuatim & vellicatim tango. Tui ecce iudicii, cui non parum tribuo, libens facio, amicissime Meursi.

XXXVI.

LAMBERTO VANDER-BVRCHIO.

EGo vero omnem moram libens occupationibus tuis imputo V. A. Quantum vero me ames, facile perspicio ex istis tam benevole scriptis literis, quas mirum nisi dictaverit ipse Amor, non ille quidem *Veneris πανδήμου*, apage pestem, sed τῆς οὐρανίας. Vide autem ne pecces, hoc enim ipsum amici est, non onerare aliquem laudibus, ut ait in Epistolis Secundus. Gratas tamen eas accidisse mihi libens fateor; quid enim ni? quae collatae a viro tam magno, &, ut veteres illi ἁπλῶς dicebant, laudato? Obsecro te, perge in isthoc adfectu, quem meruisse iudicas propter aliquam ingenii eruditionisve umbram; quam revera ea utraque nimis in me, ingenue profitebor, exigua. In hac enim aetate, ut ingenii forte aliquid exsistat, eruditio tamen magna nunquam esse potest, quae necessario multa & iugi lectione paratur. Nam sane in philologico nostro studio minime adsentior Plinio dictitanti, multum legendum, non multa: nec Senecae, Lucillo suo multorum Auctorum lectionem dissuadenti. Per fidem, quid necessarium, si hoc non? erraverim profecto ipsorum iudicio; equidem sic censeo, quid tu, nonne pollicem premis? puto. DD. Scaliger & Vulcanius vicissim te plurima salute impertiunt. Vale V. A. & me, ut coepisti, amare perge. Pridie Eidus Feb. CIↃIↃXCVIII.

IOANNES MEVRSIVS.

XXXVII.

(a) Haec Bataviae urbs vulgo *Leiden* adpellatur; in qua est Atheneum illud adeo a *Meursio* celebratum, ut eius urbis descriptionem & Professorum Vitas seu Elogia libris duobus comprehensa Athenas Batavas inscriberet. Eas edidimus *Tomo* X nostrae huius Collectionis, *pag.* 459. *Id Lugdunum olim fuit*, inquit Meursius, *uti clare Antoninus in Itinerario docet. Nam in Germaniae secundae descriptione ab ipso Rheni ostio exorsus, & Argentinam usque pergens, primo loco Lugdunum posuit, & Germaniarum illud caput dicit; non quidem isthoc, ceu Metropolis; verum, ceu principium esset. Atque ita res se habet. A Rheni ostio, uti quidem olim exstitisse dixi, usque ad urbem Argentinam, prima se Lugdunum obfert; Ptolemaeus Lugdunum Batavorum nomen tribuit, ad discrimen nempe eius, quod in Galliis: & truncate Lyon dicitur, ut hoc nostrum a nobis Leyen sive Leyden: manifestis utrobique adpellationis priscae monumentis. Illud autem veritatis minime fallax argumentum est; quod Lugduno Antoninus mox Albinianam subdat, quod nunc Alphen; hinc Traiectum, quod nunc Vtrecht nominamus.*

(b) *P. Scriverii* amici sui desiderio satisfecit *Meursius*, nam *Criticum Arnobianum* hoc eodem anno MDIIC. publici iuris fecit, septem eius libris editis, sicut & *Hypocriticum Minutianum*; quibus *Arnobius* & *Minutius Felix* innumeris in locis emendantur. Miror autem, in hac Epistola non *Hypocriticum*, sicuti *Meursius* inscripsit, sed *Hypercriticum* nominari; quum *Hypercriticus* dici debeat, qui reliquis Criticis praestat, quod quidem in castigando *Minutio* non fit; *Hypocriticus* vero agitur, quum *Criticus Subsecivus* sit, vocetque Auctor *minutias emendationum Minutianarum*. *Hypocriticus* igitur dictus; quasi *Critico Arnobiano*, sive mole, sive eruditione, concedat. Hunc *Hypocriticum Minutianum*, non secus ac *Arnobianum Criticum Tomo VI.* huius Collectionis inseruimus. LAMIVS.

Ann. Chr. MDXCVIII.

XXXVII.

IANUS GRUTERUS IO. MEURSIO.

NIhil accidere potuit inopinatius, quam emeruisse mera salute literas tuas, cum alioquin saepe binis ternis literis unum elicere verbum ab amicis nequeam. Et quidem igniculus, qui in epistola tua, totum me rapuit ad se, velut si naphtha essem; eo magis quod te in iuventute nostra dudum solide amaverim tuo merito. Cave enim putes quicquam floridum magis nasci posse, quam sunt tui libelli, quorum unum alterumque (nam illa in Arnobium & Catonem (a) nondum contigit videre) avidissime hausi. Ingressus es, imo vero penitus calcas viam, quam ego muniissem iam ante annos XVIII. nisi tot pene annorum vaga peregrinatio studia mea varie interrupisset. Nunc eae aetatis sum, ut vix fuerit operae pretium inchoare laborem longum, quum alterum pedem habeam in sepulcro, imo vero utrumque; ac restat tantum, ut infligatur ictus ille fatalis, ut iaceam totus & condar. Sic tamen Musas nostras nondum deserimus. In Statium habemus notas plures, quae forte prodibunt nundinis vernis. Magis tamen sumus in Politicis, quorum primum specimen erit *Araneus* (b), quem fingo cum sua tela exemplar Regis absolutissimum. Ludicrum quidem opus, sed quod digitum medium ostendat Rhetorculis nostris, qui de praeceptis artis multum loquuti, ea in opus millesima parte deducere nequeunt. Adfectae mihi dudum Subspiciones libris XXX. qui aequant mole Turnebianos; pondere suo, tippulam: sed non invenio ad tam vastum volumen Typographum. Ibi emendatur e MSS. pluribus Plautus, Ovidius, Martialis, Seneca Poeta & Philosophus, Papinius, Apuleius, Catullus, Tibullus, Propertius, Classicique fere omnes. Sed quid? mecum moriantur, oportet. Tibi tuique similibus hanc lampada trado, si modo me iam nacti meliorem. Nunc toti sumus in Inscriptionibus Scaligeri, quas Smetianis accommodamus, accessionemque luculentam addimus de nostro. Tuas responsorias expectabo saltem panegyri verna proxima per Raphelengianos; quae quo prolixiores, eo gratiores; materia deesse non potest. Contineant modo quae mugineris ipse, quae Marnixius, Scaliger, Dousa, Vulcanius; quinam e iuventute succrescant in locum & substituantur emeritorum; an alius quis praeter Scriverium, quem ex tua commendatione diligere coepi. Epistola tua, quae erat ad Freherum ipsi offendi, iussitque salute sua te honorarem, idem facturus Welsero, nam ad Monavium tuam misi. Tu mi Meursi (quidni compellem familiariter tam strenuum cultorem?) perge via, qua coepisti, & nos sive mox feriemus, sive dieculas aliquot adiiciet supremum Numen, inter eos pone, qui tibi tuaeque famae adolescenti faveant ex animo, officiaque sua omnia ultro avide polliceantur, imo obgerant.

Heidelbergae raptim, ut soleo, die VI. Feb. CIↃIↃXCVIII.

IANUS GRUTERUS.

XXXVIII.

(c) HADRIANUS VANDER-BURCHIUS IO. MEURSIO S.

TRaditae sunt mihi ante dies aliquot, vir doctiss. literae tuae, gratissimae sane & non absque hilari animo a me lectae. Cur enim non gaudeam, me ultro ad amicitiam provocari ab illo, quem ob insignem eruditionem & humanitatem iam ante in amore (quamvis de facie ignotum) habui? Et velim occasionem dari, qua illius testimonium aliquod edere possem, verbis res & opera responderent. Interim si te contingat in provinciam [patriam lege] hanc tuam excurrere, domus & mensa tam mea, quam fratris mei tibi patebunt, & experieris, quam simus tui, & tibi similium, hoc est, litteratorum, amantes. Vale, Vir doctissime, & me, ut coepisti, porro amore prosequere. Raptim XVII. Febr. MDCXVIII. Stilo antiquo.

XXXIX.

BALTHASSAR LYDIUS IO. MEURSIO S. D.

SAlve in Christo Iesu. Nae tu frustra, doctissime Meursi, aquam exspectas e pumice, dum me aliquid cudere existimas. Non faceres, si me satis novisses. Nuper tibi scripsi me nihil luce dignum scribere posse, & cur mihi non credis? Dederas, inquies, in epistola ad fratrem aliam subspicandi occasionem. Ignosce, quod erroris, quamquam nescius, tibi causa fuerim. Non credebam, fratrem ea, quae ioco scribebam, aliis pro veris communicaturum. Sed quia fefellit me opinio mea, rem omnem tibi

---

(a) In *Catonis* de R. R. libros Notae Meursianae primum editae fuere anno MDIIC. nos vero excudimus Tomo VI. huius Collectionis *pag.* 1. LAMIUS.

(b) In apographo meo, *Zach. Lundii* manu exarato, *Aramaeus*; sed vitiose profecto. Et omnino reponendum hic *Araneus*. Nempe opus erat politicum, ludicra forma, qualia *Mori Utopia*, *Campanellae Civitas Solis*, *Tabula Apum* &c. ita de eo *Gruterus* in literis ad *Bonav. Vulcanium* anno 1598 scriptis: *Morbus meus vertiginosus non patitur, ut libros attingam. Alioquin iam absolvissem Araneam meam, &c. Producam tamen animalculum istud, si vixero modo, nundinis vernis, Quod si vestrae Musae, tuae, inquam, Scaligeri, Dousae, aliorumque, horridam illam bestiam redderetis interim honestiorem, immortalem me factum putarem ..... ut autem noris, volo eam esse exemplar Principis absolutissimum, sique imitetur mores eius Rex, in bellicis, in togatis, privatim ac publice, futurum ut intret templum illud honoris & virtutis. Sophistice ibi ego multa, sed non ita tamen, quin mihi persuadeam placitura politicis viris &c.* atque haec *Gruterus* ipse. In Vita autem eius, seu Panegyrico a *Balth. Venatore* scripto: *At illi* (Sc. XXX. *Subspicionum* libri editis addendi) *quibus nunc in latebris latent? illic scilicet, ubi* ARANEA (*scriptum est Gruteri civile, nondum editum*) *araneis praetexta sordescit; ubi Commentarius in P. Syrum? Gruterus Araneae* suae mentionem facit, infr. literis d. 16. Sept. 1602. scriptis. GRAMMIUS.

(c) Ipse *Hadrianus Vander-Burchius* fuit Graphiarius Curiae Provincialis Ultraiectinae. GRAMMIUS.

Ann. Chr. MDXCVIII.

tibi detegam. Cudebam aliquid eo tempore, sed nihil criticum, nihil vestris ausibus, aut praeclara eruditione, dignum, sed Theologicas aliquot contra Robert. Bellarminum disputationes. Eas olim a nobis inchoatas decreveramus absolvere, itaque illis scribendis eram occupatus, hoc obscure in epistola ad fratrem innuebam. Vides, mi Meursi, quam frustra speraveris. Carmen tibi meum mitto, & tuo libro indignum, nisi in eo adfectum potius, quam bonitatem spectes. Gratulor profecto nobis & gratias Deo ago, quod semper aliquos excitat, [inter quos te quoque reputo] qui bonos Auctores ab interitu vindicent. Quamdiu tales erunt, nihil a barbarie nobis est periculi. De Catone bene facies, si eum posteritati non invideas. Sed quando dabis Parthenium & Variarum Lectionum libros promissos? Scriverii Decerminum libri quando prodibunt? Significa mihi, quis sit, qui in Valerii Argonautica meditatur Notas. Item de Appendice ad Tertullianum D. Iunii, cum ea iam sit absoluta. Emendatio tua illius loci Tertulliani omnino mihi placet, rogo te, ut in pluribus locis eum emendare pergas, non luseris operam. Si potes, effice, ut vetus aliquod exemplar Silii Italici MS. vel excusum nanciscar; rem gratam praestiteris, & praescripto tempore remittam. Vale, doctiss. Meursi & me amare pergas. Franekerae Anno MDXCVIII. Kal. Martii.

XXXX.

(a) IOANNES MEVRSIVS.

I. LIPSIO V. CL.

LOVANIVM

QVae humanitas tua est, Vir magne, amorque erga literas, eorumque studiosos, non aegre feres scriptionem hanc ab adolescente tui nominis amantissimo observantissimoque profectam. Amo enim veneror que iure viros magnos & ab eruditione claros; tu, spero, immo vero confido, non spernes hunc animum. Testandae itaque observantiae fructus studiorum meorum puerilium & *παιδικὰ ἀθύρματα* mitto ad te, quae si grata fuisse intellexero, pretii abunde retulisse me iudicabo. Velim autem [si inspicere modo has nugas libebit] severe corrigas, atque id etiam atque etiam a te peto. In proximas nundinas Auctarium (b) dabimus, in quo retractationes aliquot emendationum, quae post editionem relegenti displicuerunt; siquidem, ut aiebat Crates, *ἀδύνατον ἀδιάπτωτον εὑρεῖν*. Dabimus & ad Macrobium Curas secundas, forte etiam Catonem de Re Rustica. In Augustino de Civitate Dei si quid item iuvare potes,

Meursii Epist.

rogo ut facias. Vale, vir magne, & redamare me nominis tui amantissimum observantissimumque ne dedignere. Lugd. Bat. Prid. Kal. April. anno MDXCVIII.

Hoc pene imprudens praeterieram. De Germanico quid censes? Versionemne istam Arateam, & Commentarium esse unius auctoris? (c) Non credo; nec mihi videtur, & ut illam Germanico libens adsignarim, hunc tamen ut adsignem non facile inducar. Testis mihi ecce insignitus unus ille locus in Prognosticis, ubi de Luna. *Eadem Luna, eadem Diana, eadem Proserpina vocatur; id est, coelestis, terrestris, & infernalis. De qua quidam:*

Denique cum Luna est, sublustri splendet amictu,

Cum succincta iacet calamis, Latonia Virgo.

Atqui versus isti Prudentii sunt e libro primo adversus Symmachum, quomodo itaque potuit citare Germanicus aetate tanto superior? Iudica, Vir clarissime, & rescribere dignator; meruit certe id, audenter dicam, mea in te observantia, quam non aspernabere, si te novi.

XLI.

(d) DANIEL HEINSIVS IO. MEVRSIO S. D.

MEursi, beatis dulce puellulis
Decus, superbo quem PATAREVS sinu,
Regina quem montis per altas
CALLIOPE stimulat cavernas.
Civilioris dum Sapientiae
Decreta, laeto pervia lumine,
Legumque sacrarum latentes
Volvimus ingenio salebras.
Saepe innocentis carmine Virgili
Iocunda misto fallimus otia,
Saepe in recessu personantes
Ducimus AONIO choreas.
Hic in reductis dulcia vallibus
Ductor Sororum carmina dividis,
Nymphisque permixtis, canorae
Verba iterant fidibus puellae.
Hic impotenti fervidus impetu
Vatum sonorus numine concutit
Mentes DEVS velox, Deique
Aura leves agitat capillos.
Nunc & superbo carminis alite
Crebro per auras, turbinis ignei
Instar, vel undantis procellae,
Maeoniae penetrant CAMOENAE.
Et qui nitentes SICELIDVM choros,
Pastor suavi mulcet arundine,
Ferasque torpentes, ovesque,
Et teneras agitat capellas.
Et qui canoro dulcius ORPHEO
BION tenaci murmure detinet
FAVNOS recumbentes, levesque
Capripedum SATYRVM choreas.

(a) Ex Tom. II. *Petri Burmanni* pag. 35. Epist. DCCXLVIII. GRAMMIVS.

(b) Auctarium Philologicum intellige, quod est in Tomo V. nostrae Collectionis. LAMIVS.

(c) *Barthius* id credidit Tit. X. Adver. 21. & XLVII. 18. sed idem tamen subspicatur, forte *Fulgentium* esse Auctorem Commentarii. Multa enim in *Fulgentio* ad verbum eadem reperiuntur. Vide *Munckeri* Dissertat. de Hygino, qui ostendit Christianum fuisse. GRAMMIVS.

(d) NB. Non legitur in *Dan. Heinsii* Poematibus publicae luci datis. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDXCVIII.

Non sic sonoris flumina vallibus
Demissa lento dulce tremunt vado,
Somnosque languentes canoras
Murmure conciliant per herbas:
Vt invidendo BATTIADES sono
Laetis per auras vectus oloribus,
Finire quaerentem labores
PIERIAS tenet inter oras.
Vos efficaci laeta fovet sinu
Sedes MINERVAE dulcis, ubi impiger
RHENVS per HOLLANDOS remotas
Inruit adglomerans arenas.
RHENVS beatos qui iuvenum choros
Leni emicantes detinet agmine,
Vadoque delectat tenellas
NAIADVM celeri catervas.
Spretaque moesta CASTALIDVM domo,
Et inmerenti culmine PIERI,
DELOQVE materna BATAVAM
CYNTHIVS ingreditur per urbem,
Feritque celso sidera vertice
Felix patrimae progenies Deae,
Chorusque Phoebeus beata
Maeonidum spatiatur aula,
Testis mearum (a) IVLIADES potens
Sententiarum, testis es impiger
FRANCISCE (b), Romanae tonantem
Fulmina quem metuunt leaenae.
Et qui repostas POEONIAE sciens
Artis latebras, divitis ingeni
Evectus ala per latentes
HEVRNIVS evehitur tenebras.
Te per reductos numinis ardui
Tenebricosa mens agitat via,
Calleis, & obstantes Minervae
Impetus exsuperat latebras.
Beate ephebe, cui datur invias
Oraculorum nosse potentias,
Legesque supremo patentes
Ex adyto reserare ad auras.
Nos candidarum dulcia virginum
Leni sub umbra murmura PIERI,
Vmbraeque delectant, ubi alto
Lympha fugax trepidat sub antro.

Vides, Meursi doctissime, ut provocent & lacessant te ultro meae Musae. Frustra enim hactenus literas tuas desideravi: occasionem tamen hanc praetermissurum non existimo. Lydio enim nostro has ad te dedi. Tu vide Album meum, quod his adiunxi; non sine lepido aliquo epigrammate a te dimittas. Vale, Iuvenis doctissime, & Heinsium, ut soles, dilige. Franequerae stans in pede uno XXIII. Martii.

In Phaleucio, quod Arnobiano tuo praefigendum dedi, si hoc modo scripserim:

Mors invisa laboribus diesque
Qui lento omnia detinetis ungue.

rogo humaniter, mi Meursi, ut emendes,

Qui lento omnia detines sub ungue.

Conceperam enim: Mors nihil tibi iuris arbitreris: postea autem haec addidi. -- Diesque. Qui lento omnia detinetis ungue. & quod relegere vix potuerim: ex tempore enim fudi, addidisse me animadvertere non potui: Velim itaque Typographum moneas, aut ipse calamo mutes, aut mutandum des, & beneficio singulari me adfectum putato.

(a) *Scaliger*. GRAMMIVS.
(b) *Franc. Iunius* Theologus. GRAMMIVS.

XLII.

IDEM EIDEM.

CRiticum (c), mi Meursi, felicem ingenii tui foetum vidi lubens; & an Bataviae vestrae gratuler? an mihi? illi quidem, qui solem hunc exorientem nacta sit, mihi quod amicum. Vtrique certe, & seorsum tibi, ad quem omnis haec redundat gloria. Et ut gratias pro munere habeam, referre curte non possum. Tibi autem devinctum me gaudeo. Scio enim quam non importunus sis creditor. Epigramma tuum extemporale legi, adprobavi: & invito quamvis extorsem rorem hunc poeticum; dulce fuit de venae meae felicitate, quod adfers. Mitto quaeso, mi Meursi, tibi enim placuisse, maius est, quam ut temere credere queam. Scis enim, quam soleat tarda magnis rebus inesse fides. Vtcumque est, Carmen iterum a me habes, quod Lydio denegare non potui, qui serio flagitare te adfirmavit. Vale, Iuvenis doctissime. Franequerae.

XLIII.

MARTIN. LYDIVS IO. MEVRSIO S.

DOctissime Meursi, sicut avide exspectaveram editionem Critici Arnobiani tui, ita hilaris eum evulgatum vidi. Quod vero donare etiam exemplar mihi volueris, quantam hoc ipso gratiam inieris, facile ex eo scire potes, quod mihi tam fuerit, ut dixi, exspectatus, ac desideratus. Auxit gratiam libri, quod tot aliorum Patrum & Gentilium etiam Scriptorum loca in eo emendaris & explicaris. Cum magna voluptate legi locum, ubi in Seneca pro *pigros* legendum esse ostendis *Epigros*. Eodem modo placuerunt mihi, quae in Tertulliano corrigis, & innumera alia. Certe non lusisti operam, & referes gratiam a bonis maximam. Confirmabunt haec te, cum tam feliciter principia cesserint, ne ab hoc studio unquam penitus resilias. Etiam Ecclesiastici Scriptores egent magnopere Criticorum opera, ut satis iam probasti hisce in Arnobium, Augustinum, Salvianum, Lactantium, imo Hieronymum, Notis. Ego tibi, & Scriverio tuo, imo nunc meo, per abundantiam amoris & humanitatis, filio, nuper exhibitae, a Deo opto donorum suorum incrementa & firmam ad hos labores valetudinem. Adgnosco, quantum lucis inferant vestri labores monumentorum antiquitatis lectioni. O utinam persuadere principi illorum studiorum magno illi Scaligero & Lipsio possis, ut sibi sumerent explicandas antiquitates, quae in Tertulliano & Arnobio reperiuntur. Vtrumque

(c) *Criticum* scilicet *Arnobianum*. LAMIVS.

Ann. Chr. MDXCVIII.

que ea de re monui, & obsecravi, sed frustra. Tu quaeso cum D. Scriverio utere praesenti huius tanti viri commoditate. Si ego istic habitarem, essem illi certe assiduus ἐργοδιώκτης. Opus est huic Scriptori talibus Interpretibus, & Iurisconsulti eruditioris opera. Potuissent hoc egregie praestare Brissonius, Cuiacius, Fabri, & similes. Vterque filius nunc est in conferendo Catone de Re Rustica cum exemplari Parisiensi, quod tibi commodavit Scaliger. Statueram etiam exemplar MS. Augustini de Civitate Dei ad te mittere, sed filius detrectabat accipere, periculo suo motus, quod nuper mortuo quodam iuvene, cui librum quemdam commodato dedisset, pater mortui reddere illi librum recusasset. Si itaque cuperes huius exemplaris lectiones cognoscere, prodesset te ad nos mittere loca, de quibus maxime cuperes vel diversitatem, vel consensum, huius MS. Codicis nostri intelligere. Mihi videretur satis tuto ad te mitti posse, sine periculo amissionis, in quocumque casu humanae vitae infirmitatis, si tu manu tua inscriberes, librum hunc te a nobis utendum accepisse, ac nobis esse restituendum. Hoc certum est, me multa in eo sic reperisse scripta, ut tu emendasti. Scriptus est ante annos centum quadraginta quinque. Plenus est quidem monasticis illis scribendi compendiis, quae vocant abbreviaturas; sed his facile adsuescere aliquis potest; adhibito exemplari typis excuso, ex qua comparatione facile compendia illa addisci possunt. Mihi non est dubium, quin ex illo huius operis Augustini Critico magnam sis gratiam initurus, quum tot sint in eo reconditae antiquitates. Vale, doctiss. Meursi, & Scriverium ex me amanter salutato. Franekerae Cal. Apr. Anno CIƆ IƆ XCVIII.

Martinus Lydius.

XLIV.

P. Scriverius Io. Meursio S.

Literas tuas, mi Ocelle, statim a prandio accepi: alternas quidem a te exspectari video, habe, en tibi. Ego cum parentibus meis salvus sum, & valeo. Velim sane te ita quoque scribere potuisse. Sed Deo aliter visum. Ille patrem tuum ad spondam deiecit, exsolvet idem, & eriget, ut spero. Tu confide, mi Meursi. Ille, quod erit e re vestra, curabit. Imo curat: iam iam enim meliuscule paullo habere scribis. Ego laetor & porro meliora ominor. Lydius apud me hodie fuit, salutavit me tuo nomine; mirabar illum tam cito reversum. Scilicet, Lugdunum venit, ut abiret. Sic severus olim Cato in theatrum. Ille mihi adfuit horas pluscculas elapsa nobis septimana extrema. Obtulit mihi Amicorum Album & Heinsii una cum literis. Ego symbolam Lub. Mer. contuli. Heinsius revera elegantes ad me Hendecasyllabos perscripsit. Probatur mihi ingenium adolescentis; placet quoque Lydius, mitis animi est, & honestae frontis. Arnaldus Friso noster iam abiit; heri illi aderam. Exemplaria aliquot Propempticorum heic reliquit. Si nondum habes, nunc per me habebis. Carmen meum substricta aure exigere noli. A me tumultuaria opera properatum est: ut videbis, nec invidebis; tamen scio, quaedam placebunt. Hesterna die eram apud Comelinum Hieronymi fratrem. Is ostendit mihi multos MSS. quos e Gallia ante obitum Hieronymi Comelini abduxerat. Dolebam simul, & gaudebam; gaudebam ob inventos locupletissimos thesauros; dolebam, apud tales esse. Plerorum nomina (ut memini) ad Scaligerum scripsi, apud ipsum vide; & mihi, quid dicat Heros ille, transcribe. Ego hic quinque sex dies remorari debeo certas ob caussas. Veniente hebdomada de reditu cogitabo; & te desiderium omne ponere iubebo. Spica mea hic fuit; illi adfui aliquotiens. Iam Leidas suas habet; at quod speraram sponsam pactamque, an mihi sit, quaeris? bene ominaris. Ego ex animo, quod tu facis, opto. Litandum est mihi Bono Eventui. Dabo operam, ut quam citissime tabulae signentur, & Feliciter dicatur: quod, si fors, non te celabo: cui omnia aperio. In hoc omine, mi Ocelle, salveat & Eizo noster. Scripsi Amsterodami, in domo olim Austriacor. nunc Patris.

Ipsis Kal. Aprilibus Anno MDXCVIII.

XLV.

Balthasar Lydius Io. Meursio S. D.

Doctissime Meursi, mitto tibi per fratrem Augustinum de Civitate Dei MS. ut eum cum Cod. tuo veteri conferre possis. Ipse laborem collationis non recusassem, sed putavi te multo rectius ex Cod. MS. quam ex meis excerptis medicinam locis Augustini corruptis posse facere. Et certe exemplar non est pessimum: nam quae tu in Lib. III. Cap. XIII. item XVI. & Libri VII. c. 13. emendasti, hic ita inveniuntur. Tu quaeso hoc exemplar diligenter adserva, ne amittatur; aut maculetur, & fratri meo, cum eo usus fueris, reddas. Versor nunc in Critico tuo Arnobiano, semperque ab eius lectione redeo doctior, & gratulor tuo illi ingenio, quod ut Deus Ecclesiae suae & literariae Reip. diu conservet, toto pectore eum rogo. Ambigo tamen de quibusdam notis & emendationibus tuis, quod mihi bona tua pace licere non dubito.

Dissentire bonis etenim de rebus eisdem,
Incolumi licuit semper amicitia.

Scribis Cap. V. *exarsit* aliquando idem esse, quod *ardere desiit*, idque probas loco Martialis Lib. III. epigr. 66. vel potius 67. Ego ex verbis illis. *Interiungit equus meridiana*, de meridie hunc locum accipiendum

Ann. Chr. MDXCVIII.

dum esse existimo. Nec credo in toto Martiale hac significatione vocem illam reperiri. Cap. V. pro *Alamanos* legis *Alanos*, acute: sed dubito, an vere. Dicis quidem ad confirmationem tuae correctionis Alamanos demum victos Anno Christi CCCLIV. post Arnobii aetatem, & existimo habere te graves huius sententiae testes. Sed si ostendam, Alamanos ante Arnobii quoque tempora a Romanis fusos, infregero robur emendationis tuae. Sextus Aurelius Victor, de Claudio Gothico (qui obiit Anno Christi CCLXXI.) scribens, inter cetera dicit: *eum adversum aciem Alamanorum haud procul a lacu Benaco dimicasse; tantamque multitudinem fudisse, ut aegre pars dimidia superfuerit*. Potuit ergo Arnobius, qui vixit Anno Christi CCC & post, ad hanc cladem Alemanorum respexisse. Haec causa cur ampliandum de hoc loco censeam. Habes opinionem meam; tu me rectius proxima epistola de hac re instituas. Inter Numismata Claudii reperitur haec inscriptio. *Imp. C. M. Aur. Claudius P. F. Aug. Germ.* Item aliud, *Imperatori Caesari M. Aurelio, Claudio Pio, Felicissimo, Invicto ac Fortissimo & Triumphatori Augusto Germ. Max. Goth. Max Pont. Max. TR. P. II. COS. P. P. optimo Principi*. Includo huic epistolae specimen Excerptorum ex Cod. meo Catonis, quod si non displicebit, poteris mihi significare, & reliqua quoque petere, nihil tibi negabo: sed in omnibus studium & operam meam tibi obfero. Vale in Christo. Franekerae Anno MDXCVIII. Non. April. quibus Megalesia apud Romanos olim sunt celebrata.

Tuus ex animo.
BALTH. LYDIVS.

XLVI.

BALTHAZAR LYDIVS IO. MEVRSIO S.

SAlve in Christo Iesu. Doctissime Meursi, literas tuas avide exspectatas heri accepi, quae, ut omnia tua, gratissimae mihi fuerunt. Pro Augustino MS. misso gratias agis? Ego certe beneficium illud libenter tibi praestiti: debui enim hoc amicitiae nostrae, & vellem me in pluribus adiuvare posse Remp. literariam: nihil mihi foret gratius. Ad Criticum tuum Arnobianum redeo, & quia ea, in quibus a te dissentio, indicari tibi cupis, faciam id nunc in primo Arnobii libro, adscripto folio editionis Plantinianae. Tu haec boni consule, & errantem pro amicitiae iure corripe: invenies me docilem.

Pag. 12. lin. 14. expungenda putas duo illa verba, *si facto*. ego retinenda puto, ut sensus horum verborum sit. *Quod si hoc praesto*, (scilicet meledicta criminis tanti procul a nobis esse ostendam:) *si facto*, so met der daet, *& argumentis insignibus* &c.

Pag. 14. l. 8. lego, *Morsu animam serpens tollit, malefica scilicet primordia rerum, quae tam scaeva prodigia & s. a.* l. 30. *arguit* lego, *arguet*. lin. 33. *Atqui non videmus*, lego, *Atque nonne vidimus*. De Alemannis nuper scripsi, nec moveor, quod coniungantur Persis Scythisque, quid enim mirer diversas nationes, quibus eadem evenerunt, coniungi?

Pag. 15. lin. 8. *sed fuerunt aliquando quaedam in necessitatibus tempora. Et relaxata s. a.* lego s. *fuerint a. q. i. n. tempora relaxata sunt a.* lin. 31. *his quoque in regionibus verteretur*: lego, *versaretur* vel *urgeretur*.

Pag. 16. l. 25. legis *iactetur*, ego *iaculetur*.

Pag. 21. l. 7. *Nullus timor indignationis in Diis est*: lego, *in Diis est*? vel *inde iis est*? Sensus est: Quamvis scortis sacra faciant, nullus tamen metuit Deum propterea irasci? lin. 14. fortiri esse: sentiunt, lego, *sortiri sese sentiunt*.

Pag. 26. l. 2. *& conditionis cuius*, Ego interpungo, *& conditionis, cuius*.

Pag. 27. l. 11. legis, *Ideis novis cernitur*, acute, sed quid illud, *animalibus causis*? mallem ego, *ideis n. cernitur animalibus, causis* &c. vel ex vestigiis Rom. Cod. *itemque, naevis cernitur animalibus*, ut respiciat auctor ad maculas in Luna.

Pag. 28. l. 2. *nihil sentiente de trunco*, quamvis explicari sic possit, nulla parte Idoli sentiente, malim tamen, *sentiens de trunco*, id est, non cogitans esse truncum vel deleo τὸ *de*; vel *sentiente de trunco*, ut sit Apostrophe ad truncum.

Pag. 31. l. 22. *tempestates sidebant*: ego propter vocem turbines, mallem, *silebant*.

Pag. 33. l. 26. *Nulla autem virtus est medicaminibus*. Haec sententia est falsa: nam herbis inesse suas vires, quis negat? & Arnob. postea dicit, *beneficia ista* (creationis) *rerum non sunt curantium, potestates*. lego itaque *nonnulla*; vel pono interrogationem post *noceant*.

Pag. 37. l. 2. *delicti in Christo derideatis*: licet ex more &c. Ego ex vestigiis MS. qui habet, *delituti*, transpositis duabus literis, lego, *delituit*, & sano levi mutatione hunc locum, legens: *nihil fraudis delituit, in Christo: derideatis licet ex more &c.* in. 38. *hunc non est turpe*, leg. *Huic n. e. t.*

Pag. 38. l. 7. *& munera Diis hominibusque portabant*. An Apostoli adgnoverunt Deos? absit. lego, *& munerandis hominibus, quae portabant* sc. Apostoli. Sensus est: gentes videntes beneficia Dei, & munera, quae hominibus per Apostolos conferebantur, veritatis ipsius vi victae, dederunt se Deo. lin. 16. *apprehendere locum forte possetis*. leg. *a. hoc tum f. p.*

Pag. 41. l. 2. *vitiorum criminamini, stribiligines*, & v. 1. leg. *criminamini stribiligine*.

Pag. 42. l. 19. *similitudine proxime constitutam*, lego, *similitudine proxima constit.* l. 29. *pati succubuisset*. leg. *substinuisset*.

Pag. 21. l. 7. pro *baccalis*, legis *baculis*; ita emendaverat ante Gelenius.

Pag. 27. l. 32. deles τὸ *ex*: idem fecit Gelenius.

Pag.

Ann. Chr. MDXCVIII.

Pag. 37. l. 33. legis, *coeli convexionibus*, hoc ante observaverat Gifanius.

Fol. 29. tui Critici dicis veteres in tertia declinatione extulisse, quae usitata nunc sunt in secunda. Inter alia enumeras τὸ *heres*: illud vero pro *heri* poni, nescio, an probari possit. *Herem* pro *herede* dici notat Festus, sed pro *here* nondum reperi; tu me doce.

Pag. 104. Crit. Arnob. corrigis, *Marculus* deminutivum *a Marco*. Ego puto emendandum: *Martulus* deminutivum *a Marte*. Nam *Marculus*, teste Achille Statio, lingua Latina in praeceps eunte, corrupta vox est ex *Martulo*. Testis quoque est antiquissimus Grammaticus Caper extremo De Orthographia libro. *Martulus*, inquit, *a Marte*, non *marculus*. His accedit, quod in aliis quoque linguis, idem illud instrumentum dicatur *Martello* Italice, *Martillo* Hispanice, *Marteau* Gallice.

Plura hoc tempore non succurrunt. Tu de his iudica proxima epistola: (Deo volente) plura adnotabo. Interea vale, & saluta ex me D. Scriverium, qui hac vice non expendit nomen suum. Catonem cave in nonum annum premas. Salutat te & Scriverium parens meus, qui fortasse hoc anno ad vos excurret. Franekerae Anno MDXCVIII. III. Non. Maias.

XLVII.

I. LIPSIVS I. MEVRSIO S. D.

IN ipsa invaletudine mea (quae insolenter me adfligebat) tua inspexi, mi Meursi, quid nisi optimi ingenii, & rariores industriae item Notae? Ego vero utroque pollice faveo, & ut certam studiorum viam, procul ab hodierna ambitione, aut aemulatione pergas, hortor. Hoc serio facio, plura etiam nunc imbecillitas vetat, quae, etsi morte imminente (a), manet. Vale, mi Meursi, & magno Scaligero (felicem te illo ductore!) salutem dicito. Lovanii. Postrid. Non. Maii MDXCVIII.

XLVIII.

PET. SCRIVERIVS IO. MEVRSIO ET EIRZONI FIARDE BENE AGERE.

SAlvete amica corcula; quae si valetis ego valeo. Vnis vos compellare me literis ne miramini: feci id dedita opera, quia vos unice amo, & pene unos in oculis animoque fero. Die ab hoc tertio, cui a Luna nomen est, a vobis discessi, seu potius fugi; tam de subito enim abii, insalutatis vobis, imo invisis, non mea id culpa, sed vestra; quippe die dominico, postquam literas acceperam, queis domum vocabar, vos quaesivi satis sedulo & anxie valedicendi & salutandi; neutrum inveni; quod vix aegre tuli. Quo in loco eratis, Amici? non opinor Veneri seu Baccho fecistis: absit, absit istud a vobis. De literis ambulando sermonem potius vos conseruisse credo, imo mihi persuadeo. Vtinam adfuissem; o utinam & nunc adessem vobis! nec causa esset, cur domi necessario esse debeam; Quaeritis? optimus meus parens male habet e casu illo Harlemaeo, quem latere vos non arbitror; lumbagine impeditus quasi claudus sutor domi adsidere per totos dies cogitur, & ego illi. Iam Deo Vnitrino gratia, meliuscule habet, & pedibus uti incipit, viamque vorare postliminis discit. Brevi, tu Deus adnue, restituetur in integrum. Die Lunae (horresco referens) pessime profecto habuit. Stabat in vicinia mortis, ille, qui dissolvi cupiebat, & esse cum Christo; & iam fere conclamatum erat; Ilicet: adstante fratrum amicorumque tristissima corona. Quid me tunc mentis habuisse putatis? Epicedia cum animo (si modo animus supererat) cogitabam, nunc Soteria. Tibi, o Sospitator Deus, laus & gloria in aeternum. Valete, amicissimi & dignissimi amore in Christo fratres mei, valete, Scriveriumque vestrum amore solito prosequimini, eumdemque [suaviter divino Numine adspirante] ad diem Veneris exspectate. Si quid sequius ingruerit, perscribam. Vos pariate, ut verbo Iurisconsultorum utar apud Iuris studiosos. Sed heus! De Irene quid nostri illic muginantur: hic Mercurialium potior pars certo adserit, de pace inter Gallos & Hispanos facta. Angli & Belgae durioris sunt cervicis, istud Iberorum ferre iugum indociles. Quo evadat, viderit iste, qui omnia videt; cum ego quidem votum suspendo, ut a nobis omne, quod scaevum & saevum est, averruncet. Is unicus noster ἀποτροπαῖος atque Averruncus est. Illi nos nostraque dedamus. Qui hactenus nos tuitus est, tuetur porro, hoc spero. In quo omine vos iterum salvere, & longum valere iubeo. Tu, Meursi, in exefficienda Academia labora, & AEternitati quoque versibus lita:

> Quo Batavum merita celebratur laude Lyceum,
> Musicum ad exodium PERFICA ducat opus.

Raptim scripsi Amsterdami XXVII. Maii Anno Dom. CIƆIƆIIC.

IL.

IAC. BRVNO IO. MEVRSIO S. P.

LIteras tuas, mi Meursi, cum Critico Arnobiano accepi, quo munere, ingenue fateor, spem nostram praevenisti. Quod continuo non rescripserim, in causa fuit lectio scripti tui. Vt enim iudicare possem (quod volebas) cognoscendus tuus erat in hoc Auctore labor. Paucis dico; & tu Arnobio, & tibi Arnobius, lucem dabunt. Sed ut tu cognoscas me vere amicum, addam, quae inter legendum a me observata nonnul-

(a) Sic, sed rectius *morbo minuente* legitur in edita a *Burmanno*, in *Sylloge* Gudianarum pag. 197. Epist. CXIV.

Ann. Chr. MDXCVIII.

nulla. Sunt, quae probare non possum; sunt, quae addi potuisse arbitror. Subinde ex Adnotationibus meis locum interseꝛo. Equidem fieri potest, ut re nondum satis perpensa, iniuste emendationes tuas censeam. Praeiudicare tibi nolo quidem, sed confido omnino, nonnulla esse, in quibus si ipse attenderis, haud facile tibi satisfeceris, & nobis accesseris. Liberius tecum ago forsan, sed nisi serio amicus, tuique studiosus, essem, ea solum dicerem, quae aures mulcent. Ego te talem existimo, qui ea, quae emendanda tibi vides, non illibentius audias, quam quae ad laudem faciunt. De Augustino quod spem facis, & illi, & nobis, gratulor. Sed opus iudicio summo in hoc Auctore; nec dubito, quin habitura tua sint genium, sed si δευτέραι aut τρίται φροντίδες accesserint: festinam emissionem non probo. Si pergas in eo opere, quod volo, dabitur aliquando scribendi mutua occasio, & de nonnullis conferendi, nam ut Theologum illum lego, non tamen cum ea, qua tu debebis, cura. De facultate nostra a te deserta quid dicam, gratulerne tibi *Iuris* studium? amicitia quidem postulat; sed Iurisprudentiae magis de te gratulor, vellem omnino in nostris castris mereri potuisses. Sed suam cuique sortem prospicit & ordinat Deus: quem oro, det tibi mihique, quae ad nominis sui Ecclesiaeque amplitudinem pertinebunt. Amsteld. XXVII. Maii MDXCVIII. πτεροῦντι calamo.

L.

ELEGIA P. SCRIVERII AD IO. MEVRSIVM.

QVid mea tantopere, Meursi, Decermina poscis,
Et si quid peperit nox vigilata mihi?
Desine: non sunt digna satis Decermina luce,
Nec mea suut voto carmina digna tuo.
Adspicient lucem, fors sit, venientibus annis,
Cum meliora tibi lima iterata dabit.
Nunc horrent certe dumosis aspera spinis:
Pumice digna tuo, pumice digna meo.
Non vacat inpraesens; non cordi est Cynthius, aut quae
E priscis delet spongia menda libris.
Ipsa Astraea, mihi quae mitia praebuit olim
Pocula, & ambrosio nectare plena, iacet.
Tango quidem libros, sed non velut ante solebam:
Sic levis Oceanas tippula transit aquas.
Sevocor a doctis, Meursi dulcissime, Musis,
Quae mihi mellineae & deliciae esse solent.
Deditus his totis vixi pubentibus annis,
Dum mihi praetendit lampada Pulcer homo. (a)
Quo duce me memini suaves furere ante furoreis
Et petere Aonias in mea vota Deas.
Nunc mihi non fas est: Pimplaeum adscendere montem,
Flexanimumque aliis pangere, ut ante, melos.
Quippe habitant aliae mea iam praecordia curae;
Iam mea diducunt pectora dividiae.
Mi puer aureolis sulcans coeli aequora pennis
Percussit certo mentem animi iaculo.
Multimodisque Venus tentat me perdere flammis;
Pro dolor! en iam me quaero, nec invenio.
Perdidit: haud tentat magis. Ah! Hera desine, clausis
Abscondat pharetris pusio tela tuus.
Tuque puerque tuus sat me vexastis; Amores
Quod sit amare mare me docuere satis.
Scilicet ante obitum debebam has discere curas?
Debebam Cypriis indere colla iugis?
O utinam e vita teneris licuisset in annis
Pergere ad unigeni caerula templa Dei!
Non me, parve puer, terebrares alite ferro,
Inlecebris caperer nec, Cytherea, tuis.
Visum aliter Fatis. Heu! nunc me me una puella,
Ante novem Musae, sub sua iura trahit.
Inlacrumo, hos merui tamdem sperare dolores?
Ergone mille cruces una puella dabit?
Vna puella dabit luctus, suspiria? verum
Vna puella mihi gaudia mille dabit.
Mille lubens patior luctus, suspiria mille,
Dum potior, quae mi gaudia sola dabit.

Scripsi tumultuarie P. SCRIVERIVS.

a. d. XIX. Iunii A. CIↃIↃXCIIX.

LI.

THEOD. CANTERVS IO. MEVRSIO S.

MAgnopere gavisus fui, doctiss. Meursi, visis lectisque literis tuis, quibus significas, te post diuturnum morbum tandem sanitati restitutum: & pro eo tibi a Deo Opt. Max. praestito beneficio, maximas eidem, ut debemus, gratias agimus: & idcirco etiam nihil prius & antiquius habui, quam tuis respondere, & una commonefacere, ut in posterum rationem valetudinis habeas. Gratum etiam fuit ex literis tuis intelligere, te totum nunc esse in perpoliendo Plauto, & propemodum perfecisse. Sed vide, ne diutius, quam par sit, ad hos scopulos Sirenios haereas, ac quasi consenescas. Rectius meo iudicio feceris, si intermissis his studiis, te iuris studio ad aliquot annos totum consecraveris, nec te, si monitis meis obtemperaveris, facti poenitebit. Illo enim studio absoluto, semper tibi reditus ad haec humaniora, cum voles, patebit. Scriverio meo nomine salutem dicas,

(a) Intelligit Praeceptorem quondam suum, *Cornel. Schonaeum*, Rectorem Scholae Harlemensis. *Schon* vel *Schoon* enim Germanica lingua *Pulcrum* significat. Facit & huius Praeceptoris sui mentionem in quadam superiorum epistolarum. Et in Vita *Scriverii*, in *Athenis Batavis*, ipse *Cornelius* vocatur *non infimi spiritus Poeta*. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDXCVIII.

cas, velim, & una nuncies, me ei omnia prospera & fausta vovere. His vale & nos amare perge. Raptim Vltraiecti XXIII. Iunii.

Tuus toto pectore

THEOD. CANTERVS.

LII.

(a) IOANNES MEVRSIVS V. C. I. LIPSIO S. D.

LOVANIVM.

LIteras tuas hodie accepi, vir maxime. Ego vero etsi vehementer te antea cum veneratione quadam mentis tacita amaverim, nunc tamen multo magis idipsum facio, quum dignum me habueris, cui responderes. Et animum profecto addidisti, quem detrahunt nimis, qui ea sectanda clamitant, quae ad farinas; & ab elegantioribus his literarum studiis omnibus modis absterrent, certe conantur. Vis credas quam tardarit heac res impetum ingenioli mei, qui tamen reglicit paullulum, & viros resumit refocillatus tuo sole. Vtinam, utinam, per tempora haec turbida, & patriae statum, complecti te liceret, & loquentis ab ore pendere, adrectisque auribus Musicum illud nectar haurire. Plane existimarem me quovis Crasso beatiorem. Vale, literarum columen, & me, quod facis, amare perge. Dom. Scaliger vicissim te salutat, quem scito strenuum laudum tuarum praeconem. Lugd. Batav. Matralibus CIƆIƆXCVIII. De serto S. Theologiae studio, iuri me adpli cui: magis hoc adridet, & Genio meo longe convenientius. Nec tamen ideo committam, spero, quin aeternitatem cogitans Deum meum, & pietatem, constanter colam. Hoc volebam nescius ne esses. Iterum vale.

LIII.

IA. BRVNO IO. MEVRSIO S. P.

LAudo humanitatem tuam, mi Meursi, qua me ultro provocas. Silentii, quas subspicaris, caussas, nae istae vanae sunt. An talia in nostrum pectus cadere arbitraris? Certe ego te nostra aequo animo accepisse arbitror, quo & ego iudicium de censuris meis tuum. Nolo in posterum ab alterutro nostrum de alterutro talis concipiatur subspicio Res enim omnino aliena a candidis Musarum alumnis. Ego frequentior apud te sum animo, quam tutemet putes. Impediunt scriptionem nunc haec, nunc illa, certe saepe talia, quibus defungi mallem. Scribendi tamen intentio aufertur nunquam, imo quia candorem tuum novi, negotiis meis etiam tempora tibi subfurabor, quocum lubentissime loquor. Quaeris iudicium de loco illo Arnobii nuper a te castigato. Acuta, mi Meursi, coniectura, & te digna. Cognosco ex ungue Leonem. Prope est, ut illam censeam Auctoris scriptionem. Prope, dico: nescio enim quomodo nondum omnino. Romanus Codex (ut bene dicis) ita habet: *Munerandis animis hominibusque p.* Quid si *munera Dis hominibusque port.* At quid hic *Dis*, quid *animis*? Non omnino planum. Certe pag. 42. lin. 31. Vide & explica mihi, quos adpelles *Deos mundi*, *Animis* autem salutem adlatam, sive munera, toto libro secundo agit, & quidem de iis, a corpore secretis. Tua tamen obvia magis sententia. Quod autem stabilis illam, *anxiis animi hominibus ob conscientiam peccatorum munera portabunt*, nescio, an probem. Nulla enim anxietas hominibus (b) ante Christi, & Praeconum adventum, qui ne morbum quidem seu miseriam adgnoscebant. Filius enim, qui est in sinu Patris, id revelavit. Nec tamen improbo, quod a te prodit; Academicorum potius more ἀμφισβητέω. Immo magis tua probo. Dum autem Arnobium inspicio p. 23. lin. 6. transpositionem vocum subspicatus sum in his. *Nulla determinat circumſ. qualitatis, expers quantitatis*. Physicus nec Logicus meo iudicio ita dici tulerint. Circumscriptio de qualitate non dicitur. Homines circumscriptive in loco Physici esse dicimus, qui locus (ut optime nosti) in praedicamento quantitatis est. Itaque ex κυκλοπαιδείᾳ legendum puto, Circumſ. quantitatis. expers qualitatis. Ex Augustino, si petis, ut petis quaedam, haec paucula & levia pro hoc tempore habeto, tuo submissa iudicio. Ex II. prioribus libris.

Lib. I. Cap. I. *populi sui*, malui, *populo suo* ibid. *non moverent*, lego *commoverent*. Ibid. *feriendi* leg. *saeviendi*.

Cap. 3. *ut ediscerent*. leg. *ut ea dicerent*. Ibid. *Apud hunc ergo veris sunt nempe*. haec 2. posteriora glossema mihi olent.

Cap. 9. sub initium, vel *rasa*. puto librarii mendum, & leg. *rara*. Ibid. sub finem, *vitae huius necessitate coniungitur*. l. *coniunctus*.

Cap. 10. sub finem: *nec facultates* l. *non facultates*.

Cap. 11. sub finem: *in purpura & bysso horrenda illa gen. mortium*. Distinguo. *In purpura & bysso, horrenda* &c.

Cap. 18. *ut quid pro illa*, lego, *ad quid pro* &c.

Cap. 28. *Nolite mirari hoc vos amisisse, Vnde*. Distinguo. *nol. m. h. v. amisisse, unde* &c. Ibid. sub finem locus videtur confusior, Lego & distinguo: *Cum n. cog. quo, conſ. d. ſ. & fide inconcussa, non de i. sentiunt. q. i. i. ſ. c. i. i. d. u. m. potuerit quantumque illi c. pl. dubit. n. possunt, sed vident esse conſ.* &c.

Lib. II. Cap. 5. *monendo & adiuvando faceret*, videtur deesse tale aut simile.

Cap. 6. *Et fere fugalia, sed pudoris & honest.* glossema videri possunt.

Cap. 14. in initio: *ignominiosorum deorum*, lego *ludorum*.

(a) Ex Tom. II. Petri Burmanni c. 36 Epist. DCCXLIX. GRAMMIVS. (b) Παράδοξον, & deridiculum. LAMIVS.

Ann. Chr. MDXCVIII.

Cap. 15. initio: *ne inanimis malis*. vellem, *Exemplis malis*. certe antea cap. 14. dixit Poetas deorum facta pessima imitanda proponere.

Cap. 18. *Stante Carthagine metum pacis infide*. lego, *pacis infidae*, nec ambigo fere; nam Carthagine stante infida semper pax. Paulo post: distinguo: *Dissensiones domi facere, & inde a principio*.

Cap. 19. in medio: *scaeniisque & turpibus*, lego, *obscenisque* aut *scenisque*, aut *scaevisque*, malo medium.

Cap. 26. *sacra eius quam venerabantur*, lego, *quam*, ut sit pronomen.

Cap. 27. initio. *Tertullius*, leg. *Mar. Tullius*.

Alias alia volente Deo, & si tibi non ingrata. Rogo autem, si placet, ut subinde torporem meum excites, perpendendo quaedam ex hoc Auctore, aut alio; ita mihi exercendi dabitur occasio in his tibi diiudicandi. Catonem tuum si habere potes, exspecto. Semper mihi ille placuit, at nunc magis, quia a te prodit. Velim scire, quid Grotii Capella tam alte dormiat, nisi forte ego, qui nihil de illo, etsi edito, inaudiverim. Vale, mi Meursi, & me redama. Dat. X. Sept. CIƆIƆXCVIII.

Literae hae, mi Meursi, postridie qua tuas acceperam, iam scriptae erant. Quod non antea habueris, in causa est, quod me fefellit, qui delaturum se has ad te receperat. Dat. XVII. Sept. CIƆIƆXCVIII.

LIV.

PETRVS AB. IVERENDEE IO. MEVRSIO S.

AVgusto augurio, felicique edite penna,
Meursi, cui nulla cor face torret Amor;
Cui tantum curae & cordi Latiaris Apollo,
Quem fovet Actaeo flumine Graeca Sais.
At vero infelix ego, qui sub cordis abysso
Idalia fixum cuspide vulnus alo.
Ergone spinosas in pectore Cypria curas,
Tristitiae Nato semina dante, feret?
Ergone torquebit iuvenes Deus aliger annos?
Quorum utinam Parcae rumpere fila velint!
Ergone corde meo regnabit Panthia, sola
Panthia mi fletus, Panthia risus, erit?
Nunc mihi sunt lacrimae, nunc sunt mihi gaudia praesto;
Non fero; iam voveo me, Libitina, tibi.
Vivere cur optem? satius semel esset abire,
Quam leti totiens ire redire viam.
Quippe suos in me quotiens convertit ocellos
Lux mea, me totiens sentio, Iane, mori:
Quid? fugientem animum quando inter basia fundo?
Tunc clamas, summo me, puto, iure mori.
Inde suos a me quotiens divertit ocellos
Lux mea, me totiens sentio, Iane, mori.
Et dum delitias, & dum mea basia, spernit,
Tunc clamans, summo me, puto, iure mori.
Sic seu dura meos Domina aversatur amores,
Seu facili ridet lumine, morte premor.
Felicem! Paphio cui non iecur icitur arcu;
At natum infausto sidere, quisquis amas!

IV. Non. Octobris Iulianas A. CIƆIƆXCVIII.

LV.

BALTHAZAR LYDIVS IO. MEVRSIO S. P. D.

SAlve in Christo Iesu. Si ex raritate aut frequentia literarum, quoque de animo iudicas meo, profecto multum erras. Sum tuus, & quam diu voles (cur autem de te dubitem?) tuus semper ero. Ita mereris tu; ita praeclara eruditio tua. Neque quisquam est, qui studia, ut non simul & te amet, & cupiat tibi proximus esse. Occupationes, mi Meursi, variae, quibus quotidie adhaerescunt novae, tot me nexibus, totque catenis implicatum tenent, ut scribere amicis (quod non nisi sereno animo facere soleo) minime possim. Haec propterea scribo, ut me excusatum habeas. De me enim coniecturam capio, quam sit amor iniquus interdum, impotens saepe, *μικραίτιος* semper. Catonem tuum vidi. Quaeris quid sentiam? idem quod de aliis scriptis tuis; eum videlicet mihi pro thesauris esse, quod abditum quid quaero; plurima enim in eo, quae doctissimos quoque adficiant. Et mihi, ut aliae quoque bonae res, ita libri tui, meliores, & iucundiores, quo maiores. Patientem te nominem, vel potius durum ac pene crudelem, qui reliquos libros tuos tam insignes tamdiu teneas (a)? Num in nonum usque prementur annum? Videndum tibi, ne cunctatio ista inertiae aut desidiae, vel etiam timiditatis, nomen accipiat. Arnobii emendationes noli a me flagitare, cuius infantiam in istis studiis es expertus. Requirunt illa alium hominem, & maius ingenium, quale mihi deesse, tibi vero aliisque collatum esse, ingenue & libere profiteor. Et tibi aliisque hoc bonum non invideo, quo ipse careo: sed contra sensum voluptatemque percipio, si ea, quae mihi denegantur, amicis video superesse. D. Scriverii tam pertinax silentium miror, & metuo, ne quid ei adversi acciderit: hunc ex me & parente meo, si apud vos est, officiosissime salutabis. Ipsis Kal. Nov. Anno MDXCVIII.

LVI.

PETRVS LEVVIVS IO. MEVRSIO S. D. (b)

IAm bis terve literis tuis provocatus, carissime Meursi, inhumanus certe, si non respondeam, praesertim cum iis tam abunde

(a) Verba ex *Plinio* lib. 2. epist. 10. ad Octav. desumta. GRAMMIVS.

(b) *Petrus Leuvven* vel *Leevvius* fuit in Curia Vltraiectina Consiliarius, & supremus capitalium rerum Quaestor. Huic & fratri eius *Theodoro Leevvio* Canonico S Salvatoris Vltraiecti, dedicavit Meursius *Exercitationum Criticarum* partem alteram, ibique profitetur, haud reperisse quibus magis esset obnoxius; magna enim ipsorum esse in parentes suos & se ipsum beneficia, nec ab his (*Leevviis*) dumtaxat, verum etiam parentibus olim eorum exstitisse &c. GRAMMIVS.

de animum tuum erga me amoris & benevolentiae plenum testatus sis. Tribues autem hoc meum diuturnum silentium occupationibus meis, tum publicis, tum domesticis. Interusurium autem huius temporis longiore hac epistola compensabo. Sed unde mihi huius epistolae initium sumam? tot enim ingenii tui foeturae ac lucubrationes ad me pervenerunt, quorum nomine tibi congratulari de felici studiorum tuorum successu iamdudum gestiit animus. A Commentario in Lycophronis Cassandram incipiam; legi ac relegi ipsum Poema, a *Iosepho Scaligero* Latio donatum [in Graecis enim me non summopere versatum ingenue fateor] adgnovi titulum verum, Poema nempe obscurum. Legi, inquam, sed nondum intellexi. Inter legendum autem ego saepissime mecum: Quid prodest tam difficiles habere nugas? & quorsum haec tam putida tendunt? nam in rebus ipsis aut verbis nullus lepor, nullave suavitas lectionis, imo nec utilitas; nam res, quae illo libro tractari videntur, cognitae, nec doctiorem, nec meliorem, hominem efficient. Cognoscenda autem brevitas vitae nostrae, cuius celeritas antea mihi non adparebat, nunc autem incredibilis videtur. Quare hoc tantillum temporis rebus superfluis cognoscendis non impendendum existimo, nec rebus nihili, sed maximi momenti, potius immorandum, quarum cognitio hominem inlustrem & conspicuum, & ad munia Reip. obeunda capacem & idoneum reddat. Verba autem a *Scaligero* prolata, a matre Evandri petita videntur. Verbum inauditum & insolens Caesar fugiendum olim praecepit tanquam scopulum; nunc autem exsistunt quidam homines, qui ea scribere malunt, quae mirentur alii potius, quam quae intelligant. At cur non potius tacent, & manum a scribendo abstinent? iam quod optant, consequuti essent. Ego autem in ea sum sententia, ut quicquid prima vel secunda lectione animus non capit, manus statim reiiciat. Legendis autem tuis Adnotationibus in Lycophronem summopere sum delectatus, imo & adiutus in studiis meis: quemadmodum & Spicilegio tuo. Quam multa enim illinc ad Iurisprudentiam nostram ornandam peti possunt? ut de more ablegandi filios, auriculas praesecandi fontibus, apes fumo terrendi, lapidibus fontes obruendi, corpora occisorum mutilandi; item de homicidarum exsilio; quemadmodum insuper nothi sive spurii potentiorum, non item privatorum, pari cum legitimis in honore habeantur: & multa similia; quae ut ad hanc Spartam, quam nactus exornandam, pertinentia lubens amplector; cetera obiter & levi brachio transeo. Utcunque sit, ingenio te acri, & singula pene ruminante, esse video, & quam non poenitendos in re literaria fructus feceris, ipsi libri tui aperte, me etiam tacente, testantur. Antiquitatis te studiosissimum esse, dubio procul ostendunt; sed aliquando ea nimis longe petita. Et ut exemplum praebeam: scribis in *Spicilegio* tuo, morem veteribus fuisse, auriculis adprehensis osculari quemque. Si ex Graecis Auctoribus habes, concedo: e Latinis non habebis, & male meo iudicio ad confirmationem citas locum *Tibulli*. lib. II. eleg. 5. (quamquam te dicere oportebat, eleg. 6.)

> *Et foetus matrona dabit, gnatusque parenti*
> *Oscula comprensis* manibus *eripiet:*

Forte naribus aut auribus. Quid hic quaeso notatu dignum, quod non quotidie in infantibus nostris videamus? annon hi adhuc balbutientes, & in sinu parentum ludentes cum parentibus, aures vel nasum eorum contrectantes & adripientes osculantur eos? Et quaedam exemplaria habent (*compressis*) & meo iudicio non etiam male. Quod autem iste locus de infantibus intelligendus sit, colligitur aperte ex versu subsequenti:

> *Nec taedebit quum parvo advigilare nepoti,*
> *Balbaque cum puero dicere verba senem.*

Miror igitur, quid tibi in mentem venerit, ut hunc communem infantulorum morem a Poeta expressum ad alios generaliter extendas & adplices. Sed ut in posterum etiam mihi ad te scribendi occasio praebeatur, ulterius iudicium meum differam in aliud tempus. Quod autem postremis tuis literis scribis, te animi tui gratitudinem testari velle munusculo publico, dedicatione nimirum Animadversionum tuarum mihi & fratri meo facienda, primum nescio quo nostro merito; sunt enim valde exigua & tenuia nostra erga te merita & beneficia, quamquam animus satis magnus. Deinde metuo, ne pares simus lucubrationibus tuis adserendis & vindicandis a morsu & latratu quorundam malevolorum & obtrectatorum, ut invidiae magis, quam candoris, plena est haec aetas nostra, quum nihil hodie in publicum prodeat, quod non statim canino dente mordeatur a quibusdam, qui etsi meliora adferre non possint, non desinunt tamen carpere ea, quae a doctis & rei literariae graviter invigilantibus scribantur. Interim si nos dignos existimas, non recusamus, sed gratias habemus maximas. Quod autem te insuper iuris studium calide tractare intelligam, gaudeo: crede mihi, honos alit artes; accendimur enim ad studia gloria: at non alia commodior ratio, qua ad opes & honores pervenitur. Quamquam autem praecipuus studiorum scopus esse debeat, ut patriae, parentibus, amicis & proximo prodesse possimus; *ortus enim nostri*, ut inquit ille, *partem parentes, partem amici, partem patria, vendicant*; nisi tamen & adsit & sequatur, unde splendeat culina, frigebunt studia. Tu modo alacri animo & indefesso studio, ut coepisti, pergito, ut spes te legitima foveat, posse etiam rempubl. in partibus eius tibi credendis in posterum a te gubernari. De studio autem tuo recte

Ann. Chr. MDXCVIII.

recte constituendo illud solum nunc admonebo (alias autem laxius) ut omissis sinuosis Interpretum commentariis, & altercationibus, textibus ipsis invigiles: Crede mihi, non ita difficile futurum ius hoc ita facienti. Est enim in natura ipsa & naturali ratione maxima ex parte positum, de qua re aliquando Declamatiunculam habui. Sed video me fines epistolae egredi; itaque finem facio. Vale igitur, mi Meursi, & amicitiam, quae mihi cum parentibus tuis a multis annis intercessit, sartam tectamque conservare studeamus; imo si fieri potest, augeamus. *Sal quippe vitae nostra amicitia*, ut ille ait. Quid enim vita nostra, amicitia sublata? Solem e mundo tollit, qui eam aufert. Vltraiecti IV. Cal. Dec. A. MDXCVIII.

PETRUS A LEUWEN.

LVII.

ANDR. SCHOTTUS IO. MEURSIO S.

ACcepi libenter Lycophronis Commentarium tuum, Meursi optime, & vero luce indigebat is Scriptor σκοτεινὸς, qui & Delio natatore indigeret. Gul. Canteri, & magni Scaligeri videram quaedam, post Isaacum Tzetzem; e cuius Chiliadibus (, ut id obiter addam) optavi saepenumero aliquem studiose optima similiaque colligere Latine tantum, & si fieri possit, in classes redigere, Poetica, Historica, &c. esset inter Onomastici Poetici, & prorsa oratione elegantiore, in Philosophorum, Poetarumque commodum. Sed hoc optare est: esset tamen palaestra adolescentis, qui iam emergeret. Frontinum gratum accidisse, est quod gaudeam; nam apud me periisset, ut alia pleraque pridem a me in diuturna ἀποδημίᾳ collecta, ut Sibyllae folia, ventus dissipabat. Malo itaque posteritati ea condonare qualiacumque sunt. Sic in Iberia collegi, ac Romae (ubi obiit) Achillis Statii Lusitani ἄπαντα, in Catullum, Tibullum, Horatii Poeticam, in Ciceronis quaedam, Commentaria; Orationes ac Poemata. Sed quod Typographum non habeam, qui coniungere velit, iacent latentque. Mitto nunc, ut postulas, Corn. Nepotem, qui vulgo Aemilius Probus est, duplici exemplo Vltraiecti olim edito a Cornelio Consule Vltraiecti, egregio viro, quem in Senecam nominat H. Iunius in Ludo Claudii. Addita sunt a me luce non indigna, nisi me ipse amo: sed non meo nomine nunc edenda, nam alio mentes, alio dimisimus aures: sed eruditorum hominum titulo, tuaque accessione: habes, qui symbolam fortasse conferre non detrectabunt, Scaligerum, summum virum, Theod. Canterum, Bonaventuram, alios innumeros. Ad vos enim trans mare Musae se receperunt. Libros mihi sartos tectos serves velim, ut quem a Cornelio Valerio dono habeo, & alios. De Frontino illud pene me fugerat. De limitibus agrorum vetustissimum exemplar adservari audio penes Nansium Middelburgensium Medicum, qui fratri meo istic Valerio notus carusque est. Is si tibi utendum dabit, operae pretium feceris, si omnia Frontini uno fasce colligabis; quod in omnibus Scriptoribus fieri a Typographis doctisque hominibus optandum esset, publiceque utile; quod in recentioribus a Germanicis Typographis factitari video. Si pax aliqua publica fiet, pluribus agere licebit, ut spero & opto; nam & ad M. Tullium Ciceronem Notis inlustrandum te, Meursi, vocarem, invitaremque ad eius adsiduam lectionem, missis rancidis vocum adfectatoribus. Sed manum de tabula tollo, ne patientia abutar tua: qui amicam παραίνεσιν, de modestia in scriptis humaniter acceperis, ut φιλανθρωπίας studiosum decet. Vale, Antuerpia X. Decemb. MDXCVIII. A. S. A.

LVIII.

BALTHAZAR LYDIUS IO. MEURSIO S. P. D.

SAlve in Christo Iesu, Doctissime Meursi, quod quo maior es, eo te submissius geris, recte facis. Ego quum minus, quam debui te laudarim, iudicor in amicitiam peccasse & te nimium laudasse. Praedico modestiam tuam, & eo maior eris, quo minor tibi videbere. Peccavi? quid deceat, non videt ullus amans, quamquam ego culpam nullam hic adgnoscam, neque moror in hac re censoriam virgulam tuam. In Typographo nostro, secundae curae (liceat nunc per te illam sententiam huc accommodare) sunt sapientiores. Cupit is tua excudere, tantum metuit, ne tibi mora sex aut octo mensium sit molesta. Habet sub praelo Commentarium & Paraphrasin Lubini in Iuvenalem, Iamblichum de Secta Pythagorae, Historiam Frisiae Vbbonis Emmii, Varronem de Lingua Latina nostri Popmae, & alia, quae longum foret enumerare. Sed quia is brevi ad vos veniet, poteris cum eo coram agere. Si Parthenium abiicis, nae tu vilipendis foetus tuos, quos vix natos subfoca. Nugas tua in eum vocas Commentaria? doctas profecto, & quae multorum seriis scriptis possent praeferri. Non debes nos tuorum laborum fructu, & te ea, quam meruisti, laude privare. Quod noster Typographus non potest, volent & poterunt alii. Invenies alium, si te hic fastidit Alexis. Macrobium tuum nondum vidi; si tamen vera praesagit mihi mens mea, brevi continget eum legere. Excerpta illa in Macrobium ubi accepero, tecum communicabo. De Arnobio auctor tibi sum, ut eum primo quoque tempore cures excudi; fiet id cum magna accessione laudis tuae & cum ingenti legentium fructu. Dignus est Auctor, qui ab omnibus legatur, sed nisi explicatus, & emendatus, a paucis intelligetur. Scripsi carmen extemporaneum in Criticum tuum Arnobianum, illud si non aspernaberis, mittam. Emendationem meam, qua (*scaeva*) lego pro

(*lae-*

Ann. Chr. MDXCVIII.

(*laeva*) & alteram illam in Horatii epistolis tibi probari gaudeo. Quia pleraque, quae ex D. Arcerii Arnobio descripseram, a te ante fuerunt observata, nolim te cuiquam revelare, ea ab Arcerio quoque animadversa fuisse: indignaretur fortasse mihi, quod ea, se inscio, cum aliis communicassem. Mallem te ad finem tui Critici Arnobiani addere Illustriss. Scaligeri, Lipsii, Iani Gulielmi, Dousae, Sterrechii, Colvii, P. Fabri & aliorum Emendationes & Explicationes, ut quae in variis libris sparsae sunt, in unum quasi fascem a te colligantur. Quod te sacrae Theologiae studiis consecrasti, gaudeo: & tibi & nobis omnibus hoc nomine gratulor: spero enim te sacros quoque Scriptores pari dexteritate olim explicare posse, qua profanos. Scripsere quidem in Tertullianum, Cyprianum, Lactantium, Arnobium, & Augustinum de Civitate Dei viri quidam doctissimi: sed ita, ut vobis locum multa addendi fecerint. Exemplo est vel unus ille locus Tertull. de Spectaculis Cap. XVII. ubi ait: *Ipsae illae pudoris suae interemtrices, de gestibus suis ad lucem & populum expavescentes, semel anno erubescunt*; quem locum ut mihi proxima epistola explices, etiam atque etiam te rogo. Fallor an in Augustinum De Civitate Dei quoque aliquid paras? Dignus est, in quo labores. Et quaedam in eo esse emendanda docet liber meus MS. quem habeo: multa quoque in eo esse recondita, a Ludovico Vive, docto alioqui viro, nondum explicata, qui non videt, is nihil videt. Iuva quaeso fratrem in eo, ut habeam notas in Tertullianum Leidae excusas; reliquas enim habeo. Significes praeterea, an haberi possint exemplaria Varronis de LL. ex Commelini editione, & num Illustriss. Scaliger aliquid ei addiderit, quod non fuerit in Parisiensi, anni MDXXCV. & num Criticorum Notae, ut in Festo, sic & Varroni a Typographo illo fuerint adiectae. Vale doctiss. iuvenis, & me, ut coepisti, amare pergas. Franekerae A. CIƆIƆXCVIII. tertio Kal. Ian. quas tibi fortunatas & felices evenire cum tua, tum Reip. causa voveo, & opto.

LIX.

Ann. Chr. MDIC.

(a) HVGO GROTIVS MEVRSIO SVO S.

Κωμάσιω ποτὶ τὰν Ἀμαρίλλιδα ταὶ. δέ μοι αἶγες
Βόσκονται κάτ᾽ ὄρος, καὶ Μεύρσιος αὐτὰς ἐλαύνει.
Μεύρσιέ μοι τὸ καλὸν πεφιλαμένε βόσκε τὰς αἶγας

LIbet enim te adfari tui Poetae versibus. Plane id quod conieceram evenit. Nostris his liberalibus detineor, tamquam aurea compede. Interea tibi mei pecoris cura committitur, a quo tu scabiem tolles salubri aqua. Sed ne putes te aut opilionis vicarii, aut etiam veterinarii loco haberi, serio loquar. Multa erunt, ut arbitror, menda typographica: unum, si bene memini, meum. In principio paginae leges: *Metita tempus*. Hoc dubito, an Latinum sit. Itaque nisi exemplum tibi subpetat, scribes: *Dimensa tempus*. Cras puto rediturus; quod si me fallat, rogo etiam eius diei curam in te recipias: aut, si forte molestum est, me moneas: deinde ipse die Mercurii ad nos venias Si ipse citius redeo, simul ibimus. Scriverium hic vidi, sed oblitum te salutare. Scripsi haec non minus raptim, quam male, & tali stilo [calamum volo dicere] ut rursus iure interroges, an Gallinae etiam manus habeant. Vale clarissime & carissime. XVIII. Iunii, qui alter nostrorum Encaeniorum dies, Lunae sacer.

LX.

Ann. Chr. MDIC.

(b) HVGO GROTIVS MEVRSIO SVO S.

Virorum amicissime!

SCripseras nuper te Vltraiectum proficisci. Ego, simul literas tuas legi, profectus sum Goderedam. Scripseras Propemptica te mittere; non accepi, quod miror. Audivi nunc ex patre, qui id ipsum a Raphelengio accepit, te Lugduni esse, & aut in itinere non fuisse, aut brevi admodum reversum. Ego dubito; itaque ad te scripsi, ut, si tu Lugduni sis, mihi scribas & me certiorem reddas. Praefationem ad Lectorem una cum erratis Typographo misi; velim, cures, ut ea recte imprimantur, ne in ipsis erratis errata committantur. Quod si feceris, rem mihi (ut soles semper] longe gratissimam facies. Ego nihil magis desidero, quam tecum os ad os colloqui. Nam ego heic sum ab omni sodalitio seiunctus: tam instabilis fortunae est cursus. Qui nuper amicos tam bonos, tam multos habebam, nunc nullum invenio. Alterutrum fiat, oportet, ut aut tu, si Lugdunum venias, huc excurras, aut ego Lugdunum, si tu ibi sis, prima occasione veniam, & diuturnam absentiam paucularum horarum colloquio compensem. Raptim, Tuus χρήσει καὶ κτήσει.

HVGO DE GROOT.

LXI.

(c) HVGO GROTIVS MEVRSIO SVO S.

CRedo te, mi Meursi, iamdudum, non dicam, admirari, sed querelis prosequi meam negligentiam. Carmen promisi & omisi mittere vel literas. Excusabo me, uti potero, averruncans sinistriorem omnem de me suspicionem. Ex quo a te decessi, in agro Goderedano fui; ibi aliquandiu com-

(a) Haec ad an. 1599. GRAMMIVS.
(b) Anno MDXCIX omnino. GRAMMIVS.

(c) Eo anno scripta, quo proximae. GRAMMIVS.

commoratus iam redeo, & (quod antea ob loci importunitatem nequiveram) iam scribo. Sed poteras (inquies) vel nocte intermedia scribere. Et sane debueram, mi Meursi, & o si! neque mihi pigendum, vel poenitendum fuerat, noctem tibi impendere, qui mihi tot totos dies. Habes ergo confitentem ex parte reum, & Carmen ipsum ex ἐγκωμιαστικῶ (nisi fallor) ἰλαστικόν. Ave, & me, quod facis, ama,

LXII.

HVGONIS GROTII IAMBI.

IAm iam efficacem Criseos scientiam
Fatemur omnes, sive pars vilis grege
Exemta vulgi, quis datum est insistere
Consultioris semitam sententiae
Ductore Phoebo, quisque praecipuum est volup.
Integra Vatum lectitare carmina,
Aut diligenti volvere Auctores manu
Inlancinatos, nec malis obnoxios
Censoriarum dexterarum erroribus.
Te, te, rogamus, Musici decus chori,
Lausque una, Meursi, per novenas Virgines,
Per & verendum Delphici numen Dei,
Sanctamque Suadam & luculentas Gratias;
Miserere tandem, totque Scriptores male
Contaminatos redde honori pristino.
Tibi expiandae Barbarorum audaciae
Dat Apollo partes, & tuam poscunt manum,
Situ eruenda squalido volumina.
An vanus augur fallor? an primas tenes?
Faecata tollit ora Chalcidicus senex,
Iam nuper adeo Meursicam implorans opem
Cum sola magni pervigilii conscia
Lucerna crebro palpitaret flamine.
En laetus inflat Doricae vocis tubam
Siculus Poeta; sumit & nitidam togam
Et apta sacris birra Saturnalibus
Macrobius aevi fulgidum lumen sui;
Et ille Varro Christiani seculi,
Potior renidet, deque Nationibus
Ducit triumphum, deque Correctoribus;
Et vis Catonis dia foecundi docet
Ruris colonos, adiuvante Meursio,
Nec non vetusto Meursiano Codice,
Qui quam Catonem pene restituunt sibi!
Pubeda macte, hac itur ad coelum via.(a)

LXIII.

HVGO GROTIVS MEVRSIO SVO S.

ACcepi literas tuas, mi Meursi, & vixdum accepi, quum iam respondeo. Sed ante omnia hoc tibi, & tuo meoque Eizoni volo notum, fratrem cum texera reversum, qui ob temporis defectum nulli eum potuerat commendare. En Carmen Verberio tuo, (b) quem iam nosti, quasi nuptiale, quod hic ex tempore, & tempori adscribo. Paroedia est Catulli, quam Verberius aliis eiusdem Carminis paroediis (nam editionem iam dudum parat) poterit, si lubet, adiungere.

Maritus iste, quem videtis, hospites,
Ait fuisse pessimus tenebrio.
Neque ullius furentis impetum manus
Nequisse praeterire, seu rapaciter
Opus foret movere, sive caedere.
Et hoc negat relicta saepe Lipsii
Negare scripta, sive, Scaliger, tua,
Tuosque, Dousa, sive Delrii libros,
Tuosque, Popma, sive Meursii libros,
Cui ille post maritus antea fuit
Quasi sodalis, illiusque nomine
Loquace saepe stigma subdidit sono.
Groti pusille, visque magna Meursii,
Tibi haec fuisse, & esse cognitissima,
Ait maritus, ultima ex origine
Tuo stetisse dicit in cubiculo,
Tuoque vultui intulisse condylos,
Et inde proh! quot impotente spiritu
Genas ferisse, laeva, sive dextera
Repruriisset, aut utramque amiculus
Simul misellus incidisset in manum.
Neque ulla vota Verberalibus Diis
Sibi esse facta, cum veniret Amsteli
Ab ultimo hunc adusque Repeburgium.
Sed haec prius fuere, nunc reconditus
Sedet quiete, seque dedicat sibi
Puella sordida, & puella sordidi.

Vide & ride cum Tiarda, quicum vale. Velim iudicium de his versibus meis tuum cito rescribas.

T.

H. GROTIVS.

Inscriptio erat:

Iohanni Meursio literarum Imperatori
Lycophronico, Theocritico, Macrobiano
Arnobiano, Plautino, Pio, Felici, Invicto.(c)

LXIV.

HVGO GROTIVS MEVRSIO SVO S.

ACcepi, amicorum optime, literas tuas Imperiales. Laudas carmen (d) supra meritum, nisi forte ob id meritum sit, quod hominem insulsissimum derideat; hominem perfidum. O scelus centum Oceanis expiandum! Nihil melius in hac humana societate amicitia, nihil peius sublecta fide. Optime Manilius:

nihil ex semet natura creavit
Pectore amicitiae maius.

At ille, qui ore amicum simulavit, factis hostem etiam capitalem professus est, vivit & quidem securus vivit,

Nescius ultorem post caput esse Deum.

Cre-

(a) Nescio an usquam legatur excusum hoc Carmen; inter Poemata certe *Grotii* non reperitur. GRAMMIVS.

(b) h. e. *Petro Scriverio*. Videantur, quae supra ad eius epistolas adnotavimus. Conf. etiam Meursii ad *Rupicem Signatorium* epistola, eo ipso anno [1599.] scripta, quo *Scriverius* uxorem duxit: vid. Meurs. *Athen. Bat. pag.* 563. *Tomi* X. *Verberii* autem nomen respicit forte ad versum Meursii in Elegia ad *Eitz. Tiardam*: *Scriverius, fratris colui quem nomine, linguae excussit mihi se verbere, meque sibi*. v. *Exercit. Criticar. P. I. p.* 549. *seq. Tomi V.* GRAMMIVS.

(c) Etiam haec iuvenilibus Grotii adscribenda. Atque, ut ex epistola sequenti patet, nec non tempore nuptiar. *Scriverii*, pertinet ad an. 1599. GRAMMIVS.

(d) Scil. praecedenti epistolae insertum, in *Verberium*, seu *Scriverium*. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDIC.

Crede, mi Meursi, non levis res est ita ludere de aliena fama. Sed sane ad laetiora nos convertamus,

Et me relictis Musa procax iocis
Caeae retractes munera Naeniae.

Capellae Februa residua ad te mitto. Rogo, ut, si vacat, antequam Typographo tradas, perlegas. Scio multa errata in distinctionibus, plurima prava scriptura. Perlegi ego, sed non omnia animadverti. Ita soleo; mea non nisi perfunctorie possum perlegere, ideoque pusilla multa visum meum fugiunt. Levabis te ipsum magna ex parte emendandi labore, qui alias difficilis futurus. Vale, & si Epithalamium tuum imprimetur (quamquam nolle te, sat scio) mitte exemplar, & scribe, quidnam inter vos actum sit. Tiardam officiocissime saluta. (b)

Tuae Imperatoriae Maiestatis
humillimus Capellanus.

GROTIVS.

LXV.

THEOD. CANTERVS IO. MEVRSIO S.

IVdicium tuum, doctissime Meursi, de Chrysologo perplacet, & in eadem ego semper tecum opinione fui, & mirari satis nequeo, qui fiat, quod viris doctis hodie non magis innotuerit. Ego enim eum multis aliis probis Scriptoribus praeponendum, imo numquam de manibus deponendum censuerim. Si editionem Parisiensem illic venalem invenire potueris, velim, exemplar emas; pretium statim refundi curabo. Spero enim eam minus fore mendis refertam. De Augustino & Sulpitio probatur mihi institutum tuum; eoque facto & rem literariam iuvaveris, & iidem Auctores vicissim multa te scientia & eruditione imbuent, sicque duplicem inde utilitatem percepturus eris. Criticum tuum videre aveo Non dubium certe est, quin Graecae literae magnam iacturam morte Commelini passurae sint; neminem enim Typographum nobis relictum video, cui Graeca curae. Sed sic visum Deo Opt. Max itaque ferendum. En tibi Decani nostri literas. Saluta Scriverium tuum. Quid nunc Raphelengius sub praelo habeat, scire velim. His vale, doctissime Meursi, & nos, quod facis, amare perge.

Raptim Vltraiecti XVIII. Ianuarii.

LXVI.

IOSEPH. SCALIGER I. MEVRSIO SVO S.

MErcatores ad nundinas cogitant post quinque aut sex dies. Si quid ad Velserum literarum dare vis, ego recte illas curabo, nisi tu ipse mercatorem habes, cui recte illas committas. Tota familia Douziana, ut audio, flebilibus lamentis resonat. Volebam aliquid παραμυθητικὸν mittere; sed nimis adhuc crudum vulnus est. Itaque melius est non tangere. Postea videro. Ante hos dies accepi literas a Iusto Lipsio. Meditatur in Senecam Commentarium, magis, ut ipsius verbis utar, utile, quam ambitiosum. Haec ille. Tu vale, & ni grave est, Dominum Bernaveldium meis verbis saluta, cuius in aere totus ego sum. V. Kal. Martii CIƆIƆIC.

Tuus

IOSEPHVS SCALIGER.

LXVII.

PETRVS SCRIVERIVS IOANNI MEVRSIO S.

LIteras tuas & salutem, quam mihi adscribis, accepi, mi Meursi, iam enim melius habeo, hisce septem octo diebus me iste immanis dolor dentis amentem pene fecerat. Deo Optimo, Maximoque, gratias ago, qui me respexit, & te in parte. Iam iam spero, pristinam valetudinem postliminii iure recepisti, & Iehova votum solvis; ego votivam tabellam subspendi; veni & vide. Certe nimis diu abes. Necessarie te hic exspectamus amici. Libri tui in Typographeio neque formicinum, neque testudineum, ut tu arbitraris, gradiuntur gradum; quid, malum, inquies, agunt igitur? derelicti iacent, te patrem suum subspirant, & tolli volunt. Ades, ades: quid moraris? veni, si potes, veni licet formicino seu testudineo gradu; Musae te hic excipient ambabus ulnis. Et tibi conficiendus est, qua verborum, qua rerum, index, Auctorumque syllabus; nisi commentarium tuum depretiari velis. Si opera tua omnia ad nundinas autumnales in publicum ire vis; veni, vide, vince. Vide, quid agant Typographi; vince verbis eorum ignaviam. Ita salve, & cura valetudinem. Eberhardum Bronchorstium hodie Westfala iuvenus exsibilavit, & pastoritia fistula excepit. Ego doleo ob contumeliam illatam viro bono & diligenti. Iam nuper Praetori favit. Hinc illae turbae. Sed tu veni, & rem melius cognosce. Vt & ego certior fiam de Litigio & Velitatione tua in M. Lydum, aveo scire; iam nunc primum inaudivi, alias me latuit, celasti scilicet, nescio, an oportuit. Dic, quaeso, cur haec talia ad me non refers? non tibi sum, qui soleo, id est, ex animo amicus? non & tu mihi talis? quid simulas! Certe haec me nonnihil turbant. Iterum vale, & elue hanc maculam. Patri, Matri, & Sororibus, amicissimam salutem adscribo. Scripsi extremo mense Martio Anni CIƆIƆIC. luce XXIII[tia]

LXVIII.

D. LAMBERTO VANDER-BVRCHIO.

QVamvis rarius te adpellem, vir amplissime, propter tuas occupationes fit,

(b) Capellae, praela exercentis mentionem facit: Ergo an. 1599. scripta. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDIC.

fit, quas quia plurimas & maximas esse scio, tempero calamo saepe scripturienti, absque eo esset, crebro te per literas adloquerer. Quamvis autem nihil agam quod scire magnopere labores, non potui tamen non indicare paratas me habere Curas Plautinas, & Miscellas Animadversiones, quae lucem adspicient hac aestate, si volet Deus, & valetudinem mihi formabit, quae plusquam mensem iam valde mihi imbecilla & adflicta. Non leviter vero ea res studiorum meorum impetum tardavit; sed quis Titan obponat se Deo? fero itaque hilari animo, *quicquid mihi imponitur. Ego merui propter peccata mea vel gravius supplicium*, tamen castigat me placide, &, (quod ait Propheta *Psalm.* CII.) ut parentes liberos solent, misericordiae plenus. Deinde & hoc solari debet nos Cristianos, quod certi simus nihil illum facere, nisi nostro bono. Debemus ergo in his talibus casibus laetari potius, & erigere animum, non deiicere. Vtinam multi hoc animo infixum haberent! item illud: quem diligit Deus, eum castigat. Si enim in mentem illis veniret castigationem eiusmodi divini erga se amoris esse indicium, in quacunque adversa fortuna alacriores multo, & animo in Deo sperante invenirentur. Vale vir amplis. & Meursio tuo favere perge. Salutem dices D. Fratri tuo, & D. Rudolpho, a quo responsorias exspecto. Lugd. Bat. Kal. April. CIƆ IƆ XCIX.

IOANNES MEVRSIVS.

LXIX.

THEOD. CANTERVS IO. MEVRSIO S.

QVod ab aliquo iam tempore, amicorum optime, nihil literarum ad te dederim, in causa fuit, quod Criticum tuum in singulos dies exspectaverim, & miror certe, quod eum non viderim. nam quin iam editus sit, non dubito. Quae praeterea prae manibus habeas, scire velim, & num in Sulpitio pergendum statueris: in eum etiam aliquid moliri conatur Ioan. Drusius, sed tuis conatibus, meo iudicio, non oberit. Nam ille maxime laborat in propriis nominibus Ebraicis explicandis & emendandis. His vale & nos ama, alias latius. Raptim Vltraiecti V. Aprilis.

LXX.

PETRVS SCRIVERIVS IO. MEVRSIO SVO SAL. VOVET.

EGo vero optime de te spero, mi Meursi, at tu mihi indica, numquid convaluisti omnino? nam meliusculе ante abitum meum habere te, intellexeram. Si bene habes, & pristinae valetudini restitutus es, dic, cur non ad Musas tuas redis? An nescis hic Lycophronem tuum sub praelo esse? Index iam absolutus est me correctore. Certe in eo non parva molestia mihi exantlanda fuit. Frontispicium iam excudi iussi, addito carmine meo ad Illustres Ordines; mutavi quaedam, & in alium ordinem redegi; quod tibi non displicebit. Veni & vide. Certe hic tua praesentia opus est. Typographi queruntur se nihil habere, quod ad incudem vocent. Ades, ades, & illis subgere materiam. Saltim mitte clavim, qua aperiatur Museum tuum, & ego officio tuo, donec reveneris & convalueris, fungar. Criticum Arnobianum primo vult edi Ludovicus Elzevirius. Quem tamen si uti a te innovatus & recensitus est, habeat. iam te, vel clavim tuam ad diem Lunae exspecto, nisi vim fieri velis. Vectes hic domi tuae sunt, quibus aditus patebit ad charteam supellectilem. Ades, ades, mi Meursi, & valetudinem cura. Parentibus, totique familiae amicissimam salutem adscribo. Lugd. Bat. XXIV. Apr. Anni MDXCIX.

LXXI.

(a) IACOBVS GRVTERVS IO. MEVRSIO S. P.

OCcupationibus, nescio quibus, factum est, ut nec citius responderem ad epistolam tuam, mi Meursi, nec argumentum erat, quod festinationem postularet. Illa pars epistolae tuae, quae erat de invaletudine tua, commovit me, quae si tibi ex intempestivis lucubrationibus orta est, ut tu subindicas, & ego credo, prudenter facis, qui critica, minus morosa, studia pro pausa interponis. Ignoremus quaedam, imo ipsae sua sibi Musae habeant, si valetudinem corporis animive mentem vitiare natae sunt. Quod utrumque fieri tamen scire potes tu, & ego expertus sum exemplo domestico luctuosissimo, ne tu forte curam meam otiosam & verba παθητικώτερα rideas. Studium iuris, opto, ut bonum tibi patriaeque sit & felix. Digna est materia, in qua experiaris ingenium tuum, & emolumenta luculentiora in reliquam vitam ostendit, quam literaria illa, quae laudantur & algent. Rectum censeo, ut ab omnibus studiis liberalibus cura quaestus sordidi absit, ita tamen ne praesidia vitae necessaria negligantur. Sed de hoc alias fortasse prolixius. Saluta a me plurimum Scriverium iam etiam nostrum, & Heinsium. Vale, mi Meursi, Kal. Iunii A. MDXCIX.

LXXII.

IANVS GRVTERVS IO. MEVRSIO S. P.

CVm literis ante menses aliquot rescripserim, nihil restabat, nisi indicarem, curasse item tuas recte satis: (quod hisce tempestatibus rarum) Monario nostro, qui postremis suis ita inter alia: *Gratias inprimis*

(a) *Iacobus* iste *Gruterus* fuit Professor Historiae & humanior. literarum in inlustri schola Middelburgensi in Selandia. Patrem habuit *Thomam*, qui Duisburgi (seu *Teutoburgi*, ut nonnulli vocant) in Ducatu Clivensi literas fuerat professus.

Ann. Chr. MDIC.

mis ago magnas quo curata ad me epistola nostri Meursii, quem merito amo & magnifacio; ac peto a te maiorem in modum, cum ad ipsum scribes, ut huius rei testimonium mihi velis apud ipsum perbibere. Sic ille. Quod scire te volui; ut etiam rediisse me utcumque cum valetudine in gratiam, sed fato, proh dolor, laevo, eo scilicet, quale erat Admeti, coactus vicariam dare nigrae morti coniugem carissimam. Vivo igitur, sed pars tantum mei; sed verum abstineo ominosioribus, tantum petam, quidquid me fiet, memoriam tamen Gruterianam benevolentia qualicumque prosequaris. Sic tibi Orthomeniae Divae faveant perpetuo, sic obsequentem usque praebeat Persica. Ea, quae in tuis pollicitus, hactenus desidero, neque nundinae praeteritae famem, quod autumabam, sperabamque, exemere: faciant ut proxime, vota facio & Palladi & Mercurio Viali. Heidelbergae, die IX. Iulii CIƆIƆIC. Saluto pl. DD. Dousam, Mantesium, Iunium, Heurnium, Vulcanium, Bontium, & si quis praeterea nostri nondum plane immemor.

LXXIII.

IO. HEVRNIVS IO. MEVRSIO S. D.

GRatulor tibi, cognate amicissime, quod apud illum virum [qui ea prudentia & fide Remp. ducit, qua nullus, vel olim etiam alius] hospitium inveneris. Nec minus magno illi viro gratulor, quod te suis iunxerit. Tu itaque, cognate optime, quaeso, illum cultum adhibe optimis ac generosis illis pueris, quos ob indolem eorum, ac patris suorum in me liberalitatem & amorem, amo, ut parens tandem videat characterem tuae eruditionis & virtutis in eis exsplendescere: quod voveo & spero. Accipio omen de *Honore* ac *Gloria*, quod cogitas. His quaeso Musarum illecebris doctis ac firmis a Philosophia petitis, te tingas, & ab his etiam gloriam veram exspecta. Quidni? a virtute gloria, nam, ut ait Comicus in Amphitruone:

> *Virtus praemium est optimum, virtus omnibus.*
> *Rebus anteit profecto, libertas, salus, vita,*
> *Res, parentes, patria, & prognati, tutantur, servantur:*
> *Virtus omnia in se habet.*

Spero res Academicas turbatas, Summi Dei nutu, in alcyonia sensim abituras. De salute nostra quod rogas, omnia felicia, favente Iesu Christo. Pestis mihi insidias absenti fecit: at redux ei bellum indixi: edo librum in illam, quem mox videbis: spero me vindici manu de ea triumphaturum. Vxor mea, Otto, & ceteri cognati, te salutant officiose. Salutem a me Maecenati meo ac tuo, Amplis. viro D. Oldenberneveldio a me dices, ac matronam honestissimam & optimam eius uxorem salutabis. Vale, cognate care, ac me ama. A. CIƆIƆIC. die XII. Febr. ex Leida.

Scias, si nescis, Flaminium de *Honore & Gloria*, ni fallor, etiam scripsisse.

LXXIV.

ISAACVS CASAVBONVS IO. MEVRSIO S.

GRatissimae mihi, eruditissime Meursi, literae tuae fuerunt. Postquam venere primum in meas manus lucubrationes tuae, nunquam ex eo destiti & amare te, & favere nascenti famae tuae. Multos habes, scio, qui tibi cupiant, & spei tuae omnia fausta ac laeta a Deo Opt. Max. precentur. Sed mihi crede, eorum, qui te plurimum diligunt, & tuos in literis conatus magni faciunt, nemini nos concedere. Vellem paulo citius epistola tua mihi fuisset reddita. Inseruissem libenter in locum suum tuam illam Notam, cuius me admonuisti. Non enim dubium mihi est, veram esse tuam de Athenaei loco (b) sententiam, etsi fateor ingenue, priusquam essem a te admonitus, eius mihi in mentem non venisse. Si habes similes huic alias observationes, feceris mihi rem gratissimam, si eas mecum communicaveris. Sed maturato est opus, si quidem aliquid missurus es. Iam enim nostrarum aliqua pars edita est; sed quia grandiusculum est opus nostrum, non potest ante vernas nundinas Francofurdienses finis illi imponi. Itaque licebit tibi, si voles, rescribere. Quae suis locis non adnotavero, tua meaque in diatribam unam coniiciam. Vale, mi Meursi, & Parentem tuum a me saluta. Lugduni Convenarum VI. Kal. Aug. MDXCIX.

LXXV.

IAC. MONAVIVS IOAN. MEVRSIO S. (c)

VIde quid agas, cultissime Meursi, qui me sic amas, & amorem, atque animum erga me tuum adeo studes modis omnibus testatum mihi facere, ut magis non possis, etiamsi me & nosses ab annis plurimis, & de te aliquid meritum scires. Indignus essem omni Musarum & Charitum commercio, nisi hoc niveum pectus tuum amplecterer, & vicissem omni studio & officio colendum amicum talem putarem. Sic certe sentio: utinam, quod sentio, possim exprimere re ipsa, meumque amorem mutuum tibi facto probare. Certe nihil tam cupio, quam ut hac in parte sese mihi praebeat Dea capillata; quam certe

(a) Edita inter Epistolas *Casauboni* N. CLXXXVIII. pag. 97. edit. in fol. Almelov. GRAMMIVS.

(b) Intellige locum *Athenaei lib.* 2. *cap.* 6. *p.* 54. *v.* 25. ubi, Στρέμβηλος nominatur: pro quo *Meursius* subgessit *Casaubono*, Τρέμβηλον legendum esse. Vid. in *Addendis ad Animadvers.* Casaub pag. 637. GRAMMIVS.

(c) *Iac. Monavius* IC. Germanus, patria Wratislaviensis, anno 1603. fato functus, cum variis sui aevi doctis Viris commercium literarium habuit, exstantque ad eum & *Lipsii* nonnullae. Vitam eius, Iurisconsultorum illis insertam, legere est apud *Melchiorem Adami*. De scito ipsius, seu, ut vulgo vocant symbolo, IPSE FACIET, praeter alios, etiam *Grotius* epigramma scripsit. Vid. Poemata eius *pag.* 282. *Epigr. lib* I. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDIC.

prehendam, si ostensa fuerit. Interim crede quaeso verbis meis: quod tuto facere potes, & ut velis facere, peto. Spero mihi redditas esse, quas hactenus ad me misisti omnes tuas: tandem enim & illae venerunt, quae ad Gruterum iverant, & tamdiu in via haeserant. Quae inscribere cogitas nomini meo, (a) de iis ad te scribam, ubi videro. Quid ego rependam huic non tantum amori, sed & honori? Etsi hoc vere tibi adfirmo, me in his magis gaudere ob bonum publicum, quod tam strenue promoves, quam quod privatim laude mea capiar magis quam oportet. Natus es bonis literis: servaris etiam sacris. Deus tibi adsit, ut utrique servias diutissime. Vbi vero manet Parthenius tuus promissis semel atque iterum, sed nondum, quod ego quidem sciam, aut viderim, in lucem emissus? Haec scribo, recolligens me, & velut redivivus e morbo, qui nuper hoc corpusculum prostraverat. Deo σωτῆρι καὶ φύλακι debeo, quod vivo: Ille me servet, ut ipsi serviam. Quod tibi quoque precabar paullo ante, & nunc precor denuo, & precari, donec aliquid fuero, non desinam. Facio finem epistolae in hoc voto: quod Deus ratum faciat. Bene feliciterque vive valeque, & me ama, qui te aeternum, Wratisl. XV. Septemb. MDIC.

LXXVI.

THEODORVS CANTERVS IO. MEVRSIO S.

Literas tuas, amicissime Meursi, una cum libris accepi, & eos ex voluntate tua distribui: maximas autem, ut debeo, habeo tibi gratias pro literario hoc munusculo, & maxime quod ibidem nomen etiam meum adponere volueris. Librum totum evolvere prae angustia temporis non dum potui; quae tamen hinc inde libando degustavi, mirifice placent, ut omnia tua. Illud unum, ut vere dicam, mihi displicuit, quod epistolam ad Scriverium tuis scriptis inserueris: (b) nollem factum. Illud magis miror, quod eius rei mentionem nullam apud me, quum hic esses. Maluissem, meo iudicio, totum hoc dissimulari, quam ita in apertam inimicitiam prosiliri; nam iam, ut videtur, omnis spes concordiae & reconciliationis penitus sublata est. Sed de hac re coram alias, quum occasio dabitur, latius. Velim, quum commodum fuerit, ad me perscribas nomen illius, qui librum istum, de quo scripsi, habeat; & vide, num per amicos, vel per literas, interim dum Leida abes, negotium meum conficere possis. Omnibus enim modis optarem eum librum habere. Vide quid possis. Scire etiam velim, unde habeas, Apollonii Tyrii Historiam ab Symphotio versam esse. Nam & ipse eandem Historiam manuscriptam habeo, sed multis locis ab impressa Historia diversam & discrepantem. Vitam Pythagorae a Iamblicho conscriptam, non dubito, quin videris & legeris; si quas in ea emendationes inter legendum offenderis, quaeso nobiscum communicare digneris. Ego, si quid vicissim habuero, communicabo. His Vale, amicorum optime, & nos, quod facis, amare perge. Per occasionem Barneveldium cum uxore officiose a me salutes, velim. Raptim Vltraiecti XIIX. Septembris.

Tuus toto pectore

THEODORVS CANTERVS.

LXXVII.

TRID. LINDENBROGIVS IO. MEVRSIO S.

PRaesenti tibi hoc saepe in os dixi, doctissime Meursi, neminem ex iuventute me cariorem relinquere in Hollandia, praeter te & Grotium nostrum. Ideoque ne tu id nunc temporis dicis tantum causa dictum putes, quum aliud nihil esset, quod loqueremur, ecce eumdem hunc animum absens quoque declaro; idemque ignis adhuc ardet, qui tum sese, conflabellantibus eruditione & moribus suis humanissimis, concepit, nec extinguetur nisi sanguine, aut exspiratu meo. Id ego paucis sic declarare volo, ne me immutatum putes. Proteus esse solet, quicquid lubet; mihi constantia probatur & firmitas animi. Vale. Biturigibus XI. Kal. Septemb. Iuliani CIƆIƆIC.

Librum tuum apud Pithoeum vidi; is tibi libenter mitteret Augustinum de Civit. Dei, si certus sit de recipiendo. Si quid ad me mittere velis, trade Raphelengio.

LXXVIII.

(a) Inscripsit ei *Meursius* Adnotationes *in Plauti Menaechmos, Exercitat. Criticar. P.* I. ubi Patritium Vratislaviensem & Ducis Silesiae Consiliarium vocat. GRAMMIVS.

(b) Nempe acerbissimam illam, dolorisque & irarum plenam, quae legitur ad calcem *Partis I. Exercitationum Criticarum*, inscripta *Rupici Signatorio*: ubi *Rupice* ad *Petri* nomen, & *Signatorio* ad nominis *Scriveriani* significatum in Belgica lingua respicitur. Causas exulcerati animi ipse *Meursius* satis ibidem aperuit, ut haud necesse sit, eas hic repetere, uti neque quamdiu duraverit inimicitia disquirere. Verosimile quidem, vulnus nondum coiisse, quando noster triennio post Poemata sua edidit, in his enim duo exstant epigrammata, *in quendam*, quibus non alium designavit, quam *Scriverium*: alterum pag. 200. *Pessime nunc ficto te dicam nomine Petrum Ingenio veniat ne tibi fama meo. Erravi, & vero si imprudens nomine dixi, Durius ipso etenim cor adamante geris.* Alterum p. 202 *iniuriam te facere amico dictitant: falluntur omnes, namque amicus nemini es.* Adde, quod nulla nobis se obfert epistola *Scriverii* ad *Meursium*, ab anno 1599 quo dissidere coeperunt, usque ad 1606. Etsi non crediderim tamdiu in inimicitia perstitisse. Vid. pag. seq. Nam quae persuaserint nobis, eousque non dilatam fuisse reconciliationem, verba sunt nostri in Dedicat. *Libelli de Ludis Graec.* haec scil. *Deinde, qualecunque demum est, amicitiae nostrae veteris, & constantis amplius viginti annis, monumentum esse volui.* Et ea quidem an. 1622. d. 14. Maii scripta. Non dicit, *a prima iuventute*, vel *ab ipsis adolescentiae annis*, sed illos duntaxat numerat annos quibus fida, & incorrupta viguit concordia; excludendo satis apertis verbis omne illud tempus, quod simultatem supradictam praecesserat, quando nimium adolescentes ambo, prae iuvenili aemulatione, non adeo sancte amicitiae leges observabant, quamvis crebris sese literis compellarent, sibique invicem adblandirentur. Verum postea, ut uti cessarit inter eos epistolarum scriptio, coniunctissime videntur vixisse. Loquuntur hoc tum libri Scriveriano nomine inscripti a *Meursio*, tum *Scriverii* carmina: prae ceteris eximium illud *Apollonii* Historiis mirab. praefixum, quo strenue amici causam contra vanos obtrectatores egit tempore difficillimo. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDIC.

LXXVIII.

IANVS GRVTERVS IO. MEVRSIO S. P.

OCcupatissimus hoc nundinarum tempore vix tribus verbis binis tuis respondeo, quas diversis temporibus scriptas simul recepi. Vt morbum tuum dolui, ita valetudinem receptam gaudeo. Ego dubie etiamnum valeo, quod tamen optimae valetudini praeferendum aiunt Medici: nec persuadent. Quae de te sentio, sentio ex animi sententia, nec praeivit hic amor, sed subsequitur pedarius Senator. Tua Miscellanea & Plautina petam a Typographo vestro, proque eo munere magnas tibi a Grutero gratias, etiam pro iudicio tuo honesto. Tuas tradam Frehero, ubi redierit ad nos, nam nunc agit Confluentiae, prosequiturque alteram coniugem Iunone secunda. Scriverium, Heinsium, Grotium, non possum non amplecti animo, meque ut ipsis quacunque ratione insinues, velim. Grotii patri me non ignotum puto. Vxoris carisś. morti quod condoleas, facis, quod te dignum est: amisi vitae magnum adiumentum, studiorumque quasi destinam, non quod iuvaret, sed quod per eam ego mei iuris, nec impeditus rebus domesticis, nunc familiae totum onus, me miserum! in hos incumbit humeros. Monavii testimonio fideliter communicando feci totum officium meum. Si alia alibi in re quid possum, utere me, imo fruere tanquam tuo. Heurnii amici, ut veteris, ita constantis, salutem pluribus refero: utinam aliquando daretur vivas accipere & reddere voces, nec tamen despero, adeo fere anhelo ab his locis vel ad vos, vel ad Frisios, vel, quod nolim tamen nimis, ad Helvetios nescio, quomodo Palatinatus valetudini meae adversus. Sbustentabo me nihilominus, dum prodierit opus illud vastum Inscriptionum, quod auspicabimur cum Deo post tres septimanas. Vale, mi Meursi, & salutes amicos priores. Francofurti, die XXI. Sept. MDXCIX.

LXXIX.

IOS. SCALIGER IO. MEVRSIO SVO S. (a)

MItto tibi epistolam Marci Velseri, quam recens accepi. Oportet te rescribere, sed monebo quum opus erit. De vasis navalibus, quod quaeris, non tu primus quaeris, & hoc mihi olim scrupulum iniecit: sed adhuc dubito. Nam quicquid alii ad interpretationem aut correctionem vulgaris lectionis adferunt, non facio nauci. Si quid melius succurrerit, non illud invidebo tibi. Vale, & nos ama XVI. Kal. Decembris Iuliani.

LXXX.

BONAVENTVRA VVLCANIVS IO. MEVRSIO S. D.

NOn est, quod te angat, mi Meursi, discessus tuus, Vale mihi non dicto; nam quo minus id feceris, penes me est culpa; quod me domi non repereris. Venisse enim te eo animo, non dubito; cum exemplar Plautinarum Exercitationum mihi attulisti. Pro quo gratias habeo. Bibliotheca mea semper tibi patuit, & patebit etiam absenti. Neque enim tanta est inter nos locorum disiunctio, ut eius usus tibi sit interceptus. Reperi inter Plautinas tuas Exerc. Orationem Graecam De Laudibus Literarum, nescio an abs te scriptam. Si ita est, laudo industriam. Remitto eamdem, ne forsitan eam tibi periisse putes. Wovverus octiduum hodie est, quod hinc Amsterdamum abiturus mihi vale dixit. Ibi de ratione itineris sui Italici consilium inibit cum amicis. Schotto literas tuas iam dudum misi, neque adhuc quicquam responsi accepi. Gruterus nullam in suis tui, quod miror, mentionem facit, Monavii ad te literas dederam nuper Fr. Dousae ad te perferendas. Sed quod ipse istuc excurrere statuissem, repetii. Eas nunc mitto, simulque meas, ut ex iis, quanti te faciat, cognoscas. Si quid ei responsum voles, significa, simulque literas ipsius per certum hominem mihi remitte. Scribam ad illum propediem. Vale, mi Meursi, & praeproperae huic festinationi ignosce. Multum enim negotii mihi facessit Glossarium iam ad calcem vergens, & Apuleius carceribus emissus. Lugd. Bat. XIII. Kal. Decembris MDIC. Maecenati tuo, imò & meo, quam potes, officiosissime me commenda. Consanguineum tuum adii, ut tuis verbis salutarem. At is multos iam dies M. Reinerio Advocato, graviter, uti audio, aegrotanti adest. Meningius convalescatne, fac, quaeso, ut sciam. Iterum Vale.

LXXXI.

MARCVS VELSERVS IO. MEVRSIO S.

SEneca opinor olim edixit: *Veto liberalitatem nepotari*, lib. I. De Benef. C. XV. Tuum V. Cl. vereor ne nunc factum contra, qui elegantissimi ingenii pulcellum foetum (b) homini, non dico immerenti, ne spes ipse meas damnem, certe ignoto largiaris. Sed de consilio tu videris. Ego me tibi hoc nomine multum profiteor debere, & momenta profecto expendo. Munus primum ipsum, deinde multo magis donantis animum, tot signis conspicuum, quod voluerit exstare publice, quod inexspectatum, quod inter tot nobilia nomina virorum sive doctrina, sive virtutes praestantium

(a) Haud dubie an. 1599. quod ex epistola *Marci Velseri* patet. GRAMMIVS.

(b) Sine dubio *Exercitationes Criticas*, quam particulam, quae ad *Bacchides Plauti* Adnotationes habet, Velseriano nomine inscripserat. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDIC.

tium. Vtinam sic sim referendae gratiae, ut haec suis pretiis aestimo, *officio non te cessasse priorem poeniteat*. Interim voluntate tibi satisfieri patieris, & si quid unquam erit, quod tua tuorumve causa possim, cupientem mone. Apud Boetium libro II. de Geometria, inter nomina lapidum finalium est, *Ciricumlatus pyramus, item acuto similis, item pyramus vitae praecisae similis. Vitae* quid sibi hic velit, aut *viae*, ut quidam maluere, iam diu quaero, frustra fortasse, nisi tu me doceas. Non omninò displicet, quod amicus quidam meus coniiciebat, *uvae*, & sunt, quae eam coniecturam iuvent, sed pondus a libro, aut a sententia doctorum virorum velim accedere. Quid me haec quaestio exerceat, scies, si tanti putabis, libros rerum Augustanarum nostros, quos via Antuerpiensi misi inspicere [a] Vale. Augustae Vindelicor. III. Non. Dec. An. M. D. IC.

LXXXII.

Ann. Chr. MDC.

MELIOR GOLDASTVS IOANNI MEVRSIO S D.

ET eruditio tua unica, Meursi praestantissime, & summa in omnes, quam opera tua restantur, humanitas, omnium in te animos oculosque convertit: dum in iuvenilibus istis annis supremum te censorem communibus omnium Criticorum suffragiis evectum, nemo non gratulatur, Deumque istos honores tibi porro quoque fortunare cupit. Et ego quidem, qui te unum ex omnibus tuamque eruditionem maxime ob servare occoepi, non potui animi in te mei testificandi viam non inire, quam epistola patefecit. Benigno itaque animo hanc salutem accipies, & ut longe doctiorum & praestantiorum mactandus sis, tenuioris tamen nunquam aspernaberis. Amores suos Symmachum Clariss. & Ampliss. Lectius meae fidei fecit, qui illorum scilicet curam omnimodam haberem. Huic quum me tenuitate mea imparem esse probe intelligam, operam tuam nunc me emere pretio pretioso velim. At ea te benignitate esse scio, qui gratuitam eam pauperculo mihi animo liberali largiturus sis. Plura, licet multa sint, non addo, ne te meis nugis morari velle videar: tantum adscribo, cum festiva manuscriptorum mihi sit copia, me illorum tibi usum nunquam invidere. Vale, doctissime Meursi, & si quos itidem ingenitos de studiosis nosti adolescentes, eorum mihi favorem concilia. Geneva ex aedibus Iac Lectii IC. VII. Kalend. Mart. A. N. D. MDC.

Tui studiosissimus

MELIOR [b] HAMENVELTO GOLDASTVS HELVETIVS, Iuris & Philologiae Studiosus.

LXXXIII.

IACOBVS GRVTERVS IO. MEVRSIO S. P.

LIteras tuas cum exercitationibus Criticis accepi pridem, mi Meursi, ad quas cessavi hactenus respondere, partim per ignavum hoc hiemis frigus, atque itineris incommoditatem, partim & praecipue per coniugis meae puerperium, quod me aliarum rerum [dicam libere] negligentiorem fecerat. Librum tuum, quantum per otium licuit, legi avidissime. Adficiebant me censurae post tot magnos Criticos acutissimae, & antiquitates multae post tantam literarum lucem e situ erutae. Quod autem tu iudicii potius severitatem pro amicitia nostra, quam laudes prolixas & solennes postulas, equidem, dicam tibi in aurem, non est ea res ingenii mei, non est otii, & si sit, tamen soleo ego inventa mea prae amicorum damnare. Est tamen ubi ante lecta est tua aliter sentirem. Vt cap. V partis 2. quae tu doctissime de Sardis venalibus disputas, fuit cum de gentis illius ἀπαθείᾳ & ἀναισθησίᾳ in mancipatu, acciperem, qua τὺς ὠνεσαμένυς ἐπιτρίβυσιν. Locus elegans est apud Strab. lib. V. de Corsicis quidem Venalib., ita tamen ut communi nomine apud Romanos nuncuparentur Sardi, quod & vicini essent & eiusdem praeturae. Strabo lib. XVII. extremo. δέκα μὲν ςρατηγίας (lego ςρατηγικὰς) τὴν τρίτην σαρδῶ μετὰ κύρνυ; aut certe quod utrique ingeniis essent paribus. Et Cic. epist. ad Sallust. lib. VII. ubi de Sardis Venalib. non *ferre hominem pestilentiorem patria sua*: adludere videtur ad insulae utriusque insalubritatem. Sed bene mones tu, ex Sardinia Sardum denominari non posse; quod facit, ut tibi accedam. De Soraco ibid. Fuit cum ab ὦρος, id est *currus*, ducerem, cuius vestigia apud Hesychium. compositum autem ξύνωρος etiam vulgatum. Vt *Sorum* inde, post *Soracum*, forma diminutiva, & geminat R. a Grammaticis, ut modum syllabae (credo) ostenderent, *sarracum*; quod etiam apud Glossarium mansit. Nam σώσακον seu ξυλοκανθήλιον clitellae potius, sunt seu λύγινον πλέγμα τὸ τοῖς ὄνοις ἐπιτιθέμενον, ut alibi explicat Hesych. in κανθήλ. De *Sincinia* egregius tuus, & ut puto, felix conatus: tamen aliquando placebat, eamdem esse cum *Assa voce*. de qua alii aliter. Ego ut ληθὼ; *Latona*; sic ἠχῶ, *Sicina*, dictum putarim, post *Sincinia* factum. Sed cesso παραδειγματίσαι ad te inscitiam meam. Tu haec accipies tanquam ab amico tecum sermocinati in spatio aliquo. Vale, mi Meursi, & ut coepisti, perge iuvare literas, & nos amare, & cum accidet commodum, literis visere. XXIV. Febr. A. MDC.

LXXXIV.

IO. WOVWERVS IO. MEVRSIO S. D.

AMor in te meus, mi Meursi, & memoria, tui quae blandiente imagine mihi obtulit, facile a me impetrarunt has ad te darem constantis adfectus indices, & testes, quem, si tanti est, exosculeris, & eumdem apud te quoque mihi nutries, Ita Musas tuas propitias habeam, non sentio quidquam

(a) Alias *Melchior* vocatur. LAMIVS.

(b) Locus ille Boetianus adfertur a *Velsero Rerum Aug. Vindel.* lib. IV. pag. 246. editionis omnium eius operum Noriberg. 1682. in fol. GRAMMIVS.

quam in me erectae indolis. Gravissimae enim curae prorsus me mihi eripuerunt, quibus ut viscera Fityana substentor in poenam & tormentum, his quamprimum me expediero, fusius ad te scribam, & itineri Italico me accingam. Non finit adfectus, quo te amplector, quin moneam, inquiras in propria bona, & fervidas ingenii tui rotas, quarum cursum feliciorem non semel experti sumus, minime subflamines, ita durabis meliore tui parte, vigebisque cum praeclaris viris, quorum ingeniis adplicare te coepisti; ita tamen, ut Politicis te des, ne fortuna ludos te faciat, & eripiat istam occasionem, quam obtulit, tamquam indigno prsessori. Haec, quae humanitas tua est, facile suadenti ignoscis; experiris sane adfectum benevolentiae indicem. Vale, & me ama [a]. Hamburgi ult. Febr. CIƆIƆC.[b]

LXXXV.

[c] BON. VULCANIUS IO. MEVRSIO S. D.

CLouckium, quemadmodum tibi coram receperam, monui iterum officii, & quidem serio. Is toties antea a me monitus, ut primum de charta sibi prospiceret, nihil in eo difficultatis fore ratus, nunc tandem παθὼν ἔγνωκε. Audivimus hodie una Guiottum, cui ego exemplar Poematum tuorum ostendi. Is se minime difficilem praebet ad ea statim adgredienda, nihilque eam ad rem deesse videtur, quam charta, quam Clouckius facile reperturus est, quae editioni in duodecima forma sit apta; sed ad eam minoribus typis esset opus; quod nescio, an futurum sit ex animi tui sententia, quam quidem velim propius intelligere. Neque vero obfuerit, Typographi, qui hinc ad vos migravit, mentem explorare; & quid ad hanc editionem vel animi, vel praesidii habeat. Clouckii mentem ex ipsius literis cognosces, meque primo quoque tempore, quid factum velis, monebis. Vale V. Cl. & a me omnia studia atque officia tuo merito exspecta. Lugd. Bat MDC. XXIX. Maii.

Versus ille, cuius te nuper monui, ita habet:

Quae superet o donum benigni Numinis:

LXXXVI.

[d] MELIOR GOLDASTVS IO. MEVRSIO S. P. D.

NOn possum, quin iterata hic salute te impertiam, Musarum amor & deliciae Meursi, quem unicum unice ex omni iuventute literata amo, & veneror. Nullum momentum sine te mihi praeterit; seu dormiam, seu vigilem, sive edam, sive bibam, tu mihi in pectore, in ore, in oculis. O exspectatissime ille dies, quando venis? quid lates? quid mihi in quaestione esse pergis? ubi tandem dederis, quo in amplexus Meursii mei venire & praesentem coram familiariter & amiciter colloqui & divinum eius os intueri possim? Faciat id Mercurius vialis, ut institutum iter meum prospere fortunet & felicitet. Interibi hoc tibi de nostris ἀσπασμὸν adfero libris.

In Tertulliano, cuius te editionem adornare dicunt, haec sunt, quae tui iudicii facio. De Resurrect. carnis editur, editionis Laurentianae p. 36. *Vasculum vero ipsum non esse sententiae obnoxium, quia nec calicem damnari, si quis eum veneno temperarit*, &c. lego, *temerarit*.

Pag. 60. *Etenim quam absurdum, quam vero ethnicum, utrumque autem quam Deo indignum, aliam substantiam operari, aliam mercede dispungi*, lego, *disiungi*. Ita enim J. *Ita & carnes, quae in ipsis nationibus una substantia est, non materia, sed mercede, disiunxit*. Adversus Marcion. lib. I. pag. 128. corruptissimum locum corrigo & distinguo: [e] *Dies nunquam patens, Sol nunquam lucens, unus aer nebula, totus annus hibernus, omne quod flaverit, aquilo est*. Confirmandae coniecturae est, quod sequitur: *Nubilo obscurior, hieme frigidior, gelu fragilior* &c.

Pag. 141. *Plane si natura bonus, exhibiturus, & non accessione*. Subple, *natura exhib. & n. ac.*

Lib. IV. principio: *Secundum vestigia pristini operis, quod amissum reformare perseveramus* C. l. *amissim*.

Pag. 202. *Et incipit tam Christus Marcionis creatori docere* l. *nocere*. destruendo scilicet eius bonitatem.

De Corona Militis p. 334. *Qui de habitu interrogatus nomini negotium fecerit*, l. *nemini*.

Ad Martyres p. 360. *Testudinem desiccando* l. *test. faciendo*, vel *aedificando*. Parum enim molestiae in exsiccandis lignis, multum operae erat militaris in testudine facienda, teste Livio, lib. V. & Caesare, lib. II. Hic in scidis meis adversariis interiectus locus Arnobii tui, quem adpingo,

Lib. I. in principio: *Inspiciamus igitur opinionis istius mentem*. ita Barrensis. lego; *insp. ig. op. i. fontem*.

Sequitur in Tertulliano,

De Hab. Mul. in pr. cap. I. *Tu es, quae eum suasisti, quem Diabolus adgredi non valuit*. l. *invasisti*.

De Cultu femin. p. 412. cap. 7. *Et in illo ambitu capitis resurgatis*. Quid sit [f] *Ambitum capitis*, nullus intelligo, l. *habitu capitis*. Sic infra: *Praeterit enim*, inquit, *habitus huius mundi. id est, τὸ σχῆμα τȣ̃ κόσμȣ τȣ́τȣ παρέρχεται.*

Pag.

(a) Additur in edita: *saluta officiosissime patrem tuum meo nomine* GRAMMIVS.

(b) In edita *MDXCIX*. GRAMMIVS.

(c) Loquitur de editione poematum *Meursii*, cuius curam susceperat *Vulcanius*, egitque ea fini cum typographo *Andrea Cloucquio*, cuius etiam ex officina biennio post exierunt. GRAMMIVS

(d) Quae ad oram huic epistolae adscripta, non *Goldastum*, nec alium recentiorem quemquam, sed *Meursium* ipsum auctorem adgnoscunt, qui dubiis circa auctorem loca a *Goldasto* propositis hoc modo satis fecerit. GRAMMIVS.

(e) Dies *nunquam patens*, est *nebulosus*, qui quasi circumseptus densissima nebula, ut prospectus nusquam liber penetret. MEVRSIVS.

(f) *Ambitum capitis* vocat studium eius nimis ambitiose ornandi. MEVRSIVS.

Pag. 410. cap. 6. *Tum solis animando simul & siccando capillo* (a), *exoptabilis ardor* l. *exitiabilis ardor*.

Pag. 413. *Tum si quas vel divitiarum suarum, vel naturalium, vel retro dignitatum, ratio compellit*. lego, *vel retro-dignitatum*, id est, dignitatum pristinarum, & pro Christo perditarum. Paulo post: cap. 9. *Satis igitur usae estis divitiis atque delitiis, satis dotum vestrarum fructum cecidistis* (b). f. *recepistis*.

De Fuga in persecut. *Quo ostenditur utrumque apud Deum esse, & concussionem fidei, & protectionem, cum utrumque ab eo petitur, concussio a Diabolo, protectio a Filio*. Puto addendam negationem, *non concussio* Nam & hoc ipso loco concussionem fidei esse apud Deum dixit, & pag. superiori; persecutionem evenire per Diabolum, non a Diabolo, & faciunt, quae paullo post sequuntur.

De Anima cap. 3. *Ita inde materiae visionibus subministrantur*. MS. S. Galli, *quaetionibus*. dixit Gothofredus ad l. 25. p. 15. D. de hered. petit.

De Idololat. in pr. *Nam etsi suam speciem tenet unumquodque delictum, & si suo quoque nomine iudicio destinatur, in Idololatriae tamen crimine expungitur*. Lectius noster legit: *& si suo quodque nomini iudicium destinatur*. Ego, *etsi suum cuique nomen indimen indicio dest*. Atque haec sunt, quae raptim ex scidis meis adscripsi. Meliora me & nimio maioris momenti observasse non ego nunc nego, non te, olim scio, ubi per otium licuerit ea decerpere, modisque commodis ad te transmittere. Superest, ut veniam petam audaciae meae temerariae, qui te iuvenem toto terrarum orbe splendentem doctrinarum tuarum radiis ausim his nugis molestare. Verum saepe diaria grata, ubi satis aselli ceperit, & corpori interdum naevi sui decori esse adsolent. Vale, decus literaturae, & me in tuorum numero esse patere. Da operam, quaeso, si opera est, ut principes vestri literarum omnes ex me salveant, meque inter clientes suos recipiant. Iterum vale. Genevae ex aedibus Lectii, VII. Kal. Sextil. A. N. D. CIƆIƆC. Mittes literas ad Lectium, qui, ubi minus adsim, perferendas curabit.

In l. lex. Corn. 5. p. 9. D. de iniuriis, lego modo: *Et si condemnatus sit, qui id fecit, intestabilis ex lege esse iubetur*. Quam legem intelligit? An legem XII. tab, quam ex Ciceronis lib. IV. de Republ. refert Arnobius tuus?

T. Claritudinis

MELIOR GOLDAST ab HAIMINSFELD HELVETIUS.

(a) *Exoptabilis* est, ut capillos cito siccos reddat: *& tamen*, inquit, *ille vobis tam gratus atque exoptabilis ardor solis perniciem cerebro* . . . hoc n ἀπὸ κοινοῦ repetendum Porro & hoc ibi observandum, quod dicat: *animando capillo*, quod quidem, quid sibi velit, non omnes, puto capiunt Ita vero loquatur *Tertullianus*, quasi ipse capillo isto fuerit tanquam ornatior ac splendidior animum sumat atque superbiat. MEVRSIVS.

(b) *Fructum caedere*, idem est, quod *metere*. MEVRSIVS.

LXXXVII.

OTTHO HEVRNIVS IO. MEVRSIO S. D.

MI cognate, quid agas, quaeram? Te taediosis laboribus distentum scio, quid non agas cogitem? sane te, quodcumque tempus aerumnosis laboribus subtrahis, non otio, sed docto dare negotio, adgnosco. Et quando tamdem tuus, quem iamdiu parturis, de honore & gloria foetus in lucem prodit? Agedum sodes, & nos, quid moliamur, quid machinemur, vise, ac cras, aut perendie, si res tulerit, ad nos excurre: id ego, id parentes mei, tibi addictissimi, serio expetunt: tua enim opera vehementer indigemus, Vale, & ut nos valeamus, si placet, veni, & vide: nam sat certo scio, plus tibi oculato testi uni, quam aliis auritis credes decem. Iterum vale, ac parentes tuos, si erit occasio, meorum, meisque, verbis salutes, rogo.

Leida. An. MDC. Augusti II.

LXXXVIII.

V. CL. IO. MEVRSIO H. GROTIVS.

Salve mihi & Musis amicissime.

NOn ignoras Carmen me de semestri priori huius anni scripsisse, cuius finis est praelii apud Neoportam eventus. (c) Nomina caesorum, & captorum hostium, qui quidem primariae alicuius dignitatis, ita uti primum hic circumferebantur, inserui. Post ea illis intellexi nihil esse incertius. Eadem iterum aliter, atque aliter prodierunt mirabili discrimine. Itaque Delphos profectus, quum ne illic quidem certior fiam, ad te scribo, uti mihi hac in re operam des. Subspenditur enim impressio. Poteris, nisi grave sit, certi aliquid rescire ex Nobilissimo D. D. Oldenbarneveldio. Ubi certi quid habueris, quod quam citissime eveniat, opto; quia res moram vix patitur, rogo, ad me perscribas. Salutabis meo nomine nob. adolescentes curae tuae concreditos, Reginerum & Guilielmum Oldenbarneveldios, & cum iis in mei amore perseverabis. IV. Sextilis Anno CIƆ. IƆC, Delphis Batavorum.

Tuus χρήσει καὶ κτήσει

H. GROTIVS.

LXXXIX.

IOANNES MEVRSIVS LAMB. VANDERBVRCHIO V. AMPL. S. D.

MVlto iam tempore nullas omnino ad te literas dedi, Vir Reverende, sed id

(c) Non memini, Carmen hoc inveniri in editis *Grotii*. Credo autem particulare eius fuisse illud, quod legitur *Sylvarum lib. II* hoc titulo: *Oratio ad milites quosdam consternatos post Victoriam Neoportanam*, (v. Poemat. Grotii edit. Lugd. Bat. 1639. in 12. pag. 52.) atque reliqua ab Auctore subpressa, forte ob rationes ex hac epistola quodammodo intelligendas. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDC.

id inopia argumenti, non contemtu aliquo, aut oblivione tui. Et sane Musas omnes nostras Gratiasque iratas habeam, si aut contemnam, aut obliviscar, insignem illam humanitatem vestram, quam non semel claris ac evidentibus signis sum expertus. Mihi crede, vivit, vivetque aeternum, in animo benevola illa frons, ac candor apertus, quem frustra hodie apud multos quaeramus. Non leve profecto est, quod Naturae ac Genio vestro debetis. Nobilitate atque opibus floretis, etiam dignitate: Ecclesiae & Reipubl. utiles, civibus desiderati. O vos felices! O φθόνος δ' ἀπέστω, ut utar Graecorum ipsa euphemia; Deus Opt. Max. fortunam ipsam quam diutissime continuet. Vale VII. Eid. Sextil. CIƆIƆC. Salutem officiosam adscribo D. Graphiario patri tuo. Qui tibi has fert, pater meus est, cui redeunti, si literas pristini adfectus indices, (etsi non dubitem de constantia tua) dare dignaberis, rem feceris mihi maxime optatam. Iterum vale.

Inscriptio:

Nobiliss. atque Amplissimo Viro
D. LAMBERTO VANDERBURCHIO,
Decano B. Mariae Vltraiecti.

Vltraiectum.

XC.

IACOBVS MONAVIVS IO. MEVRSIO S.

Literas tuas IX. Kal. Decembr. anno superiore scriptas nuper admodum accepi. Quae vero ad Gruterum nostrum misisti, ut is ad me curaret, nondum vidi. Fieri quoque potest, ut ipse nondum viderit. Semel enim iterumque ipsum de his monui: sed ne γρῦ quidem ab ipso responsum est. Vt ut sit, gratissimus mihi tamen animus & amor erga me tuus. Iucundissimus iste in me adfectus: cuius pignus & testimonium esse voluisti hanc προσφώνησιν: cuius apud me, procul dubio etiam apud alios, aeterna erit memoria. Vtinam, ut me amas, sic ego possim respondere tuae erga me tam pronae, & tam bene adfectae, voluntati. Dabit aliquid tandem, ut confido, Dominus Deus noster. Ego hanc epistolam scribo in summa festinatione. Est enim iam nunc conscendendus currus, ut proficiscar in aulam Caesaream, ubi mihi conficienda quaedam negotia Illustrissimi Principis mei nomine. Christus faciat, ut felix abeam & revertar: meosque, quum rediero, salvos & incolumes salvus ipse & incolumis videam. Gratulor tibi hospitium illud, de quo scribis, apud virum summum, (a) quem nosse didici tum ex compellatione, qua eum est adortus Illustris Scaliger, tum etiam ex nuper edita illius epistola, qua narrat successum pugnae nuper inter vestros & Iberos commissae. Deus te servet, doctiss. & praestantiss. Meursi, ut ubicumque locorum fueris, pergas tamen esse tuus, & tui similis. Quod si fiet, ut optamus & vovemus amici tui omnes, quid utilius & conducibilius rei literariae? Vtinam quam te amo & colo, tam id possim reipsa declarare & testatum facere. Plura scribam, Deo volente, quum reversus fuero ex aula Caesaris. Bene beate & feliciter vale: me ama: meque tui amantissimum & studiosissimum puta. Credere id tibi tam fas est, quam dubitare nefas. XIII. Augusti MDC.

(a) Io. Olden-Barneveldium. GRAMMIVS.

XCI.

THEODORVS CANTERVS IO. MEVRSIO S.

Etiamsi incertus essem, doctissime Meursi, an hae literae meae te illic offenderent, temperare tamen mihi non potui, quin haec paucula ad te exararem. Velim meo nomine officiose salutes Scaligerum nostrum, eique dicas me Vulcanii literis respondisse paucis ab hinc diebus; sed an meae literae eum illic offenderint, me equidem ignorare, nam in Zelandiam cogitabat. Versus autem illius Graeci, cuius in literis mentionem facit, non sunt Menandri, nec cuiusquam credo Comici, sed Philosophi Cleanthis, & adducuntur, vel leguntur, in Enchiridio Epicteti circa finem; & Cleanthis esse, testatur Simplicius interpres, nec non & Seneca Philosophus, qui Epistola 107. eosdem versus Latine transtulit, ut apud eum videre est. Haec Scaligero communices velim. Est aliquid praeterea, quod te rogatum velim. Audio aliquem esse studiosum & doctum Iuvenem, qui ex Bibliotheca Aldegondi sibi comparavit, aut coemit, Iatrica Rufi & Arataei Graece, Parisiis, edita Anno 54. in 8. Si eum iuvenem rescire, vel indagare, potueris, feceris mihi rem longe gratissimam. Quod si eundem inveneris, velim, videas, num eundem librum pretio redimere possis: magnopere eum librum habere aveo. Vide, quid hac in re mei causa facere possis. Si qua in re tibi vicissim opera mea usui esse poterit, me promtum & paratum invenies.

Raptim Vltraiecti XIII. Augusti.

Tuus toto pectore

THEODOR. CANTERVS.

XCII.

IDEM EIDEM.

Literas tuas amoris & benevolentiae in me plenissimas, doctissime Meursi, a parente tuo optimo, cuius conspectus optatissimus fuit, mihi traditas, grato animo accepi; & maxime, quod ex iis intellexerim de statu rerum tuarum, & quod honesto loco illic sis apud D. Barneveldium: atque ut in ea vocatione functioneque ad tempus persistas, rebus tuis minime obfuturum existimo; & interea, dum illic es, recte, meo iudicio, feceris, si, postpositis aliquantulum humanioribus literis, te studio

dio iuris in totum addixeris, nec ab eo studio animum prius deflexeris, quam taedia omnia, difficultates omnes devoraveris. Quod si feceris, crede mihi, magno in posterum ornamento tibi erunt studia literarum, quae alias per se parum sunt; sed si adiungantur cum aliqua facultate, maxime hominem illustrem reddunt. Quod tibi certe factu difficile non fuerit, utpote qui Dei Optimi Maximi beneficio, bono & felici ingenio, promptaque memoria praeditus sis. Quare, ut coepisti, iam perge, inq. eo studio obdura: & quemadmodum ex studio literarum hactenus ubique terrarum magnum tibi nomen acquisivisti: sic ex hac facultate, si perseveraveris, maius insuper (nisi meum me fallat augurium) nomen tibi acquires. Magna cum voluptate nuper legi Nicolai Rigaltii doctissimi Galli de te iudicium, qui in Notis suis ad Phaedri fabulas inter alia inquit: „ Etenim Servia„ nae in Eclogam II. inquisitioni pertina„ cius mihi favere videtur Io. Meursius, „ doctissimus adolescens, quem saepe mi„ ror, & certe supra suos annos literarum „ dote ditescit. Βλάςημα καλλίπρωρον, ἀν„ δρόπαις ἀνήρ. „ Haec, amicissime Meursi, volebam, nescius ne esses. His Vale, & nos amare perge. Officiose meo nomine salutes, velim, D Barneveldium cum uxore.

Raptim Vltraiecti XIX. Augusti,
Stilo nostro MDC.

Tuus toto pectore

THEODORUS CANTERUS.

XCIII.

FRID. TAUBMANNUS IO. MEURSIO S. D.

QUa te fretum in tuis video, ingeniosissime, & praestantissime, Meursi, eadem ego quoque fretus in nuperis & nunhisce vel ignotus te compello; humanitate dico, quae se a doctis illis, & candidis nunquam secernit. Nec potes tu, & ille Europae nostrae praeceptor Scaliger non mirari, me tam longe a Phoebo Belga remotum: cum decima illa Musa rem habere, idque Vitebergae. Et tamen ita esse, docebunt te pagellae istae, quas proximis meis involvebam: & his denuo involutas mitto, si forte nuperae periissent: quod suspicari propemodum incipio non una de causa. Mea autem & Plauti mehercules permagni interest, *Meursium* ista omnia rescire, priusquam publice me & istum ostendam. Atque utinam tanti abs re mea esset otii, quo singula, quae vellem apud vos non ignorari, litteris committerem! sed quae tua est sagacitas, mi ingeniosissime Meursi, odorando vestigabis si non omnia, tamen aliqua. Quaeso te, *Consilio* me iuva, in editione illa nostri Sarsinatis; *Auxilio* luculenter abs te factum, in monumentis illis tuis, quibus tibi famam, Antiquitati germanae vitam dedisti, quae accurate a me excussa. Nec tamen dubito, te interea plusculum aliqui alicunde eruisse, quod Plautum illustret; nam qui sis novi. Mittas, si operae censes pretium, mi *Meursi*. Dic vero serio: Tunc illa Mercat. *Diva Astarte*. Illa item Amphyt. *infarta argento explendo*: & si qua alia, doctis hactenus aut suspecta, aut explosa, in vulgatis libris habentur, & in nonnullis vetuste excusis, germana Plauti censes? Quid vero Aristarchus noster Scaliger? quid Dousae? Exquire ipsorum, quaeso te, sententias privatim; & me per literas interpretes, quid animi habeant, doce. Vett. Codd. quibus ego utor, video tuis in multis respondere, praesertim illa Veneta Aldi, Anno M.D.XXII, item Brix. Anno 1506. quam Guliel. vetustissimam laudat. Item Sim. Papiens. Anno 1499. & Carpent. 1513. Potissimum est, quod abs tuo ingenio & industria mi Meursi, cupio mihi, imò Plauto, & publico bono iuventutis literatae nunc impetratum, *Fragmenta Plauti*, & ea quidem cum Notis. Impetra ea, mi *Meursi*, vel abs te, vel a Scriverio tuo (quem ex me articulate salvere iubeas) vel a quovis alio, qui aliquid habet ingenii tui. Ausus sum in proximis solicitare magnum illum Scaligerum de eadem opera. Tu per occasionem, quid eius habeat, exquire. Quid si Dousa aliqua habeat collecta & explicata? causa est, cur suspicer. Quid si eruditissimus ille *Merula*, qui Ennium nuper dedit: quique caput anguli coronat *Persae* tuae? Quid si tu *Meursi*? utinam tu! Plura non valeo per occupationes, quibus mirifice nunc distrahor. Tu leges, & meam vicem relleges. Dandum est etiam Grutero aliquid & aliis. Raptim Vitebergae Sax. propridie Kal. Sept. Anno MDC.

XCIV.

DANIEL HEINSIUS IO. MEURSIO S. D.

ECce autem, egone in causa fui, quo minus id, quod volebam, consecutus sim, mi Meursi. Hanc ut ne te viderim quidem? at male sit illi negotio, quod me foris detinuit, ut citius Leidae te fuisse, quam esse cognoverim, quod nobis vel horulam saltim invidit unam, vel minus aliquod, si quod minus temporis spatium est. At probe ulciscar id ipsum. Hagam enim si venero, occupabo te prior & amplectar, quodque meo vitio commissum est, tuo damno resarcietur; nec divellar enim, nec seiungar, nisi supervenerit ille,

Ἕσπερος ὃς κάλλισος ἐν ὐρανῷ ἵςαται, ἀςήρ.

Catonem tuum en tibi; si quid praeterea hic curatum velis, huic homini manda, Vale, mi Meursi, & me, ut soles, ama.

Lugd. Bat. An. CIↃ IↃ C. IV. Id. Octob.

XCV.

Ann. Chr. MDC.

XCV.

IACOBUS GRUTERUS IO. MEURSIO S. P.

TAcui ego diutius, suavissime Meursi, quam statueram, aut debebam. Scito tamen, te in oculis mihi semper, imo in animo, fuisse, ut mereris. Sed quid ego audio? In superioribus proximis literis meis ad te est aliquid, quod tibi displicet? Certe feliciores apud te sunt, quam apud auctorem suum, qui confidentia quadam humanitatis tuae & candoris, incaute satis, ut hodie disciplinae est, non bonae amicitiae, illas ad te effutivi. Scripsi autem non tam ut tibi eas probarem, quam ut videres, cum cura & lubentia legisse me librum tuum, inter occupationes & temporis angustias maximas. Sed ubi nunc maxime es, in Iure ne, an pristinis literis? ut ego & in te venustatem, in illis autem ἑλκυστικὸν novi. Vale, mi Meursi, & quod facis, ama me. XXVI. Octob. An. MDC.

XCVI.

ALBERTI EUFRENII ELEGIA AD IO. MEURSIUM.(a)

MEursi, quem Criticos inter non vana loquetur
Fama, hilari ignotas subscipe fronte notas.
Vix ausus tanto nugas transmittere, sed me
Invitum vestri scribere cogit amor;
Quae peperere tuae laudes, tua gloria, nomen,
Gaudebunt cineri quae superesse tuo.
Qui sim, quod studium, quae patria? forte requires.
Sunt praefixa meis nomina carminibus.
Amstela, quos placidis muros perlabitur undis,
Hi primum claro membra fovere sinu.
At studium, Medicos dextra versare peritos,
Herbarum vires noscere, & omne genus.
Interdum ut relever curis gravioribus, & ne
Fluctibus in tantis deficiant animi,
Perlego priscorum iucunda poemata Vatum,
Temporis aut nostri carmina docta lego.
Et mihi casca placent, quae vulgus nesciat, & quae
Miretur populi plurima turba legens.
Ha! quam ridiculi, indocti qui more magistri,
Qui pueros linguae prima elementa docent,
Contemnunt, quae non novit Schola trita, nec unquam
Depromsit genio Tullius ipse suo.
Nasutus valeat sed cum Cicerone popellus;
Et plures doctos terra Latina tulit.
At tu perge genus Criticum dispergere in orbem.
Effugiet moestos sic tua fama rogos.
Nos Medici ad titulum, nostrorum digna laborum
Praemia, adhuc dubia pergimus ire via.
Temporis interea ne mentem taedia longi
Invadant, Musas iungimus Aonidas.
Ausa etiam doctos mea Musa accedere Vates:
Et nobis Burchi dextera iuncta fuit.
Nec solum verbis nobis se ostendit amicum,
Sed dedit & vena carmina nata sua.
Vidimus & Burchi tua, quae praefixa libello,
Carmina, & ingenium testificata tuum.
Vidimus in Dousae miserabile funera carmen,
Quod possit modulis saxa movere suis.
Nec Vates tacuit de te quoque Burchius, ex me
Quaerens, num Meursi foedere iuncta manus.
Abnuo: at ille tuum nomen, tua scripta, referre
Laudibus & vestri accendere amore animum.
Protinus inflammor, praesens tua & ora videre
Mens avet, & vestram quaerere amicitiam.
Foedera nos iungant adamantina, pectora iungant,
Atque aliquo saltem ponar, amice, loco.
Burchius hoc possit; Scriveri hoc foedera possint,
Quem lectos inter Symbola nostra tenent.
Symbola amicorum scriptis testantia mentem;
Quae decorant Scholli carmina facta manu.
Scholli, qui longis genitori iunctus ab annis,
Quique inter nostros nomina magna tenet.
Quare age, & audaces miti lege pectore versus,
Et streperam Musam consule, quaeso, boni.
Atque aliquo vestros inter componar amicos,
Quamvis non merear, Meursie clare, loco.

Lugduno-Batavorum ex Museo meo Pridie Calendas Novembris Anni magni MDC.

XCVII.

IOSEPHUS SCALIGER IOANNI MEURSIO SUO S.(b)

MItto tibi epistolam Marci Velseri, quam recens accepi. Oportet te rescribere. Sed monebo, quum opus erit. De vasis navalibus quod quaeris, non tu primus quaeris. & hoc mihi olim scrupulum vigeat. Sed adhuc delibero. Nam quicquid alii ad interpretationem, aut correctionem, vulgaris lectionis adferunt, non facio nauci. Si quid melius succurret, non illud invidebo tibi. Vale, & nos ama.

XVI. Kal. Decembris Iuliani.

(a) *Albertus Eufrenius Georgiades* Amstelo-Batavus, Medicus & Poeta, edidit iuvenis admodum *Erotica, Basia, Comam, & Silvam*, Lugd. Batavor. 1601. in 8. Haec in *Biblioth. Belgica Valer. Andreas Dessclius*, p. 37. nec plura. GRAMMIUS.

(b) Hanc Epistolam, editam iam sub n. LXXIX. quum dubium sit, an scripta fuerit anno 1599. vel 1600. optimum duximus hic repetere.

Ann. Chr. MDC.

XCVIII.

IAC. BONGARSIVS IO. MEVRSIO S.

EGo vero te, Meursi clarissime, si non amem, amari ipse indignus sim. Et amavi, ut primum prima illa tua in Arnobium vidi. Curas vero Plautinas, nomine ipso Meursii invitatus, comparavi nuper Francofurti: & ex iis hausi, avide, quantum per negotia licuit, quae tum me habebant. Exemplum vero abs te, cum literis missum, Lutetia hic accepi nudius quartus: pro eo multas tibi gratias dico. Sed quod me inserere tot magnis nominibus [a] & illustrare claritudine voluisti ingenii tui, tibi debere, & plurimum debere lubens merito tuo profiteor: paratus reddere, si quid esset, quo satisfacere possem ipse mihi. Vt ut sum, studiosum tui me habebis semper: & rem mihi feceris longe gratissimam, si vel nutu significaveris quid a me velis: animum tibi meum probabo re ipsa. Vale Argentina prid. Ian. MDC.

XCIX.

EPISTOLA IO. FRED. GRONOVII AD IO. MEVRSIVM.

EPistolam tuam τὴν τριπόθητον, quamvis dudum ἀνέλπιστον tandem accepi. Dii Deaeque! quam male est extra legem viventibus, quicquid meruerunt, semper exspectant. Ego, magne Meursi, reum me νεανικῆς τινὸς τόλμης deprehendebam, qui te clarissimum virum καὶ σεμνὸν ἔρεισμα literarum ad amicitiae iugum solicitassem. Itaque cum aviditas nostra ex literis praesertim ὡς τάχος scriptis fallere te non potuisset, luere me poenas inconsulti conatus, & reiectum condemnatumque silentio tuo me existimabam. Nam adeo indiligenter curatas meas non sinebant me subspicari dignitas auctoritasque eius viri, cui illas tradideram. Itaque modo mihi irascebar, modo (ignosce fatenti reo) te subaccusabam, nempe si non essemus tanti, ut aliquam studii erga te nostri rationem haberes: at opus, quod habeo sub manibus, tanti erat, ut responderes. Nunc autem video nulli te culpae obnoxium, meque adeo condemno temerarii iudicii, qui de tua humanitate nemini humaniori ignota tam sinistre fui subspicatus: teque etiam atque etiam obsecro, ne meritis suppliciis errorem meum ulciscare, quem & defero ipse primus, & hac satisfactione serio cupio obliterari. Quod superest id agam, & summa opum vi enitar, ut observantia mea omnibus in partibus amori tuo, quem pignerasse videor, respondeat. Cuius testem accipe hunc missivum novum libellum, quo animum nostrum ad commune publicum iuvandum profiteri potuimus. Scio enim conatus nostros effectu destitui, nec ad eam doctrinae perfectionem nos adspirasse, quae ad hoc genus scribendi requiritur, tuque adeo, & tui similes primaeva quamvis aetate ad illud attulistis. Quare si tamen gravissimae occupationes tuae ferent, ut huic libello oculos tuos ὀξυδερηεράτως credas, rogo te, ut lectione tua scriptionem nostram emendes, & in quibus connivis oculis usi sumus, qualia haud dubie & huic aetati, & his profectibus, plurima obvenisse necesse est, de iis doctior doceas. Facile enim, credo, patebit tibi non esse nos ex eorum censu, qui pudorem habent adgnoscendi, quorum magisterio profecerint.

C.

IO. BONGARSIVS IO. MEVRSIO S.

Ann. Chr. MDCI.

V. Cl. salve,

REspondit tuis ad me Gruterus noster, cui erant per errorem inscriptae. Historiae Hungaricae varios Auctores Marnio excudendos dedi olim, ne deficiente materia eius typographeum vacaret. Iis addidi Inscriptiones pauculas, notatas a me in Transylvania, in quibus illa de *Vialibus*. Varronis locum manu mea emendaveram in meo codice ante multos annos, non adscripto Auctore; cui emendatio illa deberetur, facilis, &, ut mihi videtur, certa. Quicquid fuit, putavi tibi communicandum. Mihi certe infelici vix tantum est otii, ut istiusmodi vel adspicere liceat. Sed illa Hungarica, cuicuimodi sunt, curabo, ut habeas proximis nundinis. V. Cl. Vale & me ama. Francof. XXIV. Febr. MDCI.

CI.

[b] IO. A WOWERN IO. MEVRSIO S.

ADfirmo tibi, mi Meursi, nullum inter amicos meos, cuius tam frequens memoria mihi obludat, ita adgnosco, nescio quem tacitum consensum genii utriusque nostrum, & quod constanter fidem meam auget, foedus amicitiae nostrae tam sanctae iuratum diuturna hac & longinqua absentiae meae non tantum non imminui posse, sed firmiori vinculo connecti. Hoc te unice rogo, mi Meursi, talemque me tibi imagineris, qualem maxime velles. Ausim dicere, nunquam poenitentia increpabis votum tuum, quo me fraterno tibi amore adstrinxisti. Nunc te rogo & hortor, utilitatem scopum tibi fingas, & hoc famae iter, quod felici pede currere coepisti, ita porro insistas, ut illorum quoque votis, apud quos agis, satisfacere possis. Noli irasci,

quod

(a) Dedicatis ei Adnotationibus ad *Curculionem* Plauti, in *Exercitat. Crit. P. I* ubi *Bongarsium* appellat *Christianiss. Gall. Regis in Daniam & Germaniam Exlegatum*. Sed cui non ille notus magnorum meritorum vir, & expertae tot bonis virtutis? cui etiam epistolae eius ignotae? quarum tamen minimam partem in lucem prodiisse certum est. Praeter has vero ad *Meursium*, puto me quatuor aut quinque ad alios, necdum editas & αὐτογράφους servare. GRAMMIVS.

(b) Haec sola ex Wowerianis est ad *Meursium*, quam in Hamburgensi epistolarum illius editione non reperio. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCI.

quod adfectui meo tantum indulgeam, ut haec ad te scribere ausim. Multi sunt menses, quod me Italia tenet, & tenebit fortassis adhuc annum integrum. Non valde adficior hac peregrinatione; paucissimi enim horum hominum palato meo faciunt. Multa animo volvo, quorum te certiorem vellem, sed istaec omnia differo, donec aut certiorem sedem vobis viciniorem elegero, aut aliquis Deus te mihi ad colloquium sistat. Nulla mihi certe mansio, ideo nec mireris, si rarius ad te scribam; nam aut literae saepe intercidunt, aut parum tuto ad nos transmitti possunt. Te vero indignum amore bonorum, si de amore meo vel minimum dubitare inciperes, quem devotissimum tibi tuisque aeternum fovebo. Adfectum meum patri tuo, viro optimo, pressius insinua, & vale, amor meus. Romae Kal. Mart. CIↃIↃCI.

CII.

(a) CORNELIVS SCHOLLIVS IO. MEVRSIO S.

QVod mei istic adhuc memor es, amice integerrime, & me etiam Deo volente, visere proposuisti, gratum admodum est; τριπόθητος enim eris hospes. Bene mihi cessit, quod mea importuna anni praeteriti scripta boni consuluisti, bonae enim tuae indolis, haudquaquam plebeiae, indicium est. Vtinam mihi Deus eam valetudinem largiatur, ut tibi par referre possim. Totus sum prostratus; unus dextri renis calculo attritus sua continua haemorrhagia me exhaurit, ut fere continenter decumbere cogar. Vna mihi spes est in bonitate Dei. Animus tamen adhuc est integerrimus, & partes principes adhuc bene habent. Quem de *Gloria* scripsisti librum, quia eiusmodi solent sub manibus crescere, faxit Deus, ut ex animi sententia elaborare possis. Argumentum est eximium & splendidum, & res ad, quam, tamquam ad finem, omnes fere actiones tendunt. Vnde colligo librum fore utilem & expetibilem, praesertim quia prodibit ab Auctore ingenioso, cuius nomen iam illustre est, qui & per se librum commendabit, & pro hedera erit. Deus Opt. Max. te sanum & florentem servet, & tua studia in commune bonum dirigat, & in dies magis ac magis promoveat. Patri tuo meo nomine salutem dices. Vale. Amsterodami A. MDCI. die II. Aprilis. Quod me in extremo versantem visere non gravaberis, eo summam in amicitia fidem ac benevolentiam mihi praestabis;

Ὅτι ἐγ' ὃ δύναμαι, τὸ θεός σοι ἀνθαποδώσει

CIII.

OTTHO HEVRNIVS IO. MEVRSIO S. D.

MI cognate, triste nuncium accipe. Obiit ille, quo vivo nos cum gratia & favore apud homines viximus, abiit, inquam, ex hoc calamitatis volutabro optimus ac carissimus meus parens ad beatum illud domicilium, ad quod contendimus omnes. Mortuus est hodie in aurora, hora sexta media. Illud igitur unum & supremum patri meo, ut praestes, rogo, ut digneris die Martis proximo lugubri vestitu ad nos cum patruo meo Suleno venire, ut ita honeste parentis cadaver terrae mandetur. Sulenum si accesseris, is tibi horum itineris indicaverit. Vale, mi amicissime cognate. Leida, anno MDCI. August. II. qui est Saturnio sacer.

CIV.

BON. VVLCANIVS I. MEVRSIO V. C. S. P.

REdit ad te, mi Meursi, pupillus tuus, quem fidei curaeque meae commiseras, quam ego illi, qua potui, praestiti libentissime, tuae nimirum in spem gratiae. Exemplaria, quae a Typographo stipulatus eras XXX mitto, eaque habiturus fuisses heri vesperi, & placidiore fortassis eo nomine usus fuisses noctu somno, nisi incidisset aliquid, quod Typographo moram iniecisset. Clouckius hodie CC. exemplaria ad mercatum Francfordiensem mittit, me suasore atque impulsore, missurus alioqui tantum CL. Vale, & discipulos tuos officiose & peramanter ex me saluta, iisque sponde daturum me operam, ut eorum desiderio brevi, volente Deo, satisfiat. Raptim. Lugd. Bat. XX. Aug. MDCI.

CV.

IDEM EIDEM.

MAle sit prope dixeram, migrationi meae, quae facit, ut Musis tuis morem gerere (absit enim ab amicitia nostra illud supplicii nomen, quod usurpas) non possim. Haerent adhuc in suis scriniis & capsis libri mei, neque divitem, uti vocas, bibliothecam meam in hac tugurioli angustia explicare possum; neque capsas omnes unius atque alterius libri quaerendi causa evolvere, quod quidem tu mihi eadem spero, qua Scaliger aliique amici, aequitate facilitateque condonabis. Optatum vix dubito, quin apud D. Vtenbogartum sis reperturus. Marcellinum nullum praeter Ammianum habeo. Per Historiam Apollonii, nescio, an Philostratum intelligas. Agapetum, nescio, an habeam. Vale, Vir Cl. & me in amore tui constantem esse & fore, nullus dubita. Kirchmannus qualis tibi visus fuerit, velim scire, & ut procedat Lexicon μιξοβάρβαρον.

(a) De *Corn. Schollio* nihil reperio apud *Franc. Svveertium*, *Valer. Andr.* vel alios, uti nec in *Lindenii* & *Mercklini* Scriptoribus Medicis. Fuisse tamen Medicum, atque eam artem Franekerae & Leidae praelegisse, Medicinam quoque fecisse, ex epistolis his perspicitur. Poemata quoque condidisse, & *Hippocratis* nonnullos libros carmini inclusisse non Latino tantum sed & Graeco &c. Provecta vero fuerit aetate his annis, quibus cum nostro amicitiam coluit, siquidem cum *Io. Heurnio* Parisiis olim & Lovanii vixerat.

Ann. Chr. MDCI.

CVI.

CORNELIVS SCHOLLIVS IO. MEVRSIO S.

GRatulor tibi, Cl. D. Ioannes, quod lucubrationes tuas de *Gloria* in publicum edidisti, docti & excelsi animi tui argumentum. Quod autem eum (ut honorarium munus) mihi mittere dignatus es, cum consolatoria in diuturno meo morbo epistola, longe gratissimum est. Non putabam rescribere, antequam totum librum perlegissem, nisi Albertus Euphrenius ad vos iturus aliquid a me literarum petiisset, quem non potui dimittere vacuum. Librum tuum nudius tertius accepi, & quamprimum compingendum curavi. Prima quaedam capita saltem licuit legere, quae cum orationis nitorem non adfectatum, tum rerum, & sententiarum gravitatem, & veritatem habeant, coniecturam facio, quod utilitate & grato compendio sese commendabit. Vnde colligo, te inter eruditione, facundia, & libris, illustres, aliquando celeberrimum fore, & apud posteros summam gratiam initurum, & immortalem gloriam adepturum. Tota aestate tuum huc adventum exspectavimus, qui quod nunc non datur, tam est molestum, ut quod maxime; qui si daretur, nihil gratius contingere potest. Pepercit mihi Deus supra omnium exspectationem. Solemnis illa renis haemorrhagia intermittit & remittit. Excrevi 9. & 15. calculos una vice absque ullo sanguine, sic ut de die non decumbam; & iam possum melius studiis & amicis operam dare. Quare si huc iter contingeret, posses apud me hospitio uti. Cum non videam, quo officio tibi pares referam gratias, si quo forsan medico consilio te contingat indigere, lubens inserviam. Studui biennium Parisiis cum cognato tuo Ioanne Heurnio, & annum cum eodem Lovanii familiarissime vixi. Praelegi quondam Medicinam Franekerae & Leidae, & ob calculorum tormenta reliquum exercui me in theoria & praxi, ut amicis in utroque satisfacere possim. Precor Deum Opt. Max. ut te sanum & florentem servet. Amsterodami CIↃIↃCI. die XXIX. Augusti.

CVII.

BON. VVLCANIVS IO. MEVRSIO V. C. S. P.

REdditae mihi sunt ante triduum literae tuae cum fasciculis librorum, & literis, adiunctis, quae tametsi omnia serius adlata fuerint, quam ut cum Bibliopolarum nostrorum libris convasari possent; effeci tamen apud Bonaventuram Elzevirium meum, ut is eorum curam in se receperit, neque dubito, quin probe & ex fide sit facturus officium. Singulis fasciculis involucrum addidi eique literas tuas exterius alligavi. Fasciculum etiam Parisiensem ei commendavi; neque enim ulla ratio suppetebat hinc Lutetiam mittendi, cum neque tabellarius ullus ad manum esset, ac ne exspectetur quidem brevi, & id sumtuosum nimis fore videretur. Miseram ipse DD. Monavio & Velsero exemplar libri tui, sed erit iis multo gratius, illos tua manu inscriptos cum libris accipere. Pagio, qui hasce tibi reddet, iuveni optimae spei literas commendatitias dari iussit Senatus Academicus ad DD. Ordines, ut ipsius inopiae amplione aliquo subsidio succurrere dignentur. Est ille mihi singularis amicus, & assiduus auditor. Iuva illum, quaeso, qua potes, apud communem omnium bonorum patronum, & vale. Penulam illam panneam viridem, qua libros tuos adversus pluviam munieram, velim per hunc ipsum mihi remittas. Erit enim mihi ea opus Amsterdamum cogitanti iter. Vale. Lugd. Bat. Cal. Sept. MDCI.

CVIII.

ISAACVS CASAVBONVS IO. MEVRSIO S.

AIN, tu vero? nullas accepisse te a me literas post exercitationum tuarum publicationem? Atqui scripsimus nos ad te, eruditissime Meursi, Lugduno Segusianorum non semel. Periisse autem literas nostras in itinere, neque tibi fuisse redditas, ex tua primum epistola cognovimus. Nam si vel tenuis eius rei subspicio prius ad nos pervenisset, officio, mihi crede, non defuissemus, quin iterum, aut saepius, & de accepto munere te faceremus certiorem, & gratias pro illo tibi gratissimas ageremus. Puto cum illis melius actum, quas ad amicum illum tuum dedi, qui Aureliano Lugdunum & epistolam & librum simul nobis miserat. Quum igitur quorumdam, quibus meas commiseram, perfidia factum sit, ne tempestivas tibi gratias agerem; accipe nunc προφρονέθυμεῖ seram quidem, sed seriam, & ab eo proficiscentem vere grato, vere tuo, gratiarum actionem. Neque enim parum me tibi debere sentio, qui amoris tui adversum nos tot exstare in eruditissimis scriptis tuis expressa vestigia volueris. Persuade autem tibi, mi Meursi, ex omnibus, quos eruditio tua tibi conciliavit, esse omnino neminem, cui nos in amore tui, & tuarum virtutum praedicatione, concedamus. Librum de Gloria tuum multo ante, quam missum a te exemplar acciperemus, avide, ut omnia tua, legeramus, & amicis ostenderamus. Nunc etiam quid moliaris, quid ab ingenio tuo exspectare habeamus, laboro scire. Quod sit nostrum de laboribus tuis iudicium, facile inde colligas. Audio editum pridem esse ab eruditissimo Heinsio Silium Italicum, & iam in Hesychio eum esse. Velim ex te scire, vera haec, an falsa, hic iactentur. Nam de Silio nihil nos docent isti Francofurdiensium Nundinarum Catalogi, quos quidem viderimus. In Hesychio posse illius inceptum adiuvari nonnihil opera nostra, existimamus. Quamquam scio, qui magno Scaligero familiariter adeo utatur,

tur, posse eum non nostram modo opem, sed omnium ἀπαξαπλῶς, quamlibet Eruditorum contemnere. Proximis literis scribebat Scaliger, Heinsium aliquid ad nos literarum dedisse, quas vidimus adhuc nullas. Vale, amicissime vir, & Grotio, Scriverio, Heinsio, adolescentibus supra annos suos doctis plurimam a me salutem. Lutetiae Parisiorum VII. Eid. Mart. [a] MDCI. [b]

CIX.

THEOD. CANTERUS IO. MEURSIO S.

Quod binis tuis, amicorum optime, hactenus non responderim, factum est, per brumalé hoc tempus, scribendis literis inimicum. Nunc autem, quod hactenus neglectum est, resarcire conabor. Gifanii literas una cum tuis sartas tectas accepi, & illum in aula Imp. agere iam antea intellexeram, sed meo iudicio serius paullo animum aulicis negotiis adplicuit. Quare magnopere scire velim, quo loco res eius ibi sint, & an vitae illud genus, hac praesertim provecta aetate, ei ex animo placeat. Nam ea aetate, qua de abitu quotidie agitandum merito est, se aulicis turbis immiscere, an consultum sit, equidem nescio: meo certe iudicio, si hactenus aulae negotiis implicatus fuisset, nunc saltem aetate ingravescente, se iis turbis extricare, & ad vitam quietiorem conferre deberet. Quare, quid tu & amicus tuus Vandermylius hac de re statuatis, scire velim. Ego certe ex animo illi omnia prospera & felicia voveo atque opto, utpote qui cum mihi semper fuit summa familiaritas & amicitia a primis fere annis. Velim etiam, ab eodem rescíscas, quo loco res Blotii nostri sint, nam & ille unus ex veteribus amicis & familiaribus. Quod ad diem & annum obitus fratris mei [c] piae memoriae attinet, ille natus est A. 42. mense Iulio, die XXIII. denatus est A. 1575. mense Maio, die XIIX. Ita ut necdum annum 33. expleverit. Sed ita Deo O. M. visum fuit. Thuano ut me de meliore nota commendes, etiam atque etiam rogo, & una officiose meo nomine salutes; illud insuper addito, si qua in re eius conatus iuvare potero, me paratum & promptum fore. Libellum de gloria a te confectum videre aveo: magis tamen esset ex re tua, si postpositis aliquantulum amoenioribus illis studiis, Iuris studio absolvendo te totum traderes, donec omnes illas molestias & tricas forti & constanti animo devoraveris. Ignosces mihi, si saepius eandem cantilenam occentavero. His vale, & nos, quod facis, amare perge. Resalutabis officiose meo nomine Cornelium Vandermilium.

Raptim Ultraiecti XI. Martii.

Tuus toto pectore

THEOD. CANTERUS.

(a) Sic in nostro Cod. sed in edito est VI. *Eid. Aug.* GRAMMIUS.

(b) Edita in Casaubonianis N. CCXLII. pag. 124. GRAMMIUS.

CX.

NICOLAUS RIGALTIUS IO. MEURSIO S. D.

Hodie tandem accipio literas tuas, Meursi eruditissime, datas postridie eid. Decemb. A. 1600. Vehementer autem laetor, non fuisse interceptam una cum munusculo salutem, quam tibi in literis ad Vulcanium ex animo dicebam. Certe Phaedri fabulas cum illis unum in fasciculum composueram. Omnia in itinere periisse putabam, nihil enim mihi ab eo tempore Vulcanius rescripsit. *Glossariorum* editionem se accurare scripserat; an edita iam illa sint, fac me, obsecro, certiorem. Ego interim absolvi meum illud *Graecobarbarum*, quod olim promiseram. Mitto, ecce tibi, simul & *Funus Parasiticum*, paulo emendatius auctiusque, *Iuliani* quoque *Epistolam* in lucem dedi, dum mihi tantillum otii de forensibus negotiis subfurari licuit. De istis vero scribe, quid censes. Iudicium enim tuum plurimi facio. Gallia nostra ingenium tuum exosculatur, & libros tuos avide legit. Gloriae tuae adsertores & fautores habebis hic, spondeo, permultos. Sat habet fautorum semper, qui recte facit. Bene vale, amicissime Meursi, meque eum esse puta, qui omni erga te officii genere a nemine vinci se patietur. Iterum vale.

Lutetiae X. Kal. April. CIϽIϽCI.

CXI.

OTTO HEURNIUS IO. MEURSIO S. P. D.

Mi cognate, donum tuum accepi, & nihil rescripsi? Fateor culpandus, si id desidia factum. Sed audi quaeso, certo scio rem cognoscens, mihi ignosces. Tantum negotii Bontius mihi creat in possessionis adeptione, ut nihil supra; omni arte & marte me ex professione eiicere nititur. Quaeso si quid apud vos inaudias, mihi quod obesse possit, id praeoccupes. Hic certe ita his diebus me torsit, ut vis vitalis mihi vita esset. Acta iam professionis habeo, sed, ut loquuntur, Provisionalia; habuissem absoluta (ut ipse Dominus Pensionarius mihi dixit) nisi summa adversarii fuisset importunitas. Dominus tamen Pensionarius mihi dixit hanc provisionem extra periculum esse, nam ad effraenem adversarii linguam fraenandam tantum eam cautelam adiectam. Alia acta me propediem habiturum dixit, ubi eruditionis specimen dedero. Iam Bontius hoc petit, ut etiam specimen edat. Vide quanta hominis sit audacia & invidia, qui ex dato iam munere, cuius iam acta habeo, eiicere me nitatur. Quaeso si quid petatur, mihi quod obesse posset, a Domino vestro id impedias. Haec eadem causa fuit, quod serius iis, quibus destinaveras tuas, libros tradidero. Nam iam Wiliano scripseras, te ei librum misisse, quum non-

(c) *Guilielmi Canteri* scil. viri doctissimi & celeberrimi. GRAMMIUS.

Ann. Chr. MDCI.

nondum tradidissem, facile tamen ille mihi ignovit, ut qui occupationes meas nosset, spero & te idem non difficulter facturum. Nuper Hagae fui, vos quaesivi, sed fustra, nam domi non eratis. Ibi quum essem, intellexi patrem tuum aegre tulisse, quod ad parentis mei exsequias non vocatus. Sane testor Deum, id per contemtum non factum, nec ullam aliam ob causam, quam quia senem valetudinarium turbare noluerim: fateor tamen nostrum officium fuisse, ut eum vocaremus: sed quis in tanta rerum confusione non committat errorem? Rogo id factum apud eum excuses, & e candido, non sinuoso, pectore profectum credat. Vale, parens tuus, mater familiaque tota valeat & vivat feliciter & aeternum. Festinanter Leida A. MDCI. Septembris VIII. Die Mercurii praecedente Professionem adgressus sum, cuius hoc Carmen index. Tantum otii nondum fuit, ut vestrum Scriptum legere potuerim. Gratias tamen ago, quas possum, maximas, me vobis hoc munere semper obstrictum adgnoscens.

CXII.

NICOLAUS RIGALTIUS IOANNI MEURSIO S. D.

Hodie tandem literae tuae mihi redditae, eruditissime Meursi, datae VI. Kal. Iun. sed quid? nonne iam accepisti munusculum illud Glossarium meum? Puto te accepisse: Ita enim mihi rescribit Bongarsius, qui eam in se curam receperat. Fac me obsecro certiorem. Miseram una etiam ad Vulcanium exemplar illius libelli. Nescio an acceperit, nam etiamnum silet. Illi tamen, & excellenti Hugoni Grotio plurimam a me salutem. Te valde amo, meque a te amari & cupio & confido. Vale. Lutetiae Paris. raptim. III. Eid. Septemb. MDCI.

CXIII.

IACOBUS GRUTERUS IO. MEURSIO S. P.

Cessationem literarum tuarum, ita ut excusas, interpretabar ego, mi Meursi, quod scirem, ex oblivione nostri non profectam. Et compensasti tu eam munere, quo etiam iratum placare poteras. Librum dico tuum *De Honore*, quem ego ob argumenti nobilitatem liberali ingenio dignissimum, & disputationis praecipue tuae acumen & elegantiam legi ἀπνευστί. Non exspectaveram ego, ut materiam panegyricam tam nervose, aut angustam tam tractares copiose. Taceo seriem in tanta varietate, & operis totius oeconomiam. Nec dubito ego, quin omnes docti & cordati idem sensuri sint. Nam umbras hominum & mormolycia territandis bonis ingeniis nata, non video, quid moreris. Habet magnum decus literatura, sed id ipsum sociatum varia rerum ipsarum & Philosophiae cognitione conspectius multo in se, & utilius ad Remp. evadit. Contra quam multi vulgo statuunt, qui errore quodam iudicii, aut ingenii viriumque diffidentia, alterutrum negligunt, aut utrumque ἀσύστατον putant. Sed abeo longius, ad te praesertim. Doctissimum iuvenem H. Grotium ex sermonibus aliorum, atque ipsius adeo Capella, & Semestribus, novi. Nam ut propius possem, nulla etiam occasio fuit. Eum tu a me, si commodum erit, salutabis plurimum. Vale, doctissime Meursi, & nos, ut facis, ama. XIII. Septemb.

CXIV.

IAC. BONGARSIUS IOH. MEURSIO S.

Libellum tuum elegantem & doctum accepi cum epistola, quae nondum lecta, periit mihi negligentia pueri. Sed & pro libello, & maxime pro illa tua in me constanti benevolentia tantum tibi debeo, quantum solvere me non posse profiteor. In libello tuo, ut primum aperui, primum incidi in caput secundum Auctarii, & ad legendum, quamvis alias occupatum invitavit Epigraphe *De Laribus Vialibus*. Inscriptio haec est Albae Iuliae in aedibus Principis, quae olim fuerunt Episcopi,

FORTUNAE
REDUCI . LARI
VIALI . ROMAE
AETERNAE
L. AXIUS AELIA-
NUS . VE . PROS.
AUG.
IONI . (a)

Eam vidi, & exscripsi & notavi ad res Hungaricas, cum loco Varronis, qui est in V. de LL. *Compitalia*, *dies attributus Laribus ut alibi*. Nemo non videt legendum *Vialibus*, quod olim adscriptum orae libri mei, cui debeam, nescio: a me non esse, scio. Vale, vir doctissime, & me ama tuum. Francof. XXVII. Sept. MDCI.

Proxime praeteritis nundinis misi Elzevirio librario librum, a Rigaltio tibi reddendum: quum acceperis, quaeso, significa.

CXV.

THEOD. CANTERUS IO. MEURSIO S.

Vide, doctissime Meursi, supinam operarum negligentiam, vix primori labro librum a te missum gustaveram, ecce priorem caternionem mancam & mutilam, atque una tantum parte exaratam deprehendi. Quare hanc Typographo restituas, aliamque in eius locum accipias, velim, quam ad nos, quum occasio aliqua commoda se obtulerit, mittes. His literis pretium inclusi, quod meo nomine impenderis pro fragmentis Lucilii. Quod filius Lambertus tuis hactenus non responderit, in caussa est valetudo adversa, quacum etiamnum

(a) In *Inscriptionibus Gruteri pag. LXXVIII. num.* 1 accepta quoque refertur *Bongarsio*. GRAMMIUS.

num conflictatur. Velim per occasionem ex Domino Scaligero rescifcas, ubinam locorum agat Petrus Daniel Aurelianensis: nam longo in tempore nihil de eo inaudire potui. Vereor ne & ille ad plures abierit. Catalogum variorum librorum vidi. Ego certe nihil unquam eo vidi ieiunius. Si è Gallia vel aliunde aliquid novorum librorum ad vos adlatum fuerit, velim, me certiorem facias. His Vale, amice cariffime, & nos, quod facis, amare perge. Saluta Scaligerum, Scriverium, & alios amicos: Alias plura. Raptim Vltraiect V. Octobris.

Tuus toto pectore

THEODORVS CANTERVS.

CXVI.

EIZO TIARDA IO. MEVRSIO S. D.

TEstor amicitiam nostram, mi Meursi, ut in iucundissima illa totius Galliae peregrinatione [quam ex eo tempore, quo meas postremas, circa mensem, ni fallor, Septembrem anni superioris, ad te dedi, simulque indicavi, quod iter Anglicanum distuleram, quoniam per illud ad vos reversurus eram, postquam Italicum, quod post Anglicanum in animum induxeram, parenti meo displicebat, iniri: (in iucundissima illa, inquam, peregrinatione, semper mihi iniucundum fuit, quod neque de rebus tuis certior fieri, vel de meis te certiorem facere, potuerim. Quomodo enim possem, quum modo hic modo illic, secundum opportunitatem, & amoenitatem loci, tantilum temporis substiterim? Postquam autem perfeci, nihil prius, nihil antiquius, habui, quam impositum cinerem, & sopitos ignes: (neque enim credo, diuturnum hoc silentium, quod per iniuriam, & opportunitatem, temporis contigit, amorem nostrum mutuum extinxisse) suscitarem. Quae mihi in peregrinatione evenerunt, quae vidi, quoniam epistolae modum excederent, coram narrabo: quod fiet cum bono Deo primo vere. Indicem Francofurtensem per Bibliopolam quendam mihi Parisiis huc curavi adportari, sperans in eo aliquid tuae editionis futurum. Noveram enim tuum istud promtum, & inquietum ad rem literariam promovendam ingenium, nec spes me fefellit. Inter alios enim sese mihi obtulit partus tuus *De Gloria*; sed quid de eo sperare debeam, nescio, quoniam adhuc non potui habere. Numquid praeterea edideris, nescio, ex eo enim tempore, quo a te discessi, non vidi, aut videre potui, Catalogum Francofurtensem. Doleo fortunam parentis Grotii nostri, sed nonne fefelli, cum dixi *nostri*? nescio enim quid ab eo sperare debeam, quum neque literas, neque salutationem, ab eo acceperim. Quae sit fama tua apud Germanos, & alios, velim, mihi significes: quae sit apud Gallos, diu est, quod significavi. Nosti enim, quam sum avidus gloriae tuae. Vale, mi Meursi, & parentes saluta, meque ama Cadomi XXVI. Octobris. (a)

CXVII.

THEOD. CANTERVS IO. MEVRSIO S.

SChedulam meam cum locis ex Chrysostomo excerptis, amicorum optime, quin iam diu acceperis non dubito. Si tamen in itinere perierit, aut ad manus tuas non pervenerit, primo quoque tempore eadem repetere non pigebit Quid apud Anastasium voces *Galathas*, & *Gammadas*, significent, velim, nisi molestum sit, explices. Si quid certi de obitu Gifanii nostri intellexeris, velim, me certiorem facias. Scire etiam ex te aveo, num servi olim comam aluerint; aut si tonsi, vel rasi, fuerint, quo genere tonsurae vel rasurae usi fuerint Nam non dubium est, quin ab aliis, primo statim intuitu, discernerentur? Et qui hactenus de hac re aliquid literis consignarunt, non mihi satisfaciunt. Scio quidem, eos radi solitos, quum iam essent manumittendi, sed de tali rasura, vel tonsura, non disputo; hoc enim satis notum, sed quo ornatu fuerint, quoad capillos, quum adhuc servi essent, nec aliqua libertatis spes adfulgeret. His Vale, amicorum optime, & nos, quod facis, amare perge Raptim Vltraiecti XXVII. Octobris.

Tuus toto pectore

THEOD. CANTERVS.

CXVIII.

M. VELSERVS IOAN. MEVRSIO S.

EGo cum veterem mimum cogito,

Beneficium saepe dare, docere est reddere,

pudore subfundor, mi Meursi, qui toties a te muneratus, nihil adhuc repono. Non quin gratiae promtae paratae que sint, sed vereor tibi de his idem videri, quod Simonidi. Vt ergo verba aliquando in rem conferamus, enitemur. Vandermylium & Raphelengium incolumes domum pervenisse, audire pergratum fuit, quos amantissime salvere iubeo. Vandermylius spem fecerat Iani Dousae filii lucubrationes, quaecunque reperiri potuissent, collectas prodituras, cui fini Odam, quae apud me erat, communicavi. Interim praeter fragmenta Batavica nihil comparet. At profecto seculi opprobrium publice sit vestrum, Batavi privatim eius ingenii monumenta pati intercidere. De Boethii loco quod quaeris *Pyramus*

(a) Scripta sine dubio anno 1601. cum libri *de Gloria* mentionem faciat, ut iam publicae luci expositi. Ceterum in Gallia *Eitzo Tiarda* iam versabatur ab anno usque 1599 ut videre est ex epistola ad eum *Meursii*, in *Exercitationibus Criticis* pag. ... *Part. I.* atque Elegia eidem dedicationi subiecta. Patria Frisius fuit, & quidem Groningensis, honestissimo loco. Lugduni Bat. adolescens vixerat, commilitio studiorum iunctus *Grotio*, *Meursio*, *Scriverio* Post peregrinationes, Gallicam, Anglicam &c. muneribus in republ. patria admotus nunquam litterarum studium ac erga doctos benevolentiam deposuit, quod cum ex his epistolis, tum haud una *Meursii* librorum dedicatione patet. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCI.

mus vitae praecisae similis, Uvae sane lego. Vt praecisam pro praecisae subponam, adhuc haereo. Quis enim praecisam in finali, hoc est, rudi lapide, ab aliis uvis distinguat. Et habet praecisae commodum & apertum sensum; quod sequi amo. Vale, & adfectum, quo me complecteris, tuere. Augustae Vindel VII. Id. Novembr. An. MDCI.

CXIX.

Io. Commelinvs Io. Mevrsio S.

Redditae mihi sunt tuae literae, Vir doctissime, cum iis, quas Heidelbergam mitti petebas, quae prima occasione perferri curabuntur. Neque tam accurata excusatione uti opus erat, cum Reip. literariae, in qua ex professo totus sum, me hoc debere ingenue fatear. Et cum omnibus doctis in re simili me semper quam paratissimum praebuerim; tum vero & tui, & Iani Gruteri, mei amantissimi causa, & has, & quascunque olim voles, libens cum meis per tabellarios curabo perferendas. Verum ignosce, quod ego mercator rudis ad te virum doctissimum Latine (si modo Latine) scribam. Melius certe vernacula lingua. Sed cum iuvenis adhuc valde literis aliquantulum operam dedissem (quibus iam quadraginta fere annis vale dixi) etiamnum iis summopere oblector, quotiescunque per otium licet. Vale, mi Meursi, nostri aevi decus eximium, & me, quod facis, ama. Amstelodami XVI. Nov. MDCI.

CXX.

Ianvs Grvtervs Io. Mevrsio S. P.

Mi Meursi, ita est: eodem die, quo priores ad te meas dedi, transiit hac Dominus Bongarsius, cui tuas dedi; is tamen mihi suas non item, quia haererent Francofurti, quo tunc tendebat. Recte tamen postea recepi, obque eas plurimum te amo. Haud tamen est, aut doleas, aut indigneris, ob amissas interversasve literulas; nam saepius sane accidit: mihi quidem res est quotidiana, quodque fero eo patientius, eo minus irritantur nescio qui scioli, ut id faciant. Tua de gloria avide legi, & placuerunt sane omnia, nisi quod parcior eras; sum enim homo sc. multi cibi & potus: at vobis proponere visum cyathos rorantes aliquot: ego congios quaerebam. Matrimonio voves fausta. Deus faxit; & tibi idem contingat, cum animus mutare conditionem, aut potius accipere. Carmen pro Inscriptionibus nostris, omnibus numeris luculentum est, adeoque ea propter tibi & ego & Scaliger debemus plurimum. Excusas in usum: sed non legi sane ab aliquot annis versus rotundiores ac saniores: plures hunc honorem mihi habuerunt: sed non arbitror esse, cui non palmam hic praeripueris, nisi forte Bezae, atque Vtenhovio. Quum puer essem, delectabar admodum scribendi genere hirto horridoque, atque inde, meo cum dolore, versantur in manus hominum illa famae meae non tam periculosa, quam pestilentia *Pericula* (a). Verum, ut iudicium acuit aetas & experientia, eiuravi talia monstra, cupiamque accedere ad Nasonis candorem, quem sane tu in tuis expressisti lineis, velut Apellaeis. Ago igitur, ut dixi, debeoque plurimas tibi, mi Meursi, gratias; & si nos in simili genere etiam quid tibi gratificari possumus, impera Musis nostris, dummodo tamen nostras esse longa macie velut enervatas, flaccidas, & tantum non anus, h. e. qui lectorem avertant potius, quam adliciant; utpote qui nec ludos illud habeant, uti in rugis ipsarum sedeat amor. Epistolam hanc cum officiosa salute tradas, velim, Domino Dousae, quam unicam inter patris epistolas inventam nuper tradidit filius Posthii. Melissus scrinia sua nondum excussit; neque excutiet, scio (si bene hominem novi) nisi a morte. Itaque nihil est, quod inde aliquid speret D. Dousa. Equidem petitioni satisfacere incipiam post Kalendas Ianuar. quum scilicet Inscriptionum operi ultima accedet manus. Vale.

CXXI.

Idem Eidem.

Etsi indies tuas exspectem, tamen redeuntibus ad sua nostris non potui, quin etiam tria verba mea secum ferrent. Inscriptas quidem literas tuas mihi nuper recte transmisere Commeliniani: sed ut eas resigno, vidi erratum ipsa festinatione: erant enim ad Bongarsium. Itaque cum inde libeat colligere te meas inscripsisse Bongarsio, avide exspecto adventum eius Argentina, quod erit propediem, si in iis offendero, quae cupii, quae vovi, hoc est, Epigramma tuum, quod sit ornandis Inscriptionibus nostris, erit omnino gratissimum. Si tamen minus, quaeso te, mi Meursi, hoc tandem des amicitiae nostrae subolescenti. Scis enim tenerius tractandos amicos recentes, quam senii veluti edecumati. Si ego etiam simili officio tibi me gratum exhibere potero, impera tantum, & impetras. Scaliger tua recte curabit, nam ab eo mox exspecto numerosos illos in eundem Inscriptionum librum indices, quos ei libuit concinnare, me tale quid nequiente, ob valetudinem, ob munus publicum, ob alia, quae me vix meo permittunt iuri. Ceterum ut tuo desultorio in antecessum satisfiat: quod arbitraris de Hungarica Historia Bongarsii, frustra est. Edidit ipse ante biennium Auctores omnes uno volumine, qui complexi Historiam illius gentis. Eis adiecit Epigraphas aliquot antiquas; pone itaque spem magnam. Idem nunc totus est in adornando Tyrio & Historia Ierosolymitana (b). Ego hanc hiemem transigam otiosus, nisi quod recensebo Notas meas quasi Politicas in Imperatorem Onosandri. Haec libebat obiter tecum garrire, mi Meursi, plura pertexturus, quum ad me

(a) Poemata Gruteri, quae *Pericula* inscripsit; edita Heidilb. 1587. in 8. (b) Scil. quam inscripsit *Gesta Dei per Francos*.

Ann. Chr. MDCI. ad me tuas nactus. Interim vale & salve a tuo Grutero haec praecipitante, die XXIX. Nov. MDCI. Heidelbergae. Cum tua ad me curabis, adi, quaeso, D. Dousam, & quaere, num quid & ipse ad me Epigrammatis; nam erit, spero, in parato.

CXXII.

IACOBVS AVGVSTVS THVANVS IOANNI MEVRSIO S. D.

Accepi tuas Lugduni Batavorum datas XIII. Kal. Septemb. cum libro *de Gloria*, quem iam mihi proximis his nundinis paraveram, & avide perlegeram. Vt omnia tua, sic hic novus foetus maxime ad meum gustum, qui non solum te in dies in literis magis ac magis proficere, sed etiam in moribus ac eorum disciplina magnos progressus fecisse, fidem apud me plenam facit. Macte ista virtute, iuvenis doctissime, & ad res magnas capessendas nate, quas verae gloriae auspiciis subscipi & ad prosperum finem perduci verum est. Criticas Exercitationes mihi inscriptas & a te missas ante biennium acceperam, & exemplaribus inter eos, quibus destinabantur, distributis, pro munere & honore mihi a te delato gratias per literas egeram; verum eae, ut diu postea rescivi, nescio quo casu, perierunt; hanc longioris silentii excusationem ut in bonam partem accipias rogo, tibique sic persuadeas, nihil a te proficisci posse, praesertim tam honorifice mihi delatum, quod non vicissim, ut debet, perhonorifice accipiam; tibique eo nomine nunc denuo gratias ago, referrem etiam si possem; sed nec ingenii mei tenuitas, neque gravissimae iuxta ac molestissimae occupationes id patiuntur. Ac vereor sane ne id in opere nostro historico nimis manifestum fiat, quod ante octennium in castris inter tubas & privatas calamitates ab anno praeteriti seculi XLV. hoc est, a belli Germanici primis initiis, ad annum usque XXCVI. persecutus sum, ad excessum usque Henrici III. illud pertexturus, divina favente clementia; nam ultra progredi neque animus, neque otium est, & multae alioqui iustissimae rationes dehortantur. (1) In eo res externas ac praecipue vestras, ut Gallicis maxime coniunctas admiscui, digestas ex variis Scriptoribus ac Commentariis, ut passim toto opere, nunquam editis, adhibito iudicio, & peculiari rerum notitia, quas peregrinationibus & legationibus, insuper virorum fide dignorum, qui gravissima negotia tractaverunt, familiaritate mihi comparavi. Praecipuum in eo veritatis studium fuit, eloquentiam ac cetera ornamenta, si quis desiderabit, hoc etiam sciat, in publico moerore haec a me conscripta; & rem laetam esse eloquentiam, sicuti quidam veterum dixit; & homini inter occupationes & negotia educato plus temporis in rebus cognoscendis insumtum, quam otii ad literas perdiscendas, quae ad ornamenta haec requiruntur, necessarii, fuisse. Quod ad editionem attinet, quam a vobis Belgis exspectari dicis, non habeo quid respondeam; scis illud quod molimur esse periculosae plenum opus aleae, & eum qui Historiam hoc tempore scribat, incedere per igneis subpositos cineri doloso. Curavi certe, ut procul ab obtrectatione, & gratia, vera & certo comperta ubique proderem, neque veritati per me flagitioso silentio praeiudicaretur; nam Historici est, non solum vera dicere, sed vera audere dicere: quod & sedulo feci, de posteritate scilicet potius, quam de praesenti seculo cogitans, cuius invidiam si, dum in vivis, aut saltem in publico munere, ero, devitaverim, non solum mihi privatim citra reip. detrimentum sed etiam ipsi reipublicae, cuius, quamdiu ei inserviam, me in invidiam non adduci interest, eadem opera, ut puto, consuluerim. Interim si quid habes, praecipue de vestris rebus, quo iuvare nos possis, communicare nobiscum ne graveris. Sic uterque feremus arbores, quae alteri seculo prosint. Theodoro Cantero, pro tam obvia humanitate gratias ut meo nomine habeas, ac vicissim plurimam salutem impertias, rogo. Salvere iubeo & Bonaventuram Vulcanium, Paullum Merulam, & Danielem Heinsium. Vale & me ama. Lutetiae Paris. VII. Eid. Decemb. CIƆIƆCI.

CXXIII.

IACOBVS GILLOTVS IO. MEVRSIO S. D.

Libellum *de Gloria* tuum, bellum mehercule, mihi a te missum, & animi testificandi causa manu tua subscriptum, accepi, litteratissime & vere δαιμόνιε adolescens, una cum litteris ad me omni liberalitate & urbanitate plenis. Incredibile hoc mihi accidit. Nempe amorem erga me habere voluisti, quem neque consuetudo neque ullum meum meritum conciliare aut inducere potuerunt. Obvius es & expositus, plenusque humanitate. Talem animum, & amicabilem adfectionem tuam libenter amplector. Agere, quas debeo, gratias non possum. Cui enim re non valeo referre, huic verbis non patitur res satisfieri. Tales tamen ago, quales possum: & ne in crimen incidam ingrati, palam beneficium tuum profitebor. Scribens de amplissimo virtutis praemio, post laudatissimas non paucas lucubrationes, id adsecutus es; si modo gloria est pervagata & illustris fama omnium iudicio comprobata. Et quod ego cum aliis omnibus demiror, iuvenili necdum firmata aetate. Iter, quo ad gloriam a pueritia ingressus, vix eam egressus perfecisti. Iucundus es, ne ridiculus dicam, qui tuis ut ignoscam litteris, a me petis. Tu qui potis, dabis veniam homini in hoc scribendi genere non satis versato, imo plane inepto. Vsum librorum forensia nobis adimunt negotia, neque tamen ab illorum amore & studio animus penitus exsulatum ivit. Magna est apud vos literarum gloria, summa laus, nec immerito.

(1) Hanc tamen Historiam deinde ultra produxit. LAMIVS.

Ann. Chr. MDCI.

to. Nimirum Scaligerum omni laude maiorem, omni observantia digniorem, fovetis & colitis. Habetis Drusium doctissimae & iucundissimae lectionis virum: quem satis ad mirari non possum. Ille Scriptis suis mirabilem apud me sui amorem excitavit. Habetis Dousas, Vulcanium, & alios, quos epistolae lex recensere non patitur. Nec te, nec Grotium, sileo, portentosi iuvenes ingenii; quod de Scaligero tunc iuvene magnum Turnebum dicentem iuvenis audivi. Ille non ita pridem Tragoediam elegantem, & paullo ante Arataeorum syntagma, gratissimum mihi munus misit. Si meo nomine illum salutabis, & ratum mihi, & gratum erit, modo molestum tibi non sit. Et gratias agens, absentiam meam excusabis. Id enim temporis Lutetia, Lingonas profectus, aberam, ut ea tempestate, rerum scilicet prolatarum, nos *vacationes* vocamus, quotannis soleo. Gestio vos, quos ex libris novi, coram videre, ut Pythagoras Memphiticos vates, & Plato Archytam Tarentinum. Sane nisi horridum me terreret mare, illud iter iam confecissem. Ecce, quod iubes, aliquid repono. Amice, non censorie accipies, & Vulcano emendandum, si me amas, trades. Vereor, ut ἕωλος sit epistola. Tabellarios frequentes non habemus. Vnum te rogo atque oro, ut Drusii & Grotii imagines, sed & tuam praesertim ad vivam similitudinem effictas ad me, si fieri possit, mittas: audio enim, vos permultos & elegantes habere pictores: quas in Museo nostro cum aliis virorum magnorum vestri similium conlocem. Nil aliud maiore studio rogare te possum, qui vos in oculis ferre vehementissime cupio. Vale, doctiss. Meursi; amorem ultroneum tuum conservabis, & me ita amabis, si hoc idem me in te facere senseris. Lutet. Paris. XIII. Cal. Ian. novi seculi anno primo. (a)

CXXIV.

IAN. HEINSIVS IO. MEVRSIO.

MAturius litteris tuis respondissem, Meursi doctissime, si potuissem ex voto. De *Hiliani dictionariis* loquor, quorum cum magnam fere semper in officina nostra copiam habuerim, ea iam tandem desiderari coeperunt. Brevi tamen ea Antuerpia exspectamus, quae simul advecta fuerint, faxo, ad te exemplar transmittatur. Exemplar lucubrationum tuarum nactus sum, pro quo hoc tempore nihil praeter gratias reddo: erit fortasse, cum referre potero. Quaeris, quid sentiam? quod ad disputationis illius subiectum aut ὑπόθεσιν; id quod tu: esse nimirum paucorum hominum, cum non omnes sublimes illas Divinitatis scintillas aeque amplectantur, stimulosque illos quasi effoeto pectore admittant. Multi enim ab hominibus degenerarunt, & totidem fere, quot ab amore studioque gloriae. Ita enimvero sentimus nos, quod profecto mortales in causa sunt, ne solum hoc ratum apud Romanos fuisse existimemus. Argumenta tua laudo, admiror etiam breve illud disputationis genus, & quod quasi punctis quibusdam rem conficit. Interim valebis, Meursi doctiss. & illud Bataviae nostrae sal, *Grotium* nostrum, salutabis, cui me brevi, volente Deo, scripturum dicas. Iterum vale. Lugd. Bat. (b)

CXXV.

BON. VVLCANIVS IO. MEVRSIO S. D.

EN tibi, mi Meursi, literas a Monavio nostro, quas nudiustertius Amsterdamo accepi inclusas meis, quas etiam ad te mitto, ut si forte brevius ille ad te, utpote Pragam properans, plenius te meis oblectes. Eas ubi legeris fac, quaeso, ut per certum hominem ad me cum tuo ad illum, si ita tibi videbitur, responso redeant. Glossaria mea ad calcem properant, statueramque iam manum, quod aiunt, de tabula, quum mihi iuvenes quidam Galli, qui recenter ad nos studiorum causa venerunt, adferunt aliud Glossarium, quod Servii Grammatici titulum praesefert. Hoc illi sua manu e veteri exemplari descripserunt. Vocabula in eo sunt lectissima & per declinationes, variasque terminationes, distributa. Facesset hoc mihi plus negotii, quam reliqua; quod Graeca vocabula Latinis literis sint exarata, & tres interdum synonymae, interdum diversae significationis, voces in unam coaluerint; at mihi

Libenter hic quoque omnis exantlabitur
Labor novae in spem gloriae.

Adtulissent hi ipsi iuvenes aliud Glossarium olim apud Aldum excusum, nisi illud sagaci cuidam homini dedissent, qui id secum abstulit. Non facile credas, quam id aegre ferat Scaliger noster, qui parentem suum Iul. Caesarem tali exemplari aliquando usum fuisse adfirmat. Male vero eum habet, quod homine illo, quum apud nos ageret, usus fuerit nimis quam familiariter; praecipue quum non semel a me fuerit monitus, ut muscam illam a se abigeret. Sed de hoc Aetolo an Clopida alias plura, & de Bibliotheca S. Germani, aliisque, quas Harpyia illa involavit. Apuleium meum Typographus Francofurtum misit, absque Notis tamen meis, me, ut levissime dicam, non probante. Titulum etiam, & epistolam, ad lectorem ei praefixit, qui mihi non placet. In hac significat lectori, me non commissurum, quin Notas

(a) *Iac. Gillotus*, in supremo Galliae Parlamento Consiliarius, magnus Thuani amicus, aliorumque eius aevi illustrium doctorumque virorum. Testantur id *Scaligeri* & *Casauboni* epistolae, in quibus multae ad *Iac. Gillotum*. *Meursius* suas ad *Codini Origg. Constantinopol* Notas ei inscripsit. Quod vero de *Scaligeri* ad eum epistolis dixi, intelligendum non de Latinis, ab *Heinsio* editis, sed de Gallicis, *Epistres Francoises des personnages illustres & doctes &c.* Hardervici impressis an. 1624. GRAMMIVS.

(b) Anno MDCI. ut videtur, quando recens editus erat *de Gloria* libellus. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCI.

tas meas edam: quod quidem omnino erit faciendum. Vale, mi Meursi, & me ama. Significa mihi, an D. Grotius Aratum suum Ordinibus obtulerit, & an liberaliter cum eo actum sit. Ego nullum adhuc ab eo exemplar accepi, ut neque Carmen Elegiacum, quod de rebus gestis anni DC.mi scripsit.

CXXVI.

IACOBVS GRVTERVS IO. MEVRSIO S. P.

ABeram ante dies pauculos in agro Goesemo reculae cuiusdam meae causa. Ibi, quod vacarem, versiculos ad te abortii, quos subscripsi. Sententiam libri tui ignorabam, ideo posui illam, quam credebam proxime a scripto tuo abhorrere. Non volo ambitiose excusare infantiam eorum, quod confidam te ex amicitia magis nostra, quam merito suo, eos aestimaturum. Vale, suavissime Meursi, &, quod facis, nos ama. Prid. Id. Ian. A. CIƆIƆCI.

(a) Qui cavet aut legum aut famae terrore sinistrae,
Vt male ne faciat, non facit ille male.
Qui virtutis amore aut spe contendit honoris,
Vt faciat bene per se, facit ille bene.
Degeneres vero non territat illa, vicissim
Non insensatas attinet haec animas.
Sed nec vir bonus in mendaci laude stupere
Vel trepidare pari natus in opprobrio;
At conscire sibi rectum, sanisque probare
Facta, infecta, virum iudiciis gravium:
Ominaque & voces studiis audire faventum
Egregiis, laudique & superesse suae.
Dulce brabeum virtutis, dulce incentivum,
Vel sobrii ingenua est pectoris inlecebra.
Qui quamvis probus est, sine speque metuque futurus,
Quod tamen est, gravibus testibus esse iuvat.
Dictatis equidem his, non sat sanisque potesque
Esse procul iuvenes, censet Aristoteles.
At tu ingratia Aristotelis feliciter audes,
Et sane sapere & vivere, sane, bene.
Et dictare viris leges virtutis ephebus,
Quaeque vetet iuvenem scire, docere puer.
Quod facis, ore fave, factis operatur honori:
Pauci utcumque unum, tu bene utrumque facis.

CXXVII.

BON. VVLCANIVS IO. MEVRSIO S. D.

Ann. Chr. MDCII.

EN tibi legendas, uti petis, V. Cl. Eobani Hessi *Heroidum Epistolas*, quae mihi prae reliquis illius scriptis unice placent, atque inter eas ultima, quam ipse Poeteritati scribit, facile excellens hominis ingenium probat. In tuis (b) maius meo quidem iudicio acumen, & plus nervorum, neque id auribus tuis tribuo. Iambi etiam tui morales valde mihi videntur arguti, & graves; feliciter certe Scaligerum sequeris, & in multis (absit verbo invidia,) adsequeris. Quo fit, ut Clouckio frequenter aurem vellicem, ad maturandam editionem, quae & tibi honorifica inprimis, & ipsi quaestuosa est futura. Ille se fidem liberaturum pollicetur, & ad condictum tempus, id quod in se recepit, praestiturum. In Iambis tuis videor mihi notasse aliquot, in quibus caesura non satis, mea quidem sententia, constat. Accuratissimus est hac in parte D. Dousa, qui etiam in caesura non fert dictionem monosyllabam, nisi per synalepham. Eum, si placet, tuasque ipsius aures consule, meamque παῤῥησίαν boni consule. Vale V. Cl. & me amare perge, facies enim, mihi crede, mutuo. Leidae.

De libello, cui titulus: *Censura animi ingrati,* (c) alteroque illi adiuncto, *De optimo genere Eloquutionis*, quid sentias, perscribe. Nactus sum aliud exemplar Amsterdamo; istud itaque tibi serva. Eobanum, quum eo usus fueris, remittes. Nullum mihi unquam, praeter istud, exemplar videre contigit, quod in Frisia forte fortuna reperi.

CXXVIII.

BON. VVLCANIVS IO. MEVRSIO S. D.

REdditae mihi sunt heri literae tuae V. Cl. quibus mones, ut maturandae editioni Typographo sim ἐργοδιώκτης, quod quidem & feci hactenus diligenter, & Clouckio aurem vellicavi frequenter, ut primo quoque tempore cum Typographo, cui Poemata tua unice commendaram, ea de re ageret, curaretque omnino, ut fidem suam liberaret. Is tamen, quod satis superque temporis sibi esse putaret, rem hactenus distulit. Quum enim heri ad horam decimam antemeridianam Typographum adiissem, intellexi Clouckium una ante me hora ipsi adfuisse, & de editione tuorum Poematum tum primum cum eo egisse. Typographus partim brevitatem temporis, partim inopiam operarum, (gener enim eius iam Hagam commigravit,) tum vero alias occupationes excusabat. Ego contra ursi, multisque argumentis conatus sum ei persuadere, ne tibi deesse vellet, post multas tandem tergiversationes significavit, Clouckium ad te scripturum, ut aliquam condicti temporis prorogationem ei concedas, quod an fecerit, nescio. Quaesivi illum hodie, neque domi reperi. Superest, ut ipse eum polliciti moneas per literas, quod & ego coram sum facturus. De Caesuris quod scribis in Iambo 19. placet emendatio tua, nisi mavis, *Nec est vocandus potius, excitans*

Meursii Epist. G 2

(a) Legitur hoc Carmen in *Meursii* libro *de Gloria*, inter *Vulcanii* & *Grotii* illa. GRAMMIVS.

(b) Scil. *Meursii Epistolis Heroidum*, quae inter Poemata eius excusae. GRAMMIVS.

(c) Huius, & adiuncti libelli *De opt. genere Eloquut* auctor *Carolus Paschalius*, idem qui *de Legato*, ac *de Coronis*, notissimos libros in vulgus dedit. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCI.

tans sitim, & in 93. *sibi ipse, quisquis alteri facit bene*. Sed haec non tanti sunt, ut te angere debeant, si quid tamen inter legendum tale occurrerit, monebo. Transpositione enim unius vocis interdum opus fuerit. Vasculum Ludovici, in quo erant fasciculi literarum ad varios, nudius tertius primum adlatum est. Speraram in eo fore Phrynichum & Chrysostomum contra Iudaeos, quos nobis Augustanus ille promiserat: sed nihil etiamnum vidi. Raphelengius solus vas librorum suorum nondum accepit. Ubi adlatum fuerit, intelligam, an in eo ad Scaligerum, aut ad me sit aliquid, & te certiorem faciam. Exemplar Chrysostomi contra Iudaeos vidi hic venale, cui Hoeschelius Praefationis loco Epistolam praefixit a Scaligero ad se scriptam, in qua illum hortatur ad omnium Chrysostomi, quotquot variis in locis excusae sunt, Homilias edendas; praeterea auctor ei est maturandae editionis Procopianae. *Vulcanium enim illius auctoris edendi voluntatem plane abiecisse*. Rem tamen aliter se habere ipsemet si novit, & ego tibi aliquando coram planius explicabo. Valde interea H. paedantice, ut ita dicam, epistolam illam, quam nec ipse fortassis Scaliger publicari volebat, prostituit. In vasculo ultimo ad Lud. adlato erat fasciculus Gruteri ad Scriverium. Ab eo heri literas accepi a Grutero, quibus significat, se exemplar Martialis sui ad me mittere; id quum hodie a Scriverio poscerem domi suae, ostendit aliud ad te, & tertium ad D. Grotium. Ea nunc ad te mitto cum literis ad Grotium, nam ad te nullae, quod mirari non debes, nam neque ad Dousam ullae. Sufficit enim Praefatio ad illum, doctissima profecto, & ille etiam eo alioqui se nomine excusat, quod Epithalamium in nuptias filiae ipsius nondum esset paratum, quod quidem imputat luctui, in quo versatur ob Pauli Melissi obitum: in cuius locum Elector eum curandae Bibliothecae subfecit. Dubitare tamen videtur, an eam curam in se sit recepturus. Vale V. Cl. Quam vellem, ut Poemata tua vidissem, antequam Carmina amicorum in Inscr. Gr. transmitterem. Fecissem enim Trigam ἐκ τῆς ξυνωρίδος, sed huic invidiae averruncandae alius dabitur locus; sed libentius fortasse κέλητα audies. D. Hug. Grotio V. Cl. plurimam quaeso ex me salutem dicito, & Gruteri literas cum Martiali ei reddito, quae ipsi eo sunt futurae gratiores, quod ab amica magis, quam ad quam missae erant, manu obferantur, nisi forte vetus simultas ἀμνηστίᾳ fuerit obliterata. Iterum Vale.

CXXIX.

G. GODDAEVS IO. MEVRSIO S.

Diu est, mi Meursi, quod hoc epigramma apud me iacuit; misissem citius: sed cum per amicum aliquem istud mittere vellem, & suam iam operam pollicitus esset noster Heinsius, nec ille tamen Hagam Comitis ad vos proficisceretur, factum est, ut serius illud ad te mittam. Id velim aequi bonique te consulere; quod facturum te certo mihi confido. Typographum solitus sum data occasione aliquando percunctari, quo res vestrae loco sint; videbam facile hanc mihi audaciam a tua humanitate indulgeri posse. Scripsissem hoc ipso tempore aliud tibi epigramma, sed quum valde intercluderer angustia temporis, id me alias facturum recipio. Solet me quotidie accedere quidam Iudaeus, Thalmudicae linguae, ut quidem nobis videtur, valde peritus: hoc homine adiutus ita sedulam operam navo, ut vix extra conclave meum prodeam. Cum his laboribus defunctus fuero, dabo operam, ut videar tibi attendere magis. Da, D. Meursi, aliquam hoc tempore maximis meis occupationibus, & una migrationi veniam: alias hominem fidelem me esse experieris & tui semper observantissimum. Vale & D. Grotium, si placet, saluta officiosissime.

Ad doctissimum Iuvenem Criticum & Poetam incomparabilem,
D. IOANNEM MEVRSIVM
Cum suos Epigrammatum libellos edi curaret

Πάντα ὁ πουλιετὴς λέγεται χρόνος ἠρέμα φθείρειν
  Γήραος ἀκμαῖον πᾶν παραμειβόμενος.
Τοῦς ἴσως μιαρὸν συνέβη σύμπτωμα τρόποισι,
  Οἷσι τὸ ἀρχαῖον οὐκ ἔτ' ἔνεσ' ἀφελές.
Α'λλ' οὐκ εὐφυϊῶν γε ὁμῶς ἤδ' ἐστι μάρανσις,
  Πᾶσα σχεδὸν τέχνη πρὸς κλέος ἄρτ' ἐπέδω.
Οἷά γε σφόδρα τὸ νῦν ἀσκεῖται τὰ ἔργα Α"ρηος
  Τὸν πάλαι αἰσχύνει νῦν ὁ Α"ρηα Α"ρης.
Υ"μμε δὲ, οὓς ἔραμαι σφόδρα, ἀλλήλους φιλέοντε;
  Εἴνσιε, Μουρσιάδη, Γρώτιε μουσόκολοι;
Οὐ νέμεσις· τοίουσδε ἕκαστος πήγνυτε ὕμνους,
  Ω"ς ἐξισοῦσθαι τοῖς πάλαι ὑμνοπόλοις.
Τῶν ἄλλων ἀλλ' οὔτι μέλει μοι Μεύρσιε νυνὶ,
  Σοῦ περὶ μοῦνον ἐμοὶ πᾶς ὅδ' ἔγεντο λόγος.
Πολλάγε ἡδόμενος τόδε σου ποίημα ἀνέγνων.
  Πολλὴ σοῖς ὕμνοις ἐνθάδ' ἔνεστι χάρις.
Οὐ χρὴ τοῦτο λέγειν, ὅτι οἱ νῦν εἰσὶν ἀοιδοὶ,
  Εἰσὶν τῶν τὸ πάλαι κρείσσονες ὑμνοπόλων.
Υ"στερον ἀλλὰ ταχέως τόδε Μεύρσιε πείσεθ' ἅπασι,
  Ω"ς οἱ νῦν χείρους οὐ πολὺ τῶν τὸ πάλαι. (a)

Scribebam
amico meo integerrimo
GVLIELMVS CODDAEVS.

CXXX.

BON. VVLCANIVS IO. MEVRSIO V. C. S. P.

En tibi, V. Cl. a Bongarsio nostro literas, quas ad me transmisit Commelinus Amsterdamo. David Hoeschelius in suis ad Scaligerum literis mihi gratias agi & haberi vult pro Glossario meo ad se mis-

(a) Exstat epigramma hoc in libro Poematum *Meursii*. Ergo referenda epistola ad an. 1602. De *Guil. Coddaeo vid. Meursii Athen. Batav.* GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCII.

misso, nullas tamen ad me literas adiunxit; in quo officii genere Velserus eum humanitate superavit. Tuum de Gloria librum non dubito, quin acceperit, quod ex hisce epistolae ipsius verbis colligo: *Vulcanio ἀντίδωρον mittam proxime, Phrynichum & Homilias Chrysostomi κατὰ Ἰουδαίων, Idem a me sibi Cl. Meursius promittat*. Bene Vale. V. Cl. Lugd. Bat. XX. Ian. MDCII.

CXXXI.

IO. DRVSIVS IO. MEVRSIO.

ITa est, Meursi, ut scribis. Apertae sunt Musarum ianuae; nihil mihi gratius fuit literis tuis, quas legi sane perlibenter, partim quia a te scriptae, quem iamdiu in oculis fero, partim quia iudicium continebant de scriptis meis viri magni: homo non est, qui non amat laudari a viro laudato. Ego probe novi, quam sit mihi curta supellex, gaudeo tamen tales tam suaviter de me errare. Hactenus fortuna mihi obstitit, quo minus praeclari aliquid in lucem emiserim, nam quae edidi, exigua sunt opuscula, quorum nunc me pudet. Et tamen invidiam mihi conciliarunt apud mataeologos quosdam, qui nisi quod ipsi a magistris suis didicerunt, nihil rectum putant; & cum ab universo Christiano orbe dissentiant, non patiuntur quemquam a se dissentire: horum emissarii adhuc in Hollandia non cessant nomini meo detrahere, & spargunt calumnias homine studioso indignas [a]. Fallor, si non ex iis est B. Lydius, de quo ego optime meritus sum, qui post excitatas aliquot seditiones in hac Academia, propter contumaciam expunctus iam diu fuit ex albo studiosorum, ut maiores poenas metueret. Hunc tibi notum esse puto. Hem, pene exciderat. Imaginem nullam habeo ad vivum expressam. Frisius quidam me in aes incidit, sed valde inepte. Is laminam a me dolo abstulit. Si quae exstat, illa exstat. Tu pro imagine mea, si quando ad ipsum literas dabis, offer, quaeso, animum meum devotissimum ipsi, Thuano, aliisque Galliae luminibus. Vale, & me, quod facis, ama. VI. Martii MDCII.

CXXXII.

P. PETAVIUS REGIS CHRISTIANISS. in supremo Fr. Parlamento Consiliarius IOAN. MEVRSIVM SALVERE IVBEO.

LIteras tuas XIII. Kal. Sept. scriptas MDCI. insequentibus tantum Mart. Kal. accepi, Vir eruditissime; adeo (ut humanitus res sunt) vix suave quidquam est, cui non insit acoris aliqua mixtura. Id grave cur sit, duplex causa est. Quod amicitiae tuae cupidissimo non potuerit non videri diuturna, vel modica istarum literarum tuarum cunctatio; tum quod mea interesse praesentirem, sed & omnium fere nostratum, si hoc rescribendi officio tardiuscule satisfecisse arguerer. Malis siquidem moribus ea vis, ut innocentiam multitudinis crimina paucorum devenustent, & contra nequeat quorumdum probitas, probra illorum excusare: vel eo maxime, quod haud dediscerem ipsosmet nostrates, tarditudinis aliquando insimulatos.

Callidus, Afer, eris semper; Romane, disertus;
Semper, Galle, piger.

Verum longe aliter se inpraesentiarum habent. Et vere de illis ante plura secula adnotabat ille; *Infame Celtis fuisse, si cui zonula strictior fieret*. Pudore siquidem prioris istius improperii, macritudinem adfectarunt. Hinc & iisdem maximo olim convitio fuit *Argam* appellari. Illisque ut & Romanis τῆς ἀργίας γραφή. Verum ne id iam faberis gentile non esse, mihi speciatim vitio vertas. *Tibi liceat mihi vera referre Pace Deae*, in hoc primo amicitiae foedere fidem obligo. Murciam illam Deam, tam nihili apud me esse, quantum plurimi Meursius fuit (a quo priora illa tua scripta vidimus) eritque quamdiu vita fuerit. Hoc literis istis testatum volo, testaborque frequentibus, ni me assidua forensis occupatio interturbet, hasce delicias mihi sors illa mea invideat. De libello de *Gloria* ago gratias, cuius quae libavi (neque enim perlegendi adhuc tempus fuit) mire placent. Valeant, qui de contemnenda gloria libros suos inscripserunt. Homines habitu tenus Philosophi, & eorum ex numero, qui hoc demum laudant, quod se consecuturos confidunt. Nec me movit unquam arguta satis Tertulliani acervatio illa, *ubi gloria, illic solicitatio: ubi solicitatio, illic coactio: ubi coactio, illic necessitas: ubi necessitas, ibi infirmitas*. Nec enim gloriae nomine digna est, cui ancillatur solicitatio; ambitio illa est, non gloria. Vera gloria sequi debet, non adpeti. Cuius parentela veteribus liquido innotuit: Πόνος ὡς λέγουσιν εὐκλείας πατήρ. Pene effugerant plura eiusmodi, ni meminissem alio iam parentis nomine illam gloriari, & qui laboris filiam dixere, Meursium (quod minime Murcius) designare tentasse. Macte ergo novo hoc foetu, quem cadentem excepisti, tuoque iam foves sinu. Senescet ille, Meursi, senescet seclis innumerabilibus, ut & amoris in te mei eadem erit, quae vitae, meta. Vale Lutetiae Paris. Nonis Mart. MDCII.

CXXXIII.

IOANNES MEVRSIVS V. CL. I. LIPSIO S. D. LOVANIVM.

CVm *Anschema* tuus, V. Cl. iam etiam meus, iter ad vos repeteret, & aliquid quoque a me peteret, nefas existimavi non parere homini amico, & in re tam mi-

(a) Vid. *Vita Drusii* ab *Abele Curiando* scripta, & *Baylii* Lexicon Hist. Crit. in *Drusio*. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCII.

mihi grata, & tibi debita. Vera enim voce, tantum est tuum in omnes Litteratos, & literarum studiosos meritum, ut qui non, quicquid possint, id totum tibi semper debere se profiteantur, merito maximae ingratitudinis apud tribunal illud gratiarum accusentur. Tu fortasse, quae est animi tui modestia, non adgnosces; interim verum hoc esse nulli non constat. Atque utinam sane permutare saltem inter nos literas libere possemus, quando sermonibus frui non licet. Quam vellem! & tu, confido, non nolles: o tempora, quando videbimus! *Iupiter, ut bellorum omne genus pereat!* Audi votum, Deus, & fluctus hos patriae plusquam decumanos semel tranquilla: solus tu potes. Quid superest! praeter preces, & patientiam, nihil: & hae, spero impetrabunt tandem, quod peccata nostra cogunt negare. Tu, V. Cl. vale, & me ama, ego te aetatem. De studiis quaeris aliquid? *De Gloria* nuper edidi, discipulorum caussa; puto vidisse. Nunc Poemata quoque: si tanti erunt, aut si placere posse animum induxere, mittam per occasionem, quae utinam mihi semper ex voto. Si illud *De Gloria* vidisti, quaeso iudicium, quo polles, & quod mihi supra omnia. Iterum vale. VIII. Kal. Iunias. Hagae Comitis MDCII.

CXXXIV.

IACOBVS GRVTERVS IO. MEVRSIO S. P.

QVam mihi iucunda acciderit epistola tua, doctiss. Meursi, & praecipue periculum Poematum tuorum, vel ex eo coniicere potes, quod ex lectione eius, atque admiratione, fervor quidam & desiderium me cepit poeticum, tametsi infelix. Conatus enim sum versiculos ad te pauculos scribere, ut vides. Qui tametsi ipsi languidi sunt, gratiam tamen apud te invenient ex auctore suo, quem amas. Tu de iis facies, ut merebuntur, utque honorificum tibi atque mihi futurum credes. Vale, suavissime Meursi, & me ama, crebroque de rebus studiisque tuis certiorem fac. VIII. Maii MDCII.

AD CL. ET DOCTISS. IVVENEM IOANNEM MEVRSIVM S. P.

(a) LAetior ut tollit se Palladis arbor in auras
Adversus pondus luxuriante coma.
Sic rerum in molem tibi mens, fiducia, surgit
In numerum, & contra nititur acris onus.
Qui prorsis versa interponis, Graeca Latinis,
Atque profana sacris, atque vetusta novis.
Nec tamen est post tot tibi mens effoeta labores.
Ingenii ecce novum luxuriantis opus;
Carmina, quae capsa sint digna, & imagine macra:
Carmina, quae fidibus iungere Phoebus amet.
Sive iuvent numeris grandes, epicique sonores,
Sive gravis Iambus, sive leves Elegi.
Exsudare bonos prolixa per otia versus
Magnum erat, & nisu exsculpere difficili.
Iam doctae illudis victura Poemata chartae,
Tot res, tot curas inter, agens aliud.

CXXXV.

IDEM EIDEM.

AVidissime legi & epistolam tuam, mi Meursi, & Poemata praecipue. Ex illa enim studium nostri pristinum, ex his ingenii vim illam divinam, atque ἐνθουσιασμὸν, recognovi. Tantum est in Iambis acumen cum lepore, in Elegiis nervosa aequabilitas, maiestas denique in Heroico sine tumore. Felicem te, si in hoc genere usus accedat, atque cura, & ad utraque otium tibi Deus aliquis faciat! De versiculo illo meo non fecisti, quod debebas, & iure tuo, & ipsius merito, ut induceres totum: sed fecisti, quod ego optabam, id est amice, & candide; & ita fecisti, ut non potuerit magis adposite ad rem, & sonore ad carmen. Vale, Vir Clarissime, & Remp. literariam iuvare, doctissimis scriptis, & nos amare, perge. Middelb. Idib. Augusti.

CXXXVI.

IACOBVS GILLOTVS IO. MEVRSIO S. D.

ACcepi, V. D. literas tuas una cum imagine, quae faciem tuam, ut recipis, optime refert. Vix me continui prae gaudio, quin illam amplecterer, imo osculum praeberem. Ego me tibi non modo magno merito tuo, sed isto etiam beneficio obligatum fateor. Quem doctrina, toti Europae laudata, & admirata, commendaverat, mihi amicum fecerat, de facie saltem per effigiem mihi & notum, & in oculis esse, oportuit. Non sum Zopyrus ille φυσιογνώμων, neque μετωποσκόπος: sed non difficile est in illa effigie pernoscere, qualis es. Amorem a te maximo studio peto & expeto. Observantiam & cultum magnis viris relinquamus. Non is sum, qui mihi quicquam deberi existimem, imo qui plurimum debeam; tibi potissimum, qui me ultro amasti. Nihil mihi gratius facere potuisti, quam ad Drusium scribere. Virum illum in Theologia & litteris humanioribus, omni etiam scientiarum genere plane imbutum, & doctiss. Interpretem, & diligo, & subspicio. Quam vellem, & te & illo & Grotio praesentibus uti

(a) Praefixum exstat hoc, inter alia gratulatoria, *Meursii* Poematibus. GRAMMIVS.

uti possem. Sed forensia ista negotia, importuna certe, gaudium illud animo praesumtum mihi invident, & spem fere abscindunt: quae tamen interdicta non est. Tua, illorum etiam, non moleste feres, amicitia nihil mihi carius est. In illius cultura & observatione nihil committam, quo me indignum illa, summo scilicet bono, iudicare merito possis. Non tenebo te pluribus, praesertim brevitatis magistrum. Ponam in extremo, quod sentio, me in omnibus rebus satis amori nostro facturum. Etiam atque etiam vale. Dat. Lutetiae III. Id. Maii. MDCII.

CXXXVII.

BON. VVLCANIVS IO. MEVRSIO S. D.

CVm arbitrii mei facias, quà forma, aut quo charactere, Poemata tua excudantur, conveni cum Typographo, ut potui, non ut volui. Neque enim aliam vel chartam, vel alios typos, habet, qui usui esse possint. Cupivissem quidem ea forma & typis excudi, qua Poemata Thuani sacra, sed hoc in Typographi manu non est. Voluissem etiam exemplaria, de quibus inter vos convenit, XXX. ni fallor, meliore charta edi, sed etiam hoc plane recusavit. Ex dignitate tamen operis esset paucula aliquot exemplaria in meliore, hoc est, scriptoria charta, edi tuis sumtibus. Qua de re, ut & de specimine editionis, quam ad te mitto, cum aliquot Notis, iudicium si placet tuum, primo quoque tempore, perscribes, ut si ita tibi videbitur, in coepto opere pergamus. Vale V. Cl. & me ama. Lugd. Bat. postrid. Cal. Iunii MDCII.

CXXXVIII.

CAROLVS PASCHALIVS IOANNI MEVRSIO S. D. (a)

QVas ad me dedisti literas perhumaniter scriptas legi perlubens, scilicet nuncias, ac testes animi in me tui. Certe indices istius ingenii, cuius antea specimen, & quidem egregium, coeperam e Lycophrone Plautoque tuis, quorum utrumque iam asciveram in contubernium. Quibus accessit libellus is, quem habeo muneris tui. Ex his, qui sis, quantusque sis, atque adeo, qui porro futurus sis, non sine magna voluptate cognovi. Hi mihi, ne sis nesciens, ingeneraverunt suspectum & amorem tui. Tu vero, macte ista virtute, & rem literariam prope vanescentem, quod strenue facis, sedulus promove, & quod ille Tragicus ait, id mihi apud te usurpare liceat; *Perge dum fervet manus*. Tibi est mens vegeta, tibi acritas, tibi in multa ubertate multus delectus, tibi impetus ad summa. Haec, mihi crede, te sistent in sacrario illius, ad quam honestissimum quemque vocas, ad quam tu ipse pleno gradu contendis, gloriae. De cetero sic habeto, etsi literis tu quidem mihi antevertisti, me tamen haud concedere tibi, ut tu mei cupidior sis, quam ego sum tui. Vale; & quod coepisti, quod ego plurimi facio, ama me amantissimum tui. Lutetiae VI. Id. Iun. MDCII.

Hisce literis addidi, nescio quid pristinae lucubrationis meae.

CXXXIX.

BONAVENTVRA VVLCANIVS IO. MEVRSIO S. D.

MIsi tibi ante triduum primum quaternionem Poematum tuorum ex utroque chartae genere: cui adiunxi Phrynichum, quem Hoeschelius ad Raphelengium tibi miserat, cum literis illius ad me, in quibus ille varias Lectiones Procopii Bavari in descriptionem Ponti Euxini olim a me editam transmittit. E quibus facile coniecturam facies, quam probum sit exemplar, quod a Domino Thuano nobis transmissum tyronis alicuius manu descriptum fuerat. Eas literas ut primo tempore mihi remittas, velim. En tibi nunc alterum quaternionem; in quo duobus in locis, uti videbis, cesurae consului. Iambo LXVI loco illius: *Multo licet madeat bipennis sanguine*, maluissem *M. l. bipennis madeat sanguine*, nihil tamen mutavi. Iambo LVI. *Poenae quid invido preceris*. Vt constet caesura, maluissem. *Quid invido poenae impreceris* &c. Sed hoc nescio quo pacto factum sit, ut seorsim in schedula adnotarim, in ipso autem exemplari non mutarim. Sed non omnes, qui haec legent, ita sunt futuri oculati. Bene vale, Vir Clarissime. Lugd. Bat. Iunii XV. MDCII.

IN IOANNIS MEVRSII VIR CLARISSIMI

Poemata.

Dum doctos, Meursi, teretesque admiror Iambos,
  Cedite nunc (b), veteres, inquio, Gnomologi.
Dum tersos Elegos, (c) animo haec sententia surgit;
  Gloria iam minor est, culte Tibulle, tua.
Dum mihi me abripiunt Heroides, hoc mihi fas sit
  Dicere, Naso sibi coepit habere parem.

Et

(a) *Car. Paschalii* (cuius *de Legato*, *de Coronis*, *de Legatione Rhaetica* &c. libri nemini ignoti,) Vitam nuper evulgatam debemus *Nicerono Tom. XVII. Biographiar. illustrium*. GRAMMIVS.

(b) Dico: Gnomologi veteres. GRAMMIVS.

(c) Subit haec sententia mentem. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCII.

Et dubito priscos quin laude Epigrammatis aequet,
Meursiades, dium mentis acumen habens. (d)

AD ZOILVM.

Ne lenta te tabe coquat nova gloria Meursi,
Vtile consilium, Zoile, habeto, crepa.

BON. VVLCANIVS.

CXL.

IANVS GRVTERVS IO. MEVRSIO S. P.

MEursi optatissime, ante octiduum misi per tabellarios Carmen breviculum, quod debebam, Iambis tuis nec non Elegis atque Epistolis Epigrammatisque: non id iterum describo, cum in arena quasi mutavit consilium suum corculum illud nostrum Gentilis Scipio, & relicta Brabantia petit subito Bataviam, ne tamen veniret sine literis meis, non obstat punctum illud temporis. Tantum peto, excuses me Domino Neostadio, Domino Hogerbesio, Dominis Rosendaliis, si non etiam aliquid ad ipsos itero, nam eis potius rescribendum, ad quorum literas nihil adhuc reposui. Scilicet in aliis rebus negligentissimus, hic sum impigerrimus; neque ullam patior venire epistolam, cui non actutum respondeam, si modo est respondere, aurea accipere & reddere plumbea. Exemplar Martialis non recipies ab Elzevirio; sed vel a Bertio, vel a Scriverio, alterutri enim inscripseram fasciculum exemplarium aliquot: XII. distribuenda ipsis iuxta epigraphum cuiusque. Domum redux tot in eo offendi sphalmata, ut tota videri possit litura, adeo ut in bono positurus sim, si Elzevirius noster fasciculum, aut perdiderit, aut reliquerit, Francofurti. Conatum tuum de Fortuna quidni probem? ipsa certe Dea fortunabit tuum consilium, neque esse poterit exitu infortunato. Tantum fac, adpareat subito, non imitatus nos spissigradissimos, & qui fere Canterii in porta. Cupiam a Poematis tuis aliquid conspici in Manes Melissi, Vthenovii, Posthii, amicorum mihi magnorum, quorum duo, dum hic fui, omnia mihi exhibuere, quae patres filio; medius vero Vtenhovius, praeterea adoptavit in filium, quum esset per matrem Gruterianus, & improles. Si iam lucem vident Carmina illa tua, tunc quaeso per otium cogita aliquid vel iunctim, vel separatim, in tres viros illos. Decrevi enim postumum hic eis habere honorem atque iunctim edere omnium totius Europae Poetarum amicorumve in eosdem demortuos Epicedia &c. Vos autem expertes habere, fuerit lucem petere a stellis relicto Sole, ac Luna. Sed jam vale, mi praestantissime Meursi, norisque Gruterum virtutum tuarum doctrinarumque cultorem summum. Heidelbergae XVIII. Iunii MDCII.

CXLI.

CLARISSIMO VIRO D. IOANNI MEVRSIO AMICO INTEGERRIMO

B. VVLCANIVS IO. MEVRSIO V. CL. S. D.

HEsternus dies mihi dandus fuit Baudio meo e Gallia reduci; quo factum est ut hunc quaternionem meum octavum non antea acceperis. Gratulatus est mihi Baudius redivivo. In Anglia enim, & Gallia, me ante biennium fere inter plures habitum ait, & rumores quosdam sparsos de me meaque bibliotheca post obitum distracta, a veritate, ut lenissime dicam, alienissimos. Vtinam rescire possim quo auctore: nunc subspicionibus indulgeo, verisimilibus quidem illis, non tamen certis. Bene vale, Vir Clarissime, Lugd. Bat. IX. Iul. MDCII.

CXLII.

BON. VVLCANIVS IO. MEVRSIO V. C. S. P.

MIraberis, sat scio, V. Cl. nihil tibi hinc adferri. Causam fuisse scito, absentiam Typographi, qui per biduum Amsterodami fuit, & ego alioquin etiam occupatus excipiendo Scipione Gentili, qui Altorfio ad nos venerat, hinc in Angliam & Galliam cogitans. Habe nunc quaterniones duos, & quae reliqua sunt, Praefationem scilicet, & Carmina aliorum encomiastica, fac ut mature habeamus, & Vale. Lugd. Bat. XVI. Iulii MDCII.

CXLIII.

CORNELIVS SCHOLLVS IO. MEVRSIO S.

MVltum, D. Ioannes integerrime, D. Vittendellio Medico carissimo debeo, quod suo salutandi officio, tibi occasionem ad me scribendi dedit. Elegantissima tua epistola mihi grata, & solatio fuit, quod ex ea incolumitatem tuam, & quam mea valetudo tibi grata & exoptata sit, intelligam; quodque ad pietatem excitas, & in his malis εὐθυμότερον ποιεῖς. Summae Deo agendae sunt gratiae, quod nobis hac funesta tempestate parcit. Vtinam largiri dignetur, ut vitam ad verum eius cultum, & proximi commoda, dirigere possimus, & secundum beneficia, quae accepimus, retribuamus. Quod aliis occupatissimus, nihilominus tot, & tam variis, conscribendis adhuc

(d) Et dubitem, an priscos arguto Epigrammate adaequet:
Cui tantum solidae mentis acumen inest?
Qua varietate editum postea hoc Epigramma, potest videri in limine Poematum Meursii, ubi inter gratulatoria primum locum obtinet. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCII.

adhuc subficis, idque carmine, studio maxime supra omnia alia, καρηβαριστῶ, animi fortis & alacris indicium est, quodque plus natura, quam cura possis. Faxit Deus, ut ex animi tui voto coepta absolvere possis. Ante omnia valetudini consulendum. Multos laboriosa & importuna studia ante diem vita spoliarunt. Coepi addere Epicis meis Aphorismis similes aphoristicas sententias ex aliis Hippocratis libris excerptas, quibus ipse sui est Scholiastes, & totam artem medicam complectitur. Experiar, quid potero, si Deus corporis & animi integritatem conservare dignetur. Quicquid enim sumus & possumus, Deo acceptum ferendum. Si quid sit, quo tibi quid gratum facere potero, libenter praestabo. Precor Deum, ut te sanum & florentem servet. Salutabis meo nomine amicissimum patrem tuum, ut & D. Wittendellium (ubi in eum incides). Si quid (quod Deus avertat) adversae valetudinis contingat, summa fide & studio ipse tibi inservire poterit. Novennium cohabitavit D. Mercuriali, huius seculi clarissimo Medico, qui eum in theoria & in quotidiana praxi exercuit. Vale. Amsterodami, Anno MDCII. die XXVI. Iulii.

CXLIV.

(a) DANIEL HEINSIVS IO. MEVRSIO S. D.

SAepius ad te scribere cogitantem, Cl. Meursi, haec, vel illa detinuerunt: & ne omnia a me removere videar, etiam negligentia mea (nosti autem, quanta hac in parte sit) aliqua in caussa fuit. Nunc vero cum doctissima Poemata tua beneficio tuo receperim, tantum tibi me, meo nomine debere fateor, quantum omnes debent omnium. Mitto tibi Eclogam meam Nordowicum, sed impar munus, tantoque humilius, quanto Aeneis, aut Thebais, Tityro & Menalca aliquo. Nuperrime salutaturus te (cuius rei mihi testis Grotius noster est) Hagam Delphis veneram: sed quum huc rumores quidam mendacissimi adlati essent, contagionem in aedibus vestris aut vicinis esse, illustris *Scaliger*, qui omnium ὃς τρέφει ζείδωρος ἄρουρα maxime meticulosus est, vetuit, ne vel pedem eo penetrarem, vel postea ad se redirem. Risi ego hominis δειλίαν, & pro tempore parui: non quod ita esse existimarem, sed ne postea ei fucum obtruderem: cuius rei caussam ne *Grotio* quidem nostro indicavi. De fratre tuo, quod mihi indicatum fuit, nunquam credidi: sed existimo ego quibusdam doluisse, quod nimio tibi familiaritatis vinculo me coniunctum viderent, interdumque contra malevolos, & obtrectatores Musarum, caussam tuam, paullo quam ipsi optassent, vehementius agere: qui non tam nos, quam studia humanitatis, & literas, oderunt. Ego me & mea omnia tibi me probaturum confido. Vale, Cl. Meursi, & me ama, qui te, ut solet. Ignosce quaeso festinationi & lituris: summa enim haec festinatione exarata. X. Aug. Salutat te officiosissime magnus Casaubonus.

CXLV.

DANIEL HEINSIVS IO. MEVRSIO S. D.

LIteras tuas accepi, Meursi Cl. te vero nondum Nordowicum meam, ex iis intellexi, & dolui: quae nunc en tibi. Tria porro adducis, cur hactenus ἀγανακτῶν κατ᾽ ἐμοῦ διατελεῖς. Primo de fratre, cui respondisse me superioribus literis memini. Secundo, quod aliquandiu debitum visendi officium praetermiserim, quum contra tu ea in parte amicitiae nostrae defueris nunquam. Quorum ut posterius non nego, nec prius nimium excuso; non penitus me tamen peccasse existimo, vel quod culpam meam adgnoscam, vel quod aliquo modo extra eam videri possim. Non ita diu est, cum ego & Scriverius aedes tuas accessimus, te salutandi gratia quaesivimus, qui tum temporis in publicum prodiisse dicebaris: ita ut tu quidem nobis tui copia facta non fuerit. Habent praeterea nescio quid maiestatis aedes vestrae, e quibus privatus egreditur nemo, ut hic quoque venia dignus mihi videar meae contra sunt simplices tenuesque & quae praeter *Musas* habent nihil. De Carmine, quod Poematis tuis debebam, οὐ περιπέττω νὴ τὸν Δία τοῦτό γε. negligentia mea est ἡ πολλάκις ἐμοῦ κρατοῦσα, quod ne nunc quidem publice fateri recuso. Nihil restat igitur, quam ut amare pergas, ne nimium illi exsultent, qui literas oderunt, & cum iis nos. Vale, Iuvenis Clarissime, & perge Bataviam tuam nova semper luce illustrare. Summa cum festinatione, Lugd. Bat. XV. Augusti. (b)

CXLVI.

BONIFACIVS VVLCANIVS IO. MEVRSIO S. D.

SCripsi heri ad te Vir Clarissime, de tergiversatione & sordibus Clouckii in excudendo Genethliaco tuo. Ac tametsi responsum ea de re tuum exspectavi, neque ullum hactenus accepi, egissem tamen, aut potius transegissem, cum Griotto de tantillo sumtu, quem libens ipse subirem, si is adesset. Neque enim adhuc Roterodamo, quo a sorore, uti audio, evocatus erat, domum rediit; quod & uxor ipsius miratur. Significa itaque mihi quid factum velis, & mea opera tibi non deerit. De Bel-

(a) Scripta haec epistola anno MDCII. quo prodierunt Meursii Poemata. GRAMMIVS.

(b) Anno 1602. ut proxima. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCII.

Iovacensi Episcopo quod scribis, iam ex Scaligero intellexeram, aliaque nonnulla, quae huic chartae illini non attinent. Effundam vero illa aliquando coram in sinum tuum. Nunc satis sit; Epigrammata, quae I. G. *in currum veliferum* scripsit, mirifice a Scaligero praedicari. Velim unum aliquod ex iis videre. De Lipsii *Penna Votiva* iudicium tuum exspecto. Vale V. Cl. & me ama. Raptim. Lugd. Bat. XXI. Augusti MDCII.

CXLVII.

Bon. VVLCANIVS Io. MEVRSIO V. C. S. P.

RELuctante Clouckio continere me non potui, quin ipse tibi hac in parte gratificarer. Curavi itaque apud Guiottum nostrum centum exemplaria excudi, e quibus LXXV. ad te mitto, ut amicis, quibus videbitur, communices. Ego reliqua hic distribuam. Neque est, quod de sumtu sis solicitus, Typographo enim iam satisfeci. Vellem tibi maiori in re studium meum probari. D. Grotio pro Epigrammate, quod adeo benigne mecum communicavit, habeo gratiam. Cur haec quaeso publico invidet? Velim scire, an currus ille (a) Heinsii manu nobilitatus exstet, & an pretio ullo haberi possit. Vale Vir Clarissime, & D. Grotium officiose ex me saluta. Lugd. Bat. XXIV. Aug. MDCII.

CXLVIII.

IDEM EIDEM.

SCribo haec ad te ex officina libraria Bassonii nostri, ut proximis tuis superioribus respondeam, & quidem hoc tantum: Viciniam Hanteni, in qua censetur etiam Guiottus, per totam hanc hebdomadam ἑςιᾶν, ideoque factum esse, ut lentius, quam vellemus, opus procedat. Monui tamen heri illum officii sui, & pollicitus se facturum quicquid potest. Vale, Vir Clarissime, cogor manum, quod aiunt, de tabula.

CXLIX.

IDEM EIDEM.

EN tibi tandem, V. Cl. Poemata tua ad colophonem perducta. Exemplar unum, uti voluisti compactum e meliore charta mihi struam, & gratiam habeo. Reliqua, quae a Typographo stipulatus es, mitto, ut ex ipsius literis cognosces. Et ut & Heinsio, & Scriverio, quemadmodum ad me scripseras, singulis suum exemplar det, significavi. Illum nuper, cum alia de causa convenirem, rogavi, num Epigrammate aliquo te ornasset. Negavit is. Semel enim monitum abs te fuisse, quod, meo quidem iudicio, sufficere debuisset, si amicus est a quo nihil caro, hoc est, precibus emendum censeo. Statueram ipse istuc hodie excurrere, nisi mihi heri vesperi literae adlatae fuissent a fratre, cui praestanda hic in negotio, quod mihi commendat, opera. Vale, Vir Clarissime, & si quid sit praeterea, in quo haec ipsa tibi usui esse possit, impera; nullum enim est officium, quod tua causa subterfugiam. Swardecronius noster heri vesperi amisit filiolam natu maximam, quae superiore die Martis Vltraiectum cum matre profecta, pestilenti morbo correpta redierat. Mater etiam male habere dicitur. Galli reliqui convictores diffugerunt. Bootius Vltraiectinorum alumnus commode ab iis revocatus die Martis superiore una cum Swardecronii uxore eo rediit. Schola per duas aut tres hebdomadas vacabit. Interea videbimus, an malum, quod absit, latius serpat. Iterum Vale.

CL.

ALBERTVS EVFRENIVS Io. MEVRSIO SVO S. P.

POemata tua, mi Meursi, ex liberalitate tua obtulit mihi Bibliopola tuus. Gratiam habeo, quod non solum verbis, verum & re, semel bene natam nostram amicitiam stabilire nunquam desinas. Adfectum tuum sincerum amo: ut & scripta illa tua vere philosophica, quantum ad materiam; quantum ad stilum & venam, sane poetica. Sed a laudibus calamum retraho, ne in adulationes degenerare videantur. Ceterum mitto tibi hunc tuum librum, quem Cl. V. Theodorus Canterus Vltraiecti mihi, ut ad te perferendum curarem, dedit. Remisissem autem citius, nisi statuissem brevi ad vos advolare; sed impedientibus illud occupationibus feriis, coactus fui per tabellarios transmittere. Tu, si non graveris, insertas has optimo viro Pancratio Gastricomio feres. Have. Raptissime. Lugd. Batavorum Anno a Christo nato secundo post quadragies quadragesimum VIII. die Septembris. Salutant te Lambertus, & Hadrianus Vanderburchii.

CLI.

IANVS GRVTERVS Io. MEVRSIO S. P.

MI Meursi, tuas ad Velserum & Hoeschelium, una cum Poematum tuorum exemplis iam modo misi. Gratias autem tibi ob idem in me munus maximas. Carmen, quod in via periit, tale erat: sed quod tamen in lucem nullatenus venire debebat, nisi expolitum ad tuum unguem. Sumus enim his locis inamoeni, tristes; ego quoque praeterea tot obrutus & Bibliothecae & Academiae curis, ut vix sufficiam, quod respondeam epistolis amicorum, si respondere est, incondita verborum farragine redhostire scriptis, a Svada factis ac Pallade. Sed qui aliter? accipe ergo versus illos, ne sublesta subspiceris de fide: quae

(a) Loquitur de *Curru velifero* Principis Auriaci Mauritii, quod argumentum variorum eius aevi Poetarum ingenia exercuit. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCII.

quae etiam sibi constat in Politicis Notis, in Aranea; sed tempora faciunt & Typographi, quo minus prostent; bene dixi, prostent; nam nihil in eis virgine dignum, nihil fama meliore.

Nemo diu dignum quod hiaret Apolline carmen,
Fama erat exhaustas Bellerophontis aquas.
Fama erat: at contra sic torrente impete dudum
Vena Medusaei creverat illa lacus;
Carminis ut crater vix spectaretur, in ipso
Necdum aliquis posset deposuisse sitim.
At pueri Batavum (sua adhuc a matre calentes)
Quos penitus explorat Rhenus in amne pater,
Protenus e cunis, duce Dousa, atque auspice magno
Scaligero, haec ad equi labra tulere pedem.
Ignarique quid instaret, quantumque pericli,
Mersarunt undis omne repente caput.
Risit ad id facinus ter triplex Musa, manuque
In sacras reliquo corpore trusit aquas.
Turbantur primo, fundumque feruntur ad imum:
Mox sed obit liquidam pesque manusque viam.
Taliter ex alto suber levis incidit undis,
Rursus & extemplo gurgitis alta tenet.
Enneas extractis membra omnia nectaris ungit
Flore novo, ambrosia pascit & ora dape.
Ex illo, aut uno ditata Batavia vate,
Digna audit Musis carmina, digna canit.
Quos inter Meursi nondum barbata iuventus
Conspicuum tollit Daphnide fronde caput:
Et quaecunque canit, chartis quaecunque reponit,
Aut Orphei iures, aut monumenta Lini.
Forsitan & Phoebi, nam recte illa auribus ultro
Quam magis usque bibis, tam magis usque sitis.

Istas nugas cense acriter, & refinge ad tuum metallum: nam quod ad me ablegas tua, tamquam qui tale quid debeam, nae multipliciter peccas. Poetam non vidimus a decem aliquot annis praeter unum Martialem, qui nescio an proprie vobis gratus esse potuerit; adeo totus eram nudus, neque eo corporis habitu, qui aliquem raperet: Notae, inquam, punctis quasi omnia signabant tantum; tantumque indulsere sibi Typographi, ut plus intulerint novarum macularum, quam ego exturbaveram. Sed bene, quod eum illustris Scaliger curat recudi apud vos. Saluta meo nomine quam officiosissime D. Gilpinium, D. Iacobum Rosendalium, D. Cromholtium, & si quem nosti praeterea mei non immemorem. Tu vero, mi Meursi, delicium ac mel Musarum, vale ac salve item a tuo Grutero, haee praecipitante extemplo. Die XVI. Septemb. CIↃIↃCII. Francofurti.

CLII.

CORNELIUS SCHOLLIUS IO. MEURSIO S.

Accepi, D. Ioannes clariss. tua, quae mihi misisti, Poemata, nuperrime edita, ingeniose, docte, & feliciter, conscripta. Gratulor tibi parem in utroque scribendi genere facultatem. Ethici tui Iambi praesenti utilitate sese commendant. Animum formant & firmant, segnes ad industriam, pusillanimos ad fortitudinem, omnes ad saniorem mentem excitant, qui tractatus maxime expetuntur & necessarii sunt. In his singularis ingenii tui dexteritas, animus vere philosophicus, & omnimoda lectione & rerum cognitione instructus, elucet. Rem & eruditam facundiam, argutos sensus, miram sententiarum gravitatem specto, quae tam apte & in loco adhibita sunt, ut non possim ea satis mirari & suspicere. Etsi Iambi tui proxime ad solutam orationem accedant, si tamen eiusmodi argumentum tam multiplici sententiarum acumine illustratum prosa conscriberes, ita id eminerет, ut non exstaret eo quicquam praeclarius & utilius, quodque magis ad emendatiorem vitam omnes excitaret. De aliis Poematibus, in quibus non utilitas, sed animi libera oblectatio, quaeritur, & artificium praecipue poeticum spectatur, non est nostrum, censorem agere, ne sutor ultra crepidam. Precor Deum, ut te sanum & florentem servet. Amsterod. A. CIↃIↃCII. die XXIV. Septembris.

CLIII.

IDEM EIDEM.

Si tibi, Clariss. D. aliquando occasio contingat Amsterodamum proficiscendi, & me tum temporis visere non graveris, rem gratam facies, & gratus ero, ut decet. Conscripsi Medica quaedam Epico carmine Graeco, in quibus tua censura mihi prodesse poterit. Inter alia quaererem, an Graeci habeant particulam disiunctivam postpositam, qua respondeat *ve* Latinorum, ut in sequenti Latino:

Nec quid agam, invenio, nec quid nolimve, velimve.

Tuus totus,

CORNEL. SCHOLLIUS.

Ann. Chr. MDCII.

CLIV.

IO. BONGARSIVS IO. MEVRSIO S.

Vir Clariss. Salve.

COgitare me de auctoribus Ierosolymitanae Historiae verum est. Sed in iis me esse, non ausim dicere, qui vix mecum sim ipse. De rebus Hungaricis puto me misisse, cui librum tradiderim. Sed is si periit, aliud exemplum habebis ab Elzevirio. Pro libello Poematum tuo elegantissimo magnas tibi gratias habeo; sed quod reponam, nihil est. Si quid est, quod hinc velis, id quaeso fac, sciam. Paratus tibi ego ad omnia. Vale & vive bono litterarum. Francof. XXV. Septemb. MDCII.

CLV.

BON. VVLCANIVS IO. MEVRSIO V. C. S. P.

REdditae mihi sunt literae tuae, V. C. quibus cogor festinanter respondere ob negotia Academica, ad quae vocor. Fr. Iunii obitus nobis omnibus luctuosus accidit. D. Gomarus eum oratione funebri est prosecutus, ut & ante Treliatium. Ea nunc excuditur, cum Epitaphiis & Elogiis amicorum, inter quos erit etiam Scaliger, a quo id heri vesperi nomine Senatus Acad. petieram, & ille mihi hodie mane per famulum misit Phalaucium elegantissimum versuum XXIII. cui subscripsit, duabus horis post mediam noctem in lectulo. O faecundum ingenium! Paro etiam ego aliquid, utinam & tu, & D. Hugo Grotius. Sed festinato est opus. E nundinis negocii quidem, praeter salutem a Grutero in literis ad Elmenhorstium. Moleste fert, scio, nihil se hisce nundinis a me accepisse Transmisit ille ad Scaligerum M. circiter Inscriptiones veteres Graecas ex Apulia & Calabria missas, sed ita scriptas, ut Oedipo Scaligero indigeant. Plutarchum & Philostrati Ἡρωικὰ & περὶ βίω σοφιςῶν, cum Thucydide mitto, uti petis; quid enim tibi negaverim? Sed scito me iis, praecipue Plutarcho, quo saepe utor, diu carere non posse. Vbi itaque iis usus fueris, tuto remittes. Meditationes tuas Christianas exosculor, etiam non visas. Fac, sciam πεζῷ an ἱππικῷ λόγῳ. De *Funere* quid paras? anne Iunii? Valde opportune. Fac, si ita est, ut primo quoque tempore id habeamus. Vale V. C. & me mutuo amare perge. Lugd. Bat. postrid. Cal. Novemb. MDCII.

CLVI.

(a) IOANNES LVNTIVS IO. MEVRSIO S.

CLariss. Vir, Amice integerrime. Etsi non oportuit me acceptis literis tuis, & cum iis Poematibus doctissimis & acutissimis, tam diuturno silentio responsum premere, excusabunt tamen me apud hominem candidum & amicum scholasticae hae occupationes intricatissimae, taedio ne, an labore, praeponderantes dicam, haud scio. Huc accessit, quod spes mihi erat te coram Hagae Comitis videndi, ut promiseram, advocantibus me ad vos rebus meis privatis, quae erant, & sunt non unae istic. Ceterum gratias habeo maximas pro exemplari poematum tuorum doctissimorum, mihi inter ceteros amicos misso. Domino Pollioni exemplar tuo nomine & iussu exhibui, cui cum phthisi iam tum gravissime quidem conflictanti, sed spem tamen alenti sanitatis recuperandae, grata erat missio. Postremum eum per occasionem muneris tui eo ipso tempore adpellavi, in eumque incidi in platea non longe ab aedibus paternis, quam non puto post id tempus ab ipso calcatam. Ac praevidebam futurum id, quod paulo post evenit, ut e morbo, qui omnes vires eius iam attriverat, non convalesceret; contra quam ipse videbatur, in isto valetudinis suae statu, sentire. Remitto tibi non Ἀ'μοιβαῖον. sed signum tantum voluntatis meae, odam huius anni, non quidem illam ad gustum doctiorum virorum scriptam, sed directam ad iuventutem nostram, cuius bono omnem operam navamus, ut nulla neglecta occasione, maxima, minima, excitari ea possit, ad capessenda studia, quae tantum non iacent, nisi melior aliqua divinae gratiae aura adspiret. Hoc meum est iudicium; vos de eo ex iis, quae apud vos fiunt, aestimate. Hic finis fuit Carminis mei. Faxit Deus voti mei compos fiam. Scripsi illud, dum operae typographicae in eo excudendo occuparentur; neque enim prius per interpellationes licuit, quae tum, cum maxime vacare cuperem, minimum otii mihi reliquerunt. De tuis scriptis petis, ut significem, quae habeam, quae non; ea paucis hic subiungam, qui pauca numero, ac praeter Lycophronis primam editionem, spicilegium ad Theocritum, & Poemata nihil. Si ad manus tibi sunt exemplaria, quae a Typographo debentur, grato animo ea excepero. Sed aliud adhuc est, quod te velim hoc tempore, mi Meursi: filius D. Gerobulii, is, qui Leidae literis operam navat, superioribus diebus, quum e convivio cum aliis studiosis domum esset reversurus, sua, an aliorum (quod audimus) culpa, fenestras vitreas in aedibus civium quorundam effregit, atque in ipso facto cum sociis deprehensus postridie ad Praetorem delatus, missis quaesitoribus cum non inveniretur, primum pulsu campanae, postea publico Programate citatus est, ut ad d. 25. Decemb. iudicio se sistat, causamque dicat. Pervenit huius rei fama primum ad aures meas, quam cum non parum bonum senem, amicitia mihi iucundissimum, perturbaturam facile praesagirem, pressi integrum fere

Ann. Chr. MDCII.

(a) *Io. Luntius* fuit aliquando Scholae Vltraiectinae Rector primarius. Ita sese eum reperi scripsisse anno 1604. Idemne vero fit, cuius mentio fit in literis *Vbbonis Emnii* ad Scriverium an. 1613. apud *Anton. Matthaei* epist. CXXIII. alii viderint. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCII. fere octiduum, incertus tamen de criminis gravitate. Tandem quum iudicarem, non expedire, ut patre ignaro haec omnia gererentur, ut tempestive malo venienti posset occurri, consilium inii de re tota ipsi patefacienda. Itaque occasionem captavi, quantum fieri potuit, commodissimam, qua modeste ei filii statum aperirem, fretus ea spe, futurum, ut usus lenitate quadam paterna, statim animum ad quaerenda media revocandi filium in viam rectam, adiiceret. Sed excidi omni spe. Nam adeo aegre tulit & fert hanc filii sui lasciviam, ut ne pedem quidem movere, aut cuiquam molestus esse velit, veniae impetrandae causa, sed carceres ei & pristinum ipse minetur, si eius facultas sibi fiat, ne in posterum & sibi in hac tam gravi senectute, & Ecclesiae, possit esse dedecori. Ego itaque cum utrinque omnia apud me exigerem, & filii periculum, quod ei gravissimum incumbit, & fervorem patris ad primum rei male gestae nuncium, motus sororis & fratris vere magno dolore, faciendum mihi hoc tempore putavi, ut amici munere interea temporis fungerer, & intercessionis media aperirem, amicis meis, & quos novi & Gerobuli interpellatis, ne committant, ut adolescens, in ipso adolescentiae fervore & flore versans per occasionem unius delicti, ad quod non ipse per se, verum per alios, ut audimus, vel certe victus potu, cum aliis fuit pertractus, perderetur, maiore patris dolore & Ecclesiae scandalo. Scripsi itaque ea de re Nobiliss. & Ampliss. Viro D. Reginaldo Brederodio, studiis & amicitia olim mihi coniunctissimo, fretus ea spe, ipsum communium olim studiorum memorem, si quid salutarium consiliorum ab ipso proficisci possit, ea omnia mihi pro innata indolis facilitate vere nobili, lubentissime suppeditaturum. Te vero, mi Meursi, quaeso, ut cum D. Barneveldio, apud quem plurimum polles & potes, agas, ut ipse Senatui Leidano literas intercessorias mittat, vel mitti curet. Habet eam ad rem argumenta sufficientia, ministerii patris honorem, quo iam tot annos fungitur: senectutem & alia, quae ipse melius noverit, quam ut mihi ea ipsi subiicere sit necesse. Spero futurum interim, ut animus patris delenitus, cetera curet. Si quid aliud est, quod a me fieri posse aut debere censetis, si vel unica scheda data cognovero, adolescenti non deero: de quo spem hanc concepi futurum, ut hoc periculo edoctus, in posterum cautior sit, & in non dubiam spem boni patriae & Ecclesiae succrescat. Vidimus multa similia in aliis huius rei exempla. Sed prolixior sum, quam aut res tuae, aut meae ferunt. Itaque in eo desinam. Deus Opt. Max. studiis tuis ut hactenus benedicat. Vale. raptim Vltraiecti, inter occupationes plurimas sensibus quodammodo distractis. Id. Novemb. An. CIↃIↃCII.

Literas has scripseram, sed antequam mitterem, adorti sumus quibusque modis patrem, ut ipse primo quoque tempore operam suam adderet nostrae, & pro filio deprecaretur. Tandem vicimus, ac literas quidem ad D. Barneveldium deprecatorias perscripsit, easque tradendas curavit per D. Luidenium, qui te adpellat. Quaeso ipsum iuva, ac meas literas Viro Nobiliss. D. Praesidi commendes, ut in eam accipiat partem, in quam accipi eas aequum est. Amicus amici munere fungor. Occasionem D. Luidnio aperi, qua ipse D. Barneveldium & Praesidem adloquatur. Speraveram me coram vos adpellaturum, sed differenda mihi ea adpellatio in festum Paschatos fuit. Obiit hesterno die ex peste D. Gaeserius iunior, summae exspectationis vir, in ipso iuventutis flore. Scripsi Epigramma unum aut alterum, quae mittam, ubi impressa fuerint. Vale.

CLVII.

IO. A' VOVWERN. IO. MEVRSIO S. Ann. Chr. MDCIII.

QVid causae sit, mi Meursi, quod meis non respondeas, comminisci non queo, quum rite me implevisse sciam, & vota tua, & leges adfectus, quo te semper tenere amavi. Itaque pene in eo sum, ut credam literas meas vespillonum manibus insepultas. Hoc tibi persuade, eruditissime Meursi, me serio, & ex animo te amare, & eundem adfectum praeferre, quem non obscure in me semper collegisti. Iubeo te redire in praeterita, & recolligere animo prima initia amoris nostri. Cogeris serio, nisi valde fallor, me amare. Certemus nunc quoque amore; ita tamen, ne me vincas, in aliis sane facile tibi cesserim; sed huic victoriae neminem intercedere patior. Emendationes in Tertullianum, aliaque nonnulla his nundinis vulgabo: utinam plausum tuum mereantur. Vale, mi Meursi, & me ama. Hamb. Prid. Id. Febr. MDCIII. [a]

Patrem tuum, optimum virum officiose salutato, quaeso, meo nomine cum ipso agas, ut tanti aestimet mei meminisse.

CLVIII.

IANVS GRVTERVS IO. MEVRSIO S. P.

ETsi nihil habeam, quod chartae illinam, cum tu meis, datis mense Septembri, debeas responsum, tamen flagitium arbitratus sum, dimittere sine literulis meis D. Lingelshemium, amicum meum hisce locis tantum magis unico unicum; certe quo neminem experior promtiorem, neminem constantiorem. Quid mirum? cum in eo efformando laborasse videri queant Musae cum Gratiis, Mercurius cum Apolline, Flora denique cum Leporibus, ac Iocis, Gnydiae Deae universis. Certe si ei, si reliqui amici mei, peculiare quid eidem meo veluti nomine bene fecerint, bene dixerint, plurimum tibi, plurimum eis, debuero. Privatim dico, nam pu-

(a) In editis est n. XXXIII. pag. 62. GRAMMIVS.

publice scio & a se, & ab hero nostro illustrissimo veniet acceptissimus, omnisque ei habebitur honos. Ambitioni huic meae fave: nam quicquid ei ibidem per vos accesserit, hic mihi refundetur cum foenore: dum scilicet narrabit universis ac singulis in aula, me alicuius momenti apud Belgas, licet absentem, licet exsulem, licet Gruterum solo nomine. Musae tuae quid bruma ista fecerint, per ipsum rescire cupio, literis bene prolixis. Salutabis meo nomine perofficiose D. Casimbrotum, D. Brunixium, D. Gilpinum, nec non D. Crumholtium, atque Buaesium; praeterea & reliquos amicos communes. Tu etiam salvebis a Grutero tuo iterum haec scribillante prima Martii, cum pridie salva puerpera augerer filiolo primogenito. MDCIII.

CLIX.

Frid. Tavbmannvs Io. Mevrsio S. D.

DEum bonum! quam multa volebam cum *Meursio* fabulari. Sed dum extremam dieculam, quae abitum nostratium Bibliopolarum, per quos haec mitto, antevertit, tibi uni destino, ecce tibi a publico ab Acad. negotio interturbor pessime: tu summam & quasi titulos accipe. Mitto ad vos partem de Plauto meo non meo Poenulum & Truculentum, unde iudicium de ceteris facere in proclivi est. Cur non omnes mitto Comoedias, qui potui descriptas habere toties? Exemplum, de compacto, omnium ad Gruterum misi, qui singulas Fabulas ordine censebit, & de suo adaugebit, ita enim inter nos convenit, ut quicquid ille in his finget, aut refinget, me lubentissimo fecerit. Exemplum ego mecum retinui & non immerito. Quaeso te, mi Meursi, qui in Lipsium, Casaubonumque, succrescis, da mihi, da Plauto & bonis literis, hanc operam; istasque Comoedias a Scaligero principe per otium lectas communica cum ceteris, qui ibi sunt harum Musarum, Bonaventurae Vulcanio, Merulae, Bertio, Heinsio, Grotio, Scriverio, Tiardae, Lydio, Putschio, aliisque, eosque meo nomine, imo boni publici causa, symbolas Plautinas posce. Inprimis *Fragmenta* Plauti, eaque Notis illustrata, fac ab aliquo istorum exsculpas, vel potius abs te ipso. Edentur a me fide optima. Neque est, cur is festinet; nam futura demum hieme animati sumus ordiri publicationem; quando Gruterus totum opus per hanc aetatem & semestre censuerit: ubi autem id futurum sit, nondum scitur. Typographi quidem non uni se obferunt. Si Lugdunenses vestri meas illas chartas excusserint, quaeso te Hagam etiam mittas ad Cl. illam Pleiada (hem iam non Pleiada!) Dousas: quos etiam literis compellassem, si omnino valuissem. Tu os meum sis vicarium; quod fortasse libentius audient, quam meum. Si posses mihi ab uno alteroque eorum omnium, quos nominavi, imo quos non nominavi, (nomina omnium mihi non occurrunt in hac festinata scriptione,) vel brevissimum epigramma impetrare, aeterno me devinctum haberes beneficio. Nulli vero Comoedias hasce dabis legendas, nisi prius illud, quod una mitto, ad Lectorem: causam vides. A Scaligero per occasionem repetere mea poteris: quem etiam rogavi, ut si quid mihi vellet scribere, tua opera faceret: nam tantus ego non sum, ut ille tantus mea causa semihorulam perdat, nisi forte Plauti gratia faceret. Tu videris, mi Meursi, cuius fidei me atque ista omnia committo. Atque utinam oculos in hoc pectusculum inserere posses; atque meas intus in te deprendere curas! Scio, putares tibi omnia Taubmanni causa facienda. Poteris, quae ad me voles, proximis nundinis Francofurt. remittere: hoc est, binas hasce Comoedias cum altero illo ad Lectorem, sed vestris Notis auctiora. Nam ne erres, ista remitti volo. Sin maturius velis, habes ibi elegantissimi ingenii iuvenem Saxonem, vel Misnensem potius, Laurentium Reich, LL. Candidatum; per ipsum poteris ad me, si quid voles, rectissime curare. Ceterum quae illa sunt *Columnae* Enniana? Eum ego quidem hic indagare nusquam potui? Ecquid habet Plauto dignum? excerpe quaeso tu & mitte. Muretus nomen Plauti legit: *M. Attii* &c. non, *Actii*, ecquid rectius illud, dic quaeso? Qui fit? Criticarum tuarum pars secunda a nostris Bibliopolis omnibus deficiens adfertur. Supra pag. 240. quae caput XXV. orditur *de siccera*, nihil adparet. Quaeso subfici iube, ecquid multa restant? ecquid in iis aliquid in Plautum? nolim pulvisculum negligi a meo Meursio. Nam in eiusmodi non religiosus sum, sed superstitiosus. Nugas Dissertationis meae de Ling. Lat. ecquid accepisti? quas per Laurent. illum Reich ad te misi. Plura non possum, mi praestantissime Iuvenis, etsi plurima sint, quae velim abs te, ut praeceptore, addiscere. Tu me tironem in his literis amabis, iuvabis, & semper cogitabis, te ingenium illud tuum nobis debere. Salveant ii omnes, quos supra nominavi, a Frid. Taubmanno, qui haec festinabam Vitebergae III. Aprilis Anno M.D.CIII. Salutant te etiam Rhodomannus & Siberus Collegae.

Hoc cogitabunt semper Lectores istarum Fabb. ut & illius ad Lectorem, me alienis & manibus & oculis usum, cum in scriptione, tum in relectione. Si quid forte occurrerit, non vacabat relegere. Salve iterum, mi Meursi; & tuum illud *Aeternum cogita*.

CLX.

David Hoeschelivs Io. Mevrsio S. D.

MItto, Vir Cl. Notas ad Phrynichum eius, quem Aquilam in nubibus adpellat Lipsius, quod aciem oculorum ipsius nihil fugiat. De quo Duackerus inter alia haec

Ann. Chr. MDCIII.

haec ad me. *In Phrynicho quam elegantes sunt Observationes magni illius nostri?* Memini, quum adhuc Andreas Dudithius, acris vir ingenii & iudicii viveret, indignari ipsum saepius solitum, quod in legendis Auctoribus ipse animadvertere non potuisset, *quae Scaliger aliud agens, vel somnians etiam deprehendisset. Sed est haec virtus magnorum ingeniorum, ut quod alii vix immenso labore consequi possunt, ipsis sub manu nascatur.* hactenus ille. Quaeras, cur haec ad te? Video cum in Criticis Exercitationibus, tum in aliis abs te editis, ingenii tui quoque acumen, perspicientis ea, quae permultos latent. Velim igitur, scribas, quid videatur de versiculis tribus, quos in Codice quodam Aug. reperio insertos Carmini Pythagorae aureo, quod vocant. Post versum namque *πρῆσσε δὲ ταῦθ' ἅ σε μὴ βλάψῃ* &c. sequitur hoc distichon;

> *Πρῶτα μὲν ἐξ ὕπνοιο μελίφρονος ἐξυπαναστὰς*
> *Ἐν μάλα ποιπνύειν ὅσ' ἐν ἤματι ἔργα τελέσσεις.*
> *Μήδ' ὕπνον* &c.

& post versum, *δεῖλα μὲν ἐκπρήξας ρ.* in Cod. MS. hic sequitur: *ταῖς αὐταῖς ἀρεταῖς ποιῶ φίλον, ὃν κ' ἐθέλῃσθα.* Sic in Phocylide, cuius Auctoris III. calamo exaratos habemus libros, invenio tritissimum illum *Μήτε δίκην δικάσεις ρ.* post versum LXXXVIII. positum. Vtque multas notatu dignas *διορθώσεις*, ita subspectas *διαφόρυς* quasdam lectiones. Velut v. 103. pro *σῶμα γὰρ ἐκ γαίης ἔχομεν, καὶ πάντες εἰς αὐτὴν*; in MS. uno legitur *σῶμα γὰρ ἐκ γαίης ἔχομεν κ' ἄπειτα δὲ καὶ πυρὸς αὐγῇ.* v. 7. pro *αἰώνια*, in eod. *ἐγγωνιάσματα*. v. 25. pro *ἄνδρα ἄτιτον*, in eod. legitur *ἄνδρα ἄδεκτον*, in alio *ἄνδρ' ἀνάδεκτον*. Huius generis alia subiicerem, nisi de his ipsis Gnomicis Scriptoribus cum tribus MSS. Codd. modo a me collatis edendis, ut & de Theognide ad totidem libros comparato cogitarem. Et forsan imprimet iam iam Sculterus, cum alter, e cuius officina prodit Aretaeus, Procopium sit excusurus. Haec ne nihil ad te, sub ipsum ad nundinas Francofurdenses Dominici Custodis nostri discessum, exarare visum est: quae boni, scio, consules. Eclogas Legationum ab illustri Scaligero accipies. Salutat te pl. Velserus noster. Bene Vale.

VII. Eid. April. Anno MDCIII. Aug. Vind.

CLXI.

MELCHIOR HAMENVELTO GOLDASTVS IO. MEVRSIO S. P.

GRave mihi tam diu adloquio tuo carere, mi Meursi, dolorosum, mea me id culpa sentire. Nam ubi, aut quid, agerem, nesciebas, opinor. Sane inconstans usque commoratio, eaque Mercurialis, per Gallias; nunquam, an rarissime Apollinaris? tandem etiam parum abfuit, quin Martialis, dum in comitatu fuimus Ducis Bullionei. Sed vero verum fateor, non defuisse occasionem ad te scribendi, quam neglexit meus ad te veniundi. Eam nunc mutavit vita aulica, quam hic instituo. In ea sic versor, ut libris tamen comitatior sim, quam equis vel gladiis. In primis Plautus ad me quasi postliminio reversus, quem biennium est, & amplius, ex quo non vidi in eius Bacchidibus a. 5. f. *Quicunque* statim a principio, versus est, quem multis vocabulis auctiorem apud Hieron. Regium repperi Comment. L. De Emend. Elocut. ita autem habet: *Stulti, caustauri, stolidi, fatui, nebulones, popinones, lurcones, fungi, bardi, machi, margi, gulones, blenni, bocbones.* Vides duos versus esse, sed quomodo constituendi ex te scire studeo, & an genuini, atque veteris exemplaris testimonio. Videor enim sentiscere fucum Italicum; quod ubi me docueris, igitur demum vere intelligam fructum amicitiae nostrae, quem satis ampliter pridem carpsi. Sed & hoc abs te volo scire. Ab Scaligero in Copam, & alicubi a Turnebo, laudatur *Prologus Bacchidum*, quem ego nullus unquam vidi. Tu si habes, aut habere a Scaligero potes, fac me, quaeso, compotem, vicarium quid vicissim impetrabis. Camerarius adnotat, Romae repertum a Fabricio, sibique missum, esse *Aululariae* subplementum, quo de si quid unquam audivisti, fac me certum. Haec habui, quae in maximis turbis subito ad te scriberem; plura Genio amicitiae nostrae mox sacraturus. Dat. Heidelbergae Eid. Apr. A. N. C. CIↃIↃCIII. Vale.

CLXII.

MARCVS VELSERVS IOAN. MEVRSIO S.

Salve Vir Clarissime.

ACcepi Poemata ante sex, octo menses, opinor. Neque ego iratis Gratiis adeo natus sum, quin gratias per epistolas statim egerim. Vtinam referre aeque promtum sit. Tu tamen nihil accepisti, quid ego possum? Scio me Lugdunum Batavorum literas misisse, ad Scaligerum, quantum commemini, de cuius fide frustra dubitem. Sed tempora vides, & incerta haec viarum terra marique. Nunc de Carmine epithalamio amo te, cui quod *puerperium* comitem paras, prudenter tu quidem, & fausto, voveo, Iunonis Vandernyliae omine. Sed apage quantum potes *de funere*. *Meditationes Christianae*, an Philologiam etiam attingant, res nos docebit. Multa adhuc sunt in Christiana antiquitate, quae cum dignitate & fructu ab hominibus doctis tractari mereantur. Vale, & mirificum tuum in me adfectum valde a me amari tibi persuade. Augustae Vindel. Kal. Iunias An. MDCIII.

Tuus

M. VELSERVS.

CLXIII.

Ann. Chr. MDCIII.

CLXIII.

FRIDERICUS LINDENBROCHIUS Io. MEURSIO S.

NE putes, Meursi suavissime, insimul cum coelo me animum quoque mutasse, certe religiosiori sacramento amorem tibi semel vovi, ne anxius esse possis, apud Gallos dum vivo, addidicisse me, quod familiare huic genti veteres censuere, fidem ridendo frangere. Melioribus praeceptis eruditus sum, & ausim dicere.

Ἐναντίας πέφευγα κακίας δύο
Τὴν ὑπόκρισιν, τόντε πέρπερον τρόπον.

Ceterum si quid culpa maleferiatorum hominum factum est, obsecro, ne me succedaneum substituas aliorum negligentiae. Scripsi enim & Statium quoque misi: & id propter bilem mihi in nasum traxerat silentium tuum, quam tamen mora paulatim evacuavit. Alioquin decreveram, initio irata aliqua epistola te eiusdem delicti accusare, cuius nunc me reum postulas. Satis ergo utrisque supplicii erit, tu quod meis, ego vero tuis, literis hactenus caruerimus. Quibus ut invicem nos quam frequentissime invisamus, lex & amicitiae sanctitas suo iure postulare videntur. Volupe mihi fuit, quod de scriptis tuis me gnarum facis; rogo, ne nimis editionem trahas; imo vero suadeo, ut si quid fortassis an operi desit (quis enim nostrum non peccat?) id facilius excuset festinata exhibitio. Ego quoque de Ritibus Ecclesiasticis, qui a Paganis originem sumsisse videntur,(a) quaedam collegi, & evulgare in animo habeo; sed aegre in hisce locis Typographum inveniam. In illis memini observata a me quaedam, de modo sepulturae, quae nunc apud Romanos frequentatur, & nuper adeo commodum hunc locum notavi Hilarii Arelatensis in Vita Honorii: *Praelata ante feretrum ipsius aromata, & incensum, vidimus*. De legibus Germaniae nostrae propediem, ut spero, specimen videbis. At Hesiodum Heinsii quando habebimus? Vellem medius fidius virum familiarius Lugduni novisse; tu saltim meo nomine salutem illi dices, ut & Grotio nostro, sed hac fini, ut tandem aliquando, quas anno a me habet, litteris respondeat. Feliciter. Eidib. Iunii Anno CIↃ IↃC III. Parisiis.

CLXIV.

IO. A WOVWERN IO. MEURSIO S.

ADfirmo tibi, mi Meursi, multum me adfecerunt literae tuae, ad quas quod serius, quam par erat, respondeam, dabis negotiis meis, & continuis itineribus, quae me ita districtum tenent, ut saepius cogar deserere officium amici, & diligentiam meam in scribendo probare non possim. Quas paras *Meditationes Christianas*, ex animo aio, valde videre aveo. Sed illa de *Puerperio* & *Funere*, cuius, quaeso, argumenti? hoc nisi molestum, proximis tuis literis apertius significabis. De *Funere* quidem Commentarios iam paratos habemus, opus, nisi fallor, haud indignum, ut posteris placeat. Illud, nisi operae indiligentiores, proximis nundinis prodibit. Nondum tamen editionem coepimus. Quod si tuum eiusdem argumenti, nempe Philologi, lubens inhibebo editionem meam, neque enim virium mearum ad eandem palmam tecum contendere; praesertim cum haec studia non ita excolere per vitae genus, quod hactenus elegi, liceat. *Minucium* tamen nuperrime edidi, & *Firmicum*; utriusque exemplum ad te mittam: Sed ut verum fatear, nihil in iis dignum politissimo iudicio tuo. Humanitatem tuam rogo, ut peccanti ignoscas. Animum vero in te meum non existimo opus esse multis tibi ostendere: redibis, si ita visum, in praeterita, & cogites, quibus initiis amor noster coepit, quibus fomentis crevit, & robur sumsit. Quod si serio feceris, nullus dubito, quin animum meum pari adfectu remuneres. Hoc te rogo, mi Meursi. Vale, & me ama. Hamburgi Prid. Non. Iunii MDCIII.

Patrem tuum officiosissime meis verbis salutabis (b).

CLXV.

HUGO GROTIUS DANIELI HEINSIO.

LEIDAM.

Ann. Chr. MDCIV.

PEssimum commisi facinus, quod tanto tempore (& sane ut esset breve, non potuit te absente mihi non esse longissimum) litteris amicum non compellavi. Idque maxime vereor, ne forenses tricas mihi putes tanti esse. Fuit autem vel nunc certe mihi festinandum, cum te video isto cum homine magno, ut sese aestimat, literas commutare. An tu reris hunc sacrum, atque caelestem, amorem minus habere aemulationis, & invidentiae, quam illi vulgivagi solent? An me vereri non putas, ne illum, Regio spiritu sceptra sibi vobis admentientem, praeferas homini misero, & cui satis sit in toga senescere? Sed tamen serio, mi Heinsi, nescis quantum illi ad adrogantiam, quod minime crederes (pervenerat enim ad summam) accreverit ex nescio qua domini pollicitatiuncula, qua nunc ita elatus est, ut nec se, nec quenquam noverit. Ex eo me non salutat. Nam ego privatus scilicet parebo isti a ferula sua venienti. Habet hercule mirificam virtutem, quam ἀναιδείαν vocant: & ei nunc prostant omnia: nec dubium est, quin περιπλουμένυ ἐνιαυτῦ facturus sit aliquid magni. Tu ergo recte qui talem tibi fautorem in tempore concilias. Nam nisi ita consulimus rationibus nostris, timendum est, ne & ego vulturiolus togatulus escam non inveniam, & teipsum ne tua quidem Pandora prohibeat a fame. Haec libuit iocari, ne tam vastum posthac silentium esset. Vale, lux, & spes mea. CIↃ IↃCIV.

CLXVI.

(a) Ritus Ecclesiastici generatim loquendo a Paganis originem non sumserunt; quando tam multi cum ritibus sacrisque Gentilium nil commune habent; sed Ecclesiam quosdam probabiles in suos usus transtulisse inficiandum non est. Marangonius Romae librum edidit de rebus ad Ethnicos pertinentes ab Ecclesia in sacros usus sapienter translatis, adeoque sanctificatis. LAMIUS.

(b) Est inter editas n. XXXIV. pag 66.

Ann. Chr. MDCIV.

CLXVI.

IACOBVS GRVTERVS IO. MEVRSIO S. P.[a]

IVcundiſſimum mihi, ut omnia tua, accidit Carmen Nuptiale, de quo gratias tibi habeo, & verbis & carmine ἀντιδώρῳ, in Funus, cuius editionem doleo protolli in Nundinas autumnales. Frigiditatem gaudeo quod poſſum per frigus hoc hiemis excuſare, & excuſabis etiam tu, ut ſoles, pro candore tuo, & amicitia mutua. Sed vide potius gelu verſuum meorum ad te in eximio tamen ardore tui.

AD CL. V. D. IOANNEM MEVRSIVM. cum vulgaret FVNVS.

Naenia forte placet, Meurſi prae carmine, legum,
Et prae luce fori funus in exſequiis:
Vt ſplendore Tribunalis, tituloque procaci
Conſulti ſpreto, & ambitione procul.
Deſignator ames cinctus Lictoribus atras
In pompa partes videre funerea
Theſaurum Libitinae orcivum promere priſcae,
Et Latii oblitas funeris exſequias.
Non tam femineo quid plangat Praefica leſſo,
Aut unctum ut condat Veſpa cadaver humo;
Quam quibus ingenuam exemplis accendere pubem
Curarint pulchri & laudis amore Patres.
Cui non defigant ſpectacula dulcia pectus?
Quis face propoſito nolit honore mori?
Qui ſpectet longo ſpirantes agmine vultus
Faſcibus & nota quemque ſua & titulo,
Curribus excelſos veneranda incedere pompa,
Aut medio in Tyriis ſtare foro thalamis.
Audiat & privas cuiuſque ab origine laudes,
Et fremitum plebis atque patrum fremitum.
Plus etenim ſpes in generoſo pectore laudis,
Quam legum pollet ſuppliciique metus.
Et praeſens non parva quidem, ſed poſtuma nata eſt
Menti incentiva ſubdere mira bonae.
Ergo dum nota, Meurſi, haec, & talia cura
Eruis e veterum ſemiſepulta libris,
Devincis vivoſque tibi, maneſque ſepultos,
Atque pio iuvenes officio atque ſenes.
Subiicis his calcar vitae, his ſolamen honeſtae,
Speſque ſuas vivis, praemiaque exanimis.

IACOBVS GRVTERVS.

CLXVII.

IOANNI MEVRSIO DOM. BAVDIVS S. P. D.

QVod tardior fui in remittenda Praefatione, ſicuti mandaras, feci hac perſuaſione deceptus, quod exiſtimarem non multum periculi eſſe in mora modici temporis. Simul etiam aurigarum generi non temere huiuſmodi depoſitum concredendum exiſtimavi. Nunc bona copia ſeſe obtulit, ut & voluntati tuae ſatisfacerem, & eadem opera τῦτον τὸν γραμματοφόρον humanitati tuae conciliarem. Nomen ſi dixero, continuo amabis hominem; eſt enim Scotus ille qui extra ordinem Philoſophiam profitetur. Adfui aliquoties Typographo, ut editionem maturaret. Placet illi opinor mos, & diſciplina, Maximi illius, qui cunctando reſtituit rem. Adde quod ita natura comparatum eſt, ut magnanimus quiſque tardos habeat progreſſus. Adfirmat tamen operas calere, ſed tum demum daturum ſe probas (quidni feſtinans utar hoc nomine?) inſpiciendas. Ego in huiuſmodi negotio valde tiroſum. Sed ſi ſemel calamum ſumſero & excuſſero veternum, redigam ad laſſitudinem Typographos. Sed haec licentius iocati ſumus. Vale, Vir Cl. Lugd. Batavorum XI. Kal. Febr. CIƆ IƆ C. IV.[b]

CLXVIII.

IO. MEVRSIO DOM. BAVDIVS S. P. D.

HOdie cum prima luce Typographus ad me venit & attulit eam partem excuſam, cuius exemplum ad te mitto. Moram enim nullam interpoſui, quin calentem a praelo inſpicerem, ut impatienti deſiderio tuo mos geſtus eſſe videretur. Non eſt quod ſubſpiceris me defuturum provinciae, quam mihi delegaſti, nec per me ſtabit quo minus operae ferveant; ſed lentum ſane negotium eſt hoc genus hominum, ceterum (quod libere liceat) ipſe tu ſubflaminandus es. Α'σφαλὴς γάρ ἐς' ἀμείνων ἢ θρασὺς ςρατελάτης. An neſcis eas arbores diu creſcere quae multa virum volvenda ſaecula durant? Sed non libet diutius nugari alieno tempore: rumor enim eſt, uxorem clariſſimi Mylii graviter laborare ex dolore; ignoſces familiaritati, quae ſi te offendit, pari libertate apud nos utere. Vale, IV. Februarii CIƆIƆCIV.

CLXIX.

HVGO GROTIVS DANIELI HEINSIO. LEIDAM.

SCribo ad te, ſed Meurſii rogatu, quod tamen ita te ſcire oportet, ut ille neſciat. Adparat igitur Lexicon Barbaro-Graecum, quale *Rigaltius* vulgavit. Noſti laborem, in quo ingenii nihil, induſtriae non multum requiritur. Legit Auctores pleroſque & exſcripſit: hoc illi placuit Lexicon vocare. Reſtant legendi Zonaras & Cedrenus; quos a te petere non cupit. Me ſubmiſit, qui illius gratia mentirer, & dicerem opus mihi illis Auctoribus, ad quos videndos otium non eſt. Neſcio an habeas, vix puto, quia raro inveniuntur; neque

(a) Etiam hoc excuſum ſuo loco in lib. *de Funere*.
(b) Haec, & ſequens Epiſtola, deſcriptae ſunt ex editione Epiſtolar. *Baudii*: nam in *Zach. Lundii* Codice non exſtabant haud dubie, quia *Meurſius* olim autographa ceſſerat editori epiſtolar. Baudii. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCIV.

magnus usus est. Si ita est, scribes te non habere, sed ita quasi mihi petiverim, ut possim illi tuas literas ostendere. Sin quid adiicere libebit, quod inter nos maneat, fac a litteris separes. Ego hoc magis illi negare nihil debui, quia videor offendisse hominem, quod rogatus encomium scribere Meditationibus, Epigramma scripsi, nec tamen, ut ille, de sole, aut saeculo, sed liberale praeconium, & quo putabam ipsius quoque adrogantiae satisfieri posse. Nunc video inexplebilem, ex quo me coram meos versus legit fronte corrugata, tristis, an indignabundus, & ad singula prope verba subsistens, quasi cum dignitate sua expenderet. Est id Epigramma huiusmodi (a).

Si bene te novi, tu, ut ego, dices, (b) *nescio quid faciet*. Sed vale & ride, meum & litterarum decus V. Febr. CIↃIↃCIV.

CLXX.

IACOBVS GRVTERVS IO. MEVRSIO S. P.

MEditationes tuas *sacras* V. Clarissime accepi atque legi avidissime, indices eximiae doctrinae etiam in Divinis, pietatis autem expressae, praeter aetatem. Nam quanto hodie magis friget inter adolescentes pietas, aut studia sacra inter leges, aut Psalmi denique ipsi, soliloquiorum usus antiquissimus & sanctissimus, etiam inter Theologos: tanto tua sunt maiora merita, qui dignitatem hisce exercitiis restituis, & exemplum aliis praeis, quod sequantur. Doctrinae forsan plus habet praesens aetas, vetustas certe plus habuit sanctitatis, & ἀσκήσεων piarum, ad quas praecipue facti sunt natique Psalmi. Et tametsi res ea & ingenii humani vitio & temporis diuturnitate abierit in varias superstitiones, atque ἐθελοθρησκίας: tamen ostendunt centones illi & Horarum Canonicarum, & Officiorum & Missarum, quanto in pretio Psalmi fuerint, ut taceam testimonia vetustatis. Sed abeo longius per occasionem libri tui. Reliquum est, ut de reliquis etiam fidem tuam liberes, quod facturus es, & brevi, si a te non mutatus es. Vale, Vir clarissime, & me ama. Postridie Kal. Maii.

CLXXI.

IO. MEVRSIVS IOANNI CANTERO S. D.

ERgo, quod promisimus nuper, Iuvenis Nobilissime, communicemus inter nos literas. Et ecce initium a me esto. Sermo autem nobis trivialis non erit, ut vulgo solet, sed de literis, & Musis nostris. Nihil eo utrique nostrum gratius, nihil etiam dignius. Ergo habe. Quaero quid sentias de isto Manilii loco lib. IV.

Nec sunt immensis opibus venalia fata,
Sed rapit ex sceptro funus Fortuna superbo,
Indicitque rogum summis, statuitque sepulcrum.

Quid hoc, quaeso, est? *Fortuna rapit funus ex sceptro*. Quis sic unquam loquutus est? Ego vero sic corrigendum censeo.

Sed rapit & sceptro funus Fortuna superbum.

Et eleganter dixit, *funus superbum sceptro*, in quo sceptrum Libitinae impositum effertur: idque ex more suae Romae Poeta; nam in Magistratuum funere fasces etiam, Magistratus insignia, lecto impositos efferebant. Haurias illud ex Paediano ad Orat. pro Mil. *Fasces ex lecto Libitinae raptos attulit ad domum Scipionis, & Hipsaei*. Livius ab V. C. Lib. II. *Consulares fasces, praetextam, sellamque curulem, nihil aliud quam pompam funeris putent* Ecce, quam clarus ritus: & ex eo Manilianus versus restaurandus est. Vide mihi alterum Suetonii locum in Vespasiano Cap. XIX. ubi de eius funere. *Interrogatis palam procuratoribus, quanti funus & pompa constaret, ut audiit sestertium centies, exclamavit, centum sibi sestertia darent, ac se vel in Tiberim proiicerent*. Mendum necessario est. Quid enim? ut Imperatoris funus non pluris constiterit quingentis millibus florenorum? Apage. Tantum impendebant cives plurimi, quibus res lauta. Atque adeo apud Plinium Lib. XXXIII. Cap. X. Isidorus aliquis ex ima plebe homo, *Funerari se iussit Hs. undecim millibus*. Id est, quingentis quinquagiota millibus florenorum. Ergo rescribo. *Vt audiit sestertium millies*. Ortum mendum ex confusione notarum numeralium C. & CIↃ. Ea summa autem faciet quinque milliones. Atque recte quidem me emendasse, fidem faciet ipse Suetonius, qui in Nerone Cap. L. narrat de eo: *Funeratus est impensa ducentorum millium*. Id est, decem millionum. Vides iam proportionem funerum Imperatoris alicuius, & civium. Sed pluribus haec in libro singulari, quem iam edimus. Tuum iudicium de his censuris exspecto, Iuvenis Nob. Vale, & me amare perge. Hage Comitis XIV. Kal. Iun. CIↃIↃCIV. D. Fratri tuo salutem officiosam dico.

CLXXII.

CORNELIVS CHRYSO-SCHOLLVS IO. MEVRSIO S.

QVia mors propter incertos casus semper omnibus imminet, non abs re de eorum vita, de quibus praeter solitum diu nihil audivimus, soliciti esse solemus. Quod intelligo tibi de me contigisse, idque eo maxime, quod ad tuas literas, quas me accepisse putasti, non respondi. Ab eo tempore, quo mihi moralia tua misisti, literarum tuarum nihil accepi, unde singu-

(a) Quia *lib.* I. *Epigram. p.* 231. legitur, hic omittere visum. GRAMMIVS.

(b) Haec verba erant ultimi versus in Epigrammate, quod vide. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCIV.

gulare scribendi argumentum datum non fuit. Quare nunc visis tuis literis, & *Meditationibus* tuis *in Psalmos*, magnopere gavisus sum. Quia studia abeunt in mores, bene facis, quod & πρὸς τὸ θεολογεῖν animum convertis. Summum enim bonum est, cum quis haec & ipsis praestet moribus. Quanto anima & Deus aliis praestant, tanto haec studia magis aliis amplectenda, haec in commune, & ex aequo omnibus utilitate & necessitate sese commendat, & complures aliorsum rapit rerum humanarum aestus, & ea quae quaestum sapiunt. Quia Psalmi adfectus & motus cuiuscumque animi, eorumque correctionem, & curam, & formam, & exemplar orationum in se continent, tu in hoc tuo scripto πρὸς τὸ ἐγεῖραι πάθος, καὶ τὸ πραῦναι, δεξιώτατος εἶ, καὶ εἴ τι ἄλλο λέγεις ἐκμιμήσασθαι ἄριστος. λόγος αὖ σχεδὸν ὅλος ὥσπερ ἀφοριστικὸς ἐστι, σαφὴς καὶ ἀπέριττος μετὰ εὐκρινείας, ἐν πολλοῖς καὶ γνωμολογεῖ. Quae mihi legere licuit (temporis enim maxime sum indigus) valde sunt elaborata, & digna quae ad posteros transmittantur. Tantum in iis iudicii acumen, & tanta dicendi gratia & venustas apparet, ut nulla aliorum quantalibet cura ea aequare possit. Bene facis, quod ἐπιτήδειον καιρὸν τῶν πράξεων οὐκ ἀναβάλλῃ. Nihil in vita praeclarius, quam Deum sanctificare, proximum ad veram Dei cognitionem & cultum excitare, quod in his Meditationibus maxime studuisti. Quod praeter haec adhuc alios tres Tractatus prae manibus habes, non possum satis mirari, quod unus tot, & tam diversis, argumentis simul satisfacere potes. Bene faxit tibi Deus, quod tanto labore & industria rem literariam promoves, & utilitatem publicam procuras. Precor Deum, ut te sanum & florentem servet. Saluta meo nomine patrem tuum & D. Wittendellium, ubi in eum incidis. Amsterodami, penultimo Maii, anno MDCIV.

Quia Delphis cognatus eiusdem nominis & cognominis habitat, coactus sum cognomini quid addere.

Tuus totus

CORNEL. CHRYSO-SCHOLLVS.

CLXXIII.

FRID. LINDENBROCHIVS IO. MEVRSIO S.

Vir doctissime, clarissime!

Mitto tibi, ut promiseram, excerpta ex Moschopulo in Agapetum: quae si Glossarium tuum augebunt, bene est. Sin minus, vel sic tamen animi saltim optime volentis adfectum hinc adgnosces, quem semper, ubi occasio erit, studiis tuis addictissimum puta. Librum adiunctum Elzevirio tradas, quaeso, simulque cum eo dispicias, an Novi Foederis, & Procopianae Historiae, editiones hinc meliores fieri possint. Vale. Hamburgi XXIX. Iulii Anno Chr. CIↃ IↃ CIV.

V. Cl. Dan. Heinsium amice salutes, rogo. V.

Tuus

FRID. LINDENBROCHIVS.

CLXXIV.

IAC. BONGARSIVS IO. MEVRSIO S. D.

Vir clarissime, salve.

Quae de *Funere* misisti, ea grata, quod a te, quem facio, uti debeo, sane plurimi; quod a tuo in me adfectu; quod ex iis futurus ego doctior. Sed de *Glossario* quod spem facis certam, me certe beas. Nam in recentioribus istis Graecis, sunt, quae me torqueant: sunt & in Constantinopolitanis rebus, quae non adsequor, quam plurima. Fac igitur, quod facis; perge luce ingenii tui dispellere has tenebras, & de bonis literis bene mereri. Me adhuc errans haec vita tenet, cui cum anno hoc, si Deus faverit, finem faciam: te vero amabo & colam aeternum. Vale. Francof. VI. Oct. MDCIV. (a)

CLXXV.

IACOBVS GRVTERVS IO. MEVRSIO S. P.

Non est error aut adfectus meus de scriptis tuis, mi Meursi, sed iudicium tum meum, tum eorum omnium, qui apud nos te amant, atque tua aestimant. Qui ut quidque tuorum, Lycophronem, Theocritum, Arnobium, alia a me laudantur, damno me mactant, & utenda sine redhibitione pro amicitia nostra auferunt. Sed quid audio? A Iustiniano Imp. ad Regem Palaestinum profugisti, an hospitaris? Neutrum meo animo, male; sed hoc puto. Debebam ego & per conscientiam ariditati meae, & poteram etiam per occupationum varietatem, honeste tacere. Sed vicit studium tui, ut paucula illa effunderem potius, quam meditarer. In quibus te vel candore usitato in tollendis alienis, vel iure redhibitionis in peculio febriculoso uti volo. Vale V. Cl. & me ama XVIII. Octob.

IN CL. V. IO. MEVRSII

Meditationes Sacras.

Barbara caligo rerum, atque infantia quondam
 Nunc verba & strepitus pro pietate probant.
Tum nullus nugas, nunc quaerere seria nullus
 Rixari his, illis est dubitare modus.
At sibi vult alia Dominus ratione litari;
 Vult operari alia religione sibi.
Nempe in se consternatam descendere mentem,
 Et pavidum propriis ingemuisse malis.

(a) Exstat edita inter Gudianas illas, a Petro Burmanno, n. LIX. pag. 147. GRAMMIVS. (b) Haeretico homine dignum Epigramma. LAMIVS.

Ann. Chr. MDCIV.

Fidentem post ex te sursum exscendere mentem
Et nisam erigere se bonitate Dei.
Supplicium in tristi, re laeta solvere grates,
Sique aliud nudae est religionis opus.
Quo fuit exemplo haec Iessaei regia Vatis:
Regia, sed simplex ambitione procul.
Cuius de multis specimen nunc paucula promit
Meursius, at cultu condecorata novo;
Qui deceat nervis & rerum pondere vatem
Regem verborum flumine, qui deceat.
Cortinae fuit ille potens, sceptrique sacrorum,
Et Legum tu, quae dissociata, sciens.

IACOB. GRVTERVS.

CLXXVI.

MELCHIOR HAMENVELTO GOLDASTVS Io. MEVRSIO S. P.

SEro litteras tuas accepi, hoc est ipso anno post quam tradidisti. Detinuit eas Gruterus, nec ab se abire ad Alpes nostras passus est. Facinus amico indignum! Amorem tuum non amplector solum, sed animitus mutuito, & volo firmiore nexu vadatum. Multae magnaeque sunt virtutes tuae, & quas frustra in aequali desiderem. Augeat eas Dominus noster, & perennet omnem aetatem. O Deus, quam me adficit *Meditatio* tua, pia, orthodoxa, Christiana! quam ego tacite, tecum peccata mea plorabam in secreto. Simile quid & ego meditatus sum in Psalmum LI. Pergamus in hoc vero verae Philosophiae & pietatis studio; excitemusque animos & nostros & fratrum nostrorum ad adgnitionem sui. Ita nempe interpretor illud antiquum oraculum γνῶθι σεαυτόν; & illud veteris Ecclesiae: *Sursum corda*. Cetera studia, quae falso Sophiae nomine insignivérunt, non sunt nisi fumus & umbra, praeterquam velut organo utaris in vera adprehendenda & tractanda sapientia. Ancillantur, inquam, studia ista humana divinae sapientiae; non dominantur. Intelligis, quid velim, & quoniam intelligis, fac porro, tibi cordi sit. De *Prologi* indicio gratias habeo. Subplementum *Aulalariae* illud quaero, quod Camerarius ait apud Georg. Fabricium vidisse, non quod abs te editum, numquid super eo aliquid ex Scaligero, tenta, & vale, mi Meursi, ac amicitiam nostram fove. XI. Kal. Novemb. A. N. D. MDCIV. Francofurto ad Maenum.

MELCHIOR HAIMINFELDIVS GOLDASTVS.

CLXXVII.

M. VELSERVS IOAN. MEVRSIO S.

GRatias nudas esse, si nunquam credidisti, ex me discas licet, qui te toties in me munem, nudis semper verbis remunero. De *Funere* & *Puerperio* amo te. Censuram petis, nondum licuit legere, vix inspicere, ita praeter solemnes occupationes struicibus librariis ex nundinis destinemur. Verum de libro, qui Meursii nomen praescriptum habet, omnia nobis egregia pollicemur. *Glossario Graeco-Barbaro* omnium tibi doctorum voluntates devincies, dudum enim est, quod id plerosque omnibus votis expetentes audio. In Vochino obiter moneo, inspicias, cum Notas, quas anonimus nescio quis adiecit Commentariis Mureti in Ethica, & Oeconomica &c. Aristotelis; tum Faculam eiusdem, adiectam Mureti Commentario in Tacitum, uterque liber Ingolstadii editus est; hic anno MDCIV. ille MDCII. Exemplar Hoeschelio quod misisti, curatum recte. Vale. August. Vindel XIII. K. Novembr. Anno MDCIV.

CLXXVIII.

IACOBVS GRVTERVS IO. MEVRSIO S. D.

TAmetsi non dubito, praestantissime Meursi, quin tibi causam silentii longiusculi probaturus sim: erubesco tamen, dum haec ipsa scribo: ne tu me de pallore tabellae huius inverecundae aestimes. Obiit diem suum frater coniugis septimanis superioribus; cuius ego heredum tutor sum: nataeque nobis molestiae nonnullae in familia eius herciscunda. Sum autem ego talium rerum insolens, ut per eam rem non fuerim omnino meus. De Libro autem tuo, *De Funere*, gratias tibi ago maximas: non tam ob munus ipsum, quam quod eius praecipue lectione inusitatas illas molestias, mihi si quae adhaeserant, deterserim. Attinuit autem me unice varietas illa in uno argumento, & in materia, ut videbatur, sterili, copia luxurians fere. Felicem te, mi Meursi, curis talibus, felicem autem etiam isto animo: qui & inventionis argumentique novitate, & tractationis accuratione, studia tibi admirationemque virorum praestantium colligas. De Glossario ominor futurum, ut exspectationem nostram vincat. Excitavi ego iam multis salivam, quibus omnis mora longa est. Vale Vir praestantissime, & nos ama. Middelb. XXV. Octob.

Scripseram superiora, quum alterae tuae literae superveniunt, mi Meursi, quae mihi & pudorem & indignationem moverunt, de curis alienis illis, quae me mihi, imo suavissimis amicis ita eripuit, ut nec officii, nec decori, meminerim. Ego vero, quod potero, maximum supplicium de silentio dabo, creberrimas, & loquacissimas posthac literas, simul ex litibus illis expedivero. De munere tuo hoc addo: Iucundum mihi atque admirationi etiam, itemque aliis, fuisse. Et quum talia parias, nec effoetum tamen fieri, nec moram etiam novo conceptui interponere, ad exemplum ἐπικυήσεως, quam tamen Medicorum filii adiu-

Ann. Chr. MDCIV.

abiudicant ab hominum genere. Sed tu perge curas priores praestantes posterioribus semper vincere praestantioribus. D. Scotium in mediis caloribus quartanae a te salutavi, prolixe iussit a se gratias tibi & salutem nunciari. Vale V. Cl. iterum iterumque.

CLXXIX.

ISAACVS CASAVBONVS IO. MEVRSIO S. (a)

Accepi nunc ipsum, quas XV. Kal. Octobris scripsisti ad me, Vir eruditissime. Gaudeo valere te, & in litteris ἀὲν ἀριστεύειν, ac nos amare constanter. Oro Deum Opt. Max. det tibi cum aetate maiorem in dies & voluntatem & facultatem literas ornandi, & ipsi serviendi, quod quia video te quoque serio cogitare, tuaque studia eo referre, amo te, mi Meursi, etiam eo nomine θαυμαστὸν ὅσον. Equidem sic a puero sum persuasus, ut omnium laborum, quos studiis impendimus, nullum fructum alium optarem, quam ut non plane inutilis promovendae gloriae Dei viverem. Sed nostra vota genus vitae incertum, vagum & ἀπροαίρετον, quo hactenus sumus usi, impediit. Quo igitur vivo ipse inutilior, eo vehementius delectari soleo, si quos videam felicioribus auspiciis eandem viam esse ingressos. Ceterum *Meditationes* tuas diligenter quaesitas nondum reperi. Videro, sicubi possunt adhuc inveniri: sed necdum visus mihi, qui in eas incidisset. Et eum ingenii tui foetum, & quicquid aliud a te prodibit, exspecto avidissime. Nos nugas agimus; sic enim iure vocaverim Persianum Commentarium, olim a nobis scriptum, quem nunc edimus; quem, si invenero, cui tuto dem, tibi mittam. Doleo periisse, quas ante menses quatuor, aut quinque, ad te scripseram: sed illae non perierunt solae; nam ab illo tempore decem minimum fasciculos ad Illustriss. Scaligerum misi, qui obstinato silentio suo non mediocriter me angit; neque enim possum adduci, ut credam, e tot numero fasciculis non aliquos saltem fideles Tabellarios esse nactos. Fuere in iisdem ad te, ad Scriverium, ad Heinsium, literae; fuere item ad alios: saepe etiam libri fuere adiuncti, quos ab aliis acceperam, ipsi mittendos. Vnis mearum de obitu mihi tristissimo Hadriani Gulielmi, iuvenis Flessingensis, certiorem illum feci. Adieci etiam ad te, ad Heinsium epistolas, quibus petebam a vobis, ut adolescentem omni maiorem laude, naeniis prosequeremini, ἣ θέμις ἐστὶ θανόντας; deinde eadem de re saepissime per literas ad eosdem, Scaligerum atque Heinsium, egi, quum interea verbum illi nullum. Itaque crucior animi, nam multa erant, de quibus cupiebam ad divinum illum virum scribere: sed ἐπέχω, & si ab illo nequeo, a te certe, ut quamprimum literas accipiam, de ipsius valetudine ac statu, vehementissime exopto; teque per amicitiam nostram oro, ut hac cura me liberes. Vale. Scripsi raptim, statim a lectione tuarum. Lutet. Paris IX. Novemb. MDCIV.

CLXXX.

IACOBVS GILLOTVS IOAN. MEVRSIO S. P.

Binas a te accepi literas, V. D. quarum altera una cum epistola ad ter maximum Casaubonum, quam ei de manu in manum tradidi. Vni ex meis relicta fuerat. Aberam enim tunc temporis, profectus in Pictonum Provinciam, ubi diuturnior commoratio fuit, quam putaram. Summam tuam erga me benevolentiam, summum amorem mihi profecto iam perspectum & cognitum significas: quem ultro (quae tua humanitas est) & distulisti, & praestitisti. Ego, quod rependam, aliud nihil, praeter propensissimam voluntatem, quam tibi spondeo, de qua sic, velim, iudices; quibuscumque rebus opus esse intelligam, me praesto futurum. Denique me te alterum putato. *Meditationes* tuae *Christianae*, item Tractatus *de Funere & Puerperio*, ad nos nondum pervenerunt. Quam vellem vidisse! Singulare certe me desiderium tenet, quae a te omnia cunque proficiscuntur videre & legere, quibus melior fiam. Curabo hic a nostris Librariis adferantur: dum Glossarium & Notas in Codinum magno cum desiderio exspectamus. Quod autem illas mihi inscribere voluisti, mehercule miror: nisi eo animo facis, ut gloriam a nomine tuo consequar, ut mihi persuasissimum est. Ideoque non modo gratum, sed mirabiliter gratum erit; atque ob illum delatum honorem, cuius etiam me subpudet, immeritum, gratias gratissimas ago. Per te quam diu vivet Meursius, id est, quam diu litterae vivent, & vivam ego Litteras Casauboni ad te mitto. Vale, & me, ut amas, ama. Dat. Lutetiae Paris. Eid. Novemb. Anno CIƆIƆCIV.

CLXXXI.

PAVLVS MERVLA IO. MEVRSIO S. D.

Libros accepi, amicissime Meursi, tam qui meae, quam qui publicae, sunt Bibliothecae. Tabellam, qua fidem non mihi (nam illud non fuisset necesse) sed publico obligaras, remitto. Si quid apud me, quod magis laudandos tuos conatus iuvare queat, quaeso, compella, recepturus quicquid erit, si quidem in meis scriniis. (b) Accipe iam nunc Magni mei Patrui Tragoediam, (c) & mirare mecum comportatas undi-

(a) Edita in *Casaub.* n. CCCCXXVI. pag. 227. edit. in folio. GRAMMIVS.

(b) Varia in hac Epistola habentur, & in subdito *Meursii* Epigrammate canuntur, quae pias Orthodoxorum aures offendant: nam & Heterodoxus morte merito damnatus ob violatam religionem laudibus fertur; & Iudices Orthodoxi, qui iuste subplicium inrogarunt, immerito vituperantur. LAMIVS.

(c) Libri, quem mittit, ac de quo hic sermo est, argumentum ex titulo cognosci potest, quem idcirco totum adponam: *Fidelis ac succincta Rerum adversus Angelum Merulam tragice*

Ann. Chr. MDCIV.

dique molimine magno ab Inquisitoribus, evertendo sanctissimo viro, machinas. Solent etiam, quod scis, haec talia caussae nostrae iura corroborare, & iustissima conficere. Acerbitas fuit stupenda, perfidia incredibilis. Deus clementissimus meliora nobis largitur tempora. Audemus iam palam, audemus sacrosanctum illud Numen solum adorare, & reliqua agere, dicere, scribere, quorum libera quondam confessio tam multa Maiorum nostrorum & Amicorum millia subStulit. Docent hoc Martyrologia, quae vulgo in manibus; docet id Opusculum hoc, quod boni consules, transmissum, caussa non tam mea, quam publica, quin & carorum tibi capitum, qui symbolas commendandae opellae contulerunt. D. Luntius ultra biduum hic non potuit detineri. Vocabant illum Martiniana, quibus Annalis Ode octava ipsi erat paranda. Alias excurrendi dabitur occasio. Et vero quid oblectationis in agris hieme, coelo tam vario & mutabili? Vale, amicissime Meursi, meque mutuiter ama. Lugd. Bat. V. Kal. Decemb. CIƆIƆCIV.

IN MORTEM
Reverendi Viri
ANGELI MERVLAE
Propter S. Evangelii Confessionem cremati
Epigramma
IOANNIS MEVRSII

ANGELVS attulerat caecis coelestia Terris
Munera, flagranti fervidus igne Dei.
Non tulit hoc longum vis invidiosa Luporum,
Et rapuit medio de grege saeva Virum.
O meliora loquar; fas huic mihi parcere verbo:
Debuit hunc coelo Terra: quis eripuit? (a)

CLXXXII.

(b) IO. WOVWERVS IO. MEVRSIO S. D.

MVltum te amo: de *Sacris Meditationibus* tuis, mi Meursi, quaeris, quid sentiam? Magnopere se mihi commendavit opus argumenti excellentia & elegantia stili; quamquam etiamsi absque his fuisset, facile flexisset rigorem meum, quo te auctorem loqueretur; quem semel constitui serio amare, nec adfectum hunc deseram, quamdiu aliquis mihi amoris sensus, quod & de te mihi promitto, amicissimum mihi & *Musis* caput. Laudo, quod non protuleris editionem Commentarii de *Funere*. Lubens sane viderim. Non sinas nos expertes istarum deliciarum, quarum avidissimus hic stomachus. Vere autem me beasti de *Glossario*, quod promittis. Vtinam a te impetrarem, etiam illa adiiceres vocabula, quae iam ab aliis collecta: ita legentis compendio consuleres. Nihil certe studiosis harum rerum gratius aut utilius exhibere poteris. Imperabis tibi, ut votum meum iuves. Apuleium a me editum, nisi fallunt operae, propediem ad te mittam.

Hamburgi Prid. Idus Decemb. CIƆIƆCIV.

CLXXXIII.

IACOBVS GRVTERVS IO. MEVRSIO S. P.

NIhil peccasti, suavissime Meursi, cessatione illa literarum, ut excusatione valde indigeas apud me, qui ipse confidentia quadam amicitiae, pro re nata talia officia, aut frequentare ad amicos, aut intermittere, subinde soleo. Quod tamen tu accipies non ad negligentiae confirmationem, in copia argumenti, sed in inopia, ad excusationem silentii. Quod te in eius Viri familiam dedisti, non dubito, quin tu consilio consulto feceris; confidoque gradum tibi hinc ad altiora futurum. Nam si tu te ad Iurisp. & Remp. comparasti (quod ex literis proximis tuis intellexi) aditu tibi & ἀφορμῆ opus est tali aliqua. Haec enim ego proxima spatia ad illas metas iudico ei quidem, cui praesidia reliqua ingenii & doctrinae non desint. Optarim esse, in quo tibi hic commodare possim; sed non dubito, quin ultro tibi consideranti in mentem ventura sint, quae me usus longiusculus in hisce minutiis docuit. De rei totius successu, quum vacabit, ad me scribas. Libri tui ad nos nondum adlati sunt; quod oblivioni ego Librarii nostri imputo, cui negotium dederas. Itaque quod missurum ad me tam benigne scribis, gratum erit, si feceris. Vale, doctissime Meursi, &, quod facis, amare & scribere frequenter perge. Middelb. X. Decembris.

CLXXXIV.

ce ante XLVII. *annos, per quadriennium, & quod excurrit, ab Inquisitoribus gestarum, Commemoratio, auctore* Paullo G F. R. N. Merula *IC. Ordinum Foederatarum Provinciarum Historiographo, qui omnia strictim ex Autographis conlecta Fixit, Dicavit, Sacravit S. P. Q. Brielensi L. M. Lugduni Batavor. apud Ludovicum Elzevirium Bibliopolam & Academiae Lugdunensis Pedellum. Typis Iohannis Nicolai P. Dorpii* CIƆIƆCIV. *in* 4. constat paginis 110. praeter Praefat. & Carmina encomiastica, a Cl. Viris scripta, *I. Luntio, Petro Bertio, Dominico Baudio, Dan. Heinsio, Petro Scriverio, Io Meursio, Hugone Grotio*. Grotianum hoc plane elegantissimum legitur alias in eius Poematum editione, Epigr. l 1. pag. 330. *Staret ad arsuros cum iam pater Angelus ignes &c.* Meursii istud, quia serius scriptum est ipsius Poematum editione, nec alibi facile reperiendum, seorsim huic chartae adfigam. GRAMMIVS.

(a) Vltimum distichon obscurum, sine dubio, & intellectu difficile erit iis, qui historiae *Angeli Merulae* non satis gnari. Ergo ut planum reddatur: quid ultimo versu voluit *Meursius* dicere, narrationem de exitu e vita viri, de quo Epigramma scriptum, ex libro ipso (quia haud ubivis is inveniendus,) exceptam dabo: pag. 106.

„ Quum extra urbem ad locum supplicio destinatum pervenisset (*Angelus*) rogavit, ut sibi liceret ad ingressum casae (in quam condendus iam erat, stramineae, fascibusque & lignis undique septae subfultaeque, preces ad Deum fundere, eiusque in supremo hoc certamine misericordiam implorare: quo non difficulter impetrato, dum flexis genubus, manibusque in coelum sublatis, orationi est intentus, animadversus est versus dextrum latus inclinare. Quum putarent adversarii viribus ipsum ob instans supplicium deficere, adcurrentes, deprehenderunt mortuum. Animam scilicet eius clementissimus Deus ad se, rarissimo sane exemplo, evocarat, ne quid cruciatuum, qui morbis, senio, carcereque, fere quinquennali iam plane pleneque erat fractus, sentiret &c. GRAMMIVS.

(b) Ep. LII. in editis pag. 102. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCV.

CLXXXIV.

PAULUS MERULA IO. MEURSIO S. D.

ABeram, amicissime Meursi, in Arce Warmontia, quum nuper tuae ad meas aedes adferrentur litterae; quo factum, ut quos petebas, libros non miserim eodem die. Moram boni consules. En tibi iam nunc Optatum Milevitanum, Tomo hoc Bibliothecae SS. Patrum col. 355. & Marcellini Chronicon, Onuphrii Fastis iunctum: Epiphanii non habeo; alioquin una cum his vidisses. Remitti velim, si fieri potest, ante VIII. Februarii, quum eo tempore singulis annis recensio fieri solita librorum omnium (a). Facile postea remittam, si opus. Vale, mi Meursi. Raptissime VIII. Ianuarii CIƆIƆCV.

CLXXXV.

PAULUS MERULA IO. MEURSIO S. D.

LIteras tuas accepi, mi Meursi, & cum iis, quae ad venationem. Gratias habeo pro suscepta molestia. Mitto tibi reliqua duo volumina Bibliothecae SS. Patrum. Si quid praeterea apud me compella. Tuus enim ego totus. Plura non possum. Vale. Commenda me Dominis Nostris. Raptissime Lugd. Bat. XXVI. Ianuar. MDCV.

Has litteras velim quamprimum mittas ad meum Impressorem.

CLXXXVI.

(b) ISAACUS CASAUBONUS IO. MEURSIO S. D.

ACcepi tandem, hoc est, ante paucos dies, quem misisti dono librum, & quam scripsisti epistolam. Videram pridem id Syntagma tuum: neque enim potest me fugere quicquam tuorum, a quorum lectione nunquam recessi, nisi doctior. Itaque opto tibi omnia fausta ac laeta, ut & quae iam habes in manibus, detexas quam primum, & alia porro suscipias, perficiasque cum publico bono literario, & laude ingenii tua. Nos Persium nuper edidimus, cuius exmplar unum tibi destinatum, nescio quo casu tamdiu haeserit inter manus meas. Mittam vero cis paucos dies ad amplissimum Buzenvallium; quem confido curaturum, ut tibi tuto reddatur: etsi non tanti operam illam nos quidem facimus, ut legi (c) eam a te velimus. Tironibus enim illa scripsimus, non viris doctis, qui melius ista per se capient, neque opera nostra habent opus. Cras Temporario, qui D. Buzenvalli res hic procurat, eum librum ξὺν Θεῷ, sumus tradituri. Tu itaque accipe levidense munusculum, tanquam ab eo profectum, qui se a te amari maximi faciat. Vale. Lutetiae Parisiorum. VIII. Eid. (d) Marc. MDCV.

(a) Nempe *Paulus Merula* erat Bibliothecae Lugduno-Batavae Custos. GRAMMIUS.
(b) Exstat in editis n. CCCCXLVII. pag. 238. ed. fol. GRAMMIUS.
(c) Nostra edit. GRAMMIUS.
(d) Maii edit. GRAMMIUS.

CLXXXVII.

(e) IO. MATTHISIUS IO. MEURSIO S. P.

GRatulor mihi, Meursi doctiss. occasionem hanc oblatam esse, & amicitiae tuae toties a me exoptatae deinceps excolendae, & humanitatis tuae ex relatu aliorum tantum mihi cognitae, experiundae. Expertus certe eam sum, quum hic praesens esses, neque obscurum eius specimen praeberes, tum etiam ex epistola tua peramanter ad me scripta, exque libello, quem instar tesserae ac futurae nostrae amicitiae fundamenti, mihi mittere es dignatus. Quem quidem simul ac accepi, perlegi avide, ac uno fere halitu, certe omissis aliis rebus omnibus summo cum studio ab initio usque ad calcem absolvi. Ago tibi maximas gratias publica de causa & privata. Illa, quod de bonis litteris bene mereri non desinis, eosque identidem ingenii tui foetus in publicum emittis, qui non solum ad elegantiorem literaturam spectant; sed etiam, qui ad caput illud omnis sapientiae, doctrinae ac cognitionis nostrae faciunt, veram scilicet pietatem, quam certe sanctiss. tuae Meditationes spirant quam maxime. Rapiunt enim nos soliloquia ista (ut cum Augustino loquar) ad coelum usque, & mentes nostras nimium huic terrae adhaerentes ad Deum suum miro pietatis zelo attollunt, originem earum & unicum finem. Iudicium meum de iis quod postulas, facis tu quidem amanter. Verum ea est elegantia in ipsis, ac tam fluidus sermonum priscam pietatem spirantium quasi quidam torrens, ut neminem tam insipidum esse arbitrer, cui non optime sapiant spirituales istae dapes. Mihi sane optime placet uterque tractatus, magis tamen is, quem in Psalmum scripsisti CXIX in quo utinam reliquas quoque partes absolvas. Neque enim aut materia in Legis encomio, in quo omnes pii dies noctesque versari, eodem Propheta teste, debent, deesset, aut tibi in tam ampla eruditionis supellectile ac uberi Latini sermonis cultu verba ac stilus. Age igitur, mi Meursi, & quam de te dedisti exspectationem, ei satisfacere, imo superare magis magisque enitere, & ita te in humanioribus literis versari laudemque captare proba, ut interim quae ad pii officium spectant, maximeque veram pietatem respiciunt, minime abs te, quemadmodum a plerisque fieri adsolet, negligantur. Quod ad statum hujus Ecclesiae attinet, is eodem loco est, quemadmodum cum hinc discederes. Animi enim ad audiendi verbi divini zelum, pacem & unanimem consensum confirmantur, nec quicquam ad eum, quem hactenus omnes pii exspectarunt, exitum deesse

(e) Scriptorem huius epistolae, mihi ignorabilem, theologum, aut pastorem in aliqua urbium Batav. fuisse adparet. GRAMMIUS.

deesse videtur, nisi probos ministros, qui prudentia sua, sinceritate ac pio moderatoque zelo, opus hoc tam feliciter inchoatum perficiant & deinde conservent. Quod si fiet, equidem non de huius tantum Ecclesiae incolumitate, sed de agri quoque emendatione, prout illos, quorum auctoritate res illa necessario fieri debet, video affectos minime dubitaverim. Faxit Deus, pacis ac ordinis auctor, ut Ecclesiis sua ubique constet tranquillitas, animique eorum, quibus ea cura potissimum incumbit, ita in pacis & pietatis studium coalescant, quo unum sentiant omnes in Domino & Ecclesiae, patriae, ac omnium denique saluti quam optime consulatur! Ego autem sequenti septimana discessurus sum, frustra modis omnibus tentata apud meos temporis prolongatione, ac impetrato ad sex futuras septimanas Ioanne Dibesio Ministro Dordracensi. Vale. Traiecti pridie Kal. Iul. stilo nostro Anno MDCV.

CLXXXVIII.

PAVLVS PETAVIUS REGIS CHRISTIANISSMI In Curia Parisiensi C. IOANNI MEVRSIO S. P.

TRadidit cum literis tuis tractatum tuum *de Funere* tui amantissimus D. Gillotius, Vir eruditissimus, quum parum ipse abessem a funere. Me etenim per semestre pene tempus Medicorum imperio obstrictum dubia valetudo detinuit. Nec cum haec scribo, adhuc satis firma illa mihi. Et hoc insuper ab his nimium impotens visum, quod illi mihi in posterum usu literarum, aut vitae, interdictum volunt. Itaque liberorum ac librorum vario adfectu excrucior, & sortis humanae diversos aestus iam iam in dies magis persentisco.

At vos sidereae, quas nulla aequaverit aetas,
Ite decus terrarum animae,

litteraturaeque deliciis publico commodo fruimini. Iuvabit pandi nobis per vos penitiora Musarum secreta. Aegre vero est, quod quaedam ad nos literae tuae intercciderunt. Vt nec redditas tibi coniicio, quas cum tractatulo nostro *De Epocha annorum Incarnationis Christi* ante octo menses tibi destinaram. Cuius alterum exemplar, in praesentiarum transmitto, ne vel in re levi quidquam a me desideres. Vale & memor amici vive.

Lutetiae Paris. Kal. Iul. CIↃIↃCV.

CLXXXIX.

IOANNI MEVRSIO MARQ. FREHERVS S. P.

IAm dudum ad te scribere animus erat, Vir Clarissime, & editionem istam Minutii, olim apud nos hic a Balduino adornatam, mittere, quam nescio, an hactenus videris. Nunc demum facio, per Dominum Adiactum, qui ab Ordinibus Frisiae ad Serenis. Principem missus, in deferendis ad vos literis operam obtulit; qua non uti, non ferendae tandem negligentiae fuisset. Optarem vero eandem, quam Octavio & Arnobio cum laude datum nancisci, operam etiam Eucherio Lugdunensi Episcopo tribui, cuius exstat ad Valerianum epistola eiusdem omnino & argumenti & elegantiae. Edita est olim per Erasmum Basileae cum aliis similibus opusculis, sed & Venetiis aliquando recusa, & Hierocli adiuncta: sed mendis sane respersa, & tuam omnino opem implorans. Audio Glossarium vocum Mixobarbararum a te parari: quod videre nimis gestio. Ergo Rempubl. hac quoque parte demereri perge. Mihi *Germanicae linguae Commentarii* in manibus, in quibus iam aliquot annos me desudasse non dissimulo: [a] sed neque despero fructum labori aliquatenus responsurum. Adiumenta habeo non vulgaria, [b] Glossaria Latino-Theotisca MSS. antiquissima, subpeditata a Pithoeo, Welsero, Petavio, Bongarsio. Ex Bibliotheca Principis mei praeter alia, Olfredi exemplar MS. vetus; ex quo editio illa Basiliensis non nisi negligentissime expressa est. Sed potissimum Psalterii paraphrasin Barbaricam (is est titulus libri) a Notkero Abbate S. Galli Carolinis temporibus scriptam, ex Helvetia mihi communicatam. Tum alia fragmenta eius generis non pauca. Itaque possem & in leges illas Barbaricas Baior. Alemannor. &c. commentarios iustos scribere, nisi editionem Lindenbrochii Parisinam [c] (cui fortassis mea accedent) praestolari mallem. Sed quorsum ista? Vale, V. C. & amare nos perge. Raptim Heidelbergae X. Augusti An. MDCV.

CXC.

P. BERTIVS IO. MEVRSIO S. D.

LOcus Epiphanii est libro *περὶ μετρῶν κὴ σατμῶν*. Verba eius haec *Ξέςης ὁ Ἀλεξανδρινὸς δυὸ λιτρῶν φέρει ὁλκὴν ἐν τῷ ἐλαίῳ. Ἀπόῤῥυμα δὲ παρὰ μόνοις Θηβαίοις μετρεῖται. Ἥμισυ γὰρ τῦ σαΐτῦ ἐςίν. Ὁ δὲ ἀληθινὸς σαΐτης, ξέςων ἐςὶν κβ.* Quae sequuntur, quia nihil ad Saitem, non adscripsi. Omnino arbitror Saitem esse, quem Sauum vocant Scriptores Latini Ecclesiastici. Misissem Epiphanium, nisi ipse eo nunc uterer. Malui servare, quam reposcere. Vidi nuper schedas libri tui de *Luxu Romanorum*, his enim involveras Epiphanium. Mirifice recreatus sum earum lectione, & salivam movisti mihi: eo magis, quod ex Nomenclatore Francofurtano intelligam, iam totum volumen editum. Profecto utiliter hic labor abs te su-

(a) Perierunt irreparabili iactura eius eruditionis partis, quae circa Antiquitates germanicas & origines non solum eius, sed plurium Europae linguarum versatur, Commentarii isti Freheriani, auctore immatura morte extincto an. 1614. merenturque de his legi, quae scripsit *Io. Geo. Eccardus* in *Hist. Studii Etymol ling. Germ. cap. XV. p* 141. *seqq.* GRAMMIVS.

(b) De his multa passim in *Epistolis Freheri ad Goldastum*, inter illas scil. quae e Bibliotheca *H. G. Thulemarii* prodierunt Francof. & Spirae 1688 in 4. GRAMMIVS.

(c) Nempe, cogitaverat *Frid. Lindenbrogius* leges veterum populorum in Gallia edere, quas vere demum an 1614 ex officina Hamburgensi emisit, etsi Francofurtum praefert titulus, quia sumtibus *Marniorum* opus excusum. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCV.

subsceptus est, & cum aliquo famae auctario. Si *Glossarium*, quod promittis *Mixobarbarum* addideris, omnino beabis & nos & Rempubl. literariam. Mi Meursi, quaeso, saepius ad me scribas, & inprimis da literati aliquid: his pascor. Heroem tuum & D. Vander-Mylium cum universa familia salvere iubeo. Vale. Dat. Lugd. Bat. XII. Octob. Anno MDCV.

Literas, quas vides, velim (si molestum non est) ad fratrem meum, qui Hagae est, deferendas cures.

CXCI.

P. BERTIVS IO. MEVRSIO S.

Clarissime Meursi,

EXspectabis crastina circa diem decimam Nobilissimos Dominos Van-dermylium & D. Advocati filium natu maiorem. Ipse D. Advocatus adesse non poterit. Hoc voluit, ut scires, noster Mylius. Salvere iubeo te & tuam puerperam. Ego te cras, si Deus volet, videbo.

CXCII.

(a) MARCVS VELSERVS IO. MEVRSIO S.

LIbrum singularem *De Luxu Romanorum* accepi. Qui me multa, opinor, docebit: necdum enim vacavit perlegere. Gratias interim habeo; referam, si facultas sit: nunc mirum quam nostrae hic Musae, Acanthiis cicadis (b) magis mutae silescunt. De Codicibus Graecis vellem, ut vis. Sed spes nulla est, evectionem in tam longinquas, & impacatas, oras, isto praesertim rerum statu, impetrari posse. Vnus ad Scaligerum Georgius Syncellus, ante annos aliquot, missus est, quod isti non in exemplum trahi volunt. Et sane alia tum erat temporum facies, nunc intuta itinerum scimus, utroque metante ad Rhenum exercitu, ut de libris incolumibus restituendis, quod Bibliothecae praescriptio habet, si in hoc periculum semel mittantur, nemo satis cavere possit. Si quid conferri aut excerpi cupies, Hoeschelius rogatus, operam lubentem & diligentem, puto, navabit. Savilius, qui Chrysostomum, quantum fieri potest, integrum dare cogitat, quod nec ipse Codicum in Britanniam transvectionem se exoraturum speraret, Librarium huc destinavit, qui cum hic, tum Monachii, pleraque Chrysostomiana descripsit. Vale. Augustae Vind. XIV. Kal. Novembris Anno MDCV.

CXCIII.

IACOBVS GRVTERVS IO. MEVRSIO S. P.

TAmetsi ego de frustratione illa doleo, tamen non ita ἀπειρόκαλος sum, ut eam homini amicissimo immerito suo, quam infelicitati meae imputare velim. Quare operae tu quidem pepercisse poteras in te purgando, & offensa, ut ille ait, metuta declinanda. Omnia enim te mea causa velle hoc scio: quae quidem penes te sint, ut si quid aliud ego postulem, iure negetur, quod indecore petatur, aut imprudenter. Reliquum est, Vir praestantissime, ut te orem, ne memoriam nostri apud exteros deponas, & de rerum tuarum statu, atque peregrinationis hospitiis, seu sedibus longioribus, si non per literas, quod impeditum saepe, saepe impossibile est; saltim per librorum publicationes, atque nundinarum catalogos, nos certiores facias. Ego, quod testatus ante sum, in te amando colendoque candorem & constantiam possidebo. Vale. Middelb. XV. Decemb. CIↃ IↃCV.

CXCIV.

THEOPHILVS RYCKEWAERT IO. MEVRSIO S. D. (c)

Ann. Chr. MDCVI.

LIbenter sane & manum & literas tuas adgnovi, Meursi Clarissime. De Typographo autem illo ita, ut volebas, cum altero ex Consulibus civitatis nostrae privatim egi, sed ille exiguam satis spem faciebat honorarii alicuius impetrandi, tum quod parum emolumenti ab arte illa ad homines nostrates propter illorum τὸ ἄμουσον καὶ ἀγροικὸν, perventurum existimaret: tum quod non ita pridem civitatem magnis se impensis in opera quaedam publica onerasse, & supra vires quidem, diceret. Instabam tamen, ut de hac re ad Senatum referret, quod & factum est. Cumque quaererem ex illo, quid Magistratui placuisset, respondit, rei huius deliberationem in aliud tempus reiectam fuisse, qua illius responsione honeste negari, quod petebatur, existimavi. Quod si nihilominus amico illi tuo visum fuerit huc venire, & cum Magistratu coram agere, tuque id post meas literas consultum existimabis, ego illi commendatione mea non deero, idque, & si quid aliud possum, tua causa libens fecero. Vale, Vir Clarissime, idemque humanissime, meque nominis tui cum primis studiosum ama. Postrid. Kal. Ian. CIↃ IↃCVI.

(a) Haec sola Epistolarum *Velseri* ad *Meursium* reperitur impressa in illius *Operibus pag.* 337.

(b) Siccatis *male habet exemplar editum*.

(c) Quis fuerit *Ryckewaertius* ipse, non dixero.

Ann. Chr. MDCVI.

CXCV.

P. SCRIVERIUS IO. MEURSIO S.

HAbuit me sex septem istos proximos dies nescio, quis languor aut torpor, ita ut nec tuis, mi Meursi, nec aliorum amicissimis literis respondere hactenus potuerim. Nunc postliminio tandem ad me redeo, & simul ad libros meos, ex quibus tibi Vegetium de Re Veterinaria, quem inspicere aves, mitto. Oro te, si quid in Auctore longe corruptissimo, ex collatione Graecorum emendes, ad marginem aut alicubi ad calcem adnotare velis. Scito me sedulo, quicquid emendationum aut observationum communicaveris, nomini aliquando tuo inscripturum, & ex veteri formula *Lubens merito* imputaturum. Quod inpraesentiarum licet, gratiam habeo pro expositione illa teli barbarici apud Vegetium, lib. I. c. 20 quamquam vereor, ut omnibus probem. De Glossarii Arabici loco, & quid illic vox Arabica proprie significet, per occasionem illustrissimum Scaligerum interrogabo. Interim me doceas, vir doctissime, cur *Causia* barbarum & militare vocabulum eidem Vegetio, lib. IV. c. 15. Nos Graecum, probumque scimus esse, & notare Macedonicum capitis tegmen. Ego, ut, quid iudicii mei sit, exponam, locum illum depravatum censeo, quod vel varietas ipsa & inconstantia lectionis, quae fere vitio comitari solet, prodit. *Vineas dixerunt veteres, quas nunc barbaro militarique vocabulo causias vocant*. Ita vulgati codices Vegetii. Scripti valde variant, alii *cautias*, alii *caucias*, alii *cautibus*, alii *causibus* habent. Ora Parisiensis editionis *cattos*. Quae omnia mihi obscuriora Cimmeriis tenebris. Tu quicquid habes ad lucem huius loci, ne mihi invideas, rogo. Et de altero quoque Vegetii loco etiam atque etiam cogites, in quo MSS. & vv. libri pro *bebris*, *bebyas*, *brebas*, & *brebras*, adgnoscunt. De *Drungis* & *Tuphis*, quae post Rigaltium in Glossario Hellenicobarbaro observasti, velim, ad me perscribas, nisi grave est. Item quae de machinis bellicis, & id genus circa urbium & castellorum expugnationem usitatis, non pauca procul dubio in schedis habes. De *Lusoriis* etiam, quarum meminit in fine Vegetius, quod ad notitiam tuam pervenerit, eadem opera scire quam maxime cupio. Multa simul posco pro veteri nostra amicitia. Tu eius memor, effice, ut beneficium debeam, & vale.

Lugd. Bat. XII. Kal. Martias CIↃ IↃ CVI.

CXCVI.

FRID. TAUBMANNUS IO. MEURSIO S. D.

SI toties ad te scriberem, Cl. *Meursi*, quoties de te mihi sermo, qua publice, qua privatim, nullus dies tibi abiret sine meis literis, adeo in omni sermone unum hoc de industria agere videor, ut frigido huic Septentrioni amorem tui, & tui similium, qui ibi estis, incutiam. Quo facto cetera facile, quae cupio, subsequentur. Scis, quid velim. Nunc qui tam multa publice me docuisti, hoc etiam privatim, quaeso, doce. In Auctario tuo Philolog. cap. II. de *Familia aurea* ex Festo disputas, acute & eleganter, ut semper soles, Sed scias tamen, in mea Festi editione legi: *Familia antea in liberis* &c Doce amabo discipulum, utrum tibi mens eadem hodieque sit: ita ut nihil necesse sit in editione Plauti iteranda mutare illa tua, quae prolixe enotavi Bacchid. Act. II. 1. Deinde in Tertull. de Praescript. advers. Haeret. c. XLIV. legitur *de saevis & perversis doctrinis &c.* quaeso, locum inspice & iudica, an non legi debeat *de sevevis*. Arbitrum te consulto cepimus ego & collega, cui iste locus tractandus. In Plauto quae habes, bono iuventutis nostrae mitte, ut iis editio altera possit fieri melior. Dissertationem ecce a me alteram. Tu vive, & potiora seculum doce, excellentissime Meursi, Salutem adscribo generosissimis Dousis, quotquot superstites. Witebergae XIX. Aug. Anno CIↃ IↃ CVI.

CXCVII.

IO MEURSIO HUGO GROTIUS S. P.

BInas iam a te accepi literas, amicissime Meursi, bino mihi nomine suavissimas, nam & indicia ea habeo memoriae mei, & felicis status rerum vestrarum, Prioribus iamdudum respondissem, sed aliquamdiu me morbus, deinde morbi levandi causa suscepta peregrinatiuncula, detinuit. Nunc ad me & Musas redii; quas quidem tibi faventes video, ut quae te ab ipso deliciarum regno suas ad sedes repulerint: ubi tam foecunda optimorum librorum copia, & quod libris praestantius, hominum literatorum optima seges: ubi optimus Freherus, ubi Gruterus noster: & illi privatim mihi cogniti, Lingelshemius, Garnandique pater & filius, quibus me omnibus commendari ita velim, si id grave tibi futurum non est. Etiam discipulis, si videtur, tuis, de quibus magnam proficientis ingenii spem parentes ex literis concepere. Ego nunc ludo in Epithalamio Principis Arausionensium, quod ubi editum fuerit, tibi transmittam, tantilla sunt, quae exspectari a nobis possunt.

reddere victimas
Aedemque votivam memento;
Nos humilem feriemus agnam.

Glossarium tuum molliter apud me cubat, pro quo te solicitum esse non miror, amas enim, & merito. Sed memineris tamen (a) parentibus liberos, sed & tutoribus pupillos, cordi curaeque esse. Sis igitur ea fiducia securus, meorum quidem nihil est, quod tam anxie custodiam. Vale quam iucundissime, & nostri amorem semper tuere, Hagae Comit, VI. Eid. Sept. CIↃ IↃ CVI.

CXCVIII.

(a) Non tantum *forte*.

Ann. Chr. MDCVII.

CXCVIII.

DANIEL HEINSIVS IOANNI MEVRSIO S. D.

VEniam a te petam, Vir doctissime, neglecti officii, priusquam de eo ipso cogitare possum. Dies iam complures sunt, imo septimanae, quum tibi Poemata mea debere coeperim, cuius fateor, inter primos rationem habuisse debueram: ita meretur & virtus & eruditio tua. Id tamen vitio meo & ὀλιγωρίᾳ quadam factum est, quam ut excuses, serio peto, aut saltem ne sequiorem in partem interpreteris. Eo fere modo erga Vulcanium nostrum deliqui: cui hodie ea primum tradidi, nisi quod eius rei apud illum verius, quam apud me causa resideret: quum frustra saepius eum quaesissem, nec tamen reperire potuissem. Te mihi exorandum video; nec dubito, quin id facillime futurum sit, siquidem animum tuum novi, tractabilem & mitiorem a literis & sapientia, quam sunt plerumque τῶν ἀμυήτων καὶ τῶν ἀμετόχων ταύτης τῆς παιδείας. Vale, Vir Cl. & Nobilissimo Domino Vander Myle me commenda. Vale XXVIII. Sept. Lugd. Bat. (a)

CXCIX.

MARCVS VELSERVS IO. MEVRSIO S. D. (b)

HEIDELBERGAM.

ERgo tu istic haerere cogitas, donec Italici tumores desidant? Vide ne huius rei exspectatio longissimam moram trahat: etsi enim Legatus Gallicus, qui Venetiis agit, me concordiam desperare (c) vetat, alii tamen omnia contra nunciant, & ego sane cui potissimum fidem habere debeam, animi dubius pendeo. Sed itinerum interea nulla sunt pericula, &, si bellum non exardescet, quod mihi non futurum videtur, saltem his proximis aliquot mensibus, omnes Italiae angulos tuto perambules licet. Quod pingue otium describendis optimis codicibus bene collocas, (d) quodque Tacticos Scriptores in unum tanquam corpus cogere instituis, magnopere probo. Apud nos est *Constantinus Imp. Romani filius de Adparatu bellico terra & mari*, quem si prius non vidisti, hic coram quum in rem praesentem veneris, examinabis. Amicorum meorum quidam nescio quid in Iulium Obsequentem molitur, cuius nullum adhuc exemplar manuscriptum paullo antiquius nancisci potuit; tu si nosti, indica quaeso, res enim loquitur, editiones vulgatae omnes, huius generis auxilia requirunt. Tacticos an Graece tantum, an cum versione Latina, quod opinor, daturus sis, non adscripsisti. Vale. Et quum in Bataviam literas dabis, Illustr. Scaligerum, cum Clarissimis viris Clusio, Vulcanio, Merula, salvere iube. Augustae Vind. postridie Kal. Ian. anni MDCVII. quem tibi tuisque felicem precor.

CC.

GEORGIVS QVECCIVS IO. MEVRSIO S. (e)

REi decus Meursi literariae;
Hunc erudita aliqua librum sententia
Ornare quaeso, ne graveris, quae tuae
Manus simul, nostraeque amicitiae fiet
Μνημόσυνον, aere quolibet perennius,
Sic Gratiae Musaeque perpetuo te ament
Et eruditionis eximiae ac piae
Vero atque nullo intermorituro tempore,
Vivumque mortuumque mactent praemio.

CCI.

CVNRAD. RITTERSHVSIVS IO. MEVRSIO S. P.

NVlla tuarum est Notarum, Vir doctiss. cui non album adiecerim calculum inter relegendum. Nec erit, opinor, qui seorsim sentiat, ubi ederis: quod ut facias, ea occasione, quae prae manibus est, hoc est, ut patiaris Domini Gentilis editioni adiici tua ista mantissae vicem, (f) te rogo & hortor, si opus est. Intellexisti nuper, me parare novam Fab. Phaedri editionem. Quare abs te peto, ut si quas in illum libellum iam collectas forte habes observationes, aut emendationes, mihi ne invideas, meis adiungendas; si nihil dum adnotasti, rogo vel mea causa relegas libellum lectu iucundum, & quod in mentem venerit, per otium adnotes. In eum usum ad te mitto geminum exemplar, quorum alterum habet excerpta P. Pithoei V. C. adnotata ad oram libri manu Domini Bongarsii, qui ultro ad me ante 9. annos misit. Addo etiam editionem Rigaltii. Illud quoque ut quod maxime abs te peto, & contendo, studeas subplere versu prosave fabulas LXXXII. LXXXIII. & LXXI. deleo quae est narratio de Demetrio, & Menio regnante. Digna profecto res erit tuo ingenio ac studio, mihique, imo & aliis, gratissima: multo certe gratior, & honestior, quam est il-

(a) Hanc epistolam arbitror scriptam esse an. 1606. quo primum collecta in publicam lucem protulit Poemata sua D. *Heinsius*. Cuius libri serius *Meursium* participem a se factum, hic excusat. Sed iam antea frigoris aliquid inter eos & suspectum fuisse nostro Heinsii in sese animum: docet epistola *Hug. Grotii*, quae est in *Sylloges* Burmannianae *Vol.* 2. *pag.* 195. ubi & plura disces, de animorum morbis, quibus laborarunt magni Viri, *Grotius* & *Meursius*, & qualia fortasse satius esset ignorare. GRAMMIVS

(b) Exstat cum Gudianis & aliorum Doctorum Epistolis, publicae luci data, pag. 185. S. Ep. c. GRAMMIVS.

(c) Vetat. *sic rectius edita*. GRAMMIVS.

(d) In Bibl. scil. Palatina, seu Heidelbergensi. GRAMMIVS.

(e) *Georgius Queccius* Professor fuit in Acad. Altorfina, ubi Philosophiam moralem & Graecas litteras docebat. Haud raro de eo mentionem faciunt *Rittershusius* & *Piccartus* in suis ad *Meursium* Vita eius & scriptorum catalogus est in *Memoriis Professorum Philosophiae Altorfinorum* editis a *Sigism. Iacobo Apino* 1728. *pag.* 72 *seqq.* Adductum vero Epigramma scripsit an. 1607. quando *Meursio*, apud *Altorfinos* tunc viventi, Philothecam suam, seu *Album amicorum*, ut vocant, mitteret. GRAMMIVS.

(f) Sunt *Meursii* Notae in *Apuleii* Apologiam, additae, Mantissae instar, *Scip. Gentilis* editioni, anno 1607. Ergo de iis h. l. sermo est. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCVII. lud supplementum Rigaltii ad Fab. LXXII. B. V. & Notas Apologeticas tuas recipe.

Tui am. & studios.

C. RITTHERSHVSIVS D.

CCII.

IDEM EIDEM.

Mitto tibi Cl. & doctiss. Vir, Domine & amice honorande Venetias D. Lectii, & diploma Graecum Patriarchae Constantinopolitani, & Catalogum Pirckheimerianae Bibliothecae. His adiunxi interusurium quoddam Breviarii Graeci, quod coram restituam. Est versio Latina Iamborum Graecorum in Psalterii Davidis laudem. Plura post coenam, ubi maximus ille aestus remiserit. B. V. (a)

T. A.

C. RITTERSHVSIVS D.

CCIII.

FRID. TAVBMANNVS IO. MEVRSIO S. P. D.

M*eursi*, nisi feceris, nisi *recta* domum meam iveris; si aliam domum initu tuo ante meam hic beaveris; si alium in via nisi me primum Vitebergae salutaveris; si alii ante me hic innotueris, nullam e Musis unquam, nullam e Gratiis unquam, habeas amicam; imo hoc non volebam; inimicam nullam habeas. Sed nescio, quid dicam. Quin tu ad me *recta*, *Meursi*. Quin ad me Taubmannum *recta*. Si forte, quod non spero, quodque deprecor, ex transverso aliquid ab Academia intervenerit, ut illo die, quo tu superveneris, domo abesse cogar; quod tamen, ut dixi, deprecor, quod abhorreo, quod abominor; iam ecce dedi daboque hoc in mandatis Vxorculae meae, qua sol meliorem nullam apud ullum vidit Poetam, ut te amet, te osculetur, omnia tibi, praeter se, imo se quoque, praeter Veneris illud περιςεροτροφεῖον, tibi, inquam omnia largissime largiatur. Tessera hospitalis advenienti haec esto, qua inter vos novisse poteritis. Si illa rogaverit, utpote ignorabilem, quid hominis sis; responde tu: *Ich bin der Calvinische Hollaender* (*Meine Fravv meinet, die Calvinisten haben alle Hoerner. Sie sagt, sie mochte vvol einmahl einen sehen*) (c) Adgnoscet illa convenire tesseram, cuius partem illa a me ad istam faciem accepit. Sed ecce, commodum Barthius noster supervenit scribenti, cum quo mihi lis erit, sat scio. Cum atro scilicet sies. *Nun vvir vvollen vns vertragen* (d). Tu veni, & vide.

Taubmannum, qui haec festinanter XIII. Mart. & cui utinam oculos in pectus inserere posses!

Cetera coram mi Meursi!

Salveat a me noster Haminisfeldius, cui etiam scribam, si potest hodie, nam publica video turbam minari meae festinationi: sed tamen fieri &c.

CCIV.

IACOBVS GRVTERVS IO. MEVRSIO S. P.

Longe mihi iucundissimae acciderunt literae tuae, Vir Clarissime, tum quod inopinanti mihi supervenerunt, tum vero quod studium nostri, atque memoriam absentis in motoria illa vita, atque ex tanto intervallo testatae sunt. Praecipue vero illis Italicis turbis bene ominatus sum, quae tantam tibi & reip. literariae felicitatem abiecerunt, ut inter viam adhaereres Heidelbergae atque Thesauro illo Palatino per otium fruerere. Gratulor autem etiam tibi mentem illam, qua uti bono tuo, atque publico velles, atque posses fortuna praesenti, nec sat haberes speculari otiose, aut religiose mirari arcana illa, atque mysteria, ut domum reversus, ea inter amicos enunciares, aut talium rerum avidos narrationibus mirabilibus attonares. Itaque tu, quod coepisti, Bibliothecae illius κειμήλια in Belgium porta, & quae sepulta hactenus ambitiose fuerunt, liberaliter luce publica dona. Sed de Onomastico tuo quid fit? quid fiet? Nam debes illud pridem publico, & paratum ad praelum iam diu est: Nisi forte tu per curas illas antiquiores, & bibliothecae usu minime arbitrarium superesse editioni nequis: quod ego mihi persuadeo, atque in eam partem moram interpretor. Cl. VV. Marq. Freherum, itemque Ian. Gruterum cognominem meum, si locus dabitur, a me plurimum salutabis. Vale Vir Clarissime, & nos, quod facis, porro amare perge. Salutat te D. Beaumontius noster, nuper Syndicatu (*Pensionariatum* vocant) Reip. nostrae auctus. D. Scotius (e) Collega eius aberat Hagae Legatus ad Senatum Ordinum, ab Ordinibus nostris.

Middelb. postrid. Non. Febr. Anni CIƆ IƆ CVII.

CCV.

(a) Vtraque epistola an. 1607. scripta, *Meursio* tunc *Altorfi* agente. GRAMMIVS.

(b) Annus non additus, quo scripta haec epistola; qui vero certissime MDCVII. quando *Meursius* in peregrinatione, cum filiis *Barneveldii*, Germanos invisebat. GRAMMIVS.

(c) Germanica haec characteribus latinis sic scribenda: *Ich bin der Calvinische Hollaender*, (*Meine Fravv meinet, die Calvinisten haben alle Hoerner. Sie sagt, sie mochte vvol einmahl einen sehen*) h. e. latine ad verbum: *Ego sum Calvinianus ille Batavus. Vxor mea putat, Calvinianos omnes cornua habere in fronte; dicitque sibi non ingratum fore si aliquando daretur talem aliquem videre*. Not. Taubmannus & uxor eius lutheranae erant religionis. GRAMMIVS.

(d) Scribantur haec verba sic: *Nun, vvir vvollen vns vertragen*, h. e. *Age vero, de eo inter nos transigemus*.

(e) Illustris ille *Apollonius Scot.* ad quem tot Cunaei aliorumque exstant epistolae. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCVII.

CCV.

PETRVS DENAISIVS IO. MEVRSIO S.

NImis tu quidem solicitus & religiosus in exigenda tam levi mea opella. Quid futurus, si laborem res haberet & molestiam? quam tamen ipsam lubenti cupidoque animo pro te subierim. Porro de hospitio sic habeto: vix fieri posse, ac ne vix quidem, ut habitatio victusque simul & apud eundem contingant; sed solere etiam ex Adsessoribus plerosque his separatis uti, atque ob id de mensa primam esse curam, tum deinde domum quaeri, quando potest minimo intervallo disiunctam. Sed & qui convictores alunt, non admodum multi hic sunt; unus atque alter ex grege sacro, seu sacrificorum celebrantur. Verum apud istos abstinendum a carnibus erit per hanc Quadragesimam. Nactus sum alium, Advocatum Camerae, qui negat locum superesse in sua mensa, tamen si sciat diem, ad quam vos stituri sitis, reperturum ait remedium, & esse copiam cubiculi in proximo apud alium itidem Advocatum; pro convictu postulat tricenos binos hebdomatim barrios a singulis. Tu quid e re vestra videatur, cogitabis, &, si quid est, quod a me praestari praeterea possit, libere imperabis, ac salve bis. Spirae XIV. Febr. MDCVII.

CCVI.

IOANNI MEVRSIO AMICO SINGVLARI DIONYSIVS GOTHOFREDVS S. P.

SPiram vos omnes salvos appulisse gaudeo. Amicorum salus, pars etiam nostrae est. Nec minus tamen, atque hi, locis nunc disiunctos nos esse conqueror Animus enim tuus si subinde nos absentes respicit, meus, crede, non minus erga te fuit, est, eritque semper sinceriter affectus. Coniunctum me tibi non casu, sed eruditione singulari, moribus, & colloquiis omnium mellitis & iucundissimis reddidisti. Vxori, meisque mens est eadem. Fac itaque in illo tuorum tot numero mei erga te amoris primulum. Nec simulatum, nec fucatum offendes. Huic interim sermonis nostri compendio ignosce. Promotoris enim partes impositae mihi, negotium plurimum faces sunt, & protinus ab his literis. Arcis nostrae frontes (a) mihi sunt imitandi. Sed lacunam istam te, quod speramus, post paucos dies nobis praesente, facile supplebimus. Vale una cum nobilissimis Dominis Bernefeldiis. Vxor, meique te salutant officiosissime.

Heidelbergae, Martii XII. Anno MDCVII.

CCVII.

CASPAR BARTHIVS IOANNI MEVRSIO S. D. LVGDVNVM BATAVORVM.

OPtimum cultu erga te amorem in isto pectore, Meursi clarissime, ne puta nunc demum incipere; eum tibi cum declaro. Dudum ille nos cepit, & quidem a prima pueritia, cum scriptis tuis aureolis occoepisti nomen habere inter antiquae doctrinae Proceres; quis eam novit, vel eius studiosus vere est, qui te non amet? dico quod res est, se ipsum in iis literis non novit. Nos nunc primum e tenebris gradum movemus in radiantem oculum lucis, hactenus detrusi ab aetate & penuria Typographorum. Quaeso ne sperne adolescentuli amicitiam, quem spes sua, genusque & fortuna nihil, nisi clarum, colere & amare, imo & imitari volunt; proximeque, (vidi enim ex tuis ad amicissimum mihi Taubmannum literis tibi eum esse animum) nos invise, videbis, si nil aliud, in his oris pro miraculo studiosum rei antiquae. Molimur Petronium, & alia quae coram narrabuntur melius. Vale & salve a candidissimo pectore. Scripsi MDCVII. XII. Martio Wittebergae Saxonum.

CCVIII.

GEORG. MICHAEL LINGELSHEMIVS IO. MEVRSIO V. CL. S.

EXcusatus esse tibi cupiebam, si quid in te officii intermisissem, Vir Cl. Tu contra extollis verbis tenuia illa, quibus amorem meum testari conabar. Amo te merito, & cupio, quae vis. Gratias habeo de pecunia Denersio nostro tradita; is idem mihi nunciarat. En tibi a Malaperto literas. Etiam Segethus (b) certior fieri cupit, an ad nundinas venturi sitis, videor ipsi spondere posse, futurum, ita enim ex sermonibus vestris ultimis intellexeram. Arsensius a Rege Galliae impatienter exspectatur, (c) literas habemus $\frac{4}{14}$ Mart. datas, ex quibus animadverto, vix fieri posse, ut Bongarsius aut nostri ante Nundinas huc redeant, eo quod ante reditum Arsensi expediri illi nequeant. Resalutant te officiose Cancellarius & Praeses. Quaeso, ut nobilissimis Dominis Barnefeldiis salutem a me dicas quam officiosissime; Aliud memorandi nihil habeo, itaque finio, sed amorem erga te minime. Vale Vir Clarissime.

Heidelbergae XII. Mart. MDCVII. (d)

CCIX.

(a) *Forte* pontes. GRAMMIVS.

(b) MS. Vid. infra de hoc Viro annotatione. GRAMMIVS.

(c) *Franciscus Arsensius* (*ab Aerssens*) erat Legatus Ordinum Belgii Foederati ad Regem Galliae tunc destinatus. GRAMMIVS.

(d) De memoria huius hominis, Biographis, & Lexicographis, quantum scio, hucusque minus cogniti, primus bene mereri coepit Celeb. *Petrus Burmannus*. in *Sylloge epistolar. Lipsii*, adnotat. ad Tomi I. Epist. DCCXV. Cuius summi Viri diligentiam imitatus, proferam nonnulla, partim ad illustranda, partim ad subplenda, quae is animadvertit. Itaque primo loco memorabo, esse inter *Epistolas ad Goldastum*, quae ex biblioth *Thulemarii* prodierunt Spirae 1688. in 4. sex omnino a *Thoma Segheto* (ita enim ibi constanter scribitur sicut & in *Deliciis Poetar. Scotor.*) ad *Goldastum* omnes. Harum prima temporis notam praefert x. Quintil. 1607. postrema

XI.

CCIX.

CASPAR BARTHIVS IO. MEVRSIO S. D. [a]

OPtimum cultu erga te amorem in iſto pectore, Meurſi Clariſſime, ne puta nunc demum incipere eum tibi cum declaro. Dudum ille nos cepit, & quidem a prima pueritia, cum ſcriptis tuis aureatis occoepiſti nomen habere inter antiquae doctrinae proceres. Quis eam novit, vel eius ſtudioſus vere eſt, qui te non de beat? [b] Dico, quod res eſt, ſe ipſum in iis literis non novit. Nos nunc primum e tenebris gradum movemus in radiantem oculum lucis, hactenus detenti [c] ab aetate & penuria Typographorum. Quaeſo, ne ſperne adoleſcentuli amicitiam, quem ſpes ſua genuſque & fortuna, nihil niſi clarum colere & amare, imo & imitari volunt; proximeque (vidi enim ex tuis ad amiciſſimum mihi Taubmannum literis tibi eum eſſe animum) nos inviſe; videbis, ſi nil aliud, in his oris, pro miraculo, ſtudioſum Rei antiquae. Molimur Petronium, & alia, quae coram narrabuntur melius. Vale & ſalve a candidiſſimo pectore. Scripſi MDCVII. XII. Martio, Vittebergae Saxonum.

AD V. CL IOANNEM MEVRSIVM Vitebergae unam noctem commorantem.

Meurſi amice, cui nihil negatum iit
 Venus, Suada, Gratia,
Venire noſtra moenia urbiumque nobilem
 Beare Leucorin tuo,
Lubente corde cernimus ſacro pede,
 Madente fonte Pegaſi.
Si inter alta degimus ſilentia
 Minaſque barbari ſitius,
Vti calore vix refoti ab entheo
 Tuique honore pectoris,
Quod auſpicata cernere hicce lumina
 Sinit merus Dei favor,
Queamus aegra tollere ad polos, & hinc
 Prope admovere pectora.
Videre, quae celebria ora nobilis
 Sacrique Meurſii calent.
Adeſt tamen beate, teque cernimus,
 Et oſculamur arctius
Columba, quam columbulum Dionaea
 Abuſa valga ſavia.
Et o ſuperna fax, Apollinis rota,
 Guberna lucis obtinens
Rogata poſſis iſtiuſce pectoris,
 Morarier citas minas.
Vti vel huncce nos velit dieculam
 Beare, qua ſtitit, manens.
Quod ut rogare, ita obtinere ſi queam
 Beatus ipſe praedicem.
Sed eſt, ſtatuta propter ordinis vagi,
 Nec iſta certa ponere,
Nec uſpiam relicta ſpes mihi, queam
 Videre qua decus meum.
(In hiſce ſcilicet, relicta moenibus)
 Quod ergo ſolum & unicum
Mihi negare Fata, & arbitram pudet
 Rotae incientis uſpiam,
Iambicante carmine, optimo meo
 Venire gratulor breve,
Breve hic abire, adeſſe cum velim ſatis
 Diu: ordo ſed vetat Dei.

CASPAR BARTHIVS.

XXIX. Aprili CIƆIƆCVII.

CCX.

XI. Ianuar 1608. Quae ex iiſdem diſcimus, haec fere ſunt; *Segbetum* non in Italia, nec apud Romanenſes, ſed Francofurti ad Moenum, neſcio ob cuius criminis ſubſpiciones, in carcerem coniectum fuiſſe a Magiſtratu Vrbis. (Etenim in iſta civitate vixiſſe eum hoc anno, liquidum eſt ex Lingelshemii, quas hic repraeſentamus, litteris ad *Meurſium*, quibus *Segheti* nomine quaeritur, an non *Meurſius* cum *Barnefeldiis* nundinas eſſent acceſſuri, ſcil. Francofurtenſes illas) in tanta vero calamitate ſingulare ſtudium expertum fuiſſe „ *Goldaſti*, nullum, quod ab amico ſperari poſſet, officium „ omittentis, *viſendo, ſciando, ſuadendo, & cum invidia etiam* „ *ſua, laborando*. Etiam D. Priorem Conventus Carmelita„ rum, ubi degebat *Goldaſtus*, ſolicitum fuiſſe ſui cauſa, „ ſeque ei propterea maximas agere gratias; atque mox per„ ſcripturum Heidelbergenſibus amicis, quantum *Goldaſto* de„ beat „ Haec in primis litteris, ſcriptis X. Quintil, 160 . Hanoviae, in quam urbem ſe recepiſſe videtur, liberatus Francofurtenſi carcere. Quod quidem de tempore repetimus ideo, ut conferatur cum Epiſtola *Lingelshemii* ad *Iungermannum* mox inde 16. Iulii data, (inter *Gudianas* CCXVI) nam *Iungermannus* & *Claud. Marnius* Typographus illi erant quibuſcum *Seghetus* vivebat Hanoviae, a *Marnio* forſitan hoſpitio exceptus Sequentibus deinde, d. XX. Septembr. ſcriptis, narrat *Goldaſto*, quomodo „ *litteras ad Senatum* Francofurtenſem *dederit*, (*quod ipſi non ſperaſſent*,) *ſatis modeſtas* „ addito exemplo literarum *Henr Wottoni* Britann Regis apud „ Venetos legati, quas is ad Senatum eundem ſcripſerat, ſta„ tim, atque de *Segheti* caſu acceperat; paratum ſe apud quem„ cumque Germaniae Principem, e vinculis cauſam dicere; „ ne ipſos quidem Francofurtenſes iudices recuſare, dum ca„ veatur ſibi, fide publica, ſe liberaliter habitum iri, quoad „ ſententia feratur: tum vero, ſi obiectorum ſibi criminum „ convincatur, non prohibere, quin omnia in ſe probra con„ gerantur, & ut de ſceleſto ſupplicium ſumatur: ſin vero in„ nocens deprehendatur, par eſſe, ut ſatisfiat ſibi de iis, qui „ iniuria ſe calumniati ſint. Penultima & ultima menſe Ianuar. 1608 exaratis, (nam reliquae literaria continent) rogat Goldaſtum, agat ſuo nomine gratias Conſuli Francof. *D Fauſt*, „ quod de innocentia ſua perſuaderi ſibi paſſus ſit, & conditio„ nem obtulerit: Se iam itineri in Belgium, unde Londinum „ traiiciat, accinctum eſſe, atque ea, quae *Goldaſtus* ſibi com„ miſerat in Belgio agenda ſedulo curaturum. „ Huc uſque ex dicto libro Quae ſequuntur, aliunde nobis percepta. Hanovia digreſſum, ut diximus; primo menſe 1608. aſperitas hiemis & intutae a graſſatoribus viae coegerunt ſubſiſtere Coloniae Vbiorum, ubi cum doctis viris amicitiam contraxit, & in libros MSS Graecos incidit, quorum indicem communicavit *Lingelshemio* Inventum praeterea ibi librum *Hier. Magii* de Equuleo miſit ad *Iungermannum*, ac ad eius editionem *Cl. Marnium* peculiarib litteris excitavit menſe Martio 1608. Ideoque unice illi debetur *Magii* libellus *de Equuleo*, et uſque omnibus incognitus. Vid. Epiſt. *Segheti* utrique editioni praefix. Item elogium Auctoris in lib. *de Tintinnab.* nec non *Iungermanni* Epiſt. ad *Goldaſt* edit. Thulemar p 23 . Deinceps, incompertum mihi, ubi terrarum in Belgio, Anglia vel alibi, vixerit, uſque ad an. 1622 quo eum in Dania reperio, unam & alteram hebdomada Hafniae agentem. Credo vero tunc ex Svecia veniſſe, & poſtquam ſpe ſua exciderat, muneris ſcil. Academici, quod Vpſaliae ambiebat, (de quo *Gerhardi* illae literae ad *Kirchman.* inter Gudianas CCXXX loquuntur) de repetenda patria ſua cogitaſſe. Certe *a Chriſtiano IV.* Rege literas ad *M Britan.* Regem impetravit commendatitias, quarum exemplum habeo, datas d 6 Sep. 1622. inſque *probitas eius, eruditio, aliaeque animi egregiae dotes* laudantur Ex epiſtola *Ioach Morſii* ad Pontanum, quam de tempore obitus eius citavit *Cl. Burmannus*, diſcimus, adhuc in Batavia eum verſatum an 162 . Notum vero ibi ipſum concinnaſſe, vel potius ex Italico tranſtuliſſe *Commentarium* illum *de Principatibus Italiae*, qui *Rebus publicis* vulgo dictis *Elzevirianis* ſolet adnumerari, primum editum an. 1628. tantum. GRAMMIVS.

(a) Edita exſtat haec epiſtola in Sylloge Gudianarum, per Cl. *Petr. Burmannum*, pag. 228. ep. CLI. ſed Iambi ſeqq ibi non comparent GRAMMIVS.

(b) Sic in Lundii apogr. an forte: *qui te amare non debeat?* in edita vero eſt, *qui te non amet?* GRAMMIVS.

(c) In edita *detruſi*. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCVII.

CCX.

CONR. RITTERSHVSIVS IO. MEVRSIO S. P.

SI sat commode vobis prospectum est de mensa, & habitatione, laetor tua & quos tecum habes caussa, Doctiss. Dn. Meursi. Liceat autem mihi tuae suavissimae Musae officium advocare, ut aliquot versus imputare velit memoriae Mart. Crusii, quam ut ego quoque vellem celebrare, aliquoties sum rogatus & oratus. Exorari demum me heri passus sum, & scripsi, quos vides, versiculos. Eos tibi idcirco mitto, ut a te meliores eliciam. Vale, & ubi ubi voles, & ego potero tibi gratum quid facere, mea opera utere, nunquam non paratissima futura. Idem & DD. Oldenbarneveldiis dictum puta. Altorfii ex Museo, fer. II. Pentecostes: Anno Christiano MDCVII.

Tuus omni studio

CONRADVS RITTERSHVSIVS D.

CCXI.

MICH. PICCARTVS IO. MEVRSIO S.

MAgno animi dolore intellexi, Vir Cl. collisionem quandam animorum vestrorum, & Amplifs. Gentilis nostri, factam protervia famuli cuiusdam vestri. Is Gentilis heri apud me conquestus super iniuria & vi publica, Domui Academicae & Amplifs. Senatus Norici, sibique facta, excusatos tamen Dominos facillime habuit. Ego quum videam, rem pro modo & gravitate delicti calide agi a Senatu, quo vocatus quidem fui heri; sed morbum excusans, sive causatus emansi, cogitavi pro amico me facturum, si Cl. T. monerem, ut nomine Generosorum suorum & suo, intercessoria pro famulo epistola apud D. Scipionem agerent. Scio enim, ut qui D. Gentilem coniunctissime familiarissimeque novi, non illum modo iniuriarum aestimatorem severum seriumque, sed & condonatorem benignum esse: Sic molestissimo forte negotio consuli posset, & famulus leviori poena defungi. B. V. Vir Cl. & factum amici ab amico animo pari accipe. E Museo meo raptim III. Iun. MDCVII.

CCXII.

CVNRADVS RITTERSHVSIVS IO. MEVRSIO S. P.

EQuidem ita fore augurabar, ut Phaedrum non sine fructu & tuo & publico relegeres, Meursi doctiss. addo & amicissime, quando inter nos studiorum similium amor amicitiam conciliavit. Quare nec me consilii mei, quo te ad hanc rele- A ctionem invitavi, poenitere potest, nec debet te obsequii, quo mihi morem gessisti. Ne multa; probo vehementer emendationes & coniecturas tuas, inter quas nonnullae eminent, tametsi omnes sint felicissimae. (a) Nec minus probo etiam tuas adversus quasdam Phaedri sententias disputationes; non enim carent probabilibus rationibus. Gratias itaque tibi ago, qui non solum relegendum me hortatore susceperis suavem illum fabulatorem, sed etiam observata in eo mihi rescripseris. B Erit haec illustris προθήκη novae, quam paro, editionis, eamque non parum exornabit; ac praeterquam quod multa lectorem docebit, etiam nostrae amicitiae monumentum erit minime contemnendum. Versor iam in conscribenda oratione mea de exiguis rebus non contemnendis; quam die crastino cum Deo absolvam, & priusquam in publico recitem, te capiam privatim arbitrum. Scis enim ex Plinio & aliis morem veterum, C quo inter amicos suas vel Orationes, ac μελέτας vel Musas recitabant, & doctorum iudicia quasi praetentabant, ac secundum ea multa corrigebant in melius. Qua in re Apellis exemplum imitati mihi videntur. Nam & is tabellas a se depictas in pergula publice spectandas arbitrandasque proponebat, ut si quid opus foret, corrigeret, priusquam tolleret (quod dicitur) manum de tabula. Nos utilissimum hunc morem iampridem, sicut & alia maiorum praecla- D ra instituta, in desvetudinem venire passi sumus, atque obliteravimus. Sibi enim quisque fere sapit domi, & sibi placet, se contentus iudice. Non sic ego, qui cuperem, si otium esset, indies hunc morem frequentare, &, quae primus scribendi fervor in se laudarat, delere ad aliorum arbitrium, ac melioribus commutare. Vale, Vir doctifs. & si commodum erit tibi, crastina die unam, atque alteram, horam tribue mecum deambulationi & litteratae collo- E cutioni.

XXIX. Iunii MDCVII.

Tuus omni studio

CVNRADVS RITTERSHVSIVS D.

CCXIII.

IDEM EIDEM.

F VIx tandem tantillum vacui temporis nancisci potui, ut orationem meam in panegyri prox. die Lunae recitandam ex lituris describere potuerim. Hanc tibi, Vir doctifs. recensendam mitto, ob caussas nuper & coram, & per codicillos, expositam. Resecabis libere, quae superflua videbuntur, idque tanto liberius, quanto magis in arctum cogere copias iubebit me ipsa tem-

(a) Non idem vero alienum iudicium, etiam eorum, qui Rittershusii in Phaedrum Animadversiones maxime extollunt, & probant, Meursianas autem damnant, ac infra omnes caeterorum in hunc Auctorem deprimunt. Ex iis Burmannus in Praefat. suae edit. *Meursii non magnam rationem habuimus, cum omnium Virorum, qui post eum scripserunt, iudicio, infeliciter Criticam in hunc auctorem advocaverit, & nimiam sibi in transponendis versibus, & depravatis locis sanandis, licentiam sumserit.* His & alii consensere GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCVII.

temporis angustia, nam ultra horam sine auditorum taedio produci oratio non facile poterit. Accipe una etiam D. Remi Themistium, eoque tuo arbitratu, sicut & aliis meis omnibus, utere, fruere. Feliciter vale, amiciss. Dn. Meursi. Die S. Ioannis, quo te ligatum oportuit meliore diei parte, nisi alibi fuissem occupatior. Fax Deus, ut sive tibi hic dies natalis est, sive non, saepe candidior redeat, candidiorque tibi. Vale iterum atque iterum.

T. A.

CVNRADVS RITTERSHVSIVS D.

CCXIV.

MICH. PICCARTVS IO. MEVRSIO S.

MEursi, cui superi bona idonea nulla negarunt,
Cui tua rescribsti munera, Phoebe pater.
Phoebe pater, tecumque Charis, cumque hisce sorores,
Quae Pindi incolitis culmina, Pimpleides,
Estrices animo procul o procul exige curas.
Quicquid & hinc aegrum non sinit esse bene.
Da castis te contra iocis, frontemque serena,
Et da deliciis teque tuumque animum.
More isthoc veteres festum Natale colebant,
Nullaque, quae morem hunc pagina culpet, adest.
Scilicet & coelo hoc & natura duce iustum est
Sortis item varias sic variare vices.
Sic neque flet semper, neque ridet semper Apollo,
Nec formica sibi congerit usque dapes,
Tu quoque nunc libris positis & seria pone,
Et sectare hilaris gaudia plena ioci.
Meursi, cui superi bona idonea nulla negarunt,
Cui tua rescribsti munera, Phoebe pater:
Phoebe pater, tecumque Charis, cumque hisce sorores,
Quae Pindi incolitis culmina, Pimpleides.

Ipso Festo Ioannis MDCVII.

CCXV.

IDEM EIDEM.

Salve a Piccarto tuo Cl. Meursi.

CVm & virtus vestra & fortuna alio vos vocet, & fortean videre te, Vir praestantiss. & Amice iucundiss. praeter hac non contingat, quod pote adhuc fieri, id ne negligamus. Officiose & peramanter te rogo, uti ad hodiernam sextam pomeridianam me visere non graveris, & tenui coenula cum Cl. Viris D. Dinnero & D. Queccio [a] mecum frui. Ostendes hoc mihi officio, te & me amare, & amicitiae mecum contractae nondum te poenitere. Ego operam dabo enitarque, ut nec ullo modo apud me graveris, & deinceps intelligas nihil mihi & notitia tui gratius, & amicitia antiquius, esse, aut futurum. B. V. Vir Cl. & sine omni excusatione venturum condicito.

Tuus omni officio & fide

PICCARTVS

CCXVI.

GEORGIVS REMVS IO. MEVRSIO S. D.

AIo tibi, beasti me, Cl. Meursi, tuis illis, quas eo mihi gratius accidisse putes, quo minus speratae. Iamdiu nominis tui fama, ab eruditione politissima, per nostram pervagatur Europam: teque alis *Gloriae*, quam laudasti, in sidera sublimem evexit suis. Gaudet Academia tanto hospite, tam raro & caro: quem bona Tyche, Fatum bonum, mihi quoque dextera iungit. Quod itaque bene vertat, me tuis adcense, id maxume hoc discupiente me, qui praeter quidem meritum in tuam recipiar amicitiam, quam Craesi, & alterius Siculi Regis, amicitia pluris aestimo. De Phaedro proxime, iam enim aliud prae manibus est. In luctu versatur Cl. Rittershusius, Academiae, imo Germaniae, nostrae ocellus. Amo virum, & ita amo, ut eum medullitus, atque oculitus, amem. Caussas amoris magnas si recensere velim, longus sim. Hunc, qua opus παραμυθικοῖς sermonibus, tu praesens, ego absens, refocillemus amicum supra fidem mihi amandum. Nihil forsan praeter opinionem magis, hoc casu: at quicquid sit, feramus, perferet crucem hanc, quam ut subferat, vires largiatur Dominus. Sed pluribus, spero, crastina, qua te salutare cogito coram. Herverto Cancellario Monachium tuas probe curavi, is meus popularis est, seu mavis, civis. Vale & salve, Vir eruditissime, & me amare perge.

Norimb. Kal. Quintil. MDCVII.

Tui studiosissimus

GEORGIVS REMVS D.

CCXVII.

IDEM EIDEM.

SIccin abis, Corculum meum, dulce decus, & praesidium Musae meae? Vix inter nos nosse incepimus, quod bene vertat, cum ecce nos segregat consilium de videnda Vindelicorum urbe patria dulcissima. Si ita Fors ferat, ferendum est. Ceterum nulla me tui capient oblivia. Magnum repperit thesaurum, qui amicum fidum. Ego sane me & fidum & omni virtutum, atque eruditionis elegantioris cumulo exornatum invenisse in te amicum video: quem ἕκοντι ἀέκον-

(a) Erant ii Professores in Academia Altorfina, Piccarti collegae.

Ann. Chr. MDCVII.

ἀέκοντί γε θυμῷ dimittere cogor. Verum tamen non ulla locorum intervalla nos disiungent; fune literarum colligabimus pectora, si ita videtur. Quod vero felix fortunatumque Tibi, Tuis, age, ubi Augustam veneris, Amplifs. & Nobilifs. D. Marco Velsero, V. int. & Cl. Hoeschelio: Monachium vero ubi attigeris, D. Amplifs. Cancellario Herberto: ubi Basileam, Cl. & Rev. D. Io. Iac. Grynaeo Theologo, Io. Nicolao Freigio eiusque Discipulo, D. Io. Car. Rechlingero; tandem ubi Tigurum, D Casp. Wasero, viro vere docto, & polito; itemque Nob. & Rever. D. D. Io. Gul. Stuckio Theologo: ex me salutem officiosam dices. Genevae habeo pupillum Iustinum Hardessianum, Legum studiosum, cui a latere est M. Cyriacus Hardessianus, studiorum moderator; ad hunc scriberem, ni ante quatriduum dedissem. Ceterum recta adeas, rogo, Hardessianum utrumque, & per hos tibi ad Cl. & Sapientifs. V. D. Iac. Lectium, IC. Vrbis Syndicum, viam sterne. In convictu, seu mensa, Domini Lectii uterque Hardessianus est. Solvit quisque septem Coronat. menstruos. His duobus Hardessianis ex me salutem nuncia, & pete meo nomine, ut respondeant meis. Vlmam commendatitias tibi dabit D. Rittershusius ad Senatorem Grafium, vere literatum & praeclarum virum. Geneva ad nos Norimbergam quot mensibus dare potes; Tabellarii enim Lugdunenses hinc inde commeant. Disces totum ex Hardessianis, qui te, ubi me nominaveris, sat scio, humanissime excipient. Has meas, si placet, tecum in itinere ambulare sinas, quo nomina obvia sint. Habes autem illos tibi ex me amicos, ac habebis amantissimos. De tuo Genevam adpulsu fausto, quod spero, audiam suo tempore. Interea me desiderium tui cruciabit, ac coquet. Sed esto, quod *Dia* voluntas decernit, & qua iubet, eundum: sequamur ultro. Vale, vale, & salve, Vir eruditifs. & Remi tui memoriam, cum benevolentia, si merebor, conserva perennem. Quicquid hic terrarum apud Cretonem, vel alium, nomine tuorum, vel tuo efficere potero, habebis me paratissimum. I pede inoffenso: redi sospes cum laude. Deducat te bonus Dei Iehovae Angelus. In hoc omine cesso. Vale iterum, dulcissime, & salve.

Norimb. prid. Eid. Sextil. MDCVII.

Cum a Vitulis periculum sit, caveamus oportet. Ceterum sub Venetis non putem. Alia ratio est Mediolanensis Ducatus, regni Neapolitani, & Pontificii territorii.

Tuus

nexu mancupi

Georg. Remus.

CCXVIII.

Idem Eidem.

Iam pridem illa tua praesertim *De Gloria*, quae Oldenbarneveldiis consecrasti fratribus, magni pro merito feci, eruditifs. Meursi, vir amicissime. Nunc vero te aestimo quanti maximi, qui me litteris tuis & amicitia dignum iudicas. Quod bene vortat, volo, quae vis; nolo eadem tecum. Ad officia, quae a viro bono praestari queunt, me paratissimum habebis: neque cedam cuiquam facile, qui te ὁλοκαρδίως amet & colat, amore cultuque tui. De locis vero Phaedri tribus, quae adnotasti, & εὐστόχως sane correxisti, age, quid sentiam, habe. *Sed unus omnes exuret lacu*: non *lacus*, recte: quod Rigaltium fugit, mordaculum illum & praeter rem dicacem hominem. Alter locus: *A furibus tuetur & vecti domum*. Dicam, quod res est: Nihil ingeniosius potuisse, adplaudo, & Dareiis centum dignam hanc censeo loci restitutionem. De tertio. Quod *Myronem* expungis, cuius bucula veteribus decantata, qui Praxiteli adiungitur διὰ τὸ ὁμότεχνον socius, non adstipulor. Veniam dabis. Lex pedaria, & sensus ipse, nomen Myronis pulcre probe admittit *Myronem argento*. *Fabulae audiant*, non exaudiant, respuit *ex* metrum. Ceterum quid de *Detrito trisyllabo* (cui hospitium hic quidem superesse nequit) statuamus, non video. Tiresias hic sum, neque sine manu exarati exemplaris ope & auxilio huic loco medicinam fieri posse autumo. Sunt vero, quod arbitror libere, in eodem Phaedro etiam alia, quae restitutionis in integrum a Praetore expetunt beneficium, quae Rigaltius utinam attentius excussisset: & abecedariis pepercisset, μωμεῖσθαι ῥᾶστιν, nosti cetera. Exspecto autem editionem Phaedri post Rigaltianam, vel a te, vel a Cl. D. Rittershusio: quorum alteruter nobis Libertum Tiberianum, olim manumissum, etiam aureis annulis & gemmis ac serico, ostro denique Sarrano, exornatum modo dabit. Perge tu vir acutissime, in repurgandis & recensendis Auctoribus, & hoc stadium inoffenso pede, ingenti cum laude tua decurre. In urbem si veneris, mea tecta subire quaeso digneris, ut cominus congressi dextras iungamus ovantes. Vale & salve. Norimberg. V. Eid. Quintil. MDCVII.

CCXIX.

Idem Eidem.

At tu, Vir eruditifs. atque amicifs. Domine Meursi, cum Cl. Ritthershusio nostro, cui alter Achates aderas, ieiunus satis, frigideque exceptus videbaris. Morae pudebat, ac taedebat. Alias, ubi me hospites tantos viros habiturum praevidero, rectius omnia curabo. Apud D. Io. Imhoffium, quo minus me stiterim, quid causae

Ann. Chr. MDCVII.

sae fuerit, coram exposui D. Rittershusio, qui me altero mane salutarat ante abitum. Gaudeo autem vos domum salvos rediisse, caloribus mitigatis paulo. Nihil opus gratiarum actione erat. Quin mearum partium est, deprecari tenuem victum. Animum aestima meum, qui in te propensissimus. Condieras cibos liberalibus iocis, & plane urbanitate admirabili, qua hoc consecuti fuimus. Rittershusium quoque abiecto moerore frontem exporrexisse. Memini inter alia te discessu tuo haec proferre, fore ut intra octiduum abeas. Volueram quaerere quo locorum tenderes, sed nescio qui interruptus fuerit sermo. Ad Hoeschelium si pergis, a Rittershusio accipies συςατικὰ γραμματικά. Notus, & carus mihi est D. Hoeschelius ab annis XXXV. plus minus, cum quidem anno Gratiae M. D. LXXV. condiscipuli sub Hier. Wolfio essemus. Ille primum, ego imum obtinuissem locum; admodum autem adolescens tum eram, ille aetate me antecedebat, atque exemplo industriae praelucebat: adeo ut D. Wolfius hunc Hoeschelium cum ob eruditionem, tum ob mores compositos, & καλλιγραφίαν in delitiis haberet. Vbi resciero, te Augustam meam petere, ibidem Hoeschelium appellabo. Quod superest, Vive, Vale, Aonidum dulce decus Meursi.

Norimb. VI. Eid. Sextil. MDCVII.

Tuus

nexu mancupi

GEORGIVS REMVS D.

CCXX.

MICHAEL PICCARTVS IO. MEVRSIO S. D.

CVm multi his diebus apud me instarent, Vir Cl. & Amice Pl. honorande, ut orationem, quam hisce proximis diebus, te etiam auscultante, habui, publice typis exscriptam, omnibus communicem, pene adsensus tandem ipsis sum. Idque facere cogito rationibus, mihi domi natis, aliisque adductus; quam Nobilissimis tuis Barnefeldiis inscribere, pro more recepto cogito. Sed cogito solum, neque enim facturus unquam sum, nisi & tibi & ipsis gratum hoc esse intelligam. Itaque pro amicitia nostra, quam tam benigne mihi obtulisti, tam humaniter & egregiis documentis ostendisti, te rogo Cl. Vir, ut sincere dixeris, quid de hoc instituto meo tibi videatur, tribus verbis aperies. Item quot adhuc dies Nobilissimi tui hic commoraturi sint, ut editio, vel maturetur, vel trahatur; vellem enim in ultimum eorum vale, & discessum oblationem dilatam. Tu Cl. Meursi, quaeso libere, & candide mone, & a me omnem observantiam, omniaque studia, quae ab amico proficisci possunt, tibi pollicere. Atque heus! si Epigrammate me beare voles, quod laboribus Valerianis aliquando praefigatur, magno me mactaris beneficio. Vale, Vir clarissime, & Piccartum tuum, si meretur, porro quoque ama. Altorfii ipso die Laurentii Anno CIƆ IƆ CVII.

CCXXI.

FRANCISCVS AB ARSEN IO. MEVRSIO.

MOnsieur de Meurs, vos lettres du 24. & 29. du passé, m'ont esté bien delivrees, & les pacquets y joints, seurement addresses; je n'ay encor rien apprins de Monsieur d'Oldenbarnevelt, touchant vostre sejour a Geneve; j'estime, que vous en connoissiez sa volonté. Cependant le Roy a permis à Monseig. le Prince de faire le voyage d'Italie, le quel il faict estat de commencer dans quinze iours, & l'achever dans dix mois. Il prendra son chemin en carosse jusques a chalons, de la se mettra sur la Saone pour se rendre à Marseille, ou il s'embarquera sur les galeres pour descendre à Gennes: il verra la Romaigne, Naples, Sicile, Malte, & au retour la Lombardie, les Suisses, la Cour de l'Empereur, & selon les affaires pourra passer par les pays bas pour revenir en France. Son train sera leger, & non plus que de dix gentils hommes pour ne s'incommoder par le nombre. Ce seroit une tres belle occasion pour Messers de Groenvelt, & de Cralingerpolder [a]*, s'ils en avoint la permission de M. d'Oldenbarnevelt; auquel j'en ay escript: mais j'ay peur que le depart de Monseig. le Prince previenne nostre responce, si ce n'est, que des maintenant vous l'aiez, au quel cas, je seroy d'advis qu'au plustot vous vous rendissiez a Lyon, pour l'attendre en passant; & je feray effort envers Son Excellence pour vous faire recevoir en sa compagnie, pour vous en servir en tout evenement. Vous devez donq considerer, qu'il est plus a propos que mesnagiez ceste occasion, si tant est que ne sejournez a Geneve, que pour en partir vers l'Italie au printemps; autrement je ne veux pas vous donner aucun conseil, sans exprés consentiment de Monsieur d'Oldenbarnevelt: du quel vous connoissiez plus interieurement les desseins & affections, & n'estant la presente a autre intention que pour tesmoigner le desir, que j'ay de servir Mess. susdits, & vous aussi en particulier, je fineray la presente en vous baisant a tous les mains, & suppliant le Createur, qui vous ait en sa sainte garde. De Paris ce* XIV. *Novembre* MDCVII.

CCXXII.

ANTONIVS FAYVS IO. MEVRSIO S.

AMphilochii nihil habeo, praeter brevem σύνοψιν Sacrae Scripturae. Si tamen de loco a te commemorato liberum est

(a) Cognomina haec sunt filiorum Domini *Oldenbarneveldii* a praediis in Hollandia desumta. Vide Dedicat. libelli *de*

1 *Gloria*. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCVII. est conicere, puto χύλον μονογαμίας vocari, frondem minime frondentem, cui solenne est turturi, compare suo amisso, perpetuo insidere, moerorem, quem ex viduitate sua concipit, perpetuo testificata: more, quo hominibus luctus suos exprimere familiare est. Hoc Aristoteles & Plinius cum plerisque Historiae naturalis Scriptoribus narrant, & ex nostris Basilius, Homilia sexta Hexaemeri; & Ambrosius, Sermone decimo nono. Qui omnes castitatis & pudicitiae laudem cum vehementi desiderio comparis amissi tribuunt, adeo ut μονογαμία perpetuo illi colatur. Si te fallit a te Consultum oraculum, memineris plerumque fallacia oracula respondere fallaciter. Vale XIV. Nov. MDCVII.

CCXXIII.

IDEM EIDEM.

EST nuper Faiius sequutus umbram:
Et partem illius adsequutus, illam
Inclusit volucrem levi papyro:
Inclusamque tibi dat ille, Meursi:
In quo nihil fugientis haeret umbrae;
Sed firmae typus eruditionis,
Virtutis solidae, & typus perennis,
Cum nil ille nisi fluens sit umbra.
Est munus leve, nec manum gravabit:
Vmbra nam levius quid esse possit?

VMBRA.[a]

Dicere nil possis levius, nil vanius umbris:
Certius ast umbris utiliusque nihil.
Corporeas homini dant umbrae nosse figuras:
Sive solum studeat noscere, sive polum.
Vmbra docet varios Solis Lunaeque labores:
Sidera metiri monstrat & umbra simul.
Vmbra docet spatiis astrum quot distet ab astro;
Gentibus & qui sit perdocet umbra situs.
Vmbra docet mensis partes, & nosse diei;
Tempora partiri quatuor umbra docet.
Vmbra docet, quam sint excelso vertice montes,
Et notum, quam sint aequora lata, facit.
Quantula sint nobis etiam corpuscula, monstrat
Vmbra, & quo volitant nos volitare modo.
Monstrat & e coelo delapsum γνῶθι σεαυτὸν,
Ingeminans illud, pulvis & umbra sumus.
Ridiculos asini rixantes monstrat ob umbram;
Vmbris mensarum laudis & esse nihil.
Protegit aestivos contra Canis umbra calores;
Fronde sub arborea corpora fessa levat.
Commoda quod si tot praestat mortalibus umbra,
Quanto expers umbra dat meliora Deus?
Mobilis est semper, soldi nihil obtinet umbra:
Vmbram qui sequitur, nil miser adsequitur.
At regit umbra Dei, vana qui non cibat umbra,
Sed, pulsis umbris, luce perenne suos.
Me vero capiat, qui non edoctus ab umbris,
Ast ab eo, qui ὢν unicus ὄντα regit.
Nosse vias possim velox & carpere coeli,
Adyta quo detur post penetrare mihi.

CCXXIV.

IDEM EIDEM.

NIl do, dicis, ego, das omnia: quam bene uterque!
Omnia nil, sunt *nil omnia*: deme Deum.
Sed mihi dum nil das, mihi me das, optime Meursi:
Quicquid sum *nil* sum, sed *Deus omne* mihi.

CCXXV.

FRANCISCVS AB ARSEN IO. MEVRSIO.

MOnsieur, je vous ay escrit du 14. *pour vous donner advis du voyage, que Monseigneur le Prince a permission de faire en Italie; la presente ne servira, que pour vous dire, que du depuis j' ay veu Son Excellence qui trouve bon que Mess. de Groenevel, & de Cralingerpolder, viennent en sa compagnie & soubs sa protection: cela depende toutefois de la volonté de Monsieur d' Oldenbarnevelt, & je ne suis pas d' advis, que vous entreprennez rien contre son ordre & prescription; mais si elle s' y conforme l' occasion est bonne & avantageuse, je n' en escrips rien a ces Mess de peur de les eschauffer en leur desir, contre l' intention de Monsieur d' Oldenbarnevelt, le quel me mande du* 2. *d' Octobre, qu' il faict estat de vous laisser cest hyver a Geneve; remettant toute ulterieure resolution au printemps. Vos lettres du* 6. *de ce mois m' ont esté rendues ce matin, & aussi tost ay donne ordre pour vous procurer les deux cens escus, desquels Monsieur Daupbin me fait esperer le change; je vous serviray volontiers a toute occasion, & suis marry de l' indisposition de Monsieur de Cralingerpolder. Je prie Dieu, qu' il l' en releve, & vous aiet tous, Monsieur, en sa sainte garde. De Paris ce* XXVI. *Novembre* MDCVII.

CCXXVI.

IDEM EIDEM.

MOnsieur de Meurs; je receuz avant hier vos lettres du 13. *& cette sera pour vous donner advis, qu' il a tantost quinze jours, que j' ay satisfait au change de deus cens escus qu' aviez desiré. l' espere, que les aurez receu; si non, ceste seconde lettre vous servira pour y suppleer: je vous prie d' en user librement, & j' en auray autant de soin, que du present. Vous m' avez resjouy par la reconvalescence & remise de Mon-*

(a) Non exstat in Amphitheatro *Dornavii*, ubi alii habentur doctor. Viror. Lusus in *Vmbram*.

Ann. Chr. MDCVII.

Monsieur de Cralingerpolder; je vous souhaite a touts trois longue santé Je n'ay rien eu d'Hollande pour vous, s'il me vient quelque chose, ce ne sera sans le vous addresser aussi tost. Il y a huict jours, que le voyage de Monseigneur le Prince fut rompu, à la sollicitation de ses plus proches parens, encore qu'il s'estoit mis en despense pour l'achever; mais la defense du Roy a esté plus forte, que son desir; de sorte qu'il ne faut plus penser a cette occasion, la quelle d'ailleurs vous fust esculé par l'indisposition susdite. Et sur ce je salue humblement vos bonnes graces, & prie Dieu, qu'il vous ait en sa sainte garde. De Paris ce XXIX. *Novembre* MDCVII.

Asseurez, s'il vous plaist, à Mess. de Groenvelt & de Cralingerpolder, que je leur baise les mains.

CCXXVII.

ALFONSVS MINIATVS BONONIENSIS IO. MEVRSIO S. D. (a)

IAm diu, doctissime Meursi, impulsu R. P. Andreae Scotti, Isaei Orationes X. Latio donavi, quod nunquam factum est; quas idem R. P. ad eruditum Gruterum misit, qui nunquam a Typographis, ut imprimerentur, quia opus, ut illi aiebant, parvum erat, impetrare potuit. Quocirca cum rude me iam donatum putaram, novo inclusus ludo feci coactus, ut Antiphon in suis XVI. Orationibus, & Andocides in suis IV. eodem idiomate uterentur, quas idem ad te misit, ut dares operam, amicitia, qua omnes vere literarum professores coniuncti sunt, ut imprimerentur; quod oro te, etsi non eadem amicitia dignus, ut fiat, instes. Interim conabimur Isaei ad te perferri, si delatae non sint. Nam Gruterus heredibus Aubrianis, apud quos sunt, ut eas ad Elzevirios mitterent, vel in nundinis praeteritis Francfurti traderent, mandavit; quod an factum sit, ut ab eis quaeras, precor, & me certiorem facias; nam summopere cupio, ut cum ceteris praelo mandentur. Scire etiam aveo, an Elzeviriani excudere, ut spem nobis gratam feceras, coeperint. Secundum ordinem Plutarchi, Antiphontis primae erunt, mediae Andocidis, Isaei postremae, quod ex ipsis Orationibus ego quoque observavi. Vale, & me in omni tuo negotio utere.

Antuerpiae Nonis Dec. Anni CIↃIↃCVII.

CCXXVIII.

THEODORVS CANTERVS IO. MEVRSIO S.

Ann. Chr. MDCVIII.

OCcasionem commodam nactus, doctissime Meursi, en tibi restituo tuum Chrysologum, Scriptorem mehercule pium iuxta ac doctum, & qui omnium manibus teri mereat. Coniecturae tuae aliquibus in locis maxime mihi probantur. Et omnino etiam mihi persuasum habeo, in manuscripto huius Auctoris Codice scriptum fuisse frutecta, pro quo in impresso legitur fruteta. Vbique enim in vetustioribus Codicibus ita vocabulum illud scriptum repperi, ut antiquitus etiam ita scribebatur. Eadem etiam scriptura adhuc integra reperitur in nonnullis impressis codicibus, ut in Marcellino, ab Acursio edito, & aliis, in quibus fideliter repraesentatur lectio veteris Codicis. Tu quid nunc agas, scire velim, & num postpositis aliis studiis, totus iuris studio occuperis; quod si feceris, tibi & honori tuo optime consulueris. His vale, amicorum optime, & nos, quod facis, amare perge. Raptim Vltraiecti I. Febr. D. Scaligerum per occasionem officiose salutes.

Tuus toto pectore

TH. CANTERVS.

CCXXIX.

IO. DEODATVS IO. MEVRSIO S. (b)

Salve Vir Clarissime.

SI serius & officio & voto meo amantissimis tuis literis respondeo, indulge veniam praeceptae opinioni, ex relatu quorundam, te parum Parisiis haesurum, & patriam raptim repetiturum. Gratulor vero mihi officia ab amicis vobis praestita aeque ex dignitate vestra, atque ex mea commendatione. Quod vero tenui isti cultus mei testificationi pretium vestra aequanimitate tantum ponitis, totum vestrae virtuti imputo: quae me in perpetuum servitii deditissimi nexum vobis devinciet. Remisi ad patruelem meum chirographum inductum, & accepi centum aureos. Iterum obnixe rogo ut offensiuncularum nostrarum memoriam omnem vestra dignitas deponat, atque eluat: id ego pro cumulo vestrae humanitatis urbanitatisque habebo. Vale tu, nobilissimique Domini de Oldenbarneveld, quibus commendari studiaque omnia mea deferri per te expeto.

Genevae XIII. Kal. Martias MDCVIII.

Tuus

IO. DEODATVS.

CCXXX.

IDEM EIDEM.

QVod hactenus, amicorum optime, binis tuis literis non responderim, par-

(a) De hoc Viro agitur in *Schotti* ad nostrum epistolis, ac editio *Andocidis* ceterorumque Oratorum ab eo Latine redditorum, quae Hanoviae demum exiit, sat nota. GRAMMIVS.

(b) *Io. Deodatus*, Theologus Genevensis, (a quo Biblia habemus Italica, cum Notis,) Oldenbarneveldiorum, eorumque ephori *Meursii*, hospes fuerat, quando per hanc hyemem Genevae commorabantur. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCVIII.

partim occupationibus meis privatis, partim etiam quod materia mihi defuerit, acceptum feras, velim. Nam quin omnia scripta tua mihi probentur, non est, quod dubites, tum quod ab amico, tum quod a divino ingenio, ista proficiscantur. Placet itaque mihi institutum tuum, &, ut quam primum in lucem emittas, suaserim: eoque facto bene de re literaria mereberis. Qui Theophylacti Historiam e Graeco convertit, inter cetera dolet, non exstare Glossarium talium vocabulorum. Certe meo iudicio tua scriptio multum lucis adferet Scriptoribus Graecis posterioris aevi. Eorum enim Interpretes, ignoratione quorundam eius seculi vocabulorum, in turpissimos errores inciderunt. Tu autem tua industria in posterum omnem illam nebulam facile discuties. Vellem quidem magnopere conatus tuos iuvare, sed ipse videris, quae huc spectare videntur, quam diligentissime omnia indagasse, ut nostra ope minime egere videaris. Paucula tamen subiiciam, si forsitan illa non videris.

Apud Cedrenum pag. 281. legitur: *τὸν βαιῦλον αὐτῦ*, quid eo loco, vos *βαιῦλον* sibi velit, testatur Interpres Latinus se ignorare, ego Baiulum, pro Paedagogo accipiendum censuerim. Hincmarus vetus Scriptor: *Regibus nostris, maturos, ac prudentes, atque sobrios, baiulos singulis constituite.* Idem: *Ipsi autem baiuli magnopere providere debent.* Idem: *Et legimus quomodo Alexander in pueritia sua habuit baiulum, nomine Leonidem, citatis moribus.*

Chrysostomus in Matth. Hom. LX. *Τὰ σκάνδαλα, τὰ κωλύματα τῆς ὀρθῆς ὁδῦ. ὕτω καὶ οἱ ἐπὶ τῆς σκήνης τὺς περὶ ταῦτα δεινὺς καχῦσι τὰ σώματα διασείραντας.*

Quid apud Cedrenum pag. 375. & 328. sit *σιλέντιαν* velim, explices. Interpres enim mihi non satisfacit.

Notavi olim apud Gregentium, Graecum Scriptorem, haec verba: *Καὶ λέοντα μετονομάσας ἕνα τῆς συγκλήτυ αὐτῦ τῦτον ἀπέφηνε ὑπεκκλησίοντα αὐτῦ ποιήσας, ὃν οἱ Ῥωμαῖοι Πατρίκιον, καὶ Κανικλείονα, προσαγορέυυσιν.*

Observavi etiam nonnulla vocabula apud Theophyl. Simocatum, sed quin ipse ea habeas, non dubito. His vale, & nos ama.

Raptim XX. Febr.

Tuus ex toto pectore

TH. CANTERUS.

CCXXXI.

Universis praesentes Literas inspecturis Guillelmus Harterius Rector & Antecessores almae Universitatis venerabilis, famosi, ac fructiferi, Studii Aurelianensis in utroque Iure ordinarie regentes, salutem in Domino. Quum universi Catholicae Fidei cultores tam naturali aequitate, quam divinae legis praecepto, ad fidele testimonium veritati perhibendum sint adstricti, multo magis congruit, ut viri consulti Iuris utriusque professores veritatem in omnibus scrutantes, & in ea alios instruentes & informantes, nunquam nec amore, vel favore, aut alia quavis occasione, vel causa, devient, aut declinent, a veritatis & rationis recto tramite. Eapropter nos in hac parte veritati testimonium perhibere cupientes, explorata, & plane perspecta utriusque iuris peritia dilecti nostri egregii & docti Viri Ioannis Meursii Hollandi utriusque Iuris licentiati, eiusque scientiae, facundiae, morum gravitatis, & experientiae habita simul ratione, eundem Ioannem Meursium Hollandum, post habitam ab eo elegantissimam de laudibus Iurisprudentiae Orationem & solemnem de utroque iure Disputationem, nobis per Excellentissimum Virum Dominum Hieronymum Lullerium utriusque Iuris Doctorem celeberrimum in hac nostra Universitate ordinarie actu regentem praesentatum utriusque Iuris Civilis & Canonici Doctorem, optime meritum, sufficientem, & idoneum, creavimus & instituimus, ac per praesentes creamus & instituimus; eidem Ioanni Meursio Hollando utriusque Iuris Doctori praesenti, & acceptanti, Insignia Doctoralia solemniter contulimus, & donavimus, conferimus, & donamus per dictorum Iurium libri clausi aperturam, biretti, seu pilei rotundi, annulique aurei, suo digito adpositi, traditionem, & cinguli, seu zonae praecinctionem, nostrumque cuiuslibet Doctorum regentium ad hos praesentium pacis osculum, nec non ceteris solemnibus in talibus requisitis ad hoc adhibitis, & debite observatis. In quorum omnium & singulorum testimonium ac fidem has praesentes literas Scribae nostri subscriptione, & sigilli dictae Universitatis adpensione, curavimus communiri. Datum & actum in nostra Congregatione solemniter celebrata, Anno Domini millesimo sexcentesimo octavo, die decima sexta Mensis Aprilis.(a)

GHARTERIUS Rector	VELLERIUS Decanus
FORNERIUS Antecessor	IO. MATHAEUS MAGNUS Antecessor

ALLALANDEEFF SCRIBA.

CCXXXII.

DAVID HOESCHELIUS IO. MEURSIO S. D.

Misi, vir clarissime, Genevam apographum Alexiados, misi Francofurdum apographum *ὀρνεοσοφικῦ*: utrumque per fidos homines. Quae utrum acceperis, certiorem me, velim, facias. Nolim enim tibi periisse, quae tuo aere hic redemisti; quicquid istic in illustris viri defensionem ede-

(a) Ex autographo membranaceo, in forma patenti, cui sigillum fasciola rubra adpensum. GRAMMIUS.

Ann. Chr. MDCVIII.

edetur, tua velim opera me habere τῷ ἐμῷ ἀναλώματι posse. Legit iam Heinsii (ni fallor) nescio quid, paucarum pagellarum noster Velserus: verum quicquid eius generis imprimatur, parum ponderis habiturum censet, nisi rei cardo versetur; cum cetera non nisi parerga ducantur. Sed de his, quorum id interest, videbunt. Incidit in manus meas editio Goslariensis [a], sive altera, Inscriptionis veteris Graecae, cum tua & aliorum interpretatione. Vbi idem noster Velserus miratur, ita de Herode Rege Casaubono subscribi, ut nemini de Sophista ne subspicio quidem subierit [b], Existimat enim certis adductus rationibus, Herodi illam inscriptionem Attico attribuendam esse, cuius vitam Philostratus descripserit. Ad ipsa quod Graeca attinet, tribus in versibus malim ipsum sequi marmor. Veluti v. 6. ἐν ἀθανάτοις ἀλέγησθον, id est, *inter mortales recenseamini*; quo significatu idem legitur verbum apud Pind in Olymp. Sic vers. 24. χλωρὰ θεῦσαν, cum similiter κευκὰ θεόντων dixerit Hesiodus in Scuto Herculis. Relinquendum, & proxime sequ. versu puto ῥήξειε, sed mutato accusandi casu in dativum instrumenti, δμωῇ μακέλλῃ, teque adsensurum mihi prope habeo persuasum. Plura, ubi voles, σὺν θεῷ alias. Salutem plurimam adscribo Ill. & Cl. viris D. Scaligero, Vulcanio, Heinsio, cuius Interpretationem, isto nobis suam invidente, & Notas in Procopium nos aliquando visuros speramus. Bene vale. Augustae Vindelicorum VI. Kal. Iulii.

A. S. N. MDCVIII.

T. N. A.

DAVID HOESCHELIVS.

CCXXXIII.

FRANCISCVS AB ARSEN IO. MEVRSIO.

Monsieur, j' ay esté bien ayse que vous soiez souvenu de moy, mais plus encor, de vostre heureux passage, s' il a esté accompagné de ses dangers, il en sera plus aggreable par la souvenance. Ie ne doubte point, que vostre retour n' ait resiouy beaucoup de monde, chacun ayme les siens, & toute fois je croy que vous y avez le principal interest; vostre but à esté different d' avec celuy de ceux, que vous avez accompagnez, & partant ce pelerinage vous portoit plus: vous estes desormais surgy au port non tant pour vous reposer de vos parts, que pour les redoublerou pour faire reussir vos longues esperances, au succes & sollicitation desquelles vous ne vous deviez aucunement laisser, & si je les pourray faciliter, je m' y porteray tout entier; mais je ne puis rien, que devoir, lequel ne vous defraudra jamais: aussi vous devez vous persuader, que je me rejouiray de vostre avancement & contentement, dont je vous prie de me faire part, vous asseurant de mon affection à vostre service. Et sur ce je salüe humblement vous bonnes graces, & prie Dieu, qu' il vous ait en sa saint garde. De Paris ce III. Iuillet MDCVIII.

Ann. Chr. MDCVIII.

CCXXXIV.

GEORG. MICHAEL LINGELSHEMIVS IO. MEVRSIO S. P.

Gratissima nobis fuit epistola tua, qua & amorem constantem testaris, & nuncio iucundissimo nos beas, felicis in patriam reditus tui. Aderat tum nobis optimus Bongarsius: itaque solemniter grates solvimus Deo, ob vos ereptos ex praesentissimo & exitiali discrimine. Iam abs te fructus exspectamus e peregrinatione illa sane varia. Amici omnes te amanter resalutant, Cancellarius, Loefenius Freherus, quibus iucunda fuit recordatio amoris tui. De publicis nihil iam memorandi habeo. Caesari cum fratre Matthia convenit, ut Hungaria, Austria, & Moravia, isti cedant, & vicissim ille reliquarum provinciarum successioni renunciet. Porro amici & fratres inter se esse perseverent, & regna in antiquis foederibus maneant. Serenissimus Elector filium suum primum Fridericum Sedanum rursus ablegavit, inde post menses aliquot Galliam, & aulam illam perlustrabit. Deus faxit, ut feliciter. Te quaeso ne graveris, obsequia mea quam studiosissime deferre Nobilissimo Viro Vander Myle, itemque Domino Barneveldio iuniori. Vivite felices, & amate porro vestri, Heidelbergae VIII. Iul. MDCVIII.

Studiosissimum

LINGELSHEMIVM.

CCXXXV.

NICOLAVS VASSANIVS IO. MEVRSIO S. [c]

Statim ipso in limine veniam peto, Vir Cl. quod tuis, quas ad nos Lutetia scripsisti, hactenus non respondimus; incerti quippe fuimus, ubinam & quamdiu in itinere vestro sisteretis, nec vero etiamnum de adventu vestro certi sumus. Verum quum hic amicus noster D. Calmotius ad vos redeat, nolui committere, ut de silentio nostro nobiscum expostulare posses. Absit enim, ut meritorum tuorum simus immemores, quinimmo nobis admodum gratulamur, quod tibi innotuerimus, & familiaritatem aliquam tecum contrahere nobis licuerit, quam postmodum fovere, atque augere, prout occasio feret, quantum in nobis erit, adnitemur. Interim quid rerum no-

(a) Est Golsaniensis illa editio anno 1608. curata. *Alteram* vocat, quia Parisiensis *Casauboni* praecesserat. GRAMMIVS.

(b) Videantur huc *Velseri* epistolae duae ad *Hoeschelium* in illius Operibus, *num.* XXXIV. & XXXV. *pag.* 838. *seq.* GRAMMIVS.

(c) *Vassanii* fratres notiores sunt, quam ut de 'iis aliquid adnotetur: si non aliunde ex Scaligerianis, quae ipsis debentur, & ex *Scaligeri* ac *Casauboni* ad utrumque (*Ioannem*, & *Nicolaum*) epistolis. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCVIII.

novarum scribam, vix habeo; nihil novi proferunt nostri Typographi, Poetas omnes veteres secundo excudent. De Pace vero vestra rumores varii, nec conducibile foret, quicquid circumfertur perscribere. Frigent hic omnia, quidni etiam nos? Quum itaque hoc tempora nihil dignum quod scribam, subpetat, brevitati ignosces; nec enim alio fine scripsi, quam ut nos tui memores esse adgnosceres; quinimmo nobis iucundissimum, atque acceptissimum futurum est, quando per literas adfectum erga te nostrum significare dabitur. Vicissim petimus, Vir humanissime, ut quantum per seriora tua poteris, nobis idem testari digneris. Vale, vir doctissime. Deum una cum fratre, qui te officiosissime salutat, supplex veneror, ut te quam tutissime sospitet, ac tueatur. Genevae, Nonis Aug. CIↃIↃCVIII.

CCXXXVI.

THEODORVS CANTERVS Io. MEVRSIO S.

PRioribus tuis ad me literis, doctissime Meursi, me non respondisse fateor, factumque illud ideo, quia adventum tuum in singulos dies praestolabar, quodque postea Vltraiectum veniens, nos illuc non offenderis, male me habuit: nam coram te salutare & complecti mihi omnino in votis erat. Nunc quia hoc utrique nostrum eventus invidit, illatum damnum literis resarcire conabimur. Quare, quod felix faustumque sit, gratulor tibi felicem in patriam reditum; & quod sanus valensque redieris, tam illud nobis gratum, quam quod gratissimum. De tuo tam benevolo erga me animo & adfectu, quantas possum, maximas ago gratias. Sed vide, ne nimium Cantero tuo tribuere videaris, quum omnia infra mediocritatem. De meo vicissim in te animo & adfectu hoc tibi persuasum habeas velim, me eodem erga te adfectu & animo esse, & fuisse, quo semper, nec mutaturum hunc adfectum, quoad mihi haec vita. Quid nunc agas, quid prae manibus habeas, scire aveo. His vale, vir doctissime, & nos, quod facis, amare perge. Raptim Vltraiecti III. Augusti. Barneveldio, veteri meo amico, plurimam a me salutem dicito.

Tuus toto pectore

THEOD. CANTERVS.

Has adiunctas velis cures Vtenbogardo tradi.

CCXXXVII.

C. RITTERSHVSIVS Io. MEVRSIO S.

EXtremum hunc nobis, Meursi, concede laborem, & dum Altorfii commoraris, quaeso in Latinos versus transfer rogatu meo Graecos illos *Inscriptionis Herodianae* (b). Relinques apud me praeter alia hoc etiam monumentum praeclarum nostrae amicitiae, magnaque tibi pro labore (qui tibi non erit difficilis) habebitur gratia: ut nunc quoque habetur, pro usu Breviarii Graecae Ecclesiae, quod remitto sanctum tectum. B. V. Altorfii ex Museo IX. Augusti, quo ante V. annos ex hac vita migravit parens meus b. m.

Tuus omni officio & studio

C. RITTERSHVSIVS D.

CCXXXVIII.

FRANCISCVS AB ARSEN Io. MEVRSIO.

MOnsieur, vous ne me sçauriez faire plus de plaisir, que de me mander souvent de vos nouvelles. Car je fay estat de vostre amitié, & desire autant & vostre avancement, & contentement, que nul autre, regrettant que les occasions en tardent si longuement. Mais en ces matieres, on ne peut pas tousjours ce qu'on veut, cependant je ne fay nul doute, que Monsieur d'Oldenbarnevelt, ne vous porte à la fin dans vos desirs vous luy en devez donner le loisir, & la direction. L'attente ne vous en peut estre que bonne, & moins ennueuse, puis que l'escutez avec vos livres, qui est une occupation digne de vostre profession, & de la quelle ne tirez pas peu d'avantage. Ie feray bien ayse de veir vos nouveaux labeurs; & certes j'ay merveilleusement approuvé les vers, que m'avez envoyez. Ils sentent plus l'huyle que de vin, combien que ... pendant vos festins, ils sont polis & rapportent & plus de varieté & plus de doctrine, que plusieurs que j'ay veuz, & de plus renommez en semblable matiere; mais rien ne part de vostre main, que bien elabeuré, & donnez souvent ces bagatelles au public, puis qu'il vous plaist les qualefier ainsi; elles vous donneront de la gloire; & sur ce je vous baise les mains, & prie Dieu, Monsieur, qu'il vous ait en sa sainte garde. De Paris ce VI. Septembre MDCVIII.

CCXXXIX.

(b) Hinc profecta Monumenti huius editio Goslariensis, quam, quia hodie inventu rarissima est, hic describemus. Titulus habet: *Inscriptio vetus Graeca, continens dedicationem fundi, ab* Herode M. *Rege factam, nuper ad Vrbem Romam in via Appia effossa. Adiecta est interpretatio Latina, & soluta, & ligata oratione. Graeca ex Parisiensi editione Cl. V.* Isaaci Casauboni *fideliter sunt descripta. Golsaniae* 1608. 4. Post dedicationem, quam editor *Martinus* quidam, *Baremius* carmine scripsit, Inscriptioni textus Graecus ponitur, cum interpretatione ad verbum; sequuntur *Is. Casauboni* notae. Hinc paraphrases latinae, ligata oratione, *Cunradi Rittershusii*, *Georgii Remi*, *Io. Meursii*, *Mich. Piccarti*, ac *Martini Baremii*, qui Notulas suae addidit, ac versibus Graecis ad *Rittershusium*, quibus haec: *Μέρσιμων ἄ. σιβάρη*, nominis sui anagramma scil. subscripsit, ultimam pagellam implevit. Totum vero constat 28. paginis in 4. Ceterum de ipso monumento legi meretur indicium *Marci Velseri*, cuius supra meminimus in Adnotatiuncula ad epistolam *Dav. Hoeschelii*, *Meursio* scriptam a. d. VI. Cal. Iulii 1608. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCVIII.

CCXXXIX.

THEODORVS CANTERVS IO. MEVRSIO S.

Chryſoſtomus ad Ebraeos Hom. XIII.

ΜΗ γὰρ δὴ ἐπειδὴ βασιλεῖα λέγεται, νομίσετε πάντας τῶν αὐτῶν τυγχάνειν. εἰ γὰρ ἐνταῦθα, καὶ ὁ ὕπαρχος, καὶ πάντες οἱ περὶ τὸν βασιλέα, ϗ οἱ σφόδρα καταδεέστεροι, ϗ τȣ͂ τῶν λεγομένων δεκανῶν τόπȣ ἐπέχοντες ἐν τοῖς βασιλείοις εἰσὶ, ϗ τοὶ τοσȣ͂τοι ὄντες τȣ͂ μέσȣ τȣ͂ ἐπάρχȣ ϗ τȣ͂ δεκανȣ͂.

Idem ad Epheſios, Hom. III. Οὐκ ὁρᾷς τȣ́τȣς τȣ̀ς προσαιτȣ͂ντας, οὓς λώταγας ἡμῖν ἔθος καλεῖν.

Ibidem, Hom. XVIII. ȣ̓κ ὁρᾷς τȣ̀ς λεγομένȣς γελοτοποιȣ̀ς, τȣ̀ς σαμαρδάκȣς; ȣ̓͂τοι εἰσὶν οἱ εὐτράπελοι.

Vt voluntati tuae ſatisfacerem, haec obiter ex meo codice deſcripſi, tuum erit de his iudicium ferre. Trium harum vocum uſum ſemel tantum, locis ſcilicet deſignatis, in toto opere reperi. De obitu Giſanii antea intellexeram. Tu ſi quid certi habeas, & a fide dignis, velim ſignifices. Interim meliora ſperamus, quamquam in talibus fama plerumque verax nimium. Quod ſi ita eſt, ille praeivit, nos ex ordine ſequemur. Noſtrum interim erit, noſmet paratos & promtos praeſtare. Quod librum tuum tandem receperis, magnopere gaudeo. Deſignatorem quomodo explicet Acron, notum eſt. Ego locum Acronis ſic legere malim: qui dant locum Libitinae, funebria praeſtare dicuntur, ut defuncti &c. Tuum ſuper hoc iudicium perquiro. His vale, amicorum optime, alias plura, nunc enim per occupationes non licet. Raptim Vltraiecti XII. Sept. Barneveldium per occaſionem officioſe meo nomine ſalutes velim.

Tuus toto pectore

THEOD. CANTERVS.

CCXL.

IAC. LECTIVS IOANNI MEVRSIO V. C. S.

VEllem tibi amicitiam noſtram haudquaquam eſſe ſaepe indiciis non obſcuris teſtificatus es, Vir Clariſſime, & poſt diſceſſum a nobis tuum, honorem etiam literarum impertiſti, cui mutuum facere adhuc nullus potui, quia locum ubi eſſes non penitus intellexi. Sed me nuper amicus quidam Hagenſis eo te ſalvum cum nobiliſſimo Barneveldio natu maiore, veniſſe per literas admonuit. Nuntio autem, & valere me cum meis, & civitatem tibi dilectam: ſed vigere cum primis, & validum vivere amorem meum adverſum te, quantus quantuſque debetur talibus viris. Poſt Albinii abitum ſeriora, & ſecuriora cuncta nobis, etſi milites praeſidiarios retinemus, & excubiis operam damus, quibus ſuevimus. Editionem alteram Poematum noſtrorum parabamus, ſed nec tanti eſt; & fecere variae occupationes, ut in vernarum nundinarum tempus differatur. Par iſtud honeſtiſſimorum adoleſcentum Humbertum, & Eſalmotum (popularis ille meus eſt, ipſe Gallus, & Rupellani Praeſidis filius, & uterque ſtudiorum cauſa ad vos commeat, & te colit) obnixe tibi commendo. Diſſidium in ſacris inter D. Arminium, & collegas, recrudviſſe ſoliciti, & dolentes, audimus. Scis quanti in Eccleſia momenti ſit pia concordia inter tales. Vtrum, & quomodo, res compoſita erit, ſcire avemus. Vale cum primis, & cum erit ocii pluſculum commercio nos literario in fiducia amoris tui confirma.

Dat. Gen. Allob. VIII. Novemb. MDCVIII.

Dominum Barneveldium, de quo ſupra perofficioſe ſaluto. Etiam D. Baudium, ſi tibi, ut coniicio, familiaritas cum eo eſt.

CCXLI.

IANVS RVTGERSIVS IO. MEVRSIO S. D.

Vir Clariſſ.

LIteras tuas hodie accepi. Quod tam promtum adfectum tuum polliceris & oſtendis, gratias, quantas poſſum, ago. Et viciſſim tibi de me promitte, quicquid a fratre exſpectari poterat. Obſecro, ut hos emi mihi cures. De pretio ſolicitus ne ſis. Ego enim pleroſque illorum librorum, quales ſint, neſcio. Nullum tamen temere elabi nolim. Bezam omnino velim. Sed de Belonio, ſi me amas, omnino cura. Vale, amiciſſime rerum, & uxori filioque tuo oſculum. XIV. Nov. MDCVIII. Hagae Comit. ſcribebam.

Balduinus ad inſtituta F.
P. Renvalini Hiſtor. Plant. 4.
De Ruſſorum &c. Relig.
Velſeri Borca.
Mich. Maieri Hieroglyph.
Prophetiae Georgii Iordani. Si Venet. excuſus eſt, omni pretio; ſin alibi, ut haberi poterit, tuo arbitrio.
Stobaeus. Venet.
Euripides. Vol. II.
Poetae Graeci Chriſtiani 8.
Furlanus in Ariſtotel. de Part. Animal.
Th. Beza de Pronunc. l. Gr.
Gui de Bres contre les Anabapt.

CCXLII.

IO. LVNTIVS IO. MEVRSIO S.

LIteras tuas binas abs te accepi, eiuſdem argumenti, amiciſſime Meurſi, ad quarum priores reſpondiſſem literis, niſi te ipſum ea de cauſa Typographum coram adpellaſſe mihi conſtitiſſet: quae res fecit, ut ſatius putarem coram tecum loqui, & de fin-

Ann. Chr. MDCVIII

singulis agere. Quod literis nudius tertius missis postulasti, heri sum exsequutus, ac serio, quo tempore typis librum esset commissurus, ex eo quaesivi, sed responsi nihil extorquere potui, nisi filium chartae idoneae comparandae causa fuisse Amstelodami; futurum esse, ut brevi coram tecum Hagae ea de re agat, ac deinde librum praelo committat. Haec te scire volui, mi Meursi, ne merito negligentiae me accusare possis, antequam Vltraiectino itineri me committo. Ceterum salutem D. Cantero missam coram, Deo volente, crastino mane dicam. Vale, mi Meursi, & salve a Raptim Lugd. Bat. X. Kalendas Dec. Anno CIƆ IƆ CVIII.

Tuo toto

IO. LVNTIO

CCXLIII.

THEOD. CANTERVS IO. MEVRSIO S.

VIdebis, amicorum optime, an haec infra scripta, alicui tibi usui esse possint: plura etiam apud alios Scriptores observavi, sed nunc ea quaerere non vacat. Ad oram enim libri talia solitus sum notare.

Nicephorus Graegoras, pag. 100. *Ἀμογαβάρυς· ὕτω γὰρ ἡ λατίνων φωνὴ πεζὺς ἐν πολέμοις καλεῖ. κ̀ διὰ τῦτο, κ̀ τύτυς ἐν μοίρᾳ ταττομένυς τοιάυτῃ, τύτῳ, κ̀ ὕτος κέκληκε τῷ ὀνόματι.*

Epiphanius, pag. 64. *Καμίνυς τοίνυν ἔξωθεν τῆς πόλεως πολλὰς προσέταξε γένεσθαι, τάχα τὸν ἀριθμὸν ἑπτὰ, φύνακας δὲ ἐπιχωρίως ταυτας καλῦσιν.*

Infra: *Καὶ ὕδωρ κελεύσας ἐνεχθεῖναι ἐν ἄγγει, ἐν καμψάκῃ φημὶ· κυκύβιον δὲ τῦτο οἱ ἐπιχώριοι καλῦσι.*

Idem pag. 218. *Ὕμνιον τῆς αὐτῶν ἀνοησίας, ὡς περιτιθέασι τὰ ὑποδήματα τῇ κεφαλῇ,* &c. *τὰ δὲ ἄλλα πέδια, ὡς εἰπεῖν, τὰ ἐξ ἱματίων γεγενημένα, ἃ παρά τισιν ὀθώνια κέκληται, ἢ βρακαι, χερσὶ περιτιθέασι.* Nota: *πέδια* propedalia: ideoque abiicit, *ὡς εἰπεῖν.*

Idem, pag. 307. *Ἱμάτιον ἐκπετάσας τῦτ' ἐςὶ λωδίκιον εἶτ' ὖν παλλίον, καὶ κηρύξας.* Vide Casaub. ad Athen.

Idem, pag. 311 *Πλησίων ἑκάςης ἐκκλησίας αὐτῶν, καὶ ἀμφόδων, ἤτοι λάβρων ἐπιχωρίως καλυμένων.*

Pag 513. *Καὶ εἴθε κατὰ τὺς νόμυς ὑποπροίκιός τις ἐγίνετο, κ̀ μὴ κλεψίγαμος.*

Idem, pag. 457. *Καὶ φέρνην, κ̀ ἕδνα, καὶ προικισμὸν, ϗ γνησιότητα ἔχειν δύνανται.* pag. 465. *Καὶ κοπιαταὶ, οἱ τὰ σώματα περιςέλλοντες τῶν κοιμωμένων.*

Evagrius, in Eccles. Histor. p. 164. b. (Etiam Suidas:) *Ἀντικρὺ τῦ χώματος, ὅπερ ἀγέςα πρὸς Ῥωμαίυς κέκληται, διώρυγα ὑπὸ γῆν κατεργάσασθαι.*

His utere, fruere, amicorum optime, & nos, quod facis, amare perge. Si interdum folia quaedam recens edita nobiscum communicare volueris, ut plenius perfectiusque de operis tui instituto quaeque habeas, nec ne, cognoscere possim, plura forsan, tibi non inutilia, subpeditare vocabula potero. His Vale. Raptim XII. Decembris. Saluta communem nostrum amicum D. Barneveldium.

Tuus toto pectore

THEODOR. CANTERVS.

CCXLIV.

IANVS GRVTERVS IO. MEVRSIO S. P.

MI Meursi, & scias scriptionem mihi tuam accidisse gratissimam, dicerem etiam fuisse laetitiae, nisi huiusmodi vocem excluderet conditio vitae meae semper luctuosa. Certe quum aerumnosi plerumque vergant ad suspiciones, fere factum erat, ut longo illo tuo silentio putarem me penitus animo tuo excidisse. Sed bene, quod non unis signis contrarium probes. Quae tu in me plena manu, ea vix adgnosco, imo ne adgnosco quidem parte millesima, paratum me iuvare literas, amare & admirari doctos, hoc unum scio, idque hactenus potui procedere ulterius vetuit me novercalis sors, quae etiamnum undique humeros istos premit, & opprimet quoque: adeo adversa ex adversis perpetuo subeunt, nemine misero huic, vel adloquio, subveniente. Solus adest Salmasius, in cuius sinum nonnulla congerimus. Tu si adfuisses, minimarum maximarum rerum fuisses particeps. Itaque est, quod tibi gratuleris, non quod doleas, divulsum te a me, tali catharmate. Adloquium tuum verum est, & id etiam fateor ita esse; sed interim toties ex medio itinere avelli a viae individua comite, aequis passibus peregrinante per aequa & iniqua, & avelli quidem, ubi nec amicum habeas, nec inimicum, durum est, quam ut facile concoquat stomachus humanus: praecipue; sed tacendum mihi est, dicendumque cum P. Syro: *Heu quam miserum est ab eo laedi, de quo non ausis queri!* De Gothofredianis nimium quaeris, tam penite rem aliorum non perscrutor, plus satis negligens in propriis. A multis annis hic bene videntur audiisse. Argentinae forsan fama non usquequaque fuerat secunda. Quae quum saepe mentiatur, quid eidem nimium attendamus? Adhuc ita se gerit erga eos Bachovius, ut cum hic adesset [a]. Imo ante duos menses ad eumdem fontem excursum est a nobis iisdem omnibus, qui tunc aderant una tecum praesentibus aliisque adhuc pluribus iuvenibus mulieribusque. De studiis meis frustra quaeris. Iam ea incipio eiurare, quum dedecus tantum mihi procurent, & damnum. At a te profecto multa & magna iure exspectamus in illo otio, in illa omnium bonorum faventia, atque acclamatione. Vtinamque ocyus

(a) Credo adesses.

Ann. Chr. MDCIX.

ocyus compareat Glossarium Graecobarbarum. Quid fit Tacticis nostris? quid vel Leoni? qui vel solus edi poterat, cui specimen reliquorum. Domini Grotii *Patientem Christum* diu est, quod vidi, eo submittente. Egi per Lingelshemium magnas gratias, nam ad tantum odium deveni literarum omnium, ut vix respondeam ad amicorum epistolas, aliquoties provocatus. Nuptiis eius multa fausta vovi, atque etiamnum voveo, te interprete. Debebam ipsi Carmen Epithalamion, si homo funestus ad rem tam vitae eius diversam accedere posset, aut ille tale quid requireret. Salutem plurimam ei adscribo, ut & Amplifs. DD. amicis veteribus, DD. fratribus Rosendaliis, D. Hogerbetio, D. Crumholtio. Sed & D. Vandermylio, D. Beuningio, si me insinuaris, rem feceris amicitia tua meaque dignam. Eorum gravissimae scriptioni diu est, quod responderim, sub literis Scaligeri nostri. Fere omiseram salutem suam adscribere Amplifs. D. Praesidi nostro, non oblitus, sed quod cordis fundo tenaciter adhaeresceret. Quei enim eius ulla mihi oboriri queat oblivio, cum tot eius salutibus hebdomatim ostiner? Salutes etiam officiosas adscribo discipulis tuis, DD. Barneveldiis. Item avunculo eorum D. Heliae, ubi ad vos excurrerit. Tu quoque, mi amicissime, Vale, ac salve a tuo semper quicquid ei fiet, I. Grutero, haec scribillante V. Augusti Iuliani. Heidelbergae. (a)

CCXLV.

OTTHO HEVRNIVS IO. MEVRSIO S. P. D.

COgnate observande, amice carissime tuas, & cum illis ingens gaudium accepi, nimirum ducentos florenos, quos officiosa tua beneficentia mihi procurasti (b). Obruor a te beneficii mole: sed quum paria re ipsa praestare nequeam, animum meum habeas tibi tuisque ad omne officium praestandum perpetuo paratissimum. Exemplaria mitto duo, unum pro Secretario, alterum pro eius Vicario, seu Vice-secretario, aut alio, cui tibi videbitur commodum, ut donetur. Rogo huic beneficio auctarium addas, & procurare digneris, ut hic Leidae per Ordinantiam pecuniam ab Ordinum Quaestore accipiam: quam si his Bacchanalibus ipse deferre ad me digneris, Pluto Bacchum gratificari solere percipies. Vale cognate carifs. & patrem matremque totamque vestram familiam meis verbis, rogo, salutes. Leidae Anno MDCIX. XXVII. Febr.

CCXLVI.

IDEM EIDEM.

TVas, Cognate carifs. recte accepi cum Ordinantia 200. florenorum, & qua hora accepi, eadem, & cum debita gratiarum actione per literas respondi. At D. Tuningius hodie mihi dixit te nullas accepisse, idque mirari. Miror & ego. Dedi eas eodem momento D. Bontio Hagam eunti, ut per ancillam Screvelii tibi traderentur. Ille, ut video, pro solita sua negligentia eas, aut amisit, aut latrinae consecravit. Velim meum infortunium igitur excusationem hac in parte mereatur, nam ego prorsus extra culpam. Decurtata est, ut video, 70. florenis Ordinantia; illa tamen meae exspectationi plenissime satisfacit, & pro maximis tuis laboribus, quod aliud quam bonam voluntatem tibi reponam, non habeo: me totum tibi tuisque in perpetuum ita obstrinxisti, ut nunquam me tam gravi alieno aere liberare me posse confidam. Vale, amicissime Cognate, & cum parentibus & fratre & sororibus suaviter vive, & nos prima occasione invise. Dicit D. Tuningius se ex te audivisse, mihi in Zeelandia honorarium 170. florenorum decretum, mihi ne hilum quidem huius rei constat; rogo, si quid certi habeas, per literas me participem facias.

CCXLVII.

IDEM EIDEM.

AMicissime Cognate, mitto tibi exemplaria duo operum parentis mei, quorum unum tibi reservabis, alterum rogo, ut nobilissimo Domino ab Oldenbarneveld, cui dedicavi, offerre digneris. Ingentia eius viri quum erga nos exstent beneficia, literario saltem munusculo memorem beneficiorum animum declarare volui. Vale, & diu cum parentibus, & universa familia sanus & hilaris vive, & nos, ubi negotia vestra permiserint, invise. Leida I. Augusti, Anno MDCIX.

Tuus cognatus ad omne officium paratissimus

OTTHO HEVRNIVS.

CCXLVIII.

GEVERH. ELMENHORSTIVS IO. MEVRSIO S.

VEre hoc tibi narro. In ruborem me das tua ista liberalitate. Ante paucos dies communicasti nobiscum duos lepidissimos libellos: iam etiam tertium addis, non minus elegantem, cum hac insuper sponsione, futurum brevi, ut adhuc novum opus, & mihi quidem inscriptum, videam. Non solum admiror, sed & summis laudibus in coelum fero indefessum tuum studium de posteris bene merendi, & nos tibi totiens obligandi. Opto equidem, ut alii grato animo hos tuos labores suspiciant. Ego quidem operam dabo omni modo, ne tu hoc beneficium in sterili agro obsevisse unquam dicere queas. Salve, Vir maxime, & nos, quod facis, ama. Hamburgi a. d. XIII.

(b) Videtur anno 1608. vel 1609. scripta. GRAMMIVS. (c) Scil. ab Oldenbarneveldio, pro dedicatione operum parentis D. Io. Heurnii, GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCIX. XIII. Augusti Gregoriani Anno pro Christo CIↃIↃCIX.

CCXLIX.

THEODORVS CANTERVS IO. MEVRSIO S. D.

QVod literis Gruteri, communis nostri amici, doctissime Meursi, etiam tuas addideris, tum illud mihi gratum, quam quod gratissimum; nihil enim mihi gratius contingere potest, quam in amicorum colloquiis, vel coram, vel per literas posse acquiescere. Vtinam nuper, quum hic esses, plus mihi otii fuisset, ut diutius tecum confabulari de peregrinatione tua, ceterisque rebus tuis, potuissem: sed quod tunc commode fieri non potuit, alias, Deo volente, melior commodiorque dabitur occasio. Quod gratularis nobis sanum & incolumem reditum, gratias habeo; satis enim prospera navigatione usi sumus, & minus duodecim dierum spatio profectionem absolvimus: sed hoc tantum: quid porro fiet, tempus docebit, si scissem, distulissem profectionem. Glossarium tuum iam imprimi magnopere gaudeo. Erit certe, meo iudicio, opus a multis viris doctis diu expetitum, & desideratum. Ego certe eius operis videndi, legendique summo teneor desiderio. Si cum tua, Typographique, bona gratia fieri posset, velim omnia hactenus impressa folia, prima commoda occasione ad me mittere. Sin minus absolutionem operis exspectabo. Quum hic esses, de Rigaltio interrogare oblitus eram; scire enim aveo, qui valeat; quid agat, & quo loco res eius sint, & quid prae manibus habeat; nam ab aliquot annis nihil de illo inaudivi. Tu, si placet, fac me eius certiorem. His vale, & nos ama. Saluta officiose meo nomine D. Barneveldium, quem nuper coram salutassem, nisi, me inscio, hic fuisset. Raptim Vltraiecti VI. Iulii.

Tuus toto pectore

THEODORVS CANTERVS.

CCL.

IDEM EIDEM.

GLossarii tui partem accepi, doctissime Meursi, & maximas, ut debeo, tibi, pro isto beneficio, gratias habeo. Erit certe meo iudicio opus illud posteritati gratissimum. Constitit enim tibi non minimo labore, & miror, qui poteris tam multos evolvisse Auctores, quos in testimonium adducis, praesertim ineditos, & quorum, ne fando quidem, nomina inaudiveram. Merito certe de posteritate bene mereberis. Ego certe, quod ad me attinet, privatim tibi maximas, & immortales habeo gratias; multa plurimaque, quae ante nobis obscura erant, te auctore & illustratore iam dilucide intelligimus. Quare, ut coepisti, perge, ut isto thesauro, tuo beneficio, tuaque industria, etiam ceteris frui liceat. Locum illum Chrysostomi ex Hom. III. ad Hebreos, quem ante aliquot annos tibi subministravi, ubi meminit τῦ δεκανῦ, cum penitius introspicio, videtur mihi aliquid aliud Auctor, quam tu existimas, velle significare. Crediderim, illam vocem diversas forsan habuisse illo seculo significationes, nisi tibi aliter videatur. Ego malim illam vocem apud Chrisostomum pro lictore, & pro eo, quem nostra lingua dicimus esse, *Hellebardier*, accipere. In voce βάρδος Hesychium adducis, qui eo loco mihi semper de mendo suspectus fuit. Glossas Graeco-barbaras, quas saepissime in testimonium adducis, scire ex te aveo, exstent ne, an non: & ubi illud Glossarium repereris. Et haec hactenus; alias, quum plus otii nactus fuero, plura. Si per occasionem cetera folia miseris, feceris nobis rem gratissimam. Ea, quae misisti, desinunt in literam *Mm*. His vale amicorum optime, & nos amare perge. Raptim Vltraiecti, XV. Augusti.

Tuus toto pectore

THEODORVS CANTERVS.

CCLI.

I. RVTGERSIVS IO. MEVRSIO S. D.

NVllius operis tanta exspectatio fuit, Vir Clarissime, quanta *Glossarii* tui. Nam cum in hodierna Graecorum dialecto, quae immane quantum a prisca puritate mutaverit, intelligenda hactenus frustra ab eruditissimis viris laboratum sit, tu nebulas eius linguae discussisti, in quibus aeternum fortassis caligaremus. Vt non immerito tuam opem implorent ii, qui Barbaro-Graecae linguae studiosi, & esse, & haberi, volunt. Oro itaque, & obtestor, mi Meursi, per communia Musarum sacra, ne nos diutius ardui operis desiderio languere sinas. Interim vero, dum illud avide exspectamus, consuli te non gravaberis. Nam & mihi voluntas discendi est, & tibi facultas docendi. Quaerebam nuper, quid καρτᾶνον esset in titulis Ioannicii cuiusdam. Is quum ab Arsenio in Venetorum carcerem detrusus esset, fortassis quod ei in Epidauri, quam hodierni Graeci Monembasiam vocant, Archiepiscopa obtinenda restitisset, ad studiorum amoenitatem confugit; ut his oblectamentis aliquantum molestiam carceris leniret; & languoris, qui in his casibus plerumque oriri solet, taedium discuteret. Concinnavit itaque volumen, quod inscripsit ἄνθος. In eum librum ea omnia congesserat, quae Christiano scitu necessaria iudicabat. Sed praecipue ex sacris litteris Titulos suos ita concipit: Ἰωαννίκιος ἱερομόναχος ὁ καρτᾶνος, κ̀ μὲν προτοσύγγελλος γὰρ κύρ. Ibi, quid τὸ καρταξ sit, nusquam reperi. Non ignoramus & Cartam & Cartanam civitates nominari. Et forsitan ab iis locis, quos incoluerat, nomen illud obtinue-

Ann. Chr. MDCIX. fuerit. Nihil tamen certi statuere possum. Ex eo libro, priusquam editum esse resci- vimus, in iis, quae paramus, fragmentum excudi iussimus pag. 94. λέγει οὖν ὁ Καρτᾶ- νος, ὅτι εἰς τὸν καιρὸν τοῦ Κονσταντίνου &c. Ita enim rescribenda sunt, quae mendacissime in autographo legebantur. Tu, quaeso, iu- va, & ut Poetae verbis utar, in recta diri- ge errantem gradum. Vale, vir clarissime.

Scribebam Lugduni Batavorum, Anno Dionys. MDCIX. IX. Septembris.

Tuus

IANVS RVTGERSIVS.

CCLII.

IANVS GRVTERVS IO. MEVRSIO V. C. S. P.

ET mihi certe plurimum attulere laeti- tiae literae tuae, si modo id vocabu- lum cadit in hominem perenne funestum; gratissimumque fuit intelligere ultimam im- positam manum Glossario, cuius summa erit utilitas, certe res imparis brevitatis. Iam spe id totum devoro. Eo absoluto, ve- lim adornari a te non modo Leonis Tacti- ca, sed & aliorum Strategica, & Nautica &c. quo uno scilicet corpore Graeca illa habea- mus omnia. Quaecunque tibi desunt, nan- cisci poteris a Commelinianis, ut & librum hodie a *Thomano* descriptum, & Athenae- um, quo hactenus usus Scaliger. An Leo- nis omnia integraveris ex exemplari Regiae Bibliothecae, scire aveo. Ego hac hieme sub praelo habebo Florum, Velleium, Sue- tonium, Spartianum, & adiunctos, Ammia- num item & Historiam Miscellam recogni- tam, & comparatam ad Mss. Pal. sed in quibus tamen pauca praesto post alios: tan- tum eorum emendationes firmo Cod. Pala- tinis; ultroque multa recepi in contextum. Miscella plurimum mihi debebit. Si quid tibi est ad dictos Auctores, ut etiam ad Coss. Aurelii, & Iornandi, non Romana tantum, sed Gothica, candidus imperti: interspeт- gam ea notis meis, non sine honorifica, ut decet, nominis tui mentione. Scripseram Domino Vander-Mylio, item Domino Hein- sio super libro Arabico, quo uti cuperet. Christiamanus iam professor factus est ab Ele- ctore nostro linguae Arabicae. Sed uterque hactenus silet: imo Heinsius nunquam pas- sus est praeterfluere ullas nundinas Franco- furtenses, quin me litterarum suarum hono- re mactaret. Iam derepente obmutuit, quod tam miror, quam doleo. Interim eum meo nomine salutes, velim, interrogesque, an superioribus nundinis missum Max. Tyrium collatum cum Pal. MS. receperit. Commi- seram eum Commelino Ioanni. Salutabis etiam perofficiose Dominos Vander-My- lium, Rosendalios fratres, & inprimis cha- ritaeum meum Hogerbetium. In Syrum quae meditor, vix intra annum prodibunt. At interea praemittam MMMM Sententias haud absimiles versibus illius Mimographi; de quibus tu, mi Meursi, ceterique tui similes candide iudicabitis. Vale, & salve animo meo semper praesens. Praecipitabam Francof. XX. Sept. MDCIX.

CCLIII.

IACOBVS GRVTERVS IO. MEVRSIO S. P.

CVbabam in ardentissima febri, Cl. Me- ursi, quum literas tuas acciperem, ple- nissimas optimorum nunciorum, ut paroxy- smi praesentis maximam partem levarent: roburque adderent, ut paucula haec in me- diis fervoribus rescriberem, & fastidio re- rum omnium feriarum. Gratulor autem ti- bi illum animum erectum, qui honorem rei, atque utilitatem publicam privatae, anteponat. Nam certe stupebam, quum vi- derem te praeter industriam in exsculpen- do opere tam eximio, ne rei quidem tuae parcere, in maturanda, atque ornanda edi- tione. Confirmoque ego tibi studia favo- remque posteritatis dignum meritis illis tuis in literas. Facis praeterea pie & reli- giose, qui dona illa tam benigna manu in te collata a Deo, non parce, atque illibera- liter, erogas in Remp. Hinc enim perennes illi, & iuges, alii post alios foetus ingenii tui. Nondum enim lucem vidit Helleno- barbarum tuum, quum iterum adfectos alios nihilo superioribus inferiores, *Latinobarba- rum Lexicum* habes & *de Coronis*. Vnum me excruciat, quod non cum amicis super his sermocinari possum. Ad unum enim omnes aegre habent, ut visere invicem per vim morbi, & coeli huius inclementiam pro- hibeamur. Est enim urbs nostra instar no- socomii grandis, ita aegrorum nullus est numerus. Ad calcem unum addam, quod omittere in epistola εὐφημίας caussa statue- ram. Quae κατάρματα quaeso tibi in men- te erant, impurorum hominum, cum illa de *nasuductione* scriberes? Scio ego, quae fraudes, quae frustationes, hominum mali- tiosorum in amicitias incidere saepe soleant. De me hoc tibi, sive ex aliorum indiciis mavis, sive ex mea adfirmatione, persua- deas, velim, candorem inter omnes virtu- tes unice amare, dissimulationes, & εἰρωνείας in amicitia exsecrari. Vale, vir praestantis- sime, & me, quod facis, ama, & sincere redamari crede. XXVIII. Octobris.

CCLIV.

GEORGIVS REMVS IOAN. MEVRSIO S.

EX quo a nobis abiisti, Cl. Meursi, nun- quam quicquam certi habueram, ubi locorum consisteres, donec me tuis nupere ad me datis edocuisti. Gaudeo plurimum tibi bene esse, teque in portu navigare. Ita enim videor mihi videre, ad honores iam, vel adspirasse in Rep. vestra, aut te proxime abesse. Gratulor tibi ex animo fe- licitatem hanc, quam virtus, eruditio, vitae innocentia orbi perspecta, pararunt me-

Ann. Chr. MDCIX. meritissimo. De nostris rebus nosse aves? Cl. noster Rittershusius succos bibit, quamvis invitus, amaros, iam per aliquot dies se intra parietes continet, valetudini ex Medicorum placitis, ac praescripto, operam navans. Vota fundamus pro viri opt. & doctissimi salute, eique propitiam Hygiaeam comprecamur. Febrim quidem metuit ardentem, sed hoc malum pro sua bonitate avertet Sospitator generis humani. Ni ergo male haberet Rittershusius, tibi respondisset: ne nos tui oblitos putes, quod omen absit. Quod superest, amorem illum eximium nobis perennes velim; ego mihi constabo: respondeboque tuis accurate, quoties ad me dare libuerit. De Germaniae nostrae statu hoc habe. Quieta esse omnia; ni Davus in Gugernis turbas daret [a], ianum plane clausissemus. Iacturam Iberus sarcire adnititur, quam amissione vestrae Bataviae, Phrisiae, & aliarum Provinciarum fecit, nimirum si Gugernos & attinentes regiones suam in potestatem redigat. O acutum hominem! Saxo de iure suo, exspectativa gratia, quam vocant, scripto publico, doluit: at isti obposita iam est duplex refutatio. Exercebit quaestio haec Iureconsultorum ingenia. Quid tui sit iudicii, audire gestio. Vale, & nos, quod strenue facis, amare perge. Norimbergae, postrid. τῆς τροπῆς χειμερινῆς CIↃIↃCIX.

Academiae nostrae Altorphinae Professores valent recte, ac Robertus, Alberici F. Gentilis, cum patruo D. Scipione nunc agit: pluresque nobiles quotidie adcedunt nos.

Tuus ex fide fida.

G. REMUS.

CCLV.

EV. VORSTIUS IO. MEURSIO S. [b]

Cl. V. Collega honorande.

CAroli Clusii τὰ παραλειπόμενα apud Raphelengios sub praelo sunt, quibus adiungentur Oratio Funebris, & Epicedia clarorum aliquot Virorum in eius obitum; rogo etiam, atque etiam, ut & tu in memoriam & honorem tam optime de re literaria meriti hominis aliquid te, & tanto viro, dignum condere digneris. Et non me hoc abs te, sed manes laudatissimi & sanctissimi senis postulare arbitreris. Interim Vale a

Tuo, qui te colit merito

EV. VORSTIO.

(a) Intelligit turbas hoc anno coortas, & bellum in Germania gliscens, *Iuliacense* adpellatum, ab obitu ultimi Ducis *Iuliaci* & Cliviae. De *Gugernorum* sedibus vid. alias *Cluverii German. ant. Hadr. Valesii Notit. Galliar* &c. &c.

(b) Pertinet ad an. 1609. nam hoc mortuus est *Carolus Clusius* Vid. *Meurs. Ath. Bat.* in eius Vita. GRAMMIUS.

CCLVI.

Ann. Chr. MDCX.

THEODORUS CANTERUS IO. MEURSIO S. [c]

LIteras tuas, doctissime Meursi, una cum quaternionibus Glossarii tui accepi, & maximas pro eo, ut debeo, tibi gratias ago. Miratus certe hactenus sum tarditatem Typographi tui, quare recte a te factum arbitror, quod in rem & locum praesentem te transtuleris. Nam id genus hominum volunt quodammodo cogi ac urgeri. Nunc quid praesentia tua effici possit, videbimus. Quaterniones, quas misisti, avide statim perlegi, ac mirifice me adfecerunt. Attamen ut hoc obiter admoneam, vox λένθραβος apud Cedrenum, de mendo suspecta videtur, nisi tu aliter iudices. Nam si interpretationem Ebraei idiomatis sequamur, legendum potius esset λύτρωτος. Certe locum esse mendosum facile animadvertet, qui haec verba legerit, quae habentur in Historia Miscella lib. XXII. *Quem videlicet Constantinus Impius Imperator mio propter eminentem orthodoxiam eius anathemati submittebat, & Mansur, quod eius avitum nomen est, quodque redemtus interpretatur, sensu Iudaico, novum Ecclesiae magistrum, Manseron mutato nomine vocitabat*; hactenus ille. Haec volebam, nescius ne esses. Si Martyrologium illud Graecum, cuius aliquoties mentionem facis, penes te habeas, magnopere te rogatum velim, ut eius libri usum ad pauculos dies nobis concedere digneris, bona fide restituam. Si qua in re vicissim tibi tuisve conatibus adesse potero, me paratum & promtum pariter invenies. Ianus Rutgersius, ut ex Catalogo nundinarum deprehendi, habet illic sub praelo Isidori Computum Lunarem, una cum nonnullis aliis opusculis. Si ita est, velim specimen eius aliquod, vel maculaturam, ad me mittas, & me beneficio adfeceris. His vale, Vir doctissime, & nos, quod facis, amare perge, & hospiti tuo, communi nostro amico, a me multam salutem dicito. Raptim. Vltraiecti X. Ianuarii nostro stilo.

Tuus toto pectore

THEOD. CANTERUS.

CCLVII.

IO. MEURSIO HUGO GROTIUS S. D.

ACcepi donum tuum, doctissime, atque amicissime Meursi: Phaedrum, inquam, Auctorem, ut nomen ipsum fert, lepidum, atque festivum, pro quo eo tibi maiores debeo gratias, quo mihi ἴσως ille in morbo iniucundo cubanti iucundior hospes advenit. Nunc cum me bona valetudo respicere coeperit, aequum est me tui memi-

(c) Scripta haec epistola an. 1610. quo anno *Meursii* Lexicon Graeco-Barb. excudebatur. Et Epist. praecedens anno ante. GRAMMIUS.

Ann. Chr. MDCX.

minisse, a quo utilissimum Lexicon omnes exspectamus, id ego hoc Epigrammate sum prosequutus: quod ita legas, velim, quasi profectum ab homine, & febriculoso, & non parum negotioso. Tibi opto & valetudinem bonam, & aut literatum otium, aut minus molesta negotia. XIX. Febr. MDCX.

Tui amantissimus

H. GROTIUS.

IN VIRI DOCTISSIMI IOANNIS MEURSII Glossarium Graecobarbarum Epigramma Hugonis Grotii.

Accipe, quem tibi dat, Lector studiose, laborem
Meursius: hac charta Graecia tota patet:
Non quae Socratico quondam sermone loquuta est,
Quae Macedum linguae fulmine fregit opes:
Sed qualis moriens in regni sede superbi
Singultus olim moestaque verba dabat,
Cum Byzantinos habuit nova Roma Quirites,
Heu male vicinis praeda futura Getis.
Doctrinae cultusque parens, (quis credere possit)
Graecia, qua demta barbarus orbis erat,
Huc cecidit, Graecos velit ut qui volvere libros,
Debeat hinc Graecam discere barbariem. (a)

CCLVIII.

IDEM EIDEM.

NOva non curas, vetera per te scis; quare nihil fuit, quod ad te scriberem, nisi hoc ipsum, nihil esse. Et tamen nolui Gruteri literas meis incomitatas ire, ne quem in servandis officiis mihi praeponeres. Salve igitur σὺν τοῖς μαθηταῖς, qui, quantum ego praevideo, timendum tibi non est, ne evadant κρείσσονες διδασκάλυ XV. Martii.

Glossarii tui custos religiosissimus

H. GROTIUS.

CCLIX.

IDEM EIDEM.

ACcepi Lexicon tuum, doctissime Meursi, gratissimum munus, ex quo non ego tantum, sed quamvis docti homines proficere plurimum possunt, certissimum Indicem πολυαναγνωσίας tuae. Vidi tamen non sine aliquo dolore, dum cogito miseriam meam, cui vix tempus datum ea legendi, quae tu tot tantorumque librorum lectione nobis congessisti. Itaque spes omnis, quam olim habebamus profectus alicuius in istis literis, plane nos deserit. Ego pro magno dono exiguum tibi mitto (b) (dicam ingenue) missurus ante, nisi suspicionem secum adlaturum fuisset hamatae cuiusdam liberalitatis; nosti enim morem multorum hominum, qui nunquam avariores sunt, quam cum donant. Itaque destinaveram tibi libellum meum per occasionem tradere, non autem sub ipsam luculentissimi Glossarii tui editionem. Confido autem gratum tibi fore qualecunque hoc scriptum, tum Auctoris, quem diligis; tum patriae, quam amas, nomine. Vale, amicissime Meursi, & quod agis, age, hoc est, de omni literarum genere perge bene mereri. Kal. April.

Tui amantissimus, & studiosissimus

H. GROTIUS.

CCLX.

IANUS RUTGERSIUS IO. MEURSIO S. D.

Vir Clarissime!

IMmane quantum me solicitum teneat valetudo tua; quae quum sub discessum meum adflicta fuerit, metuo, ne magis ingravescat. Id si est, quantum potero, istuc festinabo, si non ob aliud, ob illud saltem, quod levius timere soleant, qui propius timent. Quare tribus verbis id significes velim. Nympha illa, cuius postremum mentionem fecimus, osculo (ita aiebat) te salutari iubet. Vale, amicissime Meursi, & nos ama. Scribebam XI. Aprilis MDCX. Dionys. Durdrecti.

Tui studiosissimus

I. RUTGERSIUS.

CCLXI.

ISAACUS CASAUBONUS IO. MEURSIO S. (c)

BOnorum amicitias debere esse aeternas, scitum est τῶν πάλαι σοφῶν. Mihi tecum, Vir doctiss. a multis annis amicitia est instituta, quam cupio perennem manere. Et te idem quoque non nolle singularis tua mihi spondet virtus. Eo magis sum equidem admiratus, te postquam istuc rediisti, nihil quicquam literarum ad nos misisse. Certe nullas ipsi accepimus, quod non excusandi mei causa dico, qui in eadem culpa versor, sed quia revera ita est. Ego sedulo omnia de te percontari non desino, qui etiam Deum oro obsecroque, ut te servet incolumem, & omni bonorum genere cumulet. Quod si aliquam mei rationem tibi esse habendam putes, opto de tuis rebus & studiis ex literis tuis cognosce-

(a) Legitur in *Meursii* Lexico Gr. Barbaro, nec non inter Poemata *Grotii* p. 313. GRAMMIUS.

(b) Sine dubio opus *De Antiquitate Reipubl. Batavicae*, quod eodem anno (1610.) quo *Meursii* Glossarium, exiit. GRAMMIUS.

(c) Exstat inter editas ab Almelov. n. DCLXVII pag. 349.

Ann. Chr. MDCX.

scere, quid edideris, postquam domum es reversus, quid mox, quid postea sis editurus. Equidem Glossarium Μιξοβάρβαρον tuum quam primum a te publicari vehementissime cupio. Deinde quaecumque habes, quae ad Tacticos Scriptores pertinent. Sed non est mei pudoris, leges tuis studiis ponere. Vale & me ama. Lutet. Paris. Kal. Maii CIƆIƆCX.

CCLXII.

MARCUS VELSERUS IO. MEURSIO.

Salve Vir Clarissime!

GLossarium tuum accepi, & de insigni munere valde te amo; te, inquam, cui tanto adlegato deprecatore, facile est diuturnioris silentii moram redimere, mihi vero, qui vacuis adsto manibus, quid fiet? certe colorem adhuc frustra quaero. Sed nosti, scio, non omne officii pondus in scribendi crebritate consistere; animus amicitiae fundus est, quem constantem in te amando & nunc esse, & in posterum semper futurum, certum habe. Glossarium vix obiter hactenus limis oculis inspicere licuit, sed sic quoque primore statim oculo deprehendimus magnam futuram operis utilitatem, quod plerisque obscurissimis Auctorum locis claram facem praetendat. Quod *Annam Comnenam*, & *Demetrium Constantinopolitanum*, ex nostra bibliotheca repetis, Hoeschelius non satis capit, quomodo apographae dudum missae perierint, cum tu utriusque testimoniis non semel utaris, neque verisimile sit ea ex memoria depromere. Ne igitur frustraneus labor denuo describendi subscipiatur, fac quod velis sciamus distinctius. An Notae doctiss. Scriverii, quarum in ora fragmentorum Legis Maniliae & Frontini de Coloniis frequens mentio, lucem unquam adspexerint, fac, quaeso, significes; & si nondum adspexere, tum ut adspiciant, adlabora, quantum potes; ita enim ingenium illud novi, ut ultro polliceri audeam, nihil ab eo, nisi publice profuturum, unquam proditurum. Amicissimis etiam tuis, Grotio & Heinsio, quos quo loco habeam, nobiliss. Vandermylius tibi dicet, multam salutem nuncia. Vale.

Augustae Vindel. III. Non. Maii An. MDCX.

Tuus

M. VELSERUS.

CCLXIII.

FRANCISCUS AB ARSEN IO. MEURSIO.

MOnsieur, vostre beau present me fut envoyé le jour mesme, que Monsieur Van der Myle partit de cest ville pour s' en retourner en Hollande, sans cela vous n' eussiez pas tant attendu ce remerciement. Vous me tesmoignez certes en un tel sorte, que desirez m' obliger, puisque vous vous souvenez si serieusement de moy, qui ne m' y attendoy point, scachant bien ne l' avoir merité. ce cera quand il vous plaira. Car je n' avoüe rien de ce que me prestez si liberalement; mais bien confesseray je que la volonté ne me defendra jamais pour vous servir: tels hommes sont rares en ce siecle, et je suis de ceuz qui les admire et recherche. Majus nihil mihi datum. Vostre oeuvre est grande et de grand travail. Dieu vous face la grace de produire souvent de tels fruicts. C' est, Monsieur, tout ce que je vous diray pour ce coup, attendant que par effect je me descharge de l' obligation, que vous acquerez sur moy. Je vous baise les mains, et prie Dieu, qu' il vous aye en saincte garde. De Paris ce XI. *de May.* MDCX.

CCLXIV.

ISAACUS CASAUBONUS IOANNI MEURSIO.

QUum ante dies fere tredecim literas ad meos istic amicos darem, a quibus acceperam, etsi nullae mihi fuerunt a te redditae, non abstinui tamen, quin aliquid ad te exararem, saltem ut constaret tibi de mea in amore tui constantia. Iisdem literis te hortabar, ut Glossarium Μιξοβάρβαρον, quod sciebam a te parari, ederes in vulgus, & nos tanto munere beares. Accidit post tertium quartumve diem, ut e nundinis Francofurdiensibus qui revertebantur, non spem tui libri, sed rem in hanc urbem adferrent. Quod ubi rescivi, nihil habui antiquius, quam ut unum mihi exemplar compararem, atque illud statim etiam inter gravissimas &, toto genere, diversas curas devorarem. Vix me voti mei compotem feceram, quum illustris Legatus, Dominus Mylius, iam prope ad reditum accinctus, misit ad me tuum luculentissimum, Cl. Meursi, munus, pro quo gratias & habeo & ago tibi immortales. Satis erat, quod me, ut τῶν πολλῶν ἕνα, cum ceteris omnibus literarum studiosis, aeterno devinxeras beneficio; editione tam praeclari operis. Sed hoc parum tibi visum, nisi publicae obligationi adiiceres & privatam. Dabo operam σὺν Θεῷ, ne ingratus moriar; & iam exspecta novam Svetonii editionem cum Animadversionibus nostris. Volui tradere aliquot exemplaria venerando Utenbogardo; sed nondum extrema manus erat libro imposita, licet Francofurtum fuerit delatus. Habebis, spero, brevi. Scito autem incredibili voluptate me esse adfectum, quando vidi voces ecclesiasticas a te esse & collectas, & expositas. Utinam de huiusmodi rebus tecum possem colloqui, sed de his alias. Deus te servet. Vale. Scripsi raptim. Lut. Paris. Eid. Maias MDCX. (a)

CCLXV.

(a) Edita haec etiam, reperiturque n. DCLXIX. edit. in fol. p. 349. f. GRAMMIUS.

CCLXV.

Petrvs Pantinvs Io. Mevrsio S. P. D.

MAgnum ſane placidiſsimae illi ϗ καλλίϛῃ Θεῶν εἰρήνῃ, ὡς εὐριπιδικῶς εἰπεῖν, gratiam debemus, cuius beneficio, ut cetera illius multa maximaque bona omittamus, factum eſt, ne de cetero ut hactenus, ultro citroque ſcriptitandi literas inter viros doctos intercludatur. Vtinam tantum boni nobis perennet, neque novo aliquo nimbo praeſens ſerenitas obſcuretur. Nam Lamachorum & Laconum, νέφος ἐχθρὸν πολέμοιο iterum ciere conantium, abunde ubique eſſe, non te fugit, vir amiciſſime. Sed haec ſupremi numinis curae, cui nos curae, delegemus. *Gloſſarium* tuum *Graecobarbarum*, cum aliis duobus libellis, politiſſimi tui ingenii atque eruditionis clariſſimis monumentis, perquam lubens accepi; & ne ad luculentum hoc tuum munus prorſus immunis eſſe videar, hoſtimenti vicem Theclam noſtram habe. Scio, quod ut in Diomedis & Glauci permutatione χρύσεα donanti χάλκεια reddidimus; ſed quid agamus? damus, quae poſſumus, quando ἐξηκριβωμένα illa veſtri imitari negatum eſt. Vt tu officia ac dignitates Palatinas Imperii Conſtantinopolitani in Gloſſario illuſtraſti; ita nos quoque ante aliquot annos dignitates atque officia Aulae Gothorum explicare conati ſumus; ſed craſſiore, ut in Proverbio eſt, Muſa, quantumque in tanta rei obſcuritate facere licuit. Fertur excuſus ille Commentarius in Tomis Scriptorum Rerum Hiſpanicarum; quod tamen, me inſcio, a quodam amico, nimis, in hac quidem parte, noſtri amante, factum fuit. adeo informem illum foetum aut tollere, aut omnino adgnoſcere, nunquam fuerat animus. Conſtantinum Manaſſem MS. una cum hiſce habebis, probae, ni fallor, notae. Veteris, quam diu voles, & ſuo tempore ad nos redire permittes. Si quid aliud eſſe iudicabis, in quo honeſtiſſimis utiliſſimiſque tuis ſtudiis, opera noſtra commodari queat libere compella, ac vale, renunciata ſalute doctiſſimis viris Baudio Heinſioque. Bruxellae XIII. Kal. Iunias CIↃIↃCX.

De funeſtiſſima Regis Galliarum caede ante triduum iam hic reſcitum eſt, vario animorum adfectu atque opinione. Ecce quid ſceptra & totus hic mundi faſtus!

Clauſis hiſce iam, deprehendit Bibliopegus in exemplari Gloſſarii tui ad me miſſo quaternionem xx. abundare, quem proinde remitto, & eius loco deeſſe yy. quem, ne liber imperfectus ſit, mihi ſubminiſtrari cupio.

CCLXVI.

Io. Mevrsio V. Cl. Io. Wtenbogart S. D. P. & in Chriſto bene agere precatur.

BEaſti me munere iſto tuo, Meurſi Cl. cum quia ſe magnum iſtud, tum quod locuples indicium amoris erga me tui, quem quanti faciam, novi ego; norunt & illi, quibus quanti ipſum te faciam, teſtatus ſum ſaepe. Quamvis enim ad illud ſtudiorum genus adſurgere mihi non conceſſum, amo tamen iſtud propter inſignem utilitatem pari delectatione coniunctam. Lucem enim tenebris alioqui denſiſſimis face iſtac veſtra infertis, & quae bonorum Auctorum ſtudioſos ad ſingulos pene paſſus remorari ſolent, vos ita laevigare noviſtis, ut quae aſpera & velut inacceſſa ante, iam viatori plana ſint, ut inoffenſo pede pergere porro liceat. Quantum autem hoc ad ipſum ſapientiae ſtudium adferat momenti, haud facile quis dixerit. Perge itaque, Meurſi doctiſs., & quam nactus es Spartam, ornare magis ac magis ſtude: nos, quibus iſta ſacra adire non licet, iuva, nomenque tuum. quod iam per Europam claret, etiam clarius redde. Interea gratias tibi ago etiam hoc nomine, quod inſignem illum locum, de quo nuper coram, unico te duce invenerim, quemque ut ſententiae meae adfinem iteratae opellae meae editioni inſerere non dubitavi. Eius tibi copiam facio; non quod Bibliotheca tua dignum exiſtimem, quod mitto, verum ut promiſſo me abſolvam meo. Vos ſplendidiſſimis & regiis Graecarum Latinarumque linguarum veſtibus inſignitam ſapientiam veſtram toti Europae ſpectatam redditis: ego humili ſtilo Belgico patriae inſervio, non claritatem nominis, quod nec mihi debetur, nec hiſce artibus quaeritur, aucupatus; ſed veritatis patrocinio neceſſario & prope extorto, eorum in me concitans odium implacabile, quorum amorem & adfectum vel ſanguine, ſi ita opus ſit, redimere paratus ſim. Atqui hoc fatum meum, imo omnium, qui Eccleſiae rebus adflictiſſimis aliqua ſaltem ex parte ſuccurrere ſtudent. Vos vel eo feliciores, quod ſtudia liberalia & liberiora, paſſim omnibus grata, tractetis: nos infeliciores, quorum ita glebae adfixa & ſerva iudicia, ut ſi vel minimum apicem ab huius vel illius ſemel praeconcepta ſententia deflexerimus, infamiam nobis conciliemus, nullo unquam tempore eluendam. Verum qui *Aeternitatem* illam veram *cogitare*, & iſta aſpernari, diſcit. Vale Vir Cl. ac Doctiſſime. Haga noſtra XII. Iunii CIↃIↃCX.

Accepi a D. Caſaubono literas, quibus te DD. Baudium, Heinſium, reliquoſque amicos officioſiſſime ſalutari voluit: quod ni grave ſit, illis, mea etiam addita ſalute, renunciari velim.

CCLXVII.

Io. Rvtgersivs Io. Mevrsio S.

QVum a vobis abirem, promittebas te prope diem hic futurum; ea tamen lege, ut ſignificarem potius, quomodo huc veniſſem. Ego proſpere ivi & adpuli, & nunc valeo, niſi quod a te avelli aegerrimum mihi eſt. Tu, ſi nos amas, curabis, ut huc pro-

Ann. Chr. MDCX. properes, quantum potes. Avide te exspectant Nymphae istae, quarum hospitio te uti velle aiebas, etsi fortassis me eo beneficio beare debueras. Vale amicissime rerum. Durdrecti, in Batavorum Metropoli, scribebam. XI. Aug. CIƆIƆCX. Dion.

CCLXVIII.

PETRUS PANTINUS IO. MEURSIO S. P. D.

Vir doctissime,

Petitur a me commodato Codex ille MS. historiae Constantini Manassis, & quidem ab eo, cui quicquam negare nec possum, nec debeo. Quare si tibi usui amplius non est, ut ad me redire permittas, rogo; & eius loco si quid aliud in suppellectile nostra libraria est, quod studiis tuis commodum esse ducas, pete, & feres. Vale. Bruxellae VI. Kal. Sept. CIƆIƆCX.

Per Raphelengium ad Moretum remitti poterit Codex, quem dico: inde facile ad me.

CCLXIX.

DAVID HOESCHELIUS IO. MEURSIO S.

Lectis tuis ad me literis, Vir Clarissime quibus de eorum questus es iniuria, qui fraudolenter ac turpiter, quae ad te cu raram per certos homines, interverterunt: ne, Marte dubio, idem iacturae periculum faceremus, auctor mihi Velserus noster fuit, typis potius, ut *Alexiadem* exprimi, quam a quocumque adolescentulo rursum describi procurarem. Quare iam mitto hic opera tumultuaria vulgatam, δόσιν ὀλίγην τε φίλην τε. Cumque *Hieracosophion Demetrii* quoque desideraveris, aliud apographum en habes: verum errata graphica tuum erit corrigere, quum mihi per otium non licuerit, Pro tuo Glossario habeo & ago gratias, ἀντίδωρον mercatu verno (σὺν θεῷ γὲ φάναι) accipies vitam S. Antonii ab Athanasio Graece scriptam, & Latine a me versam, quum in operibus huius Graeca desiderentur, & vetus interpretatio barbara existimetur. Dices χάλκεια ἀντὶ χρυσείων, fateor lubens: verum aliter modo ἀμοίβεσθαι nequeo, donec Epicteta recognoro: ad quae quum doctiss. D. Heinsius subpetiarum quid pridem promiserit, ei etiam Alexiados exemplar mitto, ut calcar addam. Adiunxi tertium, quod meo velim nomine cures ad illustrem Dn. Van de Myle. Hos ambos δωρίδιον boni velim consulere: & huius in aere quum sim, nam paraphraste Graeco Ethicorum Nicomach. meam bibliothecam auxit, moram τῆς ἀνταμείψεως aeris tolerabit, dum quid illo dignius hic excudetur. Salutem plurimam tibi atque illis adscribo a nostro Velsero. Bn. Vale.

Augustae Vind. IV. Cal. Sept. A. MDCX.

Tui studiosissimus.

DAVID HOESCHELIUS.

Si ad Arrianum in Epictetum, cum nullus se offerat Codex m. s. vel tu, vel etiam idem D. Heinsius coniecturas ab ingenio profectas per occasionem mittere dignaremini, magno Remp. literariam beneficio adfecturi essetis.

CCLXX.

I. RUTGERSIUS IO. MEURSIO S. D.

Vir Clarissime, literas tuas tradidit mihi tabellarius noster, quae vel hoc ipso gratissimae fuerunt, quod quum te coram intueri non detur, quod solum possum, dilectam manum tuam adgnoscere & osculari liceat. Illud vero perquam mihi iucundum fuit, quod nonnumquam tibi grata recordatione & mei & meorum memoria recurrat. Ut autem hic amici officio fungeris, ita te non nisi mutuum facere scire debes. Ah quoties ipsi amatum illud pectus amplecti, & ab eruditissimis sermonibus tuis pendere optavimus, etsi tam bona vota Deos suos non habuerint. Et ut videas etiam in candorem nostrum livorem cadere, iis, & quidem serio, invidemus, quibus tam beatis esse licet. De Tuningio quod addis, sane pupugit animum meum, etsi non tu primus es, qui nos tam gravi nuncio adflixisti. Doleo certe vicem meam, tuam, omniumque adeo amicorum eius, quibus ille se non minus, quam se natum esse credidit. Quid, quaeso, ipsa morte genus mortis longe tristius est? Beati, qui ita semper vixerunt, ut ultimam quamque lucem tanquam non redituram consumerent. Quod de Tuningio optamus, quotquot ei benevoli viximus. Caeterum si mihi moriendi arbitrium detur, abire ex hac vita non optem, nisi sarcinulis collectis, & rationibus cum Deo & conscientia subductis, quas nisi cum immensa eius misericordia pariemus, frustra speremus τὴν ἀμαράντινον τῆς δόξης στέφανον. De Baudio quaedam mihi retulit avunculus meus, tanquam a te profecta, in quibus candorem tuum adhuc quaero. Non te latebat, qua parte existimatio opt. & disertissimi viri laboraret, ut non debueris oleam camino addere, hoc est, inclinantem famam eius impellere, praesertim apud eos, apud quos hactenus non nisi bene audiverat. Adde quod cum obtrectatione Baudiani nominis infamiam meam (a) coniunxeris, cuius amicitia tibi sacra, & inviolabilis esse debuerat. Quare etiam latissimam culpam deprecari non potes, hoc uno excusandus, quod dolus malus fortassis abfuit. Vale, & hoc ipso momento de omnibus, quae mea scire interest, rescribe. XXXI. Aug. CIƆIƆCX. Dionys. scribebam in Batavorum Metropoli.

Tuus ad omnia.

RUTGERSIUS.

(a) Quid illud fuerit, quo famam & existimationem *Baudii Rutgersiumque* ipsum laeserit *Meursius*, ignoro. Id scio, famae Baudianae parum consuluisse *Petrum Scriverium*, quando, integris XXV. annis post viri obitum, epistolas illas atque versus pu-

CCLXXI.

Ann. Chr. MDCX.

CCLXXI.

IANVS RVTGERSIVS IO. MEVRSIO SVO AMICISSIMO S. D.

VIr Cl. Accepi literas tuas, quibus ea excusas, quae de communi amico nostro perperam dicta, certe intellecta fuerant. Nec hoc tantum, sed & mecum expostulas quasi candori tuo iniuriam fecerim, quod cum me desiderare dixi. In quo non dum assentiri tibi possum. Nam quod te non minus virtutes eius praedicasse ais, quam accusasse vitia, hoc ipso criminationis gravitatem intendisti. Ita enim non peccasse malevolentia visus es, sed amicum cum laudare velles, caussa destituit. Tales autem cavere Satyricus iubet. Mentio si qua De Capitolini furtis iniecta Petilli: nosti cetera. Sed desino. Cum enim omnino mihi in votis sit non tantum idem sentire tecum, sed & loqui, nolo, ut istiusmodi commissionibus, praesertim propter alios, amicitia nostra obsolescat. Literis ergo foveamus potius amorem, quem praesentes non possumus. Mihi & meis destinatum est, ut hic maneamus in futuram aestatem, qua iturus alio fortassis sum. Velim omnia, etiam minima, ni grave est, de negotiis Leidensibus scribas. Vale, amate tantum, quantum amabitur nullus. X. Sept. CIↃIↃCX. Durdrecti.

CCLXXII.

(a) THEOD. CANTERVS IO. MEVRSIO S. (b)

GLossarii tui partem, doctissime Meursi, ante aliquot septimanas, accepi, & pro eo mihi praestito beneficio maximas, ut debui, gratias egi, atque etiam nunc ago: sed an meas literas acceperis, equidem dubito. Nam proximis meis a te petieram, ut per occasionem etiam cetera folia mitteres. Vltimum autem quaternionem ex iis, quas accepi, esse literam *Mm*, sed nihil responsi retuli. Sed vel non accepisti eas, vel occupationibus districtus in aliud tempus distulisti scriptionem. Certe quo diutius tua Scripta lego, miror ingenium & industriam, & qui fieri possit, ut in ea aetate, qua es, tam multos Auctores editos & ineditos cum cura evolvere potueris: mirabitur etiam omnis posteritas, & merito. His paucis vale amicorum optime, & de re literaria bene mereri ne desinas. Raptim Vltraiecti XV. Sept.

D. Aldebarneveldium nomine meo officiose salutes velim.

CCLXXIII.

IANVS RVTGERSIVS IO. MEVRSIO S. D.

LIteras tuas accepi, quibus de inchoanda professione tua scribis. Gratum est, quod significas, volo enim interesse. Die lunae hinc abiturus sum transferendis meis. Delphis ego avunculusque meus ea nocte mansuri sumus. Est enim, quod agamus ibi. Si tamen matutinis horis orsurus es, eadem Lunae die Leidam venturi sumus. Quare per hunc nuncium, qui hasce tradet tibi, significes, rogo. Is tribus aut quatuor horis, postquam has dederit, huc reversurus est. De Baudio quid ais? Etsi nondum credo, metuo tamen. Flandris levitas semper amica fuit, & talis Baudius εὔχεται εἶναι (c). De scriptis meis serio hodie per literas a Cantero monitus sum. Perficientur, & intra paucos dies, volente Deo, videbis. Vale, & qua hora solemnia tua auspicaturus sis, fac, sciam. Vale, amice princeps.

Dordrecti, XXI. Sept. CIↃIↃCX. Dionys.

Σὸς ἐξ ὅλης τῆς καρδίας

RVTGERSIVS.

Has literas, quaeso, statim Vltraiectum mittendas cures. Omnino enim proximo Martis die responsum habeam necesse est. Iterum vale, suavissimum pectus.

CCLXXIV.

IO. LVNTIVS IO. MEVRSIO S.

CLariss. D. Meursi, committere non potui, quin, etiam cum tempus me obprimeret, pauca haec ad te scriberem, quae non vulgo, sed iis, quorum interest, significari velim. Nudius quartus, hoc est, vigesimo primo huius mensis literas ab Archiepiscopo Coloniensi ad Archiducem missas, eodemque die exhibitas, in quibus conqueritur, dum ipse apud Imperatorem pacandis rebus Germaniae studet, Principes Iuliacenses studere occupandae Heiserswerdae; atque avertendo huic malo suppetias

---

publicaret, (in quibus & una alteraque *Baudii* ad *Rutgersium*) eodemque volumine, *Dominici Baudii Amores* inscripto, Pervigilium Veneris, Ausonii Centones nuptiales, aliaque id genus adiungeret. GRAMMIVS.

(a) *Theodori Canteri* vitam & ingenii monumenta ad annum usque 1592. rebus eius tunc maxime florentibus, descripsit Suffridus Petri *de Scriptoribus Frisiae Dec. XV. pag.* 265 *seq.* Cuius narrationi quae adiici possunt ex *Franc. Grueertio* & *Valerio Andreae*, ad accendendam apta magis, quam extinguendam sitim lectoris, de fatis doctorum virorum cognoscendi avidi. Quae enim, quaeret aliquis, *infelicia illa tempora*, quae *exsulare iusserunt? hominemque patriae gubernaculis admotum, perfunctumque honoribus omnibus, in ultima senectute bonis exsutum*, ad summam calamitatem redegerunt? Neque Celeb. *Burmannus* in *Sylloge Epistolar. Lipsii Tom. I. Adnotat. ad Epist. DLXVII.* ubi de *Canterorum* familia, nec non *Theodoro* nostro diligenter egit, ipsa, quae desideramus, exposuit. Igitur ex Historiae Belgicae Scriptoribus ea peti debent, *Emmanuele* praesertim *Meterano*, qui vernacula lingua scripsit, & *Ioanne Clerico*, Gallica utente. Atque ex huius quidem, *Histor. Provinc. foeder. lib. IX. p.* 265. *seq* & *pag* 284. *seq.* discimus, *Theodorum Canterum*, cum collega suo *Helsdinga*, nequaquam extra culpam fuisse, sed, quia materiem praebuerant seditioni, quae populum Vltraiectinum incesserat, malae in patriam fidei convictos; vinculis primum, deinde bonis omnibus & exsilio fuisse mulctatos: id factum anno 1611. GRAMMIVS.

(b) NS. Vltima haec, ut omnino credo, Epistola *Canteri* ad nostrum, eo anno scripta (1610.) quo, exardescente seditione, res eius ad interitum vergebant. GRAMMIVS.

(c) *Baudius*, Lugduno subito relicta, *Gandavum* discesserat, unde amicos eius metus incessit, ne religionem mutaret. Sed vide quas contra eos rumores ex urbe Gandavensi scripsit ad *Corn. Vander Myle* & alios Epistolas, in *Amoribus Baudii* pag. 67. seqq. & *P. Bayle* in *Dictionar. Hist.* GRAMMIVS.

petias ab Archiduce quaerit. Ipse literas clausas & signatas vidi, ac propterea etiam exemplar literarum ad agentem missum, ex parte legi. Nudius tertius, hoc est, vigesimo tertio decretum auxilium, causaeque Episcopi patrocinium. Currus, qui iam dimittendi ex decreto erant, omnes continuati. Multa minacissime agitant, non in hoc tantum tempus, sed in primis in annum sequentem. Vale, amiciss. Meursi, & salve a tuo toto I. Luntio. Vxorem commendo & meos. XXV. Septemb. A. MDCX.

CCLXXV.

IANUS RUTGERSIUS IO. MEURSIO S.

Vir Clarissime!

SImul literas tuas vidi, exosculatus sum dilectam illam manum, quam tam longo tempore videre non contigerat; etsi nonnulla culpa mea, fateor. Ceterum quod de amoribus tuis persuadere conaris nobis, frustra es. Non id non fama nuncia, sed certis auctoribus scimus. Nam quod idem Hagae accidisse dicis, dispar ratio est. Illic non amare te, sed amari rumor erat. De Balduina rumor parum certus fuit, & qui istius rumoris auctores fuerant, ubi ad rem ventum est, auctoritatem defugerunt. Hic & certi auctores, & ii, qui non negabunt. Sed quid opus est verbis? Ipse te convinces, ubi verba in rem conferes. Quod voveo & opto. Plura coram. Eodem die, quo tuas accepi, scribebam. In Batav. Metropoli.

Tibi, si quisquam, obligatissimus

RUTGERSIUS.

Quid Constantino tuo fit?

CCLXXVI.

V. CL. IO. MEURSIO AMICISSIMO S. D.

EXcidimus tibi, excidimus, amicissimum Caput? an etiamnum remanet in absentem amor ille, quem in praesentem non semel ostendisti? Ita spero, &, si quid veri mens augurat, opto. Quod ad me attinet, ego absui a te iam nimium diu; & causae fingendae videntur, quibus cum meorum venia ad vos excurrere liceat. Id ut fiat, solitam convertar ad artem. Neque tu mihi hic Theologorum supercilium obiice. Apage nugas istas. Tanti mihi mendaciolum putem, ut propter metum eius vobis mihi carendum sit? Non ita mihi experti Pityas & Pandatus ingens. Tu quid agas, scire velim. Mea brevi habiturus es. Ita in secessu hoc feriari nefas puto, ut uno spiritu pene ea absolvam, quae pridem pressit torpor meus. Id unum deficit, quod tu ἐργοδιώκτης noster non simules. Exceptas forte ut de Manasse tuo aliquid addam. Vossius nuper admodum rediit, & benigne negotiorum molem caussatus est, quo minus Viro & Cl. & amicissimo (haec enim verba eius) vacare possit. Conferebam pagellam unam aut alteram, sed unius res non est. Quid ergo fieri velis, quaeso, significa. Si ut solus absolvam, tantum impera. Nihil laboris est, quod defugiemus in tuae spem gratiae. Cum Bibliotheca mea translata fuit, tanta tempestas repente orta est, ut navem iactura levare coacti fuerint. Mea tamen salva. Nisi quod Paullum Alex. non video. Sed eum penes te esse memini; ut & Platonis quaedam, & Livius, & alia penes Baudium. Quibus non egeo. Vtere eo quam diu voles. Me enim a talibus ius avocat. Vale Cl. & amicissime Meursi XX. Octob. In Batavorum Metropoli scribebam. (a)

Tui amantissimus

RUTGERSIUS.

CCLXXVII.

IANUS RUTGERSIUS IO. MEURSIO S. D.

Vir Clarissime, & amice προσφιλέστατε!

PAraveram querelam non minus accuratam, quam iustam, quum ecce tuas vidi & dilectam manum exosculatus sum. Cur enim negem? Exsilire mihi cor, quoties beatae dexterae notas video. Tu tamen instar earum es, quae ubi se amari sentiunt, supercilium altius adtollunt, & longa exspectatione amatores urunt. Vnum tamen commodum ex tam longa mora capio, quod quo exspectatiores literae tuae veniunt, eo gratiores sunt. Nec negabo querendi occasionem mihi a te non aut vix dari, qui in scribendo diligenter satis vicem reddis. Sed ignosces, si tam avide amo, ut ne sic quidem satiari possim. Vtinam ita tulisset fatum meum, ut non ante supremam illam disiunctionem divelli contigisset nobis! feliciores essemus, quibus a doctissimis sermonibus tuis perpetuo pendere contigisset. Nunc quum id non sit, quod volumus, feramus, quod possumus. Illigavit enim me necessitas, nomen, ut nosti, καρτερὸν, ἠδ' ἔτι βριθύ. Quod superest, literis quam creberrimis leni mihi desiderium tui, quas scribes semper cum vocabis, non exspectata scribendi causa. Satis est argumenti, scribere argumentum scribendi te non habere. *Paullum Alexandrinum* accepi, etsi non exspectabam. Neque eo scripseram. *Manassem* ipse mecum feram. Satius est, diem unum eius missionem differri, quam ut non tuto tradatur Domino. Circa Vulcanii auctionem me exspecta, etsi pauca emere statui. Habemus enim pleraque, quibus Index eius censetur. Reliqua nihil aut parum curo. Vale ἐμῷ κεχαρισμένε θυμῷ. XXVII. Octob.

(a) Anno 1610. scripta, ut ex seq. epistola liquidum. GRAMMIUS.

Ann. Chr. MDCX. Octob. CIƆIƆCX. In Batavorum Metropoli scribebam,

Tibi obligatissimus.

RVTGERSIVS.

De rebus Vltraiecti nullum verbum? at non aequum facis. Vel tribus verbis oportuit, D. Luntio amicissimam salutem dicas velim. Vt facilior ad vos mihi aditus sit (in aurem dico, ne quis malus audiat) tu proximis literis hoc adscribe, Typographum valde urgere praesentiam meam. Neque enim commodiorem caussam comminisci possum, neque virum cuius fides apud parentem plus valere possit. Iterum vale.

CCLXXVIII.

PETRVS PANTINVS IO. MEVRSIO S. P. D.

Vir doctissime,

INterpellor frequentius; imo urgeor iam, ut Codice illo MS. Graeco, quem a me habes, etiam alii cuidam amico non vulgari commodem. Quare magnum in modum te rogo, ut si iam abunde usus es, per Raphelengium ad Plantinianos Antverpiam remittas; illi libenter ad me. Si quid aliud in nostra Bibliotheca, quod honestissimis tuis studiis usui esse possit, audacter petes; nihil tibi denegabo. Audio Lutetiae Orationem quamdam Graece Morellio editam sub Synesii nomine περὶ φιλαδελφίας, quam ego Themistii esse puto. Ea si forte illic haberi potest, cura, amabo, ut & ipse hic habeam & vale. Bruxellae. A. D. VIII. Kal. Decemb. MDCX.

CCLXXIX.

CLARISSIMO VIRO IOANNI MEVRSIO MAXIMVS AEMYLIANVS VRIENTIVS S. D.

Ann. Chr. MDCXI. SIc tibi, sic Reipubl. literariae Constantinum tuum cum Apollonio & Palladio, felici Levana in lucem dare contingat; ut mihi, Clarissime Meursi, gratissimae tuae fuerunt literae; quibus ut nihil inexspectatius, ita propter leporem & candorem, quem singulis pene verbis exspirant, nil doctius, nil longo a tempore videre fuit iucundius. Nomen & doctrinam tuam Lycophron, & Libellus tuus *de Gloria*, ante aliquot annos non obscure hic sparserant. Ex illo itaque te suspexi & dilexi, adfectu in eruditos communi. Nunc vero ut scriptione tua cohonestari, & propius etiam ad amicitiam invitari me video, ita me totum reciproco amoris atque observantiae nexu fecisti tuum: ut ad hunc, vel ad illum, accedere nil posit maius. Quare cum plurima amicorum meorum atque omnis eruditionis Principi Heinsio nostro debeam, hoc illi impensius debere me gaudeo, quod illo inprimis vel praecone, vel parario, ad amicitiae tuae fores primus hic mihi patefactus sit aditus. Spero autem non haesurum in limine, sed ad interiora etiam pervasurum, si quem spontanea naturae tuae bonitate, sine merito admittere coepisti inducere porro, & frequentiori literarum adloquio vel trahere, vel illicere, pergas. Quamquam nec hoc, nec illo, magnopere sit opus in pronum & volentem; ita spondeo pro nomine & adfectu. Quo gemino obside, Vale virorum Clarissime. Ex Maxim. Fland. X. Febr. CIↃ CIↃC XI.

CCLXXX.

PETRVS PANTINVS IO. MEVRSIO S. P. D.

Vir doctissime

NOn te toties super Graeco Codice MS. nobis remittendo compellassem, nisi amicus quidam, cui non libenter quicquam negem, saepius ab me intensissimo studio efflagitasset. Sed non committam, quin ubi ille, quod satis est, usus fuerit, protinus ad te recurrat. Neque enim leviter peccare me arbitrarer, si tua tuique similium honestissima publicoque bono comparata studia, non omnibus, quibus possim, modis adiuvarem. Synesii Orationem περὶ φιλανθρωπίας in Galliis editam, si per Plantinianos ad dies aliquot utendam miseris, gratissimum erit; & tuto ut restituatur, operam dabo, utque una Catalogum Graecorum meorum MSS. habeas, accurabo. Nam ut nunc describatur, ob varia impedimenta fieri vix potest. Constantinum tuum, ubi prodierit, libentissime videbo, reliquaque suo quaeque tempore abs te edenda. Vale. Bruxellae VII. Kal. Martias CIƆIƆCXI. Cum literae hae iam exaratae diutius apud me necessario mansissent, fuit interim otium describi Catalogum librorum meorum χειρογράφων; quem his addo: tu utere & rursum Vale, III. Kal. Martii CIƆIƆCXI.

CCLXXXI.

I. RVTGERSIVS IO. MEVRSIO S.

HActenus silui, mi Meursi, non negligentia, sed conscientia culpae. Pudebat literas ad te mittere sine Nigidio tuo. Nunc ex cognati Bevenii literis mihi scribendi audacia accrevit. Casaubonus ὁ πάνυ prolixa Epistola promisit simile scriptum. Id simul accepero expediam debitum meum. Sed est, in quo vicissim irascar tibi. Cur enim ex aliorum literis te amare scio potius, quam ex tuis? Atqui non debebat, si quid iis verbis credendum est, quibus toties singularem amorem tuum in nos praedicabas. Heroinam novi, & est nobis sanguinis necessitudine coniuncta, etsi fortassis ignorabit. Ego quum Leidam venero, oportet, ut eam salutem. Superest, ut omnia fausta tibi precer. Et fortassis consensus eius vota mea prae-

Ann. Chr. MDCXI.

praecessit. Luntius noster hic fuit, cetera laetus, nisi quod non simul esses. Ego vobis post paucos dies adero. Prius tamen literas tuas exspectabo, non iratas, sed quales solent esse, amicas & benevolas & candidas, hoc est, ut verbo absolvam, tuas. Vale, Amice princeps, & scribe quid Constantino tuo futurum sit. VII. Martii CIↃIↃCXI. scribebam in Batavorum Metropoli.

Tuus germanum in modum

RUTGERSIUS.

CCLXXXII.

EIZO TIARDA IO. MEURSIO S. P.

Diu est, mi Meursi, quod fuerim Embdae, sed non diu, quod habuerim tantum temporis, quo amicis vacare potuerim. Continuis enim occupationibus propter cretionem hereditatis, praeterquam quod non sine rixis & iurgiis, ut plerumque (quamquam Dei gratia, eae iam sopitae sunt) facta, hactenus defunctus fui. Non miraberis igitur, si antea non scripserim, neque negligentiae aut oblivioni adscribes. Accepi literas a D. Gentili, in quibus te amantissime salutat, unaque rogat, si velim stare promisso, ut Arnobiana tua ipsi curem. Sed quoniam nullum exemplar nancisci potuerim, velim meum, quod penes te est, una cum Lycophrone tuo mittas ad D. Kettium Lugdunum Batavorum, qui illos ad me curabit. Adulto Vere recogito Angliam, & forte erit, quod te revisam. Interim velim prima occasione ad me scribas (literas autem tuas recta Groningam curabis ad aedes Senatoris *Reinerii Friderici* amitini mei) sed longiores, quam hactenus misisti. Neque enim materies scribendi tibi deest: praesertim velim, scribas de rebus vestris bellicis, & si quid praeterea ex Gallia, aut aliunde habueris. Hic omnia in eodem statu sunt, quo antea. Nisi per conventum, qui indictus est ad XXV. huius mensis, ni fallor, rebus fere conclamatis succursum fuerit, vereor ne

Frisica terribili tremat horrida terra tumultu.

Vale, mi Meursi, & parentes tuos cum Grotio nostro officiosissime saluta. Rem gratissimam mihi faciet Grotius, si suas tuis literas velit coniungere. Scriptae Embdae XX. Martii, stilo Iuliano.

CCLXXXIII.

MARQ. FREHERUS IO. MEURSIO S. D.

Vidi libens *Glossarium* tuum *Graeco-barbarum*, Vir amicissime, opus ingentis laboris, nec minoris utilitatis: & quod post se trahet alterum illud *Latino-barbarum* cuius videndi desiderio mirifice flagro. Sunt enim & nobis in eo genere iam dudum collecta, & observata non pauca, quae tuo instituto conferre non abnuerem, si gratum foret, & excusae paginae subinde ad me pervenerint, quibus illa pro Corollario accederent. Sed forte nihil aliis spicilegii, aut racemationis tua relinquet industria. Constantinum sub praelo esse confirmavit Elzevirius, ad quem nuncium exsilui. Vidisti, quae de eodem Scriptore augusto praedicat Casaubonus Praefat. ad Polybium; cui etiam exemplar Regium in manu fuit, quod utinam tuae editioni adiumentum praebere potuisset. Ceterum nostrum exemplar Palatinum (e quo ante decennium & amplius exscripserat & Levenclavius, ut & Laonicum Chalcocondylem integrum, quae deinceps eo defuncto, magno meo dolore, perierunt) est illud ipsum, quod Egnatius habuit, idque in Caesaribus, in Constantino Porphyrogeneta, pro ingenti thesauro extollit: quod in editione tua attingere poteris. Donationem Constantinianam a me accepisse te, confido, & Scriverium aliosque. Nam mittenda, annus iam est, & dividenda Heinsio nostro, commisi. Mitto & alia quaedam minutiora. *Foederis* [a] exemplar alterum D. Scriverio cum multa salute dari cupio. Vale, Vir Cl. & amicissime, & commodo tuo aliquid rescribe.

Dabam raptim Francof. XXV. Martii.

CCLXXXIV.

FRID. TAUBMANNUS IO. MEURSIO S. D.

Audio te Professoris munus nactum, idque Lugduni Batavorum, quod profecto interiore animi sensu tibi gratulor: non tua solum causa, qui tantis virtutibus locum invenisti dignum: sed & mea, qui deinceps scire possim, ubi sis, & te magistro in bonis literis privatim etiam uti. Vel nunc, vides hanc schedulam? quaeso, lege & doce, qui Christiani Bechmanni doctor esse debeam scilicet. Quid inter nos scripserimus, scimus: velim etiam scire, quid *Meursius*, cui, elogio Heinsii, *venit ex ipsa Gloria Barbarie*, sentiat. Spes mihi erat in tuo *Glossario* (Deum bonum!) operoso, sed nihil ibi adparet, nobis quidem, qui fortasse tuis oculis non utimur. Ubi alterum tandem (quod avidissime exspectamus) *Latinobarbarum*? Quaeso te, hoc praevortere omnibus illis minis tuis. Ceterum & Plautus noster sub praelum revocatur, & si quid habes (quidni autem habeas?) subpedita eruditioni iterandae: quae melior erit, aut ego non ero. Nam meliora nunc subsidia habeo, & inprimis MSS. Camerarii, ad quos, tanquam ad obrussum

(a) H. e. *Formulae foederis inter Ludovicum Germaniae & Karolum Galliae Reges*, quam *Freherus* edidit primus, & *Bongarsio* inscripsit anno 1611. postea *Andr. Du Chesne Scriptoribus rerum Francicarum* inseruit *Tom. II. pag.* 381. *seqq.* itidem cum *Freheri* Notis & Dissertat. doctissimis: tandem etiam novae editioni *Scriptorum rerum Germanicar.* a *Frehero* quondam collectorum, accedere iussit Cl. *Struvius Tom. I. pag.* 71. GRAMMIUS.

Ann. Chr. MDCXI.

sum, omnia fere exigo. Illum e Vangionibus editorem nuperum ecquid tu probas? Deum immortalem! Revera *Nova* est editio, & quam Plautus, & qui Plauti aliquid habent, *Veterem* illam nunquam adgnoscent. Obsecro, simus reverentiores castae *Antiquitatis*, cuius tu mysta & sacerdos, quem salvere ex animo iterum iterumque iubeo. Witebergae, ipsis Hilariis, scin quibus? XXVIII. Aprilis, quo ab hinc quadriennium mecum fuisti, quem ego diem hilarem cum amicis quotannis habeo, dum vivo, habiturus. Salutem nuncio Cll. Vir. Collegg. tuis D. Baudio, Heinsio, Scriverio &, si ibi, H. Grotio CIƆIƆCXI.

CCLXXXV.

I. Rutgersius Io. Meursio S.

Meministi, puto, Vir Clarissime, quum hic ante aliquot menses esses, dono a me recepisse Bonifacii Simonetz opera Auctorem istum casu reperi, dum bibliotheculam meam recolo: & statim memoria suggessit, tuum esse. Quare damnata supina negligentia mea, eum nautae tradi di ut ad te deferretur. Accipe ergo, sed facilis, quod pridem tuum fuit. Accepi a Casaubono literas. Scribit se singulis diebus exspectare bibliotheeam suam. Simul eam acceperit, missurum esse ἔρον τόλογον suum, & alia quaedam eo pertinentia. Nobis consilium est, Nigidium Morellio tradere excudendum, adiunctis aliis id genus libellis, quorum bonam copiam suppeditare posset Regis Franciae libraria. Sed Constantinum tuum quando tandem? Profecto lenta materies est. Eo te convincere potero, quoties negligentiam mihi obiicies. Nuper ex gravissimo casu adeo dextram affliximus, ut quicquid nervorum erat, loco suo motum fuerit. Nunc benignitate Domini Iesu paulatim convalescit. Non tamen adhuc ea commode uti possum, quod vel hae literae testabuntur, in quibus τὴν καλλιγραφίαν meam desiderabis, scio. Variae nostrae tandem absolutae sunt. Prememus tamen, donec in Gallia futuri sumus. Quod proximo Septembri plane fiet. Vale, o decus meum, & tui studiosissimum amare perge. Kal Iunii MDCXI. scribebam in inclita Batavorum Metropoli.

Tibi obligatissimus

Rutgersius.

CCLXXXVI.

Idem Eidem.

Vir Clarissime.

Quod adhuc ad vos venire non potui, non est nobis imputandum semper iter interruptum, est quorumdam infortuniorum interventu. Nuper Vltraiectum eundum fuit miserrimi affinis causa. Nunc cum maxime cuperem, mors eius consilium rupit. Obiit enim Vltraiecti VII. huius mensis. Ille quidem felix, quem Deus tot malis liberavit. Sed infelicem coniugem relinquit cum quatuor liberis. Haec secunda est e privignis parentis mei, quae marito orbata est. Quare, ut vides, iter in commodiuis tempus differendum erit. Neque id adscribo, ne fides mea apud vos vacillet Pro indice scriptorum tuorum gratias ago; & sane plurimum mihi usui erit. De Apuleii Apologia nunquam inaudieram, at hunc etiam legi beneficio Vossii nostri. Inscriptionis (a) versionem unice videre cupiam. Si exemplar in schedis tuis habes, oro, mitte Vale, Vir Cl. & nos ama IX. Iulii MDCXI.

Tui nominis studiosissimus

Rutgersius.

CCLXXXVII.

Idem Eidem.

Nec excuso culpam, mi Meursi, sed deprecor. Emendationem spondeo, quoniam tu nostris nugis non indelectari videris. Eum tamen fructum ex hac scribendi negligentia capio, quod video literas meas ipsa raritate tibi commendari. Sed tu liberalis es, qui super suavissimis literis etiam donum addidisti; & quidem tale, quod satis laudari nequit. Legimus enim & ego, & Grotius meus, cuius iudicio meum hic συμπίπτειν sane gaudeo. Non poteras de seculo melius mereri, quam gravissimum scriptum edendo, (b) cuius fructus ad ipsos Principes veniat. Alii gratulentur sibi, quod quisquilias quasdam primitus edant. Illud tamen non semel mirari subit, quod nec Turnebus, neque reliqui illi summi viri, quibus Lutetia nunquam destituta fuit, ei scripto manus admoverint, quum occasio ipsis non defuerit, propter codicem, quem Bibliotheca regia habet. Sed difficultate deterriti scilicet, maluerunt in totum editione abstinere, quam toties labi, quoties mixobarbarae voces incidunt. De Nigidio dubitare noli. Vix Lutetiam ingressus, cum exemplar videbis. Sed heus, quod nefas dilecto excidit ore? Egone, ut habeam, priusquam te complectar.

Ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων;

Ego vero postera septimana adero. Quare plura coram. Vale, amicissime & clarissime Vir. XXII. Iulii MDCXI. De amoribus tuis quid fit?

Tui unice amans

Rutgersius.

CCLXXXVIII.

(a) Herodianae scil. Versionem, quam sicut & Notas in *Apuleii* Apologiam, *Meursius* in peregrinatione Germanica, Altorfi, elaborarat. Vide supra *Epistolam Rittershusii*. Grammius.

(b) *Constantinum Porphyrogen.* intellige. Grammius.

Ann. Chr. MDCXI.

CCLXXXVIII.

IANUS GRUTERUS IO. MEURSIO S. P.

EQuidem libens ex te modo intellexi, auctum te munere Historiographi. Vtinam cedat in tuam laudem & gloriam patriae, quod ipsum sperare me iubet & doctrina tua & virtus, minime tralatitia. Multum te amo ob Constantinum: alterum exemplar heri misi Lingelshemio. Vtinam ordine omnes Tacticos nobis dones? Athenaei egregium exemplar exstat Basileae, iamque est penes Typographum Roviere, qui meditatur editionem Graecam tuo bono. Tactica Leonis avidissime exspectabo nundinis proximis. Interim vive & vale, ac salve ab omnibus modis tuo I. Grutero, qui istaec festinabat Francofurti, die XXI. Septemb. MDCXI.

Plurimam adscribo salutem D. Baudio, D. Heinsio, D. Rutgersio, amicis notae melioris: sed & idem dictum velim de veterrimo amicorum, ideoque secundo nemini, D. Vulcanio, cui id etiam indices licet: Freherum quidem curasse literas eius ad Herdesianum in aula Ducis Brunsvicensis, sed non etiam electasse responsum. Ab eodem D. Vulcanio petes, uti meo nomine quam pote dicatissime salutet antiquam meam hospitam Dominam Petronillam.

CCLXXXIX.

SIXTUS ARCERIUS IO. MEURSIO S. D.

CLarissime Meursi, ut tibi gratuler laudabile, atque optabile literatis omnibus, munus, quod obis dextre, atque utiliter in Academia vestra, gratulor egomet mihi datam occasionem a viso specimine Tacticorum Leonis Imperatoris, quem Graece primus nunc luci das, diu a multis desideratum. Transmisit id ante dies non multos cum pagella Aeliani nostri Typographus, qui eadem cum tuo forma, iisdem typis, simul excudetur. Mihi cum praesto illic esse non liceat, officiose abs te contendo, ut operam tuam in corrigendo commodare nobis velis. Si qua in re vel hic, vel alibi simile, maiusve officium praestare potero, dictum factum apud me invenies. Sunt quidem, qui operam suam obtulere, sed si impetrare abs te valeam, malim id; nec enim te melius, aut commodius quemquam facere posse, firmiter mihi persuadeo, quum in simili argumento verseris. Si officium, non dico onus, haud detrectes, quod utique non spero, una eademque opera una fidelia duos parietes dealbabis. Sed Typographum interim monitum velim, ut autographum meum sequatur. In ipso titulo statim impegit, quum posuit, *Tactica, sive de Re militari*; non puto ita me scripsisse. Ex proposito *Leonis Tactica*, quidem sunt, quaecumque rem militarem spectant: sed *Aeliani Tactica*, quae proprie Τακτικὰ veteribus dicebantur, tantum *De Aciebus formandis, ac transformandis*, agunt. Sed haec illi, non tibi dicuntur, ut cautior sit, si progrediatur. Vale, Vir amice, & audaciam boni consule. Saluto plurimum, quotquot sunt vestri ordinis, qui mihi noti & amici. Raptim Francker die XXIV. Sept. Stilo vet. MDCXI.

CCXC.

IO. LYDIUS IO. MEURSIO S.

SAlus plurima. Quum nuper, doctiss. D. Meursi, Hagam Comitis venissem, e mortuo cognovi, ubi & quis esses. Vtrumque enim iam ignorabam. Toto enim tempore, quo peregrinatus es, nihil de te audivi, ita ut dubitarem, an vitam cum morte commutasses. Saepe Catalogum nundinarum inspexi, ut viderem, an aliquid tuum prodiisset; erat enim mihi novum tuum silentium Criticum. Sed ecce commode mihi obfertur tuus Porphyrogenitus, quem ego loco τῶ εὐαγγελίω excipiebam, prima fronte professionem mihi retulit novamque vocationem. Novum ergo tibi gratulor honorem, faxitque ὁ παντοκράτωρ, ut omnia serviant Aeternitati. Promisisti nobis aliquando Glossarium Latinobarbarum, quale Graecum exhibuisti, sed nunc Professio tua, & Historiae scriptio volatiles forte chartas tibi excusserunt. Vtinam tibi eadem adhuc mens, & idem animus. Ego falcem in alienam messem non immittam, sed si scirem, te manum de tabula, quod aiunt, ipse iam diu meditata ederem Glossaria. Goldastus noster specimen nuper dedit in Constitutionibus Imperialibus, & frater meus magnum mihi dedit adiumentum. Rutgersius quoque symbolum addidit. Casaubonus quoque suam addixit operam, & Gruterus spem fecit non mediocrem. Obmutescam, si tu loquaris, vel manum chartae adieceris, alioqui quidpiam conaturus impetrata venia. Quidquid collegeris, adiiciam (si communicaveris) sub tuo nomine, nec plagii me quisquam merito accusabit. Nicolai Clemangis ingens volumen praestantissimarum ex MS. Codice proferam. Humberti quoque Epistolas meditatorias e membranis antiquissimis, uti & opuscula Iacobi de Paradiso brevi a me videbis prolata. Quia vero in his Scriptoribus multa occurrunt, quae lectorem alioqui remorari poterant; *Glossas* meas *Latinobarbaras* adiiciam, si veniam dederis; sin minus, onere me levabis, & nos beneficio adficies. Vtinam Ennodio post Scottum manum adhibeas: nimis male exceptus est, & Pater Sirmundus surda aure notas praeteriit. Dignum te hoc esset opus, cui multum debet Arnobius, nuper a me lectus. Vnum te hoc rogo, ne historica Professio te a sacris avocet Scriptoribus; non potes bona conscientia, qui nobis aliquando Meditationes Davidicas exhibuisti. Si no-

sti,

Ann. Chr. MDCXI.

sti, ubi degat Goldastus, & quid agat, literula me fac certiorem; miror hominis indefessos scribendi labores. Vidi ipsius Alemannicos scriptores, & miror, unde illi tanta Manuscriptorum copia. Gruterum video ipsi non esse fautorem; si caussam nosti, bene est: ego illi faveo, vitamque opto longaevam tibi itidem, D. Heinsio, D. Scriverio, atque aliis, qui *Aeternitatem cogitatis*, quam vobis largiatur, qui largitur omnia; ipsi laus & gloria. Prid. Kal. Oct. Anno MDCXI, Veteraquino (a). Salus D. Lontio.

Responsum de *Glossario* exspecto.

CCXCI.

HERIBERTUS ROSWEIDUS IO. MEURSIO S.

Pax Ihs χι.

Ornatissime Domine.

QVae mihi olim cum D. Lipsio consuetudo fuit, non omnino nullum mihi doctorum virorum notitiam peperit. Memini tui subinde mentionem cum laude fa ctam, quum placerent vernantis ingenii do tes, placeret scribendi genus, placeret inprimis modestia: quae una a multorum scriptorum, seu conscribillatorum potius animis hodie nunc exulat. Interea annis aliquot latuisti, & eas copias comparasti, quas matura aetate in campum aliquando educeres. Et quidem nunc nuper fugientium aliquot vocabulorum delectum egisti, quem obiter lustravi, nec a pristina modestia video degeneratum. Atque haec una caussa (etsi dispari cultu, ut nosti, scimus) quae me ad scribendum invitavit. Optassem quidem te parem cultum ex Graecis Ritualibus, unde complusculа depromis, induisse: nisi forte tenacius haesurum est, quod tardius induitur.

Aldelmum, quem subinde in Glossario citas, accuratissime collatum habeo cum Manuscripto vetustissimo. Ex eo in Καῦκα citas *mancos*, & capis de nummi genere; vera quidem ea lectio, sed *manci* hic sunt debiles, videndae & Luciae vitae. Quod vero in Anastasio *mancos* legis, pro *mancusos*, abis a vera Manuscriptorum scriptura: nam Anastasius meus Manuscriptus habet *mancusos*. Et Glossario Manuscripto Cambronensi, *mancusa* est marca argenti.

In λαῦρα rursus corrigis Anastasium, item & Adonem. *Imo inter duas lauros retinendum*. Locus est Romae, ita dictus: occurrit aliquoties in Martyrologio.

Haec nunc pauca occurrunt, quae eo animo accipies, quo profecta sunt, idest, non carpendi, non contradicendi studio, sed amice monendi. Paria exspectabo, ubi quid publice prodidero.

Promittis Palladium Graecum. Optarem inspici hunc locum, cap. 19. & 20. *Macarius Alexandrinus vendebat bellaria*. Ita Hervetus, aveo intelligere, qui Graece eo loco exprimantur *bellaria*.

Vitas Patrum Aegyptiorum pene adornavi. A Manuscriptis Latinis instructus sum satis. Si prodiisset Palladius vester Graecus, omnino adiumento fuisset. Gratum erit intelligere, si quae alia Graeca Manuscripta habeas, quae vitas SS. PP. spectant. Si recte memini, citas alibi quaedam Manuscripta ex *Vita B. Eugenii*.

Menaea, ut mihi videtur, plerumque citas nomine *Menologii*. Sunt tamen, qui ea distinguant, ut *Menaea* sint magna illa Ritualia Graecorum, Venetiis impressa; *Menologium* vero breve eorum compendium, notatis tantum Sanctorum diebus festis, Quale Sirletus in Latinam linguam convertit, & Canisius nuper edidit. Vale, ornatissime Domine.

Cortraci XII. Oct. Anno MDCXI.

T. T.

HERIBERTUS ROSWEIDUS.

CCXCII.

ISAACUS CASAUBONUS IOANNI MEURSIO S. (b)

DAmno utriusque nostrum silentium. Non stabit per me, quin post haec frequentia literarum sarciamus praeteriti temporis iacturam. Tua studia magnae mihi curae sunt, multa enim a te exspecto, quae ut quamprimum edantur cupio, teque ut ita facias, oro quaesoque. Leonem inprimis, quem hic non habeo. Itaque mea in eo genere studia οἴχεται. Tu praestabis, quod nos optavimus. Ego nunc quid agam, docebit te hic libellus, quem ad te mitto, & legi a te cupio. Iterum peto a te, ut mutuam porro exerceamus scriptionem. Vale, doctissime Vir, & mihi προσφιλέστατε. Londini VI. Kal. Nov. MDCXI.

CCXCIII.

EITZO TIARDA, MEURSIO, ET HEINSIO SIMUL.

AMicissimi Viri, Evangelia vobis mitto. Nam heri vesperi ad horam undecimam natus mihi filius. Eum quoniam proximo die Mercurii baptizari curabo, Baptismatis sponsores (quod non denegabitis) hisce vos invito. Plura non libet. Valete, & salvete a puerpera (quae satis bene, Deo gratia, se habet) una cum uxore, matre, sorore, matertera, & Bontio, & Scriverio, quos, velim, huius participes facite. Hagae Comitis II. Febr. Carmen in Natalem filii a vobis expecto, an exspeto?

Vester, si quis unquam

E. TIARDA.

CCXCIV.

(a) H. e. Oudewater, vernacule. Et sic in operibus Nic. de Clemangis scribit se Ministrum verbi divini Veteraquinensem. GRAMMIUS.

(b) Est n. DCCXLVIII. in editis p. 435. GRAMMIUS.

Ann. Chr. MDCXII.

CCXCIV.

IDEM EIDEM.

NEscio, an dicam, meo. Ex animo enim mihi, & uxori dolet, te Hagae fuisse, sed non domi nostrae. Sane graviter peccasti in leges Amicitiae, & Officii. In illas quidem, quod uxorem meam de diuturna absentia mea solicitam non es consolatus: in has, quod felicem reditum (quem sine dubio intellexisti) non es gratulatus. Parabis igitur te ad satisfactionem, & nolle te fecisse confitearis. Nam ego, & uxor mea cras, aut perendie veniemus tecum expostulatum. Interim velim, si forte an serius, aut propter tempestatem aliamve ob causam, non veniam, meo nomine aequo pretio (de iusto ex Raphelengio intelligere poteris (emi cures libros infrascriptos in auctione Orberiana. Vale & salveat uxor cum filiola a nobis. Raptim Hagae Comitis VIII. Februarii stilo Gregoriano.

P. Martyris Comment. in Iudic. & Regum libros. fol.

Georgii Fabricii opera. fol.

Terentius cum Comment. Donati 1602. 4.

CCXCV.

IACOBVS GRVTERVS IO. MEVRSIO S. P.

FActum est aut negligentia tabellarii, aut errore, ut tibi literae meae proximae non redderentur, quas cum carmine ad te miseram. Quod tanto mihi accidit gravius, quanto tu, & crebritate literarum, atque omni alio genere benevolentiae in me officiosior es. Alteras enim interea a te accepi literas, cum totidem fragmentis Glossarii tui, eximiis hercule, & quae tum doctrina admirationem virorum doctorum, tum novitate argumenti studia etiam τῶν τυχόντων erigere queant. Sic censeo non ego tantum, ne quid errare me studio tui credas, sed quibuscum ea communicavi, etiam alii. Sed tu quum spes nostras exhauseris, penum tamen ingenii tam facundi nondum exhausisti. Euge, mi Meursi, quod facis, fac, adde inventis superioribus recentia, atque magnis maiora quotidie. Sed quid illud tandem, quod de migratione, sive mutando genere vitae, atque fastidio scriptionis ulterioris tu subindicas? Fac nos ut sciamus plane, si quidem iam certus ipse es. Carmen, quod cum superioribus literis ad te aberrarat, subscripsi, tu illud ex adfectu tuo in nos, non ex se aestimabis. Vale Cl. Meursi, & nos amare perge constanter VIIII. Februarii.

AD CL. V. IOANNEM MEVRSIVM.

Regnorum crevit variorum Roma ruinis,
In veterem inque novam discidio interiit.
Quo vetus Arctois, infelix praeda colonis
Exposita Eois altera praeda fuit.
E linguis miscella fuit variantibus una
Facta, e disparibus moribus una fuit.
Barbariesque secuta involvit densa tenebris
Imperii Veteris notitiam, atque Novi.
Sed veteri fere sunt decora inclita reddita Romae,
Certatim e priscis eruta ruderibus.
Complorata iacet nova & expers sola salutis
Vi ne mali dubium, an temporis invidia.
Rem princeps animo tentavit Meursius alto
Vique mali cuncta & temporis invidia,
Atque suis sacris ritus, sua iura profanis,
Notitiamque novis reddidit Imperii.
Macte ausu; sine vulgum operari vilibus orsis,
Tu regna & gentes demeruisse stude.

CCXCVI.

IDEM EIDEM.

DIcam tibi serio & sine dolo, Vir Cl. peregrinationem ad exteras gentes tibi gratulamur, & ut feliciter eveniat, Deum veneramur; ita tamen ne cum damno publico coniuncta sit. Confidimus enim te Lexicorum tuorum, atque adeo aliorum operum, quae adfecta, vel perfecta penes te sunt, edendorum cogitationem non abiecisse (neque enim hoc iam in tua manu est, postquam non spem tantum nobis ostendisti, sed promissis etiam, atque adeo fide bona te obstrinxisti) sed subspendisse tantum ad opportunitates, quae peregre se daturae sint. Et sunt apud exteros Typographiae nobiliores, atque accuratiores, ut etiam tua, atque adeo publice referat, alibi potius, quam apud vos vulgari. Vt speciosius, & elegantius exeant, & tu ex propinquo iis ostendas radios illos ingenii, atque doctrinae eximios. Sed amabo te, mi Meursi, estis ne adolescentes, aut ministerii, aut comitatus, & decori, causa habituri vobiscum? & cuius generis? illiusne ex paedagogiis ἀμυήτου, an ingenuorum, & literatorum? Scire valde velim, & me novo aliquo & eximio tuo beneficio tibi obstringere, si fors ita ferat. Nam quin tu hic possis multum, non dubito, & mea causa plurimum velis. Gratum ergo erit, si sciam rem ex te totam. Vale, vir Cl. & me, quod hactenus facis, ama, & persuade tibi, memoriam etiam absentis tui apud me sanctam futuram. Salutant te adfatim communes amici, & profectionem felicem & reditum incolumem optant. Middelburgi.

CCXCVII.

IDEM EIDEM.

ITa est, ut ais, doctiss. Meursi, Exspectavi avidissime, & literas tuas, & scripta illa, quorum spem mihi feceras superioribus literis. Mirabar quid intervenisset consilio tuo, ut aut mutare sententiam, aut com-

Ann. Chr. MDCXII.

comperendinare editionem cum dolore meo, & eorum omnium, qui te apud nos aestimant. Sed tu moram brevem luculento foenore compensasti, *Glossarii Hellenobarbari*. Cuius dedicationem Ordinibus nostris ego statuo gratissimam; tibi autem etiam honorificam, & fortean compendiosam futuram. Sunt plerique omnes docti ipsi egregie, & qui minus sunt, admirantur tamen, atque aestimant eruditionem. Hoc etiam scio, gratissimam ipsis esse memoriam virorum doctorum civium suorum, Pauli de Me Middelburgo Episcopi Semproniensis, Nicol. Cirechardi Praesidis, aliorumque, quorum mentio si decore queat, fortasse non inutiliter intexatur προσφωνήσει. Sed haec tu ipse, pro tua prudentia, & scopo adpellationis, dispicies rectius. Quum primum opportunitas dabitur, aperiam consilium tuum D. Thesaurario, & Secretario Ordinum, viris & doctissimis, & humanissimis, & elegantiarum studiosis. Vale, vir praestantiss. & quod facis, fac constanter. Middelb. Non. Febr.

CCXCVIII.

IDEM EIDEM.

GAudeo, mi Meursi, moram illam, quam de Frontino suo nectebat D. Nansius, instituto tuo non incommodare, & mihi integram esse occasionem adiuvandi conatus tuos. De manu Patris, ad oram libri, puto falsum ipsum esse. Nam quid attinebat, aut lituris, aut notis coniecturarum lectioni suae variantis membranas contaminare, fidemque earum suspectam reddere in tanta copia typis excusorum? Meminero ergo per opportunitatem monere ipsum, interea dum *Plautinas Curas*, & *Miscellanea*, nobis exsculpis. In quorum utroque confido te similem tui futurum, & quanto superioribus auctoribus, qui in utroque laborarunt, aetate, & tempore posterior es, tanto inventorum novitate laudeque priorem futurum. D. Nansium ubi primum convenero, tuo nomine salutabo. Vale, doctiss. Meursi, &, cum vacabit, per literas ad nos vise. Middelburgi.

CCXCIX.

ISAACVS CASAVBONVS IO. MEVRSIO S.

VEre scripsisti nuper ad me, Vir Cl. eam me telam esse orsum editione epistolae ad Frontonem, quam non tam facile detexerem. Ita prorsus est; videoque paullatim me delabi in illa studia, quae semper sum veneratus, & quibus in privatum usum meum a multis annis meliores horas meas impendi. Videbis ex eo libello, quem tibi mitto, provocatum me fuisse ab illustri viro Cardinali Perronio; sed amice, & modeste: itemque ab alio barbaro, & agresti nebulone, qui nuper, pretio accepto, conscientiam prodidit. [a] Huic vappae, & atheo, quum non putarem esse respondendum, placuit Regi, ut obiter illum perstringerem. Audio has nundinas non carituras libris adversus Epistolam ad Frontonem scriptis; quos equidem, nisi aliquid adferrent, quod ad rem faciat, aspernabor, & hostes veritatis sinam latrare. Nunc mihi in manibus est Disputatio adversus Baronium, cuius fraudes infandas [b] est animus palam facere, ad gloriam Dei, & publicum bonum. Faveat modo coeptis ὁ ἐπὶ πᾶσι. Vale Londini. Eidibus Aprilis MDCXII.

Quid nunc agas, scire cupio.

CCC.

IANVS GRVTERVS IO. MEVRSIO S. P.

TVas, in quibus familiariter satis mecum garriisse postremae tuae iudicium faciunt, nullas vidi. Itaque videris, quibus ipse eas commiseris, nam a Commelino iam integro anno nihil recepi. Ab Leonis Tactica recte mihi curavit optimus Elzevirius. De quibus multum tibi debeo. Utinam ordine, & reliquos auctores publico dones! Eos enim malim, quam Inducias Belgicas, etsi non dubito futurum opus te dignum, h. e. omnium praedicatione. Praesentiam meam si adpetis, nihil facis, quod abeat a voto meo, ex quo enim abiisti, neminem habui, quicum audacter non dico magna, sed vel parva, communicarem. Ita tota hodie iuventus incocta est aheno simulationis, atque dissimulationis. Ego intra annum moliar alteram editionem Inscriptionum in 4. ut loquuntur, quibus accedet luculentissimum additamentum. Si per otium Graecanica illa meliore veste circumdares Latina, quam hactenus circumfertur, rem faceres Reip. literariae gratissimam. Indica, quaeso, an ad eam rem aliquid sit tibi otii, neque enim idoneum magis reperirem, scio. Plurimum me praeterea devincires eo facinore, licet alioquin tuus totus Gruterus. Et istud praecipitabam XIV. Aprilis CIↃIↃCXII. Francofurti.

CCCI.

IO. BRANTIVS IO. MEVRSIO S. D.

QVi amicos pretiosissimum genus divitiarum semper aestimavi, amicitiam inprimis tuam, Vir Clarissime, iam diu tacitus ambio, ex quo nimirum excellens ingenium tuum, & exquisita doctrina cum ex fama publica, tum vel maxime libris editis, quos quotidie ex intimo eruditionis tuae penu magno rei literariae bono in lucem profers, mihi innotuerunt. Et quanquam vetus dictum non ignoro, bonos etiamsi ante se non norint, invicem tamen esse con-

(a) N. *Peleterius* Iesuita *Gallus* intelligitur, indicante *Almeloveenio* ad h. l. (*Epist. Casaub.* DCCXCII. *p.* 460.) Atque de eod. *Peleterio* vid. *Casaub.* Epist. DCCLVII. & DCCLXXXVIII. GRAMMIVS.

(b) Adeo probus & sapiens *Baronius* fuit, ut nectendarum fraudum incapax esset; si quando lapsus falsusque est, non malitiae, sed imbecillitatis humanae est. LAMIVS.

Ann. Chr. MDCXII.

conciliatos, in occasionem tamen intentus fui, latentis huius desiderii mei revelandi. Ea nunc se obfert visa, quum nescio quae meditata mihi per otium in L. Apuleii opera chartis illevi, & foras extrudere meditor amicorum importuna flagitatione magis, quam animi mei ductu. Et o utinam tui tantisper copia mihi fiat, dum illa conferre tecum, & politissimo tuo iudicio, ut probem, conari possem: cui auctorem istum tritum esse, & familiarem ex doctissimis tuis in eius Apologiam notis nuper deprehendi. Quid si Typographorum aliquis istic Apuleii novam editionem forte cogitat, aut parat, quod ex te scire pervelim, recta ad te mittam nostras in illum notas, sed ea fini, ut arbitrio stentque cadantque tuo. Si ita tibi videtur operae pretium fore, una excudantur; sin aliter, pro non scriptis sint. Vale Vir Clarissime, & doctissime, nosque in amicorum tuorum, ac benevolentium cohorte perpetuo habe.

Antverpiae. Idibus Maiis CIↃIↃCXII. (a)

CCCII.

CL. V. IO. MEURSIO IO. BRANTIUS S. D.

MIrari te scio V. Cl. quid sit, quod literas tibi mittere intermiserim; & me ipsum, crede, piget, pudetque, qui ad binas tuas non nisi tarde respondeo. Binas, inquam, ea humanitate plenas, ut in ruborem me dederis; addidisti enim munuscula totidem, *Glossarium* tuum *Graecobarbarum*, & *Albanum*, pro quibus

grates tibi dicere dignas
Non opis est nostrae

usque adeo sum utroque delectatus, & vero non habeo in praesens, quod possim ἀντιδοῦναι: id me vehementer urit. Nam de Asterio, ut toties apud te de ea re verba faciam, dum nobis verba dat Typographus, facere, odiosum genus hominum pollicentium, & nil ferentium. Sed bono animo esse iubeo, non ante quiescam,

Neque adeo defetiscar unquam experiri.
Dum id, quod pollicitus sum, effecero.

Interea Catenam Graecorum Patrum in Proverbia Salomonis a. R. P. Schotto accipe eiusdem Scholiis illustratam, & hoc nomine, nisi fallor, tibi gratiorem. Superest, ut me de silentio apud te purgem. Ex quo priores illas tuas accepi, erepta nobis est tristi fato uxoris meae soror, & paulo ante ipsa quoque socrus mea: relicto nobis cum maximo sui desiderio gravissimo dolore, curis insuper, ut fit, atque molestiis, quae aliquot hebdomadas assiduo me habuerunt. Et haec intermissionis literarum unica causa, neque aliter te interpretaturum pro mutua nostra benevolentia confido. In ore, atque amore te semper habebo, amicissime Meursi; ut tu me vicissim vehementer rogo. Antverpiae XXII. die Iulii MDCXII.

CCCIII.

EIZO TIARDA IO. MEURSIO S. P.

SI quid habuissem, mi Meursi, quod ad te scriberem, equidem a lata culpa, sive negligentia vix me possem liberare. In hanc tamen ne tandem incurrerem, hoc demum volui scribere, me nihil habere, quod scribam, optimeque (Dei gratia) cum uxore valere, quod si tu cum uxore, & filiolo tuo valetis, bene est, & laetor. Res illustris nostrae scholae lente procedunt. Scripseramus, & postea etiam quendam ex nostris Marpurgum misimus, pro D. Antonio Matthaeo Iurisconsulto, & Ioh. Hartmanno Medico: sed ille conditionem nec accepit, nec recusavit: hic vero eam sibi non displicere satis innuit, si cum gratia Principis possit discedere, de qua tamen nondum adhuc certiores facti, denuo ad ipsum scripsimus, ut quid de eo sperare debeamus (quoniam res nostrae ulteriorem moram non patiuntur) quam primum velit rescribere. Lutetiam etiam scripsimus ad D. Molinaeum, & simul ad professionem Theologicam vocavimus: sed ille se eodem modo, quo apud Dominos Curatores vestros (a quibus se etiam vocatum scribit) excusat, videlicet se non posse cum bona venia Ecclesiae suae discedere, nec sine ea velle. Quare de eo non omnino desperantes, quendam iam ad ipsum, & Ecclesiam ablegamus, qui omnem lapidem moveat, quo ipsi veniam impetrare possit. Sin minus eidem in mandatis dedimus, ut in reditu D. Gomarum conveniat, & simul cum vocatione pro Professione mille florenos annuos, praeter liberam habitationem, obferat: qualem conditionem satis adsiduam, & locupletem ipsum non recusaturum, aliqui ex amicis ipsius nobis spem fecerunt. De Historico res expedita, nec longe quaerendus: ut & de Philosopho, si Mordisonium vestrum (quem privatum Edenburgi agere audivimus) habere possimus. Et sic quidem adhuc se habent res Scholae nostrae, quas Opt. Max. porro bene vertat, & dicat. Speraveram te hisce feriis cum uxore, & Heinsio (ut promiseras) excursurum fuisse: sed nihil factum, & quare non, etiamnum nescio. Nisi hanc culpam proxima aestate emendaveris, centum undis non abluis. Gratias tandem tibi ago pro *Tacticis Leonis*, & Constantino Imp. *De Administrando Imperio*: Non possum tamen te celare in Tacticis deficere chartam III. p. 443. & Modestini libellum, *De Vocabulis Rei Militaris*. Vale cum uxore, & filiolo, & salve a me, & mea

(a) Fuit hic *Ioannes Brantius* t. t. Senatui Antverpiensi ab Actis, ut se ipsum vocat in Vita *Phil. Rubenii*, quam una cum *Asterii* Homiliis Gr. & Latine, *Rubenio* interprete, huiusque Orationibus &c. edidit Antverp. ex officina Plantin. 1615. in 4. Postea, iam senex, Senatoribus Reip. patriae adscriptus. Plurium quoque ingenii monumentorum auctor fuit, quae enumerata leguntur in *Valerii Andreae* Biblioth. Belgica, ubi & amplum eius exstat elogium. Diem supremum obiit anno 1639. iam octogenarius. GRAMMIUS.

Ann. Chr. MDCXII.

mea cum iis, & D. Heinsio, Scriverio, & Nereo (cui etiam dicas velim, me ex D. Heinsio intellexisse, sibi meo nomine traditum exemplar *Interpretis Anonymi Ethicorum Aristotelis*, quod nondum accepi: quare me certiorem velit facere, ad quem, & per quem illud miserit.) Si volueris, ut subinde scribam, materiam, ut potes, mihi suppeditabis. Curabis vero tuas literas per Raphelengium. Iterum Vale, & me ama. Datae Groningae XXX. Augusti, stilo Iuliano.[a]

CCCIV.

GEORG. MICHAEL LINGELSHEMIVS IO. MEVRSIO S. P.

Vir Clarissime!

ET literas tuas plenas amoris, & munus longe gratissimum Historiae tuae, recte accepi, & cum rubore meo agnoscere cogor officium, qui ad bina tua literaria munera silverim, ac ne verbis quidem gratias egerim. Tua vero eximia benignitas, qui immerentem licet pergis beare ingenii tui monimentis. Respondeo pari adfectu, & factis malo, quam verbis ostendere, quanti virtutes tuas, & doctrinam faciam. Legi avide Historiam, & cum oblectatione quadam recolui, quae μακαρίτης Hippolytus[b] noster, quum ei negotio vacaret, ad nos subinde perscribebat, ac gaudeo ea etiam publice exstare ad posteritatem transmittenda. Perge ita, & quae tanta cum laude patriae tuae gesta sunt, posteritati quoque trade. Nos hic in solitudine quadam esse videmur, postquam Serenissimus Elector florem Palatinatus secum duxit. Det Dominus, ut feliciter confecto itinere salvus ad nos redeat. Tu Vale felicissime Vir eximie, & me, quod facis, ama. Heidelbergae XVI. Octob. MDCXII.

T. omni studio, & amore

GEORG. MICHAEL LINGELSHEMIVS.

CCCV.

EIZO TIARDA IO. MEVRSIO S. P.

ITa est, mi Meursi, recte curavit Hesychium tuum noster Raphelengius: sed eo tempore, quo priores dedi, nondum acceperam: alioquin tibi pro eo (quod nunc facio) sicut pro reliquis gratias egissem. Faciam propter ea re ipsa, ut in ingratum beneficia non sint collocata. Accepi etiam defectum Leonis, sed quum bibliopego tradideram, ut chartas componeret, operae eius mihi ostenderunt, primam chartam, B, praeterea deficere: si habere potueris, per eum, qui has Raphelengio perferret, velim cures. Sexennium Albani, & Glossarium emendatum, ut quam primum lucem videre possint, omnes boni, & pii mecum optant. Interim Opt. Max. precor, ut te Reipublicae, & literariae, mihique diu incolumem servet. Vale, & salve, cum uxore & liberis. Raptim Groningae XX. Decemb. Iuliano.

CCCVI.

THEODORVS DOVSA IO. MEVRSIO S.

VIr doctissime, item mihi pulsandae sunt vestrae benevolentiae fores, aurisque de titulo praefationis sedulo vellendus. Scripseram ad D. Scriverium. miseramque tituli specimen verbosum satis, & plus aequo superbum; sed ea omnia inania sunt, & plane κενὰ, ut reapse deprehendi. Nam Hedenbergius Secretarius Ordinum huius Provinciae, vir summi iudicii ingeniique ostendit mihi, & multis rationibus demonstravit, formam talis tituli sibi minime probari, eumque necessario immutandum, quod quidem adhuc commode fieri posse spero: dum liber nondum totus excusus est. Adnitere igitur, quaeso, mea causa, quocumque loco res sint, ut hoc fiat, & ne ea res mihi pariat cordolium, tu mihi namque potes. Itaque titulus tantum simpliciter ita ponatur;

Ad Illust. Nobiles, Praepotentes, ac vere Magnificos
TRAIECTI ORDINES.

Miseramque Scriverio excerpta quaedam de Reinerio de Vtrecht; ea, ut inserantur, velim, procures[c]; namque ego probaturus luce clarius eum fuisse nostratem: sed prius Gallica in Latinum sermonem convertantur. Interim de carmine memineris, in eoque aliquid de Reinerio isto, si placet, in honorem Traiecti. Des hoc amico tuo, & patriae meae. Sic tibi Musae faveant:

Si nunquam, quod te spernere possit, ames.

Vale. Raptim datum Traiecti, XI. die Februarii.

CCCVII.

HERIBERTVS ROSWEIDVS IO. MEVRSIO S. D.

IHS.

Pax X.

Ornatissime Domine.

VAlde voluissem Palladium Graece prodiisse, cuius spem pridem feceras; quam

(a) Anno 1612. vel sequenti, ut videtur, scripta: Nam *Leonis Tactica*, & *Constantinus de administr. Imp.* ut nuper editi nominantur, & de Academia Groningensi mentio fit, tanquam necdum perfecta; quae demum anno 1614. inaugurata est. GRAMMIVS.

(b) *Hippolytus a Collibus*, Consiliarius Electoris Palatini, & *cum antea ad Foederatos* Ordines, tum ad Inducias Belgicas, quando de iis agebatur, Legatus. Historia enim, de cuius munere hic gratias agit *Lingelshemius*, est illa *Induciarum* a *Meursio* scripta. GRAMMIVS.

(c) Repraesentata haec omnia videbis in editione Georgii Logothetae. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXII.

quam nisi certam ex sponsione publica praesumpsissem, iam aliunde mihi Codicem graecum comparassem. Facit enim is instituto meo, qui Vitas Patrum, librum vulgo notissimum, recensui, notis illustravi. Huic libro addo Palladii Lausiacam Historiam, Theodoreti Θεοφιλῆ, & Moschi Evirati Pratum Spirituale, Latine omnia, quia pleraque Graece desiderantur, & quia Religiosorum quorundam rogatu hanc provinciam suscepi, quibus Latina notiora. Addo & Heraclidis Paradisum, olim Parisiis, si forte nescis, editum. Eo autem consilio Palladium, & Heraclidem Vitis-Patrum adiungo, tum quod uterque pene eadem habeat, ut alter videatur alterum exscripsisse, tum etiam, quia in Vitis Patrum liber quidam occurrit, ex alterutro translatus. Cuius quidem libri auctorem D. Hieronymus Ruffinum facit; sed Palladium, & Heraclidem potius videtur interpretatus. Palladii duplicem versionem dabo, recentiorem unam Gentiani Herveti, vetustiorem alteram anonymi typographiae infantia editam. Habes institutum meum V. Cl. & cur tantopere desideraverim Palladium Graece prodiisse, vel eius certe inspectionem habuisse, iam intelligis. Etsi enim ex variae versionis pariatione lux quaedam dubiis locis adcedat, certior tamen Graeci Codicis fides, quem iam vellem nos vobis debere. In Lexico tuo Graecobarbaro citas vitam S. Arsenii, item S. Pelagiae; quas an habeas, an tantum inspexeris, aveo intelligere. Nam & illorum est memoria in Vitis Patrum. Quae item Martyrologia, & Menologia habeas, lubens intelligam. Nec eorum editionem te meditari existimo, sed excerpere tantum Lexico tuo convenientia, in quem usum lubens Metaphrastae vitas subministrabo, quas sensim curo Graece describi. Invenies in iis non pauca Graecobarbara vocabula. Iam penes me Graeca haec habeo:

Vitam Pauli Thebaei.
Vitam Onuphrii.
Vitam Mariae Aegyptiacae.
Vitam Eugeniae.
Vitam Melaniae Romanae.
Vitam Simeonis Stylitae.
Vitam Pauli Homologitis.
Vitam Matronae.
Vitam Ioan. Eleemosynarii.
Vitam Basilii Magni.
Vitam Agathae.

quae si ad usum Lexici tui inspicere voles, promte submittam. Nec gravate subpeditabo Glossarium unum, atque alterum Latinum Manuscriptum, ubi in eo genere te versari intelligam. Non dubito, quin penes te Manuscripta quaedam sint meo instituto servientia: penes me quoque nonnulla ad tuum usum esse iam intelligis. Quae si, vel inter nos commutamus, vel communicamus, alter alterius labori subpetias feret. De Palladii Graeco loco gratias habeo. Eum expetebam, non quod in textu ulla difficultas esset, sed quod vetus interpres haberet *Grutaria*, ubi Hervetus *bellaria*. Nunc, & hunc Palladii locum si eidem ab itinere times, inspicere ne graveris. Palladius Herveti §. CXXIII. *Similiter etiam quidam nomine Macarius ex Vicaria* [a]. Vale, vir ornatissime, & humanitati facem praelucere perge. Antuerpiae X Kal. Martii CIƆIƆCXIII.

Studiis tuis addictissimus

HERIBERTUS ROSWEIDUS.

In Σύγκελλος citas ex Notkeri Martyrologio *Congellum*, & falli putas eos, qui proprium viri nomen censent. Imo vero tale est; patet ex S. Columbae vita l. III. c. 21. per Adamantium. Et vero cum Notkerus eum Latine fructum dici afferat, satis insinuat, eum *Congellum* alia lingua, Hibernica videlicet, dictum. Quia in Historia Constantinopolitana versaris, nihilne legisti de *Proastio in Septimo* [b]: quod in vulgo editis etiam plerisque manuscriptis *Prastio in Semtimo*. Puto *Hebdomum* esse, unum ex suburbiis C P. An *Prastium* pro *Pratium*, unde *Chalcopratium?* [c]

CCCVIII.

VIRO CL. D. IO. MEURSIO MICHAEL PICCARTUS S. P. D.

Alia instituebatur a nobis colendae amicitiae ratio, Cl. Meursi, quam ea, quae hactenus in nobis observata est. Pollicebamur invicem nos absentes quoque officio literario culturos coeptam hic dextris auspiciis amicitiam, & hic quidem erat nobis animus. Tu vero qui sciebas me hic rerum mearum sedem fixisse, prior officium fecisse debebas, quod ego lubens antevertissem, si ubi locorum viveres intelligere licuisset. Nunc ubi relatum est ad me, te Lugduni Barav. virtuti, & doctrinae tuae locum idoneum reperisse, & tacite tibi gratulaturus sum absens, & nunc per literas adfectum illum meum tibi prodere, ut debui, sic volui. Gratulor itaque tibi ex animo, Vir Cl. & locum hunc, ut campum spatiosissimum, in quo virtus tua excurrere potest, & simul splendoris tui radios effundere in omnem Europam, Deumque veneror, ut te loco servet, & sospitet. Pauci enim tecum iuxta supersunt, qui dignitatem, & famam Academiae vestrae tueantur, coelo receptis ordine, Scaligero, Vulcanio, & Merula. Contendite igitur, doctissimi viri, ostendere orbi literato, vos, & Belgas esse, & summorum virorum successores. De te quo minus ambigam, faciunt ingenii tui foetus uti maturi, & perfecti, ita omnibus locis grati, & ac-

(a) In Edit. Burman. adiectus huius loci textus Graecus: Ὁμοίως καὶ Μακάριός τις ὀνόματι ἀπὸ Βικαρίας. quod omnino a Meursii manu, qui orae epistolae adscripserat. GRAMMIUS.

(b) Hic Meursius ad epistolae marginem: *Dixi in Notis meis ad Constantin. de Administr. Imp. p. 42.* GRAMMIUS.

(c) Exstat edita cum Gudianis, cura P. Burmanni, num. CCVIII. pag. 278. GRAMMIUS.

Ann. Chr. MDCXIII.

& adcepti. Vive igitur tibi primum, Cl. Meursi, deinde nostris literis, & denique amicis quoque tuis, e quorum numero me fuisse glorior; ut porro quoque vere id faciam, tuae erit humanitatis, etiam constantiae. Testari autem hos adfectus non potes clarius, quam si per otium literarum nos tuarum participes feceris, quibus quomodo valeas, quid rerum agas, & alia, quae amici amicos scire volunt, significes, quod te facturum confido. B. V. Vir Cl. & doctiss. & sicuti vacabit ad lectionem Oraticulae huius nostrae Scholasticae diverte. Altorfio Idibus Martii Anni CIƆ IƆ CXIII.

Tuae excellenti virtuti, & doctrinae omni officio, & cultu deditissimus

MICHAEL PICCARTUS.

CCCIX.

CUNRAD. RITTERSHUSIUS IO. MEURSIO S. P.

SAepe recordor sermonum nostrorum, Vir Cl. & doctissime, quibus inter nos & fundata primum, & firmata stabilitaque est amicitia, ni fallor, ante hos sex annos: quo tempore, quum ita visum esset Deo, carissima, fidissimaque vitae socia orbarer, in tuo potissimum adloquio sic adquiescebam, ut animum a luctu, & curis domesticis egregie advocari sentirem. Postea vero quam hunc abiisti, equidem ego ad te nullas tanto tempore dedi literas, quod occasionibus certis mittendi destituerer; sed nec abs te ullas, quod nunc recordor, accepi, quibus de statu rerum tuarum, & certa sede, ubi commorareris, edocerer. Quod sane silentium nihil de amicitia nostra detraxisse confido, quum altiores eo radices egerit, quam ut literarum adminiculo indigere videatur. Verumtamen ne plus quam Pythagoricum silentium colere velle existimemur, ego huius per literas confabulandi vicissitudinis, quam deinceps inter nos futuram spero, initium faciam; idque hac occasione. Non ita pridem Acad. Batavae statum sciscitatus ex veteri meo auditore, qui ex Acad. vestra redux ad nos revisebat, id quod mihi iucundissimum erat ἀκρόαμα audivi, Meursium meum inter eius Professores cooptatum, praeclare Spartam, quam nactus sit, ornare. Quid quaeris? Exiliebam gaudio, ista audiens, & e vestigio mihi in mentem veniebat, gratulari tibi per literas, quod facere constituebam quo primum tempore possem. Non potui citius: ideoque spes me bona habet, gratulationem meam, quantum vis seram, at seriam, omni apud te reprehensione carituram. Breviter: Deus tibi pro sua infinita bonitate illam conditionem, adeoque omnia consilia, & acta fortunet. Meae, & Academicae nostrae res quo sint, & antehac fuerint loco, ex duobus hisce meis studiosis, ac domesticis cognosces: quos tibi, & per te aliis vestratibus diligenter commendo. Horum alter Ambrosius Hilbrand Stetinensis est Pomeranus, alter Henricus ab Anten Hamburgensis, quorum ad laudem cum plura adscribere pararem, incidit impedimentum, quod hic telam q. abrumpere me cogit. Ipsi ut spero, sese magis magisque vobis commendabunt. Vale, & aliquando rescribe πάντα περὶ πάντων, maxime quid prae manu habeas. Saluto per te amicos, si qui mei apud vos notitiam, ac memoriam habent. Iterum vale. Altorfii XV. Martii. MDCXIII. Salutem adscribo tibi nomine D. Dinneri adfinis, & Collegae mei.

T. A.

C. RITTERSHUSIUS I. C.

CCCX.

GEORGIUS REMUS IOAN. MEURSIO S. P.

NImis nimium diu non scripsimus Cl. V. D. Meursi, amice oculissime. Te occupant scriptiones publicae, quibus mirum in modum Historias illustras, Politica studia ornas, & excolis, Graecanicae quoque linguae recentioris venustates consectaris, & Imperii Byzantini mysteria enucleas. Haud melius, neque rectius operam oleumque, ac tempus collocare possis. In hoc stadio, atque studio turbare te mihi religio sit. Verum tamen nostrae ne praescribat oblivio amicitiae, placuit hac occasione, quae in sinum velut mihi influit, qua Civis Norimbergae ad vos excurrit, ad te dare. Ante omnia autem hoc persuasissimum habeas, ex quo cum Cl. Rittershusio mecum fuisti, nullum abiisse mihi diem, quo non iucundissimum tui nominis memoriam mihi refricuerim, & merito. Ac Rittershusius quidem noster hisce annis posterioribus cum magno malo (morbo ineluctabili) conflictum habuit; nec dum emersit: domi decumbit, & auditores in Museo docet. Vir, nec Iovem iuro, immortalitate (si lex naturae pateretur) dignissimus. Medici de salute eius dudum, ut audio, conclamarunt. Tussis acerba, truculentaque divexat pulmones viri optimi: adcedunt λειποθυμίαι creberrimae, somnus, item praeternaturalis. Sic *Homines sumus!* Vota si quid valent, votis bonorum vivit, adnuente propitio *Numine* votis amicorum. Maritum vero audisti olim esse D. D. Scipionem, qui iam iam pater futurus speratur, ex filia Caesaris Calendrini Itali, civis nostratis. Factum o bene! Faveat Lucina! Comitia Ratisb. indicta ad Iunium, fortean, initium sortientur. Imperator ab Ordinibus Austriae ingentem nummorum vim impetravit: maiorem abs Pannonibus petit, maximam ab Imperii Ordinibus expetet, Ratisbonae conventuris. Turca hostis cum LXCIƆ. ad fines Walachiae progredi fertur, Daciam im-

Ann. Chr. MDCXIII.

impetiturus. Antevertendus hostis est, etiam Pannoniae Ordines militem decreverunt. Habes διὰ βραχέων nostra. De vestris rebus ex te, quantum fas est, audire gestio. Pax floret in Batavia, in qua VII. virum Electorem cum Regina coniuge hospites serenissimos brevi excipietis. Connubium divinitus conciliatum auguror, bono Reip. Christianae: rumpantur ut ilia Codro. Vtinam vero Batavia vestra liberetur homine, qui Socinum eiusque ἑτεροδοξίαν invehere conatur [(a)]. Ea res dici non potest, quam multos offendat bonos in hac nostra Germania. Adirent Academiam longe plures, vestram, inquam, Lugdunensem Bat. quos fama absterret. Sapiat tandem, & resipiscat monitus toties, & a tantis viris, quos inter Rex magnus magnae Britanniae facile princeps: ceteros nosti. Sed missum facio hominem, non nominandum. Laetiora persequar. Belli Belgici Historiam demortuo P. Merula, quis pertexet? Te certe illi oneri ferundo parem quis non dicat? Dedisti specimen, id volitat per manus doctiorum omnium. Age telam, si cepisti, absolve σὺν μεγάλῳ θεῷ. Thuani Historias multi plurimi νυχθήμερον evolvunt; exspectamusque usque ad excessum Henrici Magni. Cl. Isaaci Casauboni contra Purpuratum olim Baronium volumen fors dabunt Nundinae Francofurtenses. Is labor necessarius, vel maxime Orthodoxis; quo archieraticorum ronchi, & calumniae retundantur. Dies docebit, quid rei sit. Nihil non magnum ab Isaaco illo dimanabit. Magnus est, & mystagogus harum rerum; in quo candor, & dexteritas cum pari eruditione, & de palmario certant. Merito carissimus est Britann. M. Regi. Quod superest, age, ubi ad te veniet Christophorus Paulus Gugelius Norimb adolescens eximius, eum in mei gratiam amplectere, mihique deputa, quicquid feceris. Vicissim, si quem e vestris mihi commendare dignaberis, eum mihi beneficiis ornandum sumam. Floret nostra Altorphina, in qua Bohemi, Poloni, Saxones, Germani satis frequentes. Vale, & hanc orationem δωρίδιον φίλον accipe: quum melius nihil ad manum habeam. Gemmas & aurum a Monarchis expete: a me chartas exspecta. Magna lumina seculi D. Grotios, D. Heinsium, D. Baudium (si ita fas censes) a me saluta officiose.

Norimb. XV. Kal. Apr. CIↃ IↃ CXIII.

T.

Χρήσει κ̓ Κτήσει

GEORG. REMVS.

(a) *Conradum Vorstium* indigitat, de quo, praeter Histor. Ecclesiar. Belgicar. Scriptores, praeterque Biographos Eruditor. &c. legendus praecipue *Petrus Bayle* in *Lexico Hist. Crit.* GRAMMIVS.

CCCXI.

ISAACUS CASAUBONUS IO. MEURSIO S.

VNus iam, aut alter etiam mensis praeteriit, Meursi doctissime, quum redditae mihi sunt tuae una cum Hesychio Illustri, & eruditissimis tuis Notis. Doleo nihil iam habere me, quo misso paria tecum facere queam. Sed me ita occupat susceptum opus adversus Baronium, ut aliud nihil iam cogitem. Interim gratias ago tibi, quantum possum maximas. Video te in historia, & omnis generis monumentis posterioris Graeciae mirum in modum esse versatum; quae pars eruditionis quum a paucis adhuc sit culta, bene procul dubio de literis mereris, quando ea profers in lucem, quae etiam doctissimi viri prius ignorabant. Exspecto tuas in Curopalatam observationes, quarum aliquando spem fecisti. Faxit Deus immortalis, ut quae hactenus premis, omnia publicandi facultas tibi contingat. Eadem opera & Rempublicam literariam, & gloriam tuam auxeris: γένοιτο, γένοιτο. Scripsi raptim. Oxoniae XVI. Kal. Iun. MDCXIII. [(b)]

CCCXII.

ANDR. SCHOTTUS IO. MEURSIO S. P.

PEr mihi gratum munus tuum, doctissime Meursi Hesychius Illustris egregie abs te illustratus, quem cupide legi; iuvabitque nos in partem, *De Scriptoribus, qui interciderunt*, quorum syllabum mihi, ac Musis colligere coeperam. Perge porro, ita vivas, Graecos ornare Scriptores, quo pauciores hanc Spartam, ut te non fugit, adornant. Herculi sane clavum extorseris. Quod vero Brantius noster bene narret, e tuis ad ipsum literis Glossarium te adornare denuo, recte tu quidem: sapientiores enim, ut Tragicus ait, secundae curae exsistere solent, & auctiores. Ad eam rem locupletandam, vide, an istic (quando hic non potest in bonorum typorum Graecorum extra Plantinianas, qui obruuntur, inopia simul, & Typographorum, quibus vos iam abundatis) excudere quis commodo rei literariae Fl. Carisium Sosipatrum velit; additis & Notis tuis eruditis. Habeo enim penes me comparatum Carisium ad antiquissimum optimumque Cod. S. Amandi quondam a Io. Cauchio Vltraiectino, homine eruditissimo [(c)], expletis lacunis Graecis vocibus, quibus abundat; ut olim Senecam Rhetorem ornare studui expletis hiatibus Graece dicentium. Significa, quid facto opus; an perpetuo delitescet ille liber; nam quomodo Putsius e Cod. I. Duzae edidit, nihil

(b) Inter Casaubonianas est DCCCXCII. p. 534. f. GRAMMIUS.

(c) De egregio hoc Viro vid. *Valer. Andreae Biblioth. Belg.* p. 479. GRAMMIUS.

hil ad hunc videatur, ut augere tuam etiam posse messem Glossarii confidam, indeque vicissim adornari. Mittam, si iubes, aut per tabellarium, quem nominabis, aut per notum fidumque, si qui forte hisce amburbalibus feriis ad nos e Batavia, ut solent φιλίας χάριν, excurrent. Addam & autographon Theophylacti Epistolarum Gr. quando tuum exemplar, ut scribis, nec iniuria, nec satis eleganter, fideliterque descriptum narras: & quod moliris editionem gaudeo, & faveo. Da modo operam, ut hic liber ad vos MS. eat. Mitto Syllabum scriptorum Graece Codicum, quos P. Pantini haeredes mihi reliquerunt, ut φιλέλληνι, & quondam eius praeceptori. Extremi illius libelli, *Quomodo illuminandi, qui ab haeresi redeunt*, Auctorem quaero, si forte nosti. Audio, & apud Ianum Rutgersium esse; ut & Harpocrationem MS. (in quem olim elaboravi) e Gallia adlatum; si forte domum is revertit. Ex his Schedas tibi mittam una, si forte Auctorem divinare queas, ἀκέφαλα γὰρ, & me longe es oculatior, peritiorque talium characterum, & literarum. Subspicor esse a Bessarione, aut συγχρόνῳ commenta, sacra iuxta, ac profana. Ea si usui erunt, servabis; unam pagellam columnatim scriptam, reperio *Adagiorum Graecorum, ac sententiarum*, quia lacera est, nihil dum exscripsi. Tu qua es εὐστοχίᾳ exsculpes plura etiam. Subspicor fuisse quondam ab Ant Card. Granuellano in Italia collectos libros, sed turbante Belgio, belloque, ut fit, civili dispersos, veluti Sibyllae folia vento dissipata: & quia Graeca legunt perpauci, divenditos parvo, opinor. Collegi Romae vitam S. Theophanonis, uxoris Leonis Imp. a Nicephoro Gregora conscriptam, turgido stylo, ut solent mediae Scriptores aetatis, ut melius tu nosti; aliaque Ephremi, quae una adlegabo, si forte iuvare queant, atque edi tandem, ut vobis placet. Collegi in Hiberia & Io. Climacum Gr. collatum cum altero, quem audio Maximum Margunium vulgari donasse sermone Venetiis. Vtinam cum Interprete collatus exeat Graeco-Latinus. Romae quoque collegi omnes in Vaticana Homilias Andreae Hierosolymitani, Cretensis Episcopi, quia Andreae mihi nomen. Si quid illius te penes est, fac sciam: vel si alibi delitescere nosti, fac nos certiores. Literas tuas ad me mitte Brantio, non obsignatas, sic tutius reddentur, Corycaeis passim auscultantibus. Vale, mi Meursi, nosque amare ne desine. Antverpiae. Salvebis ab Heriberto nostro, & Brantio a. d. VI. Kal. Iunii CIↃIↃCXIII.

Quod pene me fugerat, scito Th. Canterum multa hic collegisse, dum exsulat, quibus Glossarium augeas, incredibiliter. Vide, an humane extorquere possis, cum honorifica hominis adpellatione, qui dignus meliore fortuna in senio. Leovardiae nunc delitescit, si nescis, in studiis consolandi sui gratia acquiescens. Ἔρρωσο πάλιν.

(a) Bedvellus edit. GRAMMIVS.

(b) *Notatur hic a Casaubono Franc. Iunii Curopalates; sub nomine Hebraeo Nadabi Agmonii in lucem emissus.* Colomesii haec observatio, adscripta orae huius epistolae in editione Casaubonianar. DCCCXCV. pag. 536. GRAMMIVS.

CCCXIII.

ISAACVS CASAVBONVS IO. MEVRSIO S.

ADtulit mihi Beduelus [a] noster, vir Cl. literas tuas, quae non mediocri voluptate me adfecerunt. Video enim te constanter id agere, ut de Republica literaria quotidie bene merearis. Macte hoc proposito, etiamsi minus posses, tamen haec voluntas tua summopere mihi videretur praedicanda. Sed tu, doctissime Meursi, & facultatem habes, non solam voluntatem. Quantum tibi debeant studiosi literarum propter Scriptores Graecos a te iam publicatos, non omnes fortasse intelligunt. Nos qui intelligimus, profitemur multum studia nostra tibi debere, & tuas laudes apud omnes libentissime praedicamus. Scripta tua, quorum spem facis, eo avidius exspecto, quia de praestantissimo F. Iunio plane idem tecum sentio. Ignoscamus vero τῷ μακαρίτῃ [b], qui facile ἄλλοις ἐν ἐσθλοῖς τόνδ' ἀποθεῖται ψόγον. Quotidie addisco hominem esse τὸ μηδέν, & quotidie ad veram ταπεινοφροσύνην me componere laboro. Opus, quod iam prae manibus habeo, fallor, aut bonis, & vere piis, erit longe gratissimum. Plura de eo scriberem, si vacaret. Nunc raptim haec exaravi, & in summa festinatione. Deus opt. max. te servet. Vale IV. Nonas Iun MDCXIII.

CCCXIV.

CHRISTIANVS ANESORGVS IO. MEVRSIO S.

QVanquam me non noris, Cl. mi Meursi, quis & cuius coloris sim, sane me oculis usurpasti non semel, sed veluti ignotos, & praetereuntes solemus: audacter tamen te iam nunc compello; ita scilicet intemeratus adfectus ille, quo Taubmannum meum vivum semper colui, florido thyrso pectus mihi etiamnum percutit. Ante mensem enim, & praeter propter optimus hic vir aestuosa, & maligna febri urgente hinc in communem locum abiit. Quum vero nobilissimi Academiae huius Musegetae in ferias piaculariaque sacra eiusdem memoriae, ob insignia in remp. literariam merita (vel unus Plautus testetur) iam nunc meditentur; tu autem Excellentiss. Meursi, non infimum locum inter illos obtineas;

Cui non visa etenim doctissima scripta Meursi,
In queis candidulas abluit Ida manus?

Ergo igitur etiam atque etiam opere summo rogatum te velim, ut & ipse symbolam conferas ad hoc silicernium, & breviculo aliquo threno testatum facias, quantum detrimentum bonae literae acceperint, amisso hoc Telamone. Ita profecto prae-

sti-

Ann. Chr. MDCXIII.

stito tam pio Taubmanno officio, me, & omnes Germanos tibi devincies, ut aeternum hoc nomine tibi simus debituri. Vale. Leidis Batavicis. III. Iunii CIϽIϽCXIII. (a)

CCCXV.

ANDREAS SCHOTTVS IO. MEVRSIO S. D.

VIde, quam mihi audaciam litterae tuae addiderunt, doctiss. Meursi, cum munere Hesychii Illustris; quem iam magnam partem devoravi legendo. Eius, & in Photio nostro quaedam esse ἱςορικὰ memineram. Cod. LXIX. etiam Byzantinae Gloriae commeminit, ut te non fugit. Quod Theophylacti Epistolas adornare te scribas, sitque exemplar festinato nimis exaratum, idcirco αὐτόγραφον inde transscriptum esse meminissem, ad te adlego, ut quum eris arbitratu usus tuo, ad me statim recurrat, mihique a Brantio nostro in manus tradatur, quia clam ad te ibit, cumque huic bene narres Glossarium tuum denuo auctius exire, ausus sum Fl. Carisium Sosipatrum ad te mittere, quod Graeca habeat omnia ex Cod. scripto Amandino, ut olim Io. Cauchius contulit, Vltraiectinus olim Cos. a cuius heredibus mihi creditus est, nec possit in hac Graecorum Typographorum lue, extra Moreti filios, qui aliis obruuntur, hactenus, ut optabam, excudi: quia longe est, quam ab Elia Putschio e Cod. Douzae cum omnibus Latinis Grammaticis est editus copiosior, mihi crede. Quare si Typographum istic reperies, quia iam abundetis typis, per mihi gratum reique feceris literariae. Adieci & Ciceroniana Synonima ad L. Viturium, ab Sosipatro, opinor, non Cicerone, sed e Cicerone collecta, cum excuso Parisiis libello: sed quem ab amico utendum accepi, ut hic ad me redire suo tempore debeat, iam collatus. Subpeditabit, nisi quid iudicans fallor, Fl. Carisius, quibus Spartam Glossarii nonnihil adornes. Misi & nuper syllabum calamo Gr. exaratorum, quos ab heredibus Pantini nostri tandem sum nactus, in his, & Athenaei, Heronis, Apollodori, & Iulii, nescio cuius, Africani πολεμικὰ καὶ μηχανήματα. Cumque Τακτικὰ abs te edita viderim, cum Arcerio in Aelianum de aciebus (in quem, & Franc. Robortellus olim elaborarat) illa si abs te adornari queant, & edi, utere meo Cod. manu, ut adgnosco, Andreae Darmarii, sed Cretensis, exaratum, ut alibi etiam reperias. Ex Athenaeo enim illo duo capita ex Cod. bibl. Reginae descripsit doctiss. Turnebus lib. XXIII. Adversar. cap. 31. & 32. & Heronem Latine, non tamen fideliter, versum audio, ut & eiusdem Pneumatica a Freder. Comandino Vrbinate; item Sectione III. inter opera Mathematica Fran. Maurolyci, Abbatis Siculi. De Machinis vero a Franc. Baroccio, nescio quo, Venetiis versum audio, nec enim videre contigit, nisi ex Epitoma Tigurina Gesneri Biblioth. hoc habeo, a Lipsio nostro visum esse observo in Poliorceticis, sed Latine tantum, ut opinor. De Iulio Africano, non opinor illum esse, quem ut Theologum B. Hieron. laudat, ut Historicum Photius noster, sed medice de iumentis agentem, ut Vegetii artis veterinariae libris ornari queat, quos non vidi. De his tuum exspectabo iudicium, an luce donari possint, ut Pantinus ὁ μακαρίτης optabat. Addidi Carisio schedas multas Graece scriptas, & pene evanidas. Pantinus in suo Catalogo vocabat scripta sacra, & profana. Mihi, vel Cardinalis Bessarionis esse, vel certe aequalis, ut Mich. Apostolii (cuius & alia hic habeo philosophica) visa sunt. Si quid te iuvare possint, quia oculatus es, & me doctior, utere, tibique habe. Sin minus, mitte, quo libet. Vnam pagellam Παροιμιῶν deprehendi, quam nisi conglutinata esset, descripsissem mihi. Tu melius Auctorem divinabis cum Heinsio vestro, cum salute plurima meis verbis. Tuas ad me litteras non obsignatas Brantio mitte, sic tutius accipiam. Antverpiae X. Iunii MDCXIII.

Haec in aurora scripseram, quum tuas, ut optabam, Brantius adtulit. Amo te de studio editionis Carisii, quum erit καιρός. Adieci & Petri Io. Nunnesii, quondam mei amantissimi in Iberia, Grammatistica, quae si otiose vacat inspicere, gemmas fortasse reperies, ut & ex eius Phrynicho, mihi ab eo inscripto, & Augustae Vindelicorum edito. In Harpocrationem gaudeo, & gratulor a te adornari. Ecquis enim melius? mitto e Vatic. Biblioth. Plura mittam, quum voles in eundem, nec enim uni navi committenda omnia monet Hesiodus. Adieci & Io. Stobaei, quae desunt initio Physicarum Eclogarum, descripta ex Ant. Augustini V. Cl. Bibliotheca. Vide, an extrudere, aut adpendere libeat. Mitto & nugas nostras. De Nodis Ciceronis, & adversus Calumniatores, dum iuventuti nostrae in imitando Cicerone tubam accinimus: quae deerant Tullianis nostris Quaestionibus, aequi boni facito nosque amabis. Bibliothecam Graecam, ut urgeas, tandemque edas, etiam atque etiam rogo. Iuvabo, si libet, in partem.

CCCXVI.

IO. MEVRSIO H. GROTIVS S. P.

ACcepi (b), Vir Clarissime libellos tuos, Hesychii, & Balsamonis: quos diligenter perlegam, simulque Notas tuas, quas non dubito responsuras ei famae, quam iamdudum admirabilis diligentiae me-

(a) Quis iste, mihi latet: ut etiam, an aliquid in memoriam *Taubmanni* impetraverit a *Meursio*; in Carminibus enim, Orationi *Erasmi Schmidii*, qua *Taubmanno* parentavit, adiectis, nil conspicitur. *Dan. Heinsii* elegia in obitum *Taubmanni*, & in illius Poematibus, & in huius *Plauto* (edit. alter.) legitur. GRAMMIVS.

(b) Recepi *edita*. GRAMMIVS.

merito consequutus es. Interim gratiam, quae verbis facillime solvitur, debere diu nolui, quamquam is, qui ita solvit, non tam solvit, quam debitum profitetur. Sed quid agam? Paria reddere non possum, imo ne similia quidem. Ita me iam olim forum, nunc Respublica frustra animo reluctantem ab illis amoenitatibus (a) & latioris utilitatis studiis abripuere. Vestrum est orbi prodesse; nobis satis est minimas eius particulas curare. Opto autem, ut iis, qui tam bene tempus suum collocant, quam tu facis, ea nanciscantur praemia, quae praestare ipsis possint id, quod studiis maxime est necessarium, securitatem. Venio ex Anglia. Literarum ibi tenuis est merces: Theologi regnant: Leguleii rem faciunt: unus ferme Casaubonus habet fortunam satis faventem; sed, ut ipse iudicat, minus certam. Ne huic quidem locus in Anglia fuisset, ut Literatori; induere Theologum debuit. Et satis feliciter Antibaronius ipsius procedit, Rege adplaudente; Clero non item: nam multi vellent eum rigidius agere, quod ab ipsius candore & modestia impetrari non potest. Barclaius inter divitias & paupertatem medius haeret. Hic quoque ne tantum Poeta videretur, Pontificius adversus Pontificem stylum strinxit, ereptumque ivit illi rem invidiosissimam, regnum in Reges. Sapienter autem fecisse te iudico, quod laudes viri omni laude dignissimi iustiori operae sepofueris. Non poteris tam multa dicere (b), quin creditura sit aetas, quae ipsius vitam proxime secutura est; nam nostram vexat malum vetustissimum praesentis boni ignorantia, imo invidia (c). Taubmanni mortem, morbum Rittershusii doleo. Sed hoc magis adnitendum est vobis, ne cultorum infrequentia damnum det literariae rei; quod te quidem facere satis mihi atque omnibus constat. (d)

Rotterodami XVI. Iunii MDCXIII.

CCCXVII.

Io. Brantius Io. Mevrsio S. D.

SCribendi officio aliquandiu temperavi, Vir Clariss. & gratias adhuc debeo pro munere illo literario, Hesychio, inquam, tuo, quae pro humanitate tua, quae inter virtutes tuas prima est, nuper ad me misisti. Illas nunc tibi ago quam possum maximas, & fateor subpudere me, qui semper abs te accipio, numquam repono. Nam de Notis nostris in Apuleium, ut, quod res est, dicam, cum hic Typographos video rem plerosque tantum suam privatam, non publicam spectantes, quique praeter pretium nihil dulce habent, fore despero, ut lucem unquam videant: quamquam nec tanti sunt, & sic fortasse famae nostrae magis consulitur. At earum vicem typis Plantinianis propediem dabimus Homilias quinque Asterii Amasaeae Episcopi a Ph. Rubenio adfini meo & collega, dum viveret, e Graeco in Latinum sermonem conversas, quas inter amicorum primus videbis. Andreae Schotto nostro hesterna die tuas postremas ipse in manus dedi, & ante mensem alias tuis ad me inclusas. Salutem tibi amicissimam adscribi iussit, quum scribendi nullum inpraesens argumentum subpeteret. Bene te valere & vivere optamus, vir Cl. & amicissime, & nos constanter amare.

Antverpiae Kal. Iul. CIƆIƆCXIII.

CCCXVIII.

Viro Cl. & Doctiss.

D. Io. Mevrsio Michael Piccartvs S. P. D.

LAetius optabam argumentum mihi dari, vir Cl. quodque aures tuas politissimas reficeret magis, quam sauciaret. Verum aliter visum Deo, rerum nostrarum arbitro, qui Cl. celeberrimumque virum D. Cunradum Rittershusium IC. & amicum communem, Academiae primum nostrae, deinde amicis, denique doctis & bonis omnibus eripuit, irreparabili Academiae nostrae iactura. Qui quamquam sibi vixisse videri satis poterat, nosti enim, quibus laboribus & lucubrationibus corpus emaciarit, quamquam item virtuti & gloriae, quae illum toto orbe honoratissimum celeberrimumque fecere: tamen desiderandus ut aevi prisci exemplar & lugendus in hac doctorum virorum paucitate, deflendusque venit; inprimis autem mihi, qui illum non solum publice, sed & privatim, quantum admirabar, tantum diligebam. Publice consensum habebam bonorum omnium; privatim mihi adfectum Praeceptoris, etiam parentis saepe exhibuit, & quibus potuit modis subfragio suo ornavit; quodque unice aestimo, multorum summorum virorum amorem & amicitiam mihi paravit ac conciliavit. Verum quia ita Deo visum, cuius iudicia inculpabilia, quia item optimi viri mortalitas solum finita, non vita; quia denique perpetuos labores perenni otio mutavit, feramus, ut possumus, quando mutare in nostra non est potestate. Et quando hoc anno, magnum etiam Caselium amisimus, & optimum nostrum Taubmannum, cogita tu Meursi cum Heinsio tuo, quid vestri sit officii, tueri & exornare videlicet Spartam, quam mors tot doctorum virorum vobis commendavit. Quamquam operam ludo, dum memores moneo, aut perperam facio, si virtuti & eximiae in Remp. literariam voluntati vestrae diffido. Sisto igitur, & te rogo, ut libellum hunc, quem ante mensem, & quod excurrit, publico permisi, accipias, legas, videas, &, ut censueris, moneas. Volo ego multa, sed volo solum, neque ultra

(a) Ab illis & amoenioribus *edita*. Grammivs.
(b) Istud quam ex *Lundii* coniectura, in margine d, in textu quin ac: ita in *edit.* Grammivs.
(c) An ergo *Barneveldii* historiam scribere meditabatur *Meursius*? quod sane hinc colligas. Grammivs.
(d) Haec una *Grotianarum* ad *Meursium* mihi reperta in editione Epistolarum eius Amstelodamensi 1687 in fol. pag. 751. Grammivs.

Ann. Chr. MDCXIII. ultra hoc velle proficere hactenus potui. Hoc tamen velle meum, testor etiam publice, & simul innuo, omnia pro publico bono facere debere eos, qui possunt, inter quos familiam ducit Casaubonus noster, cuius nunc exspectamus I. Tomum Antibaronianum, qui labor intervertit nobis, proh dolor, Commentarium Polybianum. Quo autem fructu ὁ μέγας τῆς βρητωνίας βασιλεὺς hoc duellum instituat, Dis equidem in manu est. Ego si loqui debeo, quod sentio: despero, crede & tu, mi Meursi, qui mores adversae partis perdidicisti. Iam diu est, cum caussae suae diffisi, ludibrio solum nos habent, & ad nostros arietes conviciis ac cachinnis respondent. Hos nemo, nisi *Deus*, erroris & impietatis revincet. Is te, mi Meursi, literis & omnibus bonis, atque inter eos mihi quoque servet quam diutissime florentem, ut virtute & doctrina, ita omnibus quoque aliis bonis, quae apud homines aestimari solent. Ita voveo tui amantissimus, is qui supra. Altorfii XII. Cal. Sept. MDCXIII.

CCCXIX.

ANDR. SCHOTTVS IO. MEVRSIO S. P.

PER mihi laetus nuncius fuit, doctissime Meursi, te Harpocrationem, cum Laulica historia Palladii, mox aggressurum, forasque daturum σὺν Θεῷ, hunc fortasse in P. Heriberti gratiam; illum mea causa. Quod si sensum animi mei perspectum haberes, longius fieri doleam rarum illum thesaurum in apertam lucem prodire, omniaque praevertere exoptem, si me amas: Lausiaca enim iam exiit Latine. nemo, quod sciam, extra Aldum, Graecum illum X. Oratorum Lexicon edolavit. Audivi in Gallia Aquitanum quendam IC. Iaco. Philippum Mausaeum (nondum Musaeum (*)) Tolosae Tectosagum in Harpocrationem incumbere, unius Cod. praesidio, quem Fred. Morellus, ut nuper ad me perscripsit, in illius amici gratiam contulerit, sed saepe Gallicas res, ut consilia praecipitari non ignoras. Te, te, inquam, praevertere exopto, ut tua ea sit laudis adorea. Potes enim, quantum ἐξ ὀνύχων λέοντα aestimo. Mitto itaque per Brantium nostrum scriptum quidem mihi cod. cum quod excusum venalem non reperirem, tum ut in eo notarem, quae in mentem venissent, legendoque meo arbitratu interpungerem, facerem que nonnihil meliorem. Eum miseram laborem prius Hoeschelio, quumque in Augustana nihil subpeteret subsidii, inde porro God. Iungermanno, qui, si vitae longior usura Dei benignitate obtigisset, evulgandum mea gratia curasset. Cum Svida commisit diligenter, cum ipsis adeo fontibus, loca multa sanavit, ut deprehendes. Levabit ea res laborem tuum ex parte: Cupio quidem certe, quibus si industria accedet tua, meliorem brevi eum legemus cum fructu Auctorem. De me; indicem Auctorum mihi collegeram, etiam nothorum spuriorumque librorum, quo non paginas, sed nomina notassem, ut omni post futurae responderet editioni, quomodo a Xylandro Stephanum περὶ πόλεων editum Basileae memini. Nihil vertissem, nisi in cuiusque vocabuli ora, vel ad latus significationem adiecissem, in rudium gratiam, vel ad calcem syllabum vocum Graecarum, praeter Auctorum, adderem, ordine magis certo Alphabeti. Sed haec tu melius. Habeo & alias coniecturas proprias, quas ubi inter Schedas denuo excutiendas repperero, mittam libens, ut maturetur modo editio. Addidi & quaedam a Ric. Montacutio e Britannia ad me missa. Perge porro, mi Meursi, remque confice. Palmam feres. Adieci & indicem Auctorum in C. Plinii vasto Naturalis Historiae opere, quem ad hunc diem in tot tamque elaboratis, etiam a Dalechampio, editionibus, non exiisse, equidem miror. Talem & in Diogene Laertio mihi & Musis olim concinnavi, essetque usui in Amissorum Auctorum censu, quem a te exspectamus, quando in Hesychio tam praeclarum exhibes specimen, me ut in admirationem (nihil hic gratiae tribuo, nihil auribus) rapueris. De Pliniano illo, si quid edolare & addere libet, & typis uno alterove folio istic edere (qui typis numerorum abundatis, & Graecis) ut amicis donentur exemplaria, vel in 8. vel in folio per mihi gratum feceris, & fortasse eruditis hominibus, quos industria illa iuvabis interdum, addendo, cum erit opus, ex Onomastico Io. Glandorpii Romanis Scriptoribus pauca, & Medicis e Medicorum scriptis, ut e Gesnero alibi. Sin secus tibi videatur, saltem ostendisse meas ineptias fraudi ne sit. Vale, mi Meursi, in Dom. remque iuvare Graecam ne desine. Si bene tibi, bene mihi. Antverp. VI. Eid Sept. CIƆIƆCXIII. Narro tibi, si forte fugit alias narrare, Steph. Pighii Fastorum reliqua, me hortante maxime, typis edi Plantinianis. Salvebis a tuo σχότῳ.

Quam vellem, Meursi optime, Procli χρηστομαθίαν a me olim & Pet. Io. Nunnesii Notis illustratam, Harpocrationi adiungi, Lexico non obsimilem, cum Helladii χρηστομαθείᾳ, ex eo ipso Photio nostro, cum tuis etiam Notis, additis & Excerptis de Lexicographis ceteris, quae in Photio ordine reperias. Hoc mihi gratius nihil facies. Sed in prima libri Harpocrationis fronte nihil necesse meum nomen collocare; & in opere parcissime de nobis loquere, quia castris diffiti sumus, ne mihi invidiam pro honore confles: quod factum nolles. Graecas tantum adamo litteras. De Auctoribus illis machinarum, Athenaeo, Apollodoro, Africano, Herone, brevi te voti compotem reddere constitui; ea lege, ut Latine versos extrudas: quemadmodum τακτικὰ edidisti, quia sunt hic, qui importune efflagitant. Ego vero non hoc mi-

(*) Postea rectius scribere didicit *Mauſſaci* nomen. vid. infr. epistolam prid. Kal. Decembr. datam h. anno. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXIII.

hoc mihi sumo, ut falcem in eam messem temere iniiciam ἀγεωμέτρητος, fatebor enim. ἔῤῥωσο. Tradideram nuper Dan. Heinsio, dum me officii gratia visit, tibi tradendum Aldelmum de Virginitate perantiquum Codicem, cum glossis, si forte conferre placeret. Longe enim edito est praestantior. & te in Mantissa de coniectura verius multa in eo tentasse memineram: quae iam forte confirmari animadvertes. Da operam, ut mihi in manus reddatur per Brantium nostrum, amicum optimum. Iam desino, manumque tollo de tabula.

In Indice, seu syllabo Auctorum apud Harpocrationem poni cupiam, aut praemitti nomina Oratorum decem Graeciae, Orationum earum, quae hodie exstant, ut adpareat etiam statim, quae temporum sint incuria amissae; nisi quid secus vobis visum.

CCCXX.

Io. Brantius Io. Meursio S. D.

Mihi & R. Andreae Schotto literae tuae mirabiliter gratae fuerunt. & certe beatis utrumque nostrum praeclaris illis operibus tuis, quae prae manibus habes Palladii Historia & Harpocratione. Ita nunquam cessas (& porro perge, quaeso) de re literaria quam optime mereri. Mitto ab eodem Schotto sarcinas duas, & in iis libros aliquos, quos tibi ad conatus & labores tuos adiumento fore putat, ut est hic vir in proferendis doctorum scriptis iuxta tecum indefessi calami & stili. Duas literas ab eodem accipies, quibus illi visum fuit subiungere suas, quas hic vides, in Harpocrationem coniecturas, Confido non displicituras, & me abs te mutuo amari.

Antverpiae XVII. Kal. Octob CIↃIↃCXIII

CCCXXI.

Isaacus Casaubonus Io. Mevrsio S.

Tuam de amplis. Thuano epistolam heri accepi (a). Fecisti rem & utilem ipsi, & sine dubio gratam. Saepe ille mihi narravit quantis sibi laboribus constarent ea, quae scripsit: neque tamen dubitare se, quin res peregrinas exponens, saepe offendisset. At sum ipse conscius animi candidi, quo semper excepti sunt ab ipso, qui certiora ipsum vellent docere. Itaque nullus dubito tuas eiusmodi animadversiones fore ipsi longe gratissimas. Sed historiam tuam quando videbimus? Ego ingenti flagro cupiditate ea legendi, quae ais scripsisse de Albano Duce. Vtinam quos non puduit tam tetra & horrenda scelera admittere, pudeat saltem in tuis scriptis recognoscere. Possemus in posterum meliora de illis sperare, si semel eo Romanenses possent adduci, ut suae immanitatis illos serio puderet, & poeniteret. Sed non ita Romae vivitur, ut sperare hoc liceat. Nos in opere suscepto pergimus, & primae partis editionem dies ac noctes urgemus. Quid praestiterimus vere doctorum, & vere priorum erit iudicium. Sed de his alias. Vale, vir doctissime, & me, quod facis, ama. Londini, pridie Eid. Nov. MDCXIII. (b)

(a) *Edit.* vir clarissime, recte accepi. Grammivs.

(b) In editis est DCCCCXXVII. p. 548. seq Faciunt vero ad eandem intelligendam illustrandamque plures ep stolae epistolarumque excerpta in Thuani, nuperae editionis Anglicae, Tomo VII p. VI. inter *illustrium viror. de Thuani Hist Indicia* pagg. 26 27. 28. 29 ubi & tres omnino leguntur Io. *Meursii* ad *Thuanum* & *Casaub.* Grammivs.

CCCXXII.

Philippvs Iacobvs Mavssacvs Andreae Schotto P. S. D.

Ἐπιθέτως epistolas meas, vir doctissime, pro Heinsio & Meursio, litterarum columinibus, attribui tibi, Antverpiamque curavi deferendas, quod didicerim te inpraesentiarum sub hoc coelo vivere; agebas enim, quando te salutavi, Tornavi Nerviorum; oro te obtestorque, ut mediatore te, secure & fideliter Lugdunum perferri queant; nam multa in se continent, quae ad res meas spectant; ecce autem paucis, quid in illis a me actum sit Rediit ad nos quatuor aut quinque abhinc diebus lectus iuvenis noster Gausaeus, qui ex te & Heinsio nova de Harpocratione narravit, Meursium scilicet in illustrando eius Dictionario versari, vobis testibus, & ἐγγυηταῖς. Quo quid infelicius mihi, & iniucundius accidere posset? Auctorem illum, ut scis, iam diu prae manibus habeo, & quod Godefredus Iungermannus morte praeventus perficere non potuit, quotidie ad exitum perduco, votique compos θεοῦ διδόντος brevi fiam. Habet enim Drovardus Typographus Parisiensis schedas meas, proximis his nundinis prodituras. Quod si verum sit, Meursium in his laborare, nae ille rem literariam labore suo, quem in emendando quodam alio Auctore collocare posset, sponte fraudabit. Tot habet, in quibus se exerceat, imo tot incepta, nedum degustata, nec delibata, ut ita loquar, quae in scriptis suis quotidianis pollicetur, se se obferunt, ut plane mirari subeat, quomodo de Harpocrationis nova editione cogitaverit; de quo hucusque non fuit valde solicitus, ut ex his, quae hactenus vulgavit, deprehendimus. Obsecro te, mi Schotte, si quid potes, & si me tali honore dignum existimas, hominem illum eruditum ab inceptis deterreas, & scriptis tuis προτρεπτικοῖς ad alia pergere facias. Fieri enim non potest, quin si ambo in hoc labore concurramus (malum mens augurat) quae saepius oriuntur inter athletas, zelotypiae, de novo inter nos nascantur, & male erga nos adfecti simus. Cave, mi Schotte, ne hoc contingat, nosque a disceptationibus iurgiisque omnibus libera. Vale, &

le, & si quid a te observatum sit ad Harpocrationem, ut non dubitamus, te permulta reconditae eruditionis observasse, amice nobis, & liberaliter communica. De verbis θρόνον, κωδία, προπενωπίδες plane actum est, nisi per te sanentur. Adi ad illa, & videbis, quam male habita sint a librariis: si per te fieri posset, ut, quae notaverat Godefredus Iungermannus videre liceret, omni profecto ex parte nos beatos redderes. Vale iterum, vir doctissime, & ad nos spissius scribe. Epistolam tuam cum libello Tolosam ad D. Barravium securo dedimus deferendam. Datum Lutet. Paris. Eidib. Novemb. In aedibus Federici Morelli. A. CIƆIƆCXIII.

CCCXXIII.

PHILIPPUS IACOBUS MAUSSACUS. IO. MEURSIO S.

S. D. Rediit ad nos tribus aut quatuor abhinc diebus, Meursi, vir doctissime, iuvenis quidam noster, qui ex Heinsii & And. Schotti fide nobis retulit, te in inlustrando Harpocratione versari. Iam diu est, ex quo Spartam illam delegimus [a], ornandamque suscepimus, ita ut adfectum opus proximis nundinis proditurum nobis polliceri audeamus. Schedas enim nostras Drovardus Typographus Parisiensis, qui Casauboni nostri Polybium adeo magnifice & luculenter excudit, habet a mense Septembri; versamurque nos quotidie in hac tundenda incude praepediti; nec prius hinc avellemur, quin ultimam manum huic operi imposuerimus, aegre ferrem profecto, mi Meursi, si mihi tecum in hoc pancratio luctandum esset, nam & te robustiorem athletam non ignoro, eamque iam in huiusmodi certaminibus laudem & honorem consecutus es, ut mihi tironi & merenti adhuc plane indecorum atque invenustum videretur, cum emerito & veterano milite velle congredi [b]. Vos ego potius, & vestri similes, terrestria in literis numina, admirari quotidie soleo. Vere ita est, nunquam admittor in vestra sacra, quin palam profitear, me & meliorem, & doctiorem ex his semper evadere. Herbam iam nunc libens porrigam, si te in coeptis velle persistere novero, quod non eveniet, ut spero. Te vocant enim severiores Musae, paulloque maiora canere suscepisti. Exspectant indies eruditi omnes, ut tuam liberes fidem, & quae in Glossario tuo Graecobarbaro mirae & profundae eruditionis referto pollicitus es, praestes. Scis quantos & quales auctores brevi prodituros in fronte libri illius spoponderis, nec dubitat bonus ullus auctius & copiosius idem Glossarium te denuo dare posse. Vide igitur vir doctiss. ne spe multos deludas inani, & ne lateant in Museo tuo illa omnia, quorum iam movisti salivam. Perge alacriter, & quo te liberi tui libri vocant, patere te adduci. Quod si eos amore, ut decet, paterno prosequaris, & me tanto digneris honore, rogatus desistes a nova Auctoris nostri editione, meque hominem minorum gentium, haec tractare permittes, quamvis supra captum & vires sint. Ne tu me ingentibus obstringes benevolentiae vinculis, & omnes familiares meos, qui hoc opus a me desiderant. Spero fore, ut postquam mihi rem totam cesseris, nihil desideraturus sis in Harpocratione, quod non critico pumice expolitum fuerit. Audeo ita τετυφωμένως tecum loqui, qui [c] auctorem illum ex unguibus, ut dicitur, novi, eumdemque plusquam sexcentis in locis sanavi. Lauda igitur consilium nostrum, & in dubio adhuc versantes prae inopino nuncio, quam primum poteris, ab omni suspicione libera. Vale, & si quid in Harpocrationem parati habeas, (ut non dubitamus te multa observasse) eius nos liberali manu fac participes, maxime vero nos mone de sententia tua in verbis θρόνων, κωδία, προπενωπίδες: haec enim nisi te vindice restitui non possunt. Vale iterum, & creberrimis literis nos tui admiratores fove. Datum Lutetiae Paris. in aedibus Federici Morelli. Profess. & Interpr. regii, Eid. Nov. MDCXIII. [d]

CCCXXIV.

HERIB. ROS-WEIDUS IO. MEURSIO S. D.

IHS.

Pax X.

Ornatissime Domine.

VBi Vitis SS. Graecis usus fueris ad Glossarii tui subplementum, alias submittam. Recens ex Veneto exemplari descriptum Graece accepi Pratum Spirituale Moschi Evirati, seu Sophronii. Id mihi Vitis Patrum recensendis usui futurum. Statui enim Moschum Vitis Patrum adiungere, sed Latine tantum, uti hactenus prodiit. Graecolatina editio aliquando adornabitur, ubi plura Graeca nactus fuero. Interea Palladium vestrum exspectamus, ut Graeca subinde lucem Latinis inferant. Scio Venetiis Graecum Palladii exemplar, quod iam curassem exscribi, nisi spes esset, nos cito laboribus vestris fruituros. Ita manupretium id compendii faciam. Quare accura, quaeso, tuum Palladium, & publico dona; ne Venetiis cogar evocare, quod Leida submi-

(a) *Deteximus* edit. a *Gronovio*. GRAMMIUS.

(b) Huc ea, quae *Maussacus* postea publice professus est in Praefat. Notarum ad Harpocrationem suum. *Ecquis ita in literis tyro est, ut ignoret vivere etiamnum hodie* Ioannem Meursium, *indefessi laboris virum, qui in emendando & perpoliendo hoc Auctore aliquid operae & laboris se impendisse publice professus est, votique ut opinor iam compos factus esset, fidemque liberasset suam reipubl. liter[illegible], [illegible] alio vocatus, & a Musis severioribus, quas colit, occupatus, futuram editionem differre coactus fuisset*. GRAMMIUS.

(c) *Quia* in edit.

(d) Edita est haec epistola a *Iac. Gronovio* in Praefatione, quam suae Harpocrationis editioni (Lugd. Bat. an. 169[illegible]. impressae in 4.) praemisit, Magno Wedderkopfio inscriptam. Testatur vero ibidem *Gronovius*, penes se αὐτόγραφον huius epistolae servari. GRAMMIUS.

Ann. Chr. MDCXIII. subministrare potest. Vale, vir eruditissime, bono literarum nate.

Antverpiae XII. Kal. Dec. A. CIↃIↃCXIII.

Dic. V.

in X. servus

HERIB. ROS-WEIDVS.

CCCXXV.

ANDR. SCHOTTVS IO. MEVRSIO S. P.

PRomiseram, memini, doctissime Meursi, fore, ut mechanicis nostris uti posses ad describendum quae deessent, & conferendum, si quae iam κτήσει haberes, quantum e syllabo Glossarii tui deprehendi. Mitto itaque ea lege, ut quae videbuntur, quam primum tibi describenda cures, redeantque per manus Brantii nostri, quia ignaris nostris ad te vadunt μηχανικά: ne conscio quidem Heriberto, qui nihil celet. Arbitratu tuo utere, ut publici tandem fiant iuris, quod voveo. Narro tibi: verteram nuper Mich. Psellum (a) ἆσμα τῶν ἀσμάτων, Politicis conscriptum versibus, ut illa solet aetas, quo modo & Constantinus Manasses Byzantinum dedit Chronicon, Io. Tzetzes Chiliades, alii alia, ut te omnium minime fugit, e quindecim syllabis, & caesione in 8. syllaba. En tibi in limine, inscriptum video Nicephoro Botaniatae Imp. adpellatque initio στεφηφόρον, & in extremo explanans Paraphrasi, capita non amplius VI. de VIII. Quaero ex te (quis enim nodum dissolvat expediatque citius, quam in his diu multumque exercitatus? nec in Glossario tuo reperi) an στεφηφόρος quasi *Coroniger* sit, pro βασιλεύς; sic enim illo aevo etiam Augustos, item Historici Graeci nominare consueverant: an vero sit Imperatoris illius cognomentum, ut Ptolemaeis Agypti Regibus varia erant. Doce nos, qua potes, ut in Prolegomenis habeam, quod adponam de more Lectoribus, velut ferculum, si non lautum, non illaudatum. In Harpocratione spero te dies noctesque bono publico versari. Ad subsidia, quae habes ab ingenio, & a libris, adiunge, quaeso Car. Sigonium (bone Deus, quem virum! antiquitatis in paucis longe peritissimum) lib. de Iure Atheniensium, ubi multa de Magistratibus & Legibus Atheniensium, ut de Laconicis Nic. Cragius: ut nosti. Haec dum scribo, ecce tibi literae Lutetia missae a Phil. Iacobo Maussaco, qui & ipse meditatur Harpocrationem. Cessandum minime puto. Tu ne cede labori, at contra audentior ito; nisi quid secus videatur. Non eadem omnibus veniunt in mentem. Vtinam simul prodeatis in scenam, ut neutrum alterum compilasse videatur. Audivi & Resgarstum quendam Dordraci molitum in Harpocrationem. Tres ergo simul exeant in tam raro Auctore Lexici. Operam heic tuam efflagito, & praeter operam nihil impensarum. Habeo B. Chrysostomi in Britannia iam recens Grece excusi Tomum Vet. VII. beneficentia H Savilii, ut conferrem, quaedam cum meis Mss. & quia quaedam subpeditaram, Orationem Damasceni ἀνέκδοτον in aurei oris laudationem, quae, ut audio, Tom. I. legetur. Reliqua ab illo exigere, nisi fronte sim perfricta, non debui, nec patitur meus pudor. Dederam hisce nundinis negotium Heerbergio bibliopolae, ut coemtos mihi Francofurti reliquos sex Tomos adveheret. At ut lucri gratia omnia, nihil amicorum, praestant id genus homines, nihil adtulit. I nunc, fide illis, de quibus bene mereare, hominibus! Scripsi & nuper Reymero Advocato Amsterodami, ut mihi coemeret, si forte in Nortoniana officina essent exemplaria venalia; nihil dum respondit; & ego Bruti exemplo, quod volo, valde volo, & in eo diserto sacro Oratore omnis mihi mora longa est. Quare te oro, mi Meursi, si est Lugd. Bat. officina, ut Commeliniana, sic & Nortoniana, explores; an, ut epistolio promissum est, mittere Schotto, maritimo itinere, velint Chrysostomi Tomos I. II. III. IV. VI. VIII. quibus careo invitus, pretio singulorum Tomorum 10. florenorum, hoc est 60. florenis Antverp. numerandis, vel ad vos mittendis, aut si aliter non potest, repraesentandis ante diem, mercemque exhibitam. Sin tergiversantur, fac, sciam; ut a Savilio impetrem: cognoscesque quia abes propius, Amsterodami per epistolam, an nihil promoverit Reynerius noster, qui fuit olim studiorum Lovanii socius. Vale, nosque amare ne desine.

Antverpiae prid. Kal. Dec. CIↃIↃCXIII.

Illud prope exciderat. Lutetiae quoque Nic. Rigaltius, qui & μιξοβάρβαρα post Onosandrum dedit, molitur C. Plinium cum methodico vice commentarii. Et si videbitur, significa & mitte de Auctorum nostro Indice, quem ad te nuper misi, si adiungere placeret. Malim prius tamen uno folio (in 8. aut fol.) a te recensitum edi istic, & amicis condonari, ut Pliniis passim adiiciant & adglutinent. Sin ibi non potest, etsi Typographis magis abundaris, hic curabo excudendum. Habeo & Aelianum περὶ ποικίλης ἱστορίας calamo exaratum, & de historia animalium. Vt autem huius sunt duo interpretes, sic & illius memini. Nam praeter Iustum Vulteium, qui passim in manibus, memini videre olim Venetiis excusum de Var. Hist. nisi fallit senem memoria Marcum Laureum, discipulum Robortelli, eius interpretem. Haec Veneta editio, si forte istic reperiri alicubi queat, vel commodato, pergratum mihi feceris. nam Venetiis frustra petii. Scis enim saepe ex interpretis versione coniici non raro in nodis, cum aqua haeret, quid in suis Codd. ipsi legerint. Da mihi hanc veniam, si, ut senex, verbosiores dederim, frontemque perfricuerim. ἔρρωσο πάλιν, καὶ με φιλῶν διατέλει.

(a) Sic. sed annon *Mich. Pselli?* GRAMMIVS.

CCCXXVI.

Ann. Chr. MDCXIV.

CCCXXVI.

THEODORVS DOVSA IO. MEVRSIO.

NOn possum committere, vir clarissime, quin tibi gratias agam, easque ingentes, pro summa tua & perspicaci diligentia in Logotheta meo tam erudite, tam amice, tam indefesse, praestita & impensa. Quid faciam, quibus coelo te laudibus aequem? certe nulla me re magis devincire potuisti. Namque auctor iste tuo plene beneficio ingenioque reviviscit, & quanquam lacer & distractus convaluit, non aliter, quam Hippolytus ille ab Aesculapio (ut est in fabulis) fertur. Iamque pene ad calcem (laus Deo) perventum, cui, ut velis ita, ut coepisti, invigilare, te rogo. Aveo videre Carmen, sive Epigrammatum aliquod in commendationem auctoris a te conscriptum. Patere haec mihi iuris esse apud te, meque tibi pro hoc tam insigni in me beneficio semper devinctum fore, & quasi pignore obligatum, certe tibi proponas persuadeasque. Multum vale. Raptim datum Vltraiecti. (a)

CCCXXVII.

ANDR. SCHOTTVS IO. MEVRSIO S. P.

MΗχανημάτων illos Scriptores equidem per amicum miseram mihi familiarem, qui Amsterodami parentem habitare adfirmabat, seque brevi ad nos rediturum: adferat idem mihi Tertullianum cum Notis Iunii, quem opto recensere. Incompactum itaque, a teque quanti minimo coemptum illi mitte, adscripto vel indicato illi pretio, pro me refundet, & hic, ne dubita, repraesentabo. Auctores illos, si intra menses tres conferre poteris (in quo spatii minus, quam describendo exigent, aut temporis) da operam, qua possis; nam socii non paterentur abesse nimis diu, & Codices Mss. aberrare nollet. Italicum & alterum Heronis, si habes, aut habere suo potes tempore, statim per amicum ad Brantium nostrum remitte, ut Domino suo Doct. Medico Nunnez restituam. Heronis Alex. Spiritalium librum Federico Commandino Vrbinate interprete, post nactus sum, Vrbini excusum A. MDLXXV. Sed haec penes te esse nullus dubito, & his tantum arbitror usum in Poliorceticis Lipsium nostrum. Quare ut Tacticis Mechanica subiicias, moneo, quum res maturuerit, eritque obportunum. In Aristotelis Problemata Mechanica scripsit Lutetiae Henr. Monatholius Regius Professor 1599 Sed quid ego sus Minervam? Valere te exopto, feliciterque anni decursum.

Antverpiae CIↃIↃCXIV. a. d. XV. Kal. Feb.

De Harpocratione vereor, ne nimis a Maussaco, cui tuas pridem misi, res proferatur. De Indice Pliniano (vel sine nostro nomine edito, seu cuius nunc tu voles) quia Rutgersius adlaboravit, urge eumdem, ut Censorinum de die natali, longius ne nobis, premendo, invideat, item quae habet Graeca Nigidii, sed extrudat denique salveat quoque.

Ann. Chr. MDCXIV.

CCCXXVIII.

ISAACVS CASAVBONVS IO. MEVRSIO S.

Vir Clarissime.

QVas misisti ad me Notas in Historiam τοῦ πάνυ Thuani, cum ipso statim communicavi, te, uti spero, non nolente. Respondit vir optimus & amplissimus, magnas se tibi habere & agere gratias, petereque a te, ut quod inceperas, perficeres, nisi grave esset. Quod ego etiam summis precibus a te contendo. Opus quod sub praelo habui, iam Dei gratia ad umbilicum est perductum. Vtinam bonorum exspectationi is liber satisfaciat. Dedi certe operam, ut cupiditatem meam adiuvandae Ecclesiae Dei pro mea virili declararem. Tu, vir doctissime, quid agis? non quiescere enim te, illud scio. Oro Deum immortalem, ut studiis tuis, & conatibus magis magisque in dies benedicat. Vale, & me ama. Scripsi Raptim Londini, propridie Kal. Feb. MDCXIV. (b)

CCCXXIX.

DAVID HOESCHELIVS IO. MEVRSIO S. D.

MIsi nuper Andronicum, Doctor Cl. nunc mitto veteris illius Graecae Inscriptionis exemplar Goslariense, cui adiunxi nob. Velseri nostri Epicriseis, quas non ingratas fore arbitror. Impressum est hic opusculum Philonis περὶ τῆς ἑβδομάδος, cuius in duo exempla, ut alterum, dicta pl. salute, Dan. Heinsio tradas: quae boni veli, consulatis, donec maiori alicui operi locus in typographio dabitur. Plura, si quae se offerent, vel Heidelberga, vel Francofurdo: nam iter illuc, Deo Duce, iam sum facturus. Bene vale, vir eximie.

Aug. Vind. XVI. Cal. Martii MDCXIV.

T. S.

DAVID HOESCHELIVS.

CCCXXX.

VBBO EMMIVS IO. MEVRSIO S. P.

CLarissime & praestantissime vir. Recitavit mihi hesterna vespera Amplissimus & Clariss. vir D. Eizo Tiarda, amicus meus singularis, literas tuas, ad se datas, in quarum calce nimis honorifico elogio ornatum me peramice salutari iussisti.

Quod

(a) Scripta est circa an. 1613 nam sequenti anno 1614. *Georgium Logothetam* suum *Theod Dousa* luci exposuit.

(b) Est DCCCCXXXVII. in vulgatis, p. 553. unde quae de Thuano agunt, repetita in eius editione Anglic. l. c. p. 28.

Ann. Chr. MDCXIV.

Quod ita me affecit, ut non possim facere, quin te amicissime vicissim tribus saltem verbis hoc epistolio brevissimo salutem. Mallem epistola pleniore; sed praesentes occupationes, quibus nunc distineor, non sinunt. Sexennium *Albani* tibi ad finem decurrere & brevi publici iuris esse futurum, ex animo gaudeo. Libens etiam cognovi editionem secundam *Induciarum*, & quidem haud paulo meliorem priore, te nobis brevi promittere; quamquam prior tua, me iudice, Baudiana multo sit potior. Et de absoluto a Cl. & Maximo Casaubono Tomo primo Antibaroniano Ecclesiae plurimum gratulor. Mea historica recudenda iam ante complures menses ad Typographum vestrum Ludovicum Elzevirium misi, sed quid de iis fiat in huius officina, ignoro. Haec festinatissime. Ignosce si pecco, & vale. Prid Eid. Martii Iuliani MDCXIV.

CCCXXXI.

ANDR. SCHOTTVS IO. MEVRSIO S. P.

Accepi opera tua Tertullianum. Pretium sex florenorum adpendam amico, quum huc reverterit Gouda; brevi reditum maturare se scripsit, confirmata valetudine. De Chrysostomo quoque Gr. iam cura vos libero; heri enim e Britannia accepi, a Savilio, iussitque non amplius Typographo, quam VI. aureos numerarem: cetera condonat. O liberalem animum! nihil enim de illo merui, nisi quod φιλέλλην sim, & Orationem misi Io. Damasceni, quae Tomo est I. ut opinor. Mathematica illa de Machinis, quia domestici a me postulant, is potissimum, qui nostrorum de Optice scripsit, si fieri potest, fac, a Paschate accipiam, collata iam cum tuis Codicibus. Baudii Bibliothecam distrahi istic nunciatum. Vidi Catalogum, & Elzevirio, qui hic fuit, meque convenit, dedi trium libellorum nomina, quae mihi pretio minimo mitteret, quia invisi, quia rari sunt. Vidi & L. Florum, manu Baudii notatum, vendi: si aut Scholis scripsit, aut protrita sunt (inspice, quaeso) non postulo: & erunt ob lituras nimis praetiosae chartae. Fac, quaeso, sciam, an merae nugae, vel seria. Hic enim Florus in nostris regnat Scholis. Quid hoc rei, heri auditum? Obiitne Casaubonus in Anglia? Heu iacturam! si quid certi habes, fac, sciam, nosque amabis. Plantiniani in Fastis Pighii Tomos II. & III. denuo adgressi; quievit enim, dum Senecam Lipsii excudunt, cum ceteris operibus distraendum. Antverpiae XX. Martii MDCXIV.

CCCXXXII.

IANVS GRVTERVS IO. MEVRSIO S. P.

Imo in aliis rebus omnibus deses sum, haud etiam in vicibus epistolarum, itaque miror, quid literis meis factum sit ante annum. Eas enim de manu in manum dedi D. Elzeviriis, ut etiam iterum hasce. Quam magis enim aetate maturesco, tam magis nullum sentio praesentiorem vitae fructum, quam vivere cum amicis, praesentibusne, an absentibus, parum interest, dummodo vivae vocis imaginem repraesentemus colloquio epistolari. Quare, mi Meursi, fuge subspicari hac in re quid a me peccatum, aut deinde peccandum. Quin imo & D. Heinsium, D. Bertium, D. Scriverium, aliosque, iam aliquot annis mutos Pythagoreorum in modum, decretum est ultro convenire epistoliis. Glossarium tuum mihi comparavi ob luculentam accessionem. Albanum tuum iam nunc sitimus. Ego totus sum in Cicerone collato per Ianum Gulielmum ad Mss. Codd. superque eo postremis meis expetieram & auxilium tuum & subsidium. Itaque si quid habes ad praestantissimum illum Latinae linguae Auctorem, ne eo me tui amantissimum priva. Comparebit publice cum meritissima nominis tui mentione. Praeterea indicabis mihi, quo die natus es. Idem velim quaeras ex Heinsio, Bertio, Scriverio. Quod si & natalem & emortualem Merulae, Baudii, aliorumque, apud vos literis celebrium, per occasionem indicaveris, rem mihi feceris gratissimam; non enim solum mirifice delector huius rei cognitione, sed & gratificor amicis. Thuanus sane, saepe tale quid ex me quaesivit. Sed & nuper Gualterius, qui in Chronico Chronicorum ab Aubriis modo edito, titulum habet, *De vitae & mortis die Doctorum Principumque*, egregiam a me accepit symbolam (a). Si ego heic quoque tibi aliqua in re gratificari possum, impera, impetras. Scrib. vere extemplo, die Paschatis, Francofurti MDCXIV.

CCCXXXIII.

ISAACVS CASAVBONVS IO. MEVRSIO S.

Vir Clarissime.

Responsum ad novissimas (b) tuarum citius accepisses, si per valetudinem meam licuisset mihi literis scribendis dare operam. Miror queri te, quod nullas ab amplissimo Thuano acceperis; videris enim existimare, te quando tuas eruditissimas notas misisti, aliquam ad Thuanum epistolam adiecisse, cui ipse non sit dignatus respondere. Tu vero, vir eximie, si ita persuades tibi, in errore versaris; nam ego tunc temporis unas dumtaxat literas a te accepi; illas nimirum ipsas, quae tuas observatio-

(a) Mira & profunda dissimulatio: quandoquidem non alium fuisse *Gualterium*, *Chronici Chronicorum* auctorem, quam *Gruterum* ipsum, constanter traditum, cum omnibus doctis, tum ipsi vitae Gruterianae Scriptori *Playdero*. GRAMMIVS.

(b) Vir Clarissime, *add. in edit.* GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXIV. vationes continebant, quasque ago ad Thuanum misi. Si alias ipse scripseras, scito eas mihi non fuisse redditas, ac propterea Thuano de illis nihil unquam fuisse compertum. An postulata illa tua, quorum in postrema epistola meministi, continerentur ea quam ipse ad Thuanum misi, pro certo non possum adfirmare: puto tamen nihil eorum in illis literis tuis me legisse. Ita vides a Thuano nihil esse peccatum, qui nullas a te quod accepisset, nullas misit. Egit vero ipse mecum magno studio, ut tibi gratias agerem, & quam gratum hoc tuum insigne officium sibi fuerit, prolixe exponerem. Certus sum nihil te ab ipso petiturum, quod non statim sis impetraturus, εἰ δύναταί γε τελεῖν καὶ εἰ τετελεσμένον ἐςί. Vale, Vir clarissime, καὶ εὐημερῶν διατέλει. Londini IX. Kal. Maias MDCXIV.

CCCXXXIV.

Vbbo Emmivs Io. Mevrsio S. D.

Clarissime & praestantissime Domine, amice colende. *Albani Sexennium*, quod promittis, avidissime exspecto. Non dubito, quin ex lectione eius maximam voluptatem sim hausturus. Et quia exemplar eius ad me te daturum polliceris, habebo munus id carissimum & μνημόσυνον tui perpetuum. Valde autem velim scire, an in ea tela texenda etiam longius cogites progredi, & quo cogites usque. Bene merebitur haud dubie de hominum societate, qui universum hoc argumentum complexus recte fuerit, & a capite ad calcem deduxerit. Poterit tale opus esse vere κτῆμα εἰς ἀεὶ, ut summus ille Historiographorum de Historia a se scripta loquitur. Et Scriptor hic cum maximis rebus transmittet illustre nomen suum non solum ad praesentes gentes omnes, in quibus literae valent, sed etiam ad seram atque ultimam posteritatem. Sed quo abeo? Salutare tantum te brevi epistolio volui, & desiderium meum tibi significare. Boni consule, & vale, & me in tuorum numero esse patere. Raptim XVI. Maii Iuliani MDCXIV. Groningae [a]

CCCXXXV.

Georg. Remvs Io. Mevrsio S. D.

Εὐδιάγειν.

A Semestri, & quod excurrit, responsum tibi debeo. Invitus, quid? invitissimus debui. Solvo, at cum lacrumis, & veris atque seriis lacrumis. Obiere (exhorrescis) D. Cunr. Rittershusius, Freherus, Hubnerus, Iurisconsulti, Philologi, Poetae, Historici. Hoc hodie annus est, quum animam Deo reddidit Conditori Redemptorique Rittershusius Altorfii, cuius piis manibus te, Grotios, Heinsium & ceteros Phoebeios alumnos parentare, non praeter rem sit. Quaeso, Parnassum plectris concutite. Hubnerus Pomeranus, qui post Vrbanus, nosterque Collega, prid. Pasch. Francofurti exspiravit, ac Marg. Freherus IC. Pal. VII. viri Consiliar. III. Eid. Maias, ad coelum migravit. Accinite, & nos planctu publico innodatos solamini, qui extra fortunae tela constituti, o Amici, corcula optima. Ill. D. Baronem Erasmum a Stharenberg, Delicium Germaniae, quem Iehova sospitet, apud vos hospitem versari audio. Destinantur numi Philemoni, eius Ephoro, Caesare Calandrino nostrate (socero Scip. Gentilis, qui pater est duarum prolium) procurante. Res nostras non recito. Pacata omnia. Caesar Lintium supra modum adamat. Pragam in coniugis gratiam spernit, Pragam rerum pulcherrimam. Τὸ, quod restat, in Belgicis rebus recensendis ξὺν Θεῷ labora, & adfectum da cum nominis tui immortali laude & decore. Ita voveo & ominor. Saluta quaeso lumina illa magna, D. Baronem, Heinsium, Grotios, Philemona, & quotquot labra fontis Caballini undis immersarunt.

Norimb. IX. Kal. Iunii CIƆIƆCXIV.

ὡς τάχιςα.

CCCXXXVI.

Andr. Schottvs Io. Mevesio S. P.

Immortales merito gratias debeo, eruditissime Meursi, quod me Glossario donaris tuo, magna vocum accessione incredibiliter aucto. Erit officii nostri circumspicere, qua ratione, si non pariare, quis enim hoc speret! saltem ἀμοιβαδὸν rependere queam. Misi per Brantium nostrum Catenam Graecorum in Proverb. Salom. in quibus nostra quaedam: sed misi, inquam, si molem spectes χάλκεα χρυσέων. Boni saltem, quia nos amas, aequique facias velim. Vocem ςεφηφόρος positam non esse video, forte quod ea iam folia tum excusa essent, quum te per epistolam consulerem. Equidem Heronis ceterorumque μηχανημάτων libros meos accepi: quum alias opus erit ad edendum, mittam denuo, si volenti tibi erit. Nunc quia *Observationum* libros mittere paro excudendos Io. Aubrii heredibus, quia egregios habent Gr. characteres, addere constitui τὴν χρηςομαθίαν Procli, cum meis & Nunnesii Notis, quas ad te adlegavi cum Harpocratione: sed quoniam praevertente Iac. Maussaco, adhuc protelatum negotium est, fietque longius, rogo te, mitte Procli Chrestomathiam statim ad me. Hoc te fasce levabo, modo relegere nostra, & emendare inter legendum, ne graveris; mittesque fasciculum Goudam Petro van Stompwyck, qui adolescens iam ibi apud parentem est, per quem & Tertullianum nuper istic coemeram: sic ad me perveniet, ut opto, citius. Albanum, quem scribis missurum te brevi, vereor, ne turbantem videas, otiumque, ac cursum studiorum nonnihil interrumpat, quia πολεμικὸν hoc argumentum, plenumque controversiae, & odii in his terris; nam in Hispanis

(a) Exstat edita inter Gudianas, num. CCIX. p. 279. Grammivs.

Ann. Chr. MDCXIV.

ſpanis peti caput, Religionemque maiorum, quam armis tuentur Iberi, recte interpretabantur, ut olim in Romanenſibus Catholica obpugnata religio. Color ſic quaeritur, ut cum Catholicos aperte adpellare ac laceſſere nolunt, Hiſpanos ac Ieſuitas oblique petant. Si ſponte hoc argumentum ſumpſiſti, tibi erit, quod intrivisti, ex edendum: ſin iuſſus auctoritate Ordinum, quia Hiſtoricus es, mallem Graeca, quae profiteris, tigeas ἱςορικὰ. Quae enim tempeſtatis ſunt noſtrae, & ſeculi, invidiae ſunt plena. Namque hoc tempore, ſi alias unquam, veritas odium parit. Veram prudentiam hic ſperamus adhibitum iri. Eſt in quo tuam apud Bonav. Vulcanium operam efflagito; ideo reſignatum epiſtolium miſi, quod illi, ſi videbitur, obſignatum trades, noſque voto ac ſubfragio iuva, ut exoremus, quod poſtulo, aequum. Glaphyra nimirum Cyrilli, ab illo quidem verſa olim, ſed quae ego aere meo deſcribenda curavi, & cum illo communicavi, ut depoſitum mihi repetenti redderet. Nunc adiungere vellem ceteris Homiliis eiuſdem Cyrilli hactenus ἀνεκδότοις, ἑορταςικοῖς, Mediolano huc a Card. Borromaeo ad me miſſis ad edendum Graecae & Latine. Et quia moles exigua futura, optat plura Typographus, adderemque libens Graece ac Latine, Bonaventura interprete in Pentateuchum. Vtraque rogo fidem meam ſecutus ad me mittat, non fallam fidem. Tu modo, ſi tanti eſt, pro me ſpondeto, ut utrique familiaris, & fortean illius olim auditor. Si fruſtra peto, vel illud ſignifica, noſque inprimis amabis ac iuvabis non immemorem. Vale. Antverpiae a. d. IV. Kal. Quinctileis CIϽIϽCXIV.

CCCXXXVII.

CHRISTIANVS ANESORGVS IO. MEVRSIO S.

Σὺν ὕρῳ μυςικῷ.

POſtquam aeterno illi Numini laudes laetas grateſque egi, eique Arabico fumigavi odore, quod me in locis Neptuniis, templiſque turbulentis ſervavit ſaevis fluctibus, praeſentariam hanc ſcriptionem ad te mittere, Vir Cl. numero in mentem venit. Idque non immerito quidem, quum tu caput & pes fueris, quod tam opipare, tam laute, tamque humaniter a Principe illo Reip. literariae in Anglia D. Iſaaco Caſaubono adceptus fuerim, quam vix ipſa Amymone a ſuo Neptuno. Pro quo tam benigno & calido in me adfectu immortales iterum tibi ago gratias: & ſi fortaſſean ob moram nomen meum in tabulas illorum debitorum retuleris, qui accepti atque expenſi ſtatim obliviſcuntur, quaeſo illud expungas, ne quid debeam. Nihil enim per totam vitam citis quadrigis uſque declinavi adeo, quam ne aliqua ingratitudinis labe memoriam mei contaminarem ingratiis. At Caſaubonus ille quid amplius? Amat te, magni facit; unum apud Batavos, auroque contra carae ipſi tuae ſunt literae, quibus Germanos inſinuas; ad quam nationem amandam, aeſtimandam, ob inſignem candorem atque antiquam fidem, ſe a ſingulari quodam fato trahi, ſaepenumero in curru ſecum exſpatianti ingenue confeſſus eſt. Faxit Deus, ut reliqui etiam Galli ita in nos animati ſint, ad quos abiturimus. Deſino in hoc voto, & te etiam atque etiam ſalvere iubeo.

Lovanii XX. Iulii CIϽIϽCXIV.

Tuus ἐν τοῖς τῶν φρενῶν δέλτοις.

CHRIST. ANESORGVS.

CCCXXXVIII.

GEORG. REMVS IO. MEVRSIO S. D.

MAio menſe ad te dedi, quum Paulus Fabritius Marcomannus ad Ill. Baronem D. Eraſmum Starenbergium una daret. Eas tibi redditas ſpero. Iam ſubnecto alteras, & quidem non ea, quae laetificent, ſed moerore adficiant, adfero. Poſtquam III. Eid. Maii ad beatas conceſſit ſedes Marqu. Freherus, cauſae optumae Patronus, teſtamentariae tutelae Electoris ſui [a]; en ceu ſuccenturiatus ſequitur Eidib. Iunii Marcus noſter Velſerus, Annalium Auguſtae, & Boicor. Scriptor. Vrbs hinc Vindelicorum Auguſta duo amiſit lumina: Reſp. autem literaria totidem columina. Iuſta ſolvamus utrique: ita ius fas eſto. Rittershuſio te quoque exſequias ire velim. Heredes tuos exſpectant verſus. Velſerus ἄτεκνος obiit. Freherus natos duos, tres ſequioris ſexus proles, Rittershuſius tres filios, duas natas reliquere. In Rittershuſii locum ſubrogatus eſt Doct. Andr. Dinnerus Herbipolita. Vivit & valet D. Scip. Gentilis, qui intra triduum Reip. Academicae clavum deponet. Imminet enim Petro-Paulinum ſacrum. Vivit Piccartus, Virdungus, Queccius, ceteri. De rebus aliis nil attingo. Tranſiiſſe τὸν Κόμητα Παλατῖνον in caſtra τοῦ ἀρχιερέως τῶν Ῥωμαίων, ἀιςχιςόν ἐςι [b]. Vtinam non bellum oriatur inter poſſeſſores illarum provinciarum. Quod ſupereſt, ad vos venit politiſſimus D. Caſpar Willichius, Caſelii auditor, qui ad emporium optimarum diſciplinarum, Academiam dico veſtram, ſe de conſilio magnorum virorum confert. Eum quaeſo cum comitibus, qua ſoles, comitate excipias, rogoque uti conſilio hominem iuves, quo non ſolum commoda utatur menſa, verum etiam Muſeum aptum ſtudiis nanciſcatur. De tua erga ſtudioſos bonarum literarum προθυμίᾳ vel minimum ſi dubitarem, prolixior eſſem.

Vale,

(a) De hoc argumento, & controverſia per ea tempora illuſtri, varia ſcripta edidit *Freherus*, Iuris Publici ſtudioſis ſatis nota, quorumque hic titulos commemorare haud opus, apud Biographos paſſim inveniendos. GRAMMIVS.

(b) Erat ille *Wolfgangus Wilhelmus* Comes Palat. e domo Neoburgica, qui Religione, quam parens profeſſus fuerat, eiurata, Romano Catholicis ſe adiunxit. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXIV.

Vale, salve, vir magne, & decus Belgii tui. Norimb. VII. Kal. Iulii CIƆIƆCXIV.

Officiosissime saluta Ill. D. Baronem Starenbergium & amicos, si qui sunt istic.

CCCXXXIX.

ANDR. SCHOTTUS IO. MEURSIO S. P.

De misso munere Glossarii secundae editionis, Meursi doctiss. & egi, iterumque ago gratias libens: magnam enim factam accessionem facile deprehendi: & si res ea finem non reperiet, crescente novorum Scriptorum numero, qui e tenebris in dies revocantur, V. gr. Emendabam nuper Vitam B. Chrysostomi a Georgio Alexandrino Patriarcha conscriptam, interprete Godofr. Tilmanno Carthus: comparans ad Britannicum exemplar Tom. VIII. (quod accepi quidem nuper, sed errore factum est colligentium, ut quartus Tomus bis sit, sextus vero desit: & repeto per epistolam ab Savilio, sed surdo fabulam, adeo cunctatur, etsi numerarim pecuniam) Hanc non visam lectamque miror a Card. Baronio Tom. V. Annalium Ecclesiast. ubi Palladius in partes saepe vocatur, qui hinc sua descripsit, aut retro; incertum enim, quia Palladius Graece nondum repertus est. Nec eam vitam vidisse se Posseuinus noster in Adparatu sacro testatur, sed tantum, quae inde Photius noster exscripserat. Eam, cum Notis nostris ad omnia; sed non satis diligenter, hic operae excuderunt, Tom. VI. operum S. Chrysostomi, qui etiam seorsim venditur iis, qui priores Tomos iam possident. Quereris, quod Catenam in Proverbia Graece non ediderim. Dicam, quod res est, quia videre non contigit: sed P. Peltani versio mihi tradita erat, ut extruderem. Et vero nondum ego Catenam ullam, excepta Oecumenii, Graece nostra tempestate editam vidi; ut in Psalmos L. Danielis Barbari, in Pentateuchum, in Iobum P. Pauli Cometoli, bis edita, Latine omnes exierunt. Et quoniam opera beneficioque vestro, optime Meursi, a Bonaventura Cyrillum Alex. in Pentateuchum sum nactus, amabo te, fac, sciam, an Grace habeat, possitve haberi vel pretio; nam de *Adoratione in Spiritu*, Graece habere Bruxellis possum a D. de Goicq, quo & usus D. Bonaventura per Io. Bochium. Et xxx. illas ἑορταστικὰς Cyrilli Homilias Paschate habitas, & hactenus ineditas Graeco Lat. habemus, & in Prophetas minores P. Pontanus utraque lingua dedit. Qui has tibi reddidit Gasp. Gevartius φιλίατρος, auditor etiam tuus in Graecis futurus est, a quibus non abhorret, parente docto doctior futurus, si maturabit ingenium filius. Eum mea commendatione velim ita complectare, ut momenti quid obtinuisse sentiat. Ita vive felix, nosque iuva. Cetera ille subgeret, quae de me voles cognoscere, Epistolae instar futurus, dignusque amari, quo sum in praesentia brevior.

Antverpiae prid. Cal. Sept. CIƆIƆCXIV. Illud pene me fugerat, in illa Chrysostomi Vita a Georg. Patr. conscripta, repperisse me duo vocabula mixobarbara P. 214. Britann. editionis, Tom. VIII. χηματάριν, neque dum in Glossario reperi. alterum pag. 217. Κυττούλων, cuius meministi, sed alia notione, quam hoc loco conveniat, nisi fallor. H. Savilius κυκούλων divinat. Rectene an secus, tu iudicabis. Obcurrent & alia, sed quae festinanti notare non erat integrum, dum cottidie operae me interpellarent.

CCCXL.

IANUS GRUTERUS IO. MEURSIO S. P.

Ita est, ut dicis, praecipiti cursu Respubl. literaria currit ad barbariem. Qui enim subcrescunt, iuvenes superbi, temerarii, confidentes, in eo sunt praecipui, ut carpant praeceptores suos, ne aliquid ab eis boni didicisse videantur; aut in eis se iactant, quae maiores eorum habuerunt pro reiiculis. Ego fere gaudeo, cum respicio ad canos meos; futurum arbitratus, ut non diu intersim his ingratis Haud tamen me colloco, ut tu facis, inter sedentes ad Orchestram; satis habeo, si in requiete compeream. Quid enim amplius sperem, semper-exsul, semper-funestus? Interim gratias tibi habeo agoque ob amoris tui caecitatem, qua factum, ut visus tibi fuerim laticlavius, qui nescio, an indutus sim angustum. Amemus nos mutuo, ac saepe iter istud literarium teramus; non modo tempore Nundinarum Francofurtensium. Nam ecce inter Scaligerianos libros recensetur (Catalogi Bibliothecae pagina 76.) *Ciceronis Philosophicorum pars prima, infinitis locis manu Ios. Scaligeri illustrata*. non ausim rogare librum illum commodato: sed tamen avide admodum cupiam videre adnotata illa Scaligeri. Scripsi ea de re ad D. Heinsium: sed quia is iam multos annos tacet, & alioquin epistolis meis non respondet, nisi sub tempus Nundinarum: urge quaeso amicum communem, quei prius Notas eas adipiscar. recte curabuntur per D. Ioh. Commelinum. Quicquid studioso impendetur, qui eas describet, restituet idem Commelinus, eique refundam demum in Nundinis. Spero enim me Tullio meo ultimam impositurum manum vere proximo. at non excussisse illa Scaligeriana, fuerit piaculum meum. Quod si labores meos in opt. illum Auctorem carmine dignos duxeris, sciet posteritas vixisse me, ut amantem tui, ita & amicum carumque tibi. De Albano plurimum tibi debeo, eum nactus perlegam, & censebo, ut vis; nam haec scribo praeter solitum. Heidelbergae XXII. Sept. MDCXIV. porticu exaedificanda occupatus.

Ann. Chr. MDCXIV.

CCCXLI.

IANVS GRVTERVS IO. MEVRSIO S. P.

QVod nunquam futurum putassem, accidit, adloquium scilicet tuum vicarium; ita enim mihi descriptus fueras, ut nihil aliud ageres, quam animam; nunc, ut video, & audis & loqueris, & meditaris utilia in remp literariam, posteritati impensurus & ultimum spiritum, cui fausta omnia ac felicia adprecor. Vtinam de nostris annis tibi Iupiter augeat! De Epigrammatis tuis in Deliciis iusta est querela tua; sed non in Gruterum. Vt enim Collector Andr. Francus a me petiisset nonnulla tua, egoque ei communicassem tuam epistolam, fecit, quod ei libuit; nomen autem Bezae mutavit, quod id unum totum opus redderet odiosum locis Papisticis. Itaque sic cavit dominis suis. At operi illi praefixum Ranutii Gheri nomen, fateor; sed nesciente ipso, sed invitissimo, & quod redimeret florenis sexcentis, si per rerum naturam res infecta fieri poterat. Totum illud est facinus Bibliopolae, qui, quum videret Germanorum delicias male distrahi, meliusque vendi Italorum, Gallorumque, Gheri nomine insignitas; id illico & Belgis praeposuit, factum quidem infandum; sed factum tamen [a]. Idem Typographus ante annum excuderat Livium in 12. addito in Catalogo, esse ex recensione Gruteri ad Mss. Palatinos, At ego ei libro manus non admoram, nedum ut consuluissem Mss. Haec talia scilicet putant se peccare posse compendii sui causa, dedecoris nostri securi prorsus. Repetii Tatianum tuum a tutoribus liberorum Freheri: & exstat, Verum sub signo custoditur, ob fratris Freheri absentiam, qui agit Advocatum Norimbergae. Itaque tibi is liber restituetur: nam quod hic aliquem inveniamus, qui excudat, plus nihilo est. Lucrosa quaerunt Typographi, bonitatem neutiquam curant. Haec poteram breviter tuis reponere tempore nundinarum; alias futurus prolixior, Ceterum de amore meo erga te, hoc tibi polliceare, neminem esse vivorum hodie amicorum, cui plus debeam, quam D. Vulcanio, praeceptori meo in Graecis. Reliqui omnes, quos observare ac colere solebam, obierunt; tu solus adhuc vivis, & D. Canterus, D. Camdenus, Quo ergo estis pauciores, tanto deinceps officium meum faciam enixius, par est. Quod si tibi aliqua in re utile esse potest, aut iucundum, impera, & impetrabis ab omnibus modis tuo I. Grutero. Heidelb. XXII. Sept. MDCXIV.

CCCXLII.

GEORG. MICHAEL LINGELSHEMIVS IO. MEVRSIO V. CL. S.

VIr Clarissime! Literas tuas plenas amoris & studii, & munus Historiarum tuarum longe gratissimum recte accepi, & immortales tibi habeo gratias pro hoc, compluribusque antea acceptis beneficiis. Hoc unum doleo, nihil mihi ad manum esse, quo mutuum in te adfectum demonstrare possim. Legi tua maxima cum voluptate, & pro iudicio, quod a me postulas, acclamationes adfero, ut porro pergas Reip. & literis plurimum prodesse. Exemplo magni Thuani id video te exacte praestare, ut veritatem ipsam sine studio partium proponas, neque insimulari possis adfectibus te quicquam tribuisse, adeo ut hostis egregia facta saepius extollas, prae κατορθώμασι pro patria & libertate praestitis. Quod deploras erepta tam exiguo tempore lumina literarum, eumdem tibi sensum nobiscum esse animadverto. Deo gratiae agendae, qui tam insignes viros dederit. Laudabile hoc institutum vestratium, quod Groningae novam sedem Musarum collocarunt; sic decet barbariem expugnare, irruentem per impetum blasphemae illius societatis, quae bellum indixit praeclaris ingeniis & bonis literis ipsis. Tu vero, vir magne, in proposito persevera, & perge prodesse publice. Ego me ita obstrictum tuis beneficiis adgnosco, ut nihil tam difficile futurum sit, quod non in tuam gratiam sim subiturus. Mone tantum qua in re usui tibi esse possit opera mea, reperies gnavum & impigrum. Vale felicissime, decus literarum. Heidelbergae IX. Oct. MDCXIV.

CCCXLIII.

ANDR. SCHOTTVS IO. MEVRSIO S. P.

DOmum a longinqua peregrinatione per nostrorum Collegia reversus, tuas ad me gratas apud Brantium reperi; quae iusta causa, cur serius respondeam. Indicem meum Plinianum iam recepi: quod in eo praestitum a Rutgersio eruditissimo viro, in Sveciam profecto, nondum comperi: vellem vel vitiosa notasset. Mich. Glycam, Graece conscriptum, initio a Pantino versum, ad te mitto utendum arbitratu tuo. Habeo & Chronicon ab Adamo, ἀνονύμε nisi forte Auctorem tu divinabis; nam Cyrilli nomine, hoc est, Κυρίε ἀδήλε ἐπιγραφῇ, mihi olim descriptum vendiderat Andr. Darmarius, Graeculus librarius, sed Cretensis. omnia dixi. Puto Fred. Sylburgium, Notis ad Etymologicum, eius a me accepti meminisse. De Harpocratione tam copiose a te illustrando laetus nobis accidit nuncius, & beabis posteros, gloriaque mactabis nomen, famamque vigiliarum tuarum, qui Attica, ut μιξοβάρβαρα, penitus illustrabis. De Hesychio itaque quam spem facis, cave, fallas. Difficile id quidem opus, tum quod addita habet, tum quod scripti codices, quod sciam, sint nulli; iuvabunt tamen amici, & ego de meis angustiis, & Heinsius, qui editionem promiserat, & in Criticis multa occurrent investigando. Nihil enim tam

(a) Observatio vix alibi obvia. Nusquam enim videbis *Belgicorum Poetarum Delicias* alii collectori tribui, quam *Grutero*, cum *Ranutii Gheri* aeque nomen praeferant, ac Italic. & Gall. At hic discimus, Belgicos ab illo collectos, qui Germanicos, edidit nimir. *Andr. Franco*, & *Ranutii* nomen adhibitum impostura Bibliopolae; si modo possit haberi fides *Gruteri* verbis, GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXIV.

tam difficile, quin labore industriaque superari queat, ut nosti. In Harpocratione Maussacus ille locum in Proverbiis taxat nostris. Recte quidem in *ducere* vel *inducere*; sed ad sensum pro me habeo Hesychium illum & Suidam. Tu iudicabis. Quis enim melius? quum ad illum locum erit ventum, nostraque si fas est, tuebere, aut expendas saltem paulo accuratius. Quam vellem, si commodum est, Harpocrationi tuo subiungeres Thomae Magistri Lexicon, parvum illud quidem, at varietate nominum utile in Atticis vocibus; a Wechelianis olim excusum Lutetiae cum Phrynicho, quem iam a nobis acceptum David Hoeschelius Augustae, ut nosti probe, evulgavit. Si Notis tuis non indiget, aut interpretatione, saltem Auctorum citatorum Indicem requiret, nisi quid iudicans fallor; qua ante Sylburgius excelluit, ad summam Graecarum literarum accurationem. Hoeschelius Graece pollicetur editurum se Cyrilli Alexandrini adversus Iulianum παραβάτην libros. Nactum se quoque Salomonis exemplar vetustiss. Cp. adlatum, in quo Psalmi XVIII. Salomonis hactenus ἀνέκδοτοι, & invisi. Iudicabimus, an γνήσιοι, cum lucem adspexerint. Vale in Dom.

Antverpiae, a. d. IX. Kal Nov. MDCXIV. Scripta iam epistola nunciatum hic in insula Lillo, seu munimento, vestros ibi praesidiarios, nescio qua de portorii caussa, hic exacti, lacerare libellos & imagines hinc adlatas, cistisque inclusas. Timere coepi, ne & Ms. nostro male esset, laceraretur que ab indoctissimis hominibus. Substinui itaque Mich. Glycae scriptum exemplar, praemissa προδρόμου vicem epistola, dum tabellarium reperiam, aut amicum, qui quanti minimo tibi adferat. Miseramus nuper Th. Cantero Vltraiecto ei mittendum Asterium Graeco-Lat. quem iidem, ut Papisticum librum, ut adpellabant, rapuerunt, & haud scio an lacerarint. Si haec vis non est, & raptus! Venere interea & e nundinis *Observationum* nostrarum libri; adiunctis & in *Procli* χρηστομαθίαν *Notis* nostris, in quibus, nisi me amo, quaedem forte obcurrent, quae lucem aliquam Harpocrationi adferant. Quod te ignorare, dum hoc agis, nolui. Iterum vale, & Gevartium nostrum Hagae saluta, cui mittam Fastorum Pighii talia illa una cum Glyca scripto, ut & ille Notis fruatur, dum in Statium extrudere vult sua. Feliciter! Salvebis ab Heriberto nostro, a quo pro tuo iure *Vitas Patrum* exiges.

CCCXLIV.

DAVID HOESCHELIUS IO. MEURSIO S. D.

Accepi, Vir Cl. Hesychium tuum, donum perquam gratum, non eo solum, quod amoris in me tui ea significatio; verum etiam, quia editis abs te quibuscumque eruditiorem me fieri posse video. Andronici περὶ παθῶν opusculum nisi te iam habere existimassem, pridem misissem. Quamquam ita pauca impressa sunt exempla, ut haud sciam ullane, quae bibliopolae nostrae est negligentia, Francofurtum venerint. Casaubonus semel atque iterum Notis in Theophrasti Characteres eius meminit. Operae igitur omnino facturus esses pretium, si cum tua interpretatione ac Notis, ut Hesychium modo, eruditissimis illustrares, maximo studiosae iuventutis fructu, minimo tuo labore, qui in hoc lucubrationum genere es exercitatissimus. Herodis Inscriptionem abs te versam habeo e tuo autographo, atque ut Casaubonus noster edidit; unde minus de Glossariensi laboraram editione, ad quam negabant quicquam accessisse; neque ullum hic eius exemplum venale prostat. Quod si de illa recognoscenda cogites, vide, an versus 6. ita possit legi ἐν ἀθανάτοις ἀλέγηθον, id est, *recenseamini*, nam in MS. Roma huc ad nobiliss. nostrum Velserum misso, ultima solum litera desideratur, ἐν ἀθανάτοις ἀλέγηθο. Sic Pind. Od. 2. Olymp. Πηλεύς τε καὶ Κάδμος ἐν τούτοις ἀλέγονται. In editione Casauboni, post vers. XII. hic desideratur, τὴν ὅσσην περὶ τεῖχος ἔυτροχον ἐστεφάνωται. v. 22. videtur legendum χλωρὰ θέουσαν, velut Hesiodus in Scuto Herculis, v. 126. dixit, λευκὰ θεόντων. v. 25. putabam legi posse, δρωμ κ. α. ῥήξειε μακέλλῃ. v. 34. pro ῥόμβος malim ῥήμβος. Epiphanius in Ancyroto de cultu Deorum, ἄλλος δὲ ῥήμβος (lib. eod. τέρεμβος mendose) ἡ ῥημβὰς Ἄρτεμιν προσετύπου, καὶ μέθυος Διονύσιον· καὶ πολύμοχθος ἡρακλέα. Sed fus Minervam, qui haec ad te. Si tibi notus sit, aut amicis, Iacobus Philippus Maussacus Biterrensis, qui mecum hic ante quadriennium fuit; cum eo per literas agi possit (quamquam ubi locorum vivat, me latet, nisi forte in Gallia) de Harpocratione; quem e Codice Ms. integriorem & emendatiorem promisit. Amplissimus noster Velserus te peramanter resalutat: salutem plurimam adscribo etiam Cl. D. Heinsio, cui ex literis Fed. Morelli, Professoris Regii, haec ad me, ni molestum, significa; & quidem ipsa eius verba; *Audio etiam penes Dan. Heinsium, clariss. doctissimumque virum, esse Ms. Epictetum, qui Ios. Scaligeri* μακαρίτου *fuerat, emendatiorem ampliorem que. Ego humanitate viri illius cum singulari eruditione iuncta, plane perspecta, non dubito, quin tibi publico bono peculium istud conferat, vel ultro.* haec ille, qui etiam ad Arrianum nonnullas emendationes sponte misit. Bene vale, vir eximie, meque amare perge (a).

Augustae Vind. V. Kal. Nov. MDCXIV.

CCCXLV.

ANDR. SCHOTTUS IO. MEURSIO S. D.

Immortales, dum vivam, gratias tibi sum habiturus, doctissime Meursi, pro missa parte prima γλαφυρῶν B. Cyrilli; & reliqua exspectabo, quum iam in excudendo opere versabor; ita enim promittis. Decrevi enim omnia

(a) Exstat iampridem vulgata haec epistola inter eas, quae *Gudianis* & *Sarravianis* adiunctae, cura *P. Burmanni*, num. CVI. pag. 190. GRAMMIUS.

omnia ipsius colligere, & una, si vixero, edere Cyrillum, auspiciis Illustrissimi Cardinalis Borromaei, magni apud nos studiorum Patroni, ut Graece bene docti; quando principio edi vult illius ἑορτασικὰ XXX Homilias. Quas & Graece penes me habeo, ex Iberia, ubi coemeram, adlatas, & verteram Latine; sed cessi, Cardinale ita gratum fore ostendente, Antonio Salmatiae Doct. Theologo, eius in XII. alumno; qui mihi Zonaram in Canones Conciliorum vett. sed Latine dumtaxat, Mediolani excusas, sponte inscripsit, exemplo inusitato, nihilque tale, vel opinante me: si forte Zonaram illum es nactus. Quemadmodum & Chronicon Chronicorum nuper mihi dedicavit, inviso more, Io. Gualterus, sive is Gruterus est. De Zonarae epistolis (quoniam iam mentio incidit) quas Gr. Duza Byzantio adtulit, & Cyrilli Homiliis, quales eae sint, ante ex te cognoscere, sive apud heredes adhuc delitescant, sive in publica sint Bibliotheca depositae; & an lucem adspicient, quia sacra tractant, quae hanc meam & aetatem, & institutum vitae nunc maxime decent, subspensis e salicibus organis nostris. Et quando μακαρίτυ Bonaventurae Bibliotheca vendetur auctione, si B. Cyrilli te advigilante mihi pretio coemerentur, praesertim ἀνέκδοτα, ut fiant aliquando iuris publici typis excusa, ad tua in me officia, imo beneficia, hic cumulus accederet, meque obstrictum perpetuo teneres. Nam & ipse publico studens assidue commodo, non damnabis nostrum ardorem. Sed vereor, ne Bibliothecae vestrae Lugdunensi illa κειμήλια destinentur, ut eo adspirare non liceat. Si ita est, saltem nomina librorum Cyrilli Gr. diligenter descripta fac habeam, amabo te: memoremque experieris aliquando. Venio ad Harpocrationem nostrum: quem a Maussaco editum vidi equidem, & me laudatum in Heraeo muro, reprehensumque & rectius inscriptum (fortean) vertissem; sed de Isaeo, ut ille divinat, ne somniaram quidem, ut in Suidae Collectaneis in βάτα κάρας, animadvertes. Ille si Hesychii locum inspexisset, nae ille aequior nobis arbiter fuisset. Sed

Caedimus, inque vicem praebemus crura sagittis.

Doleo, quod maxime optabam, Indicem deesse omnium locorum X. Graeciae Oratorum, qualem ad Stephanum Byzantium dedit G. Xylander, non paginis, sed nominibus verbisque citatis. Scio relictam tibi messem laudis, & habeo quaedam adhuc a Ricardo Montacutio mihi missa: quae, si cum tuis obiter natis placet extrudere, suadeo, ut seorsim a Textu, istic edas, quae Parisiensi coniungantur, minore & impendio, & labore, atque ingenti Lectorum fructu, qui tot novis editionibus non sunt onerandi, quoties Notae novae exsistunt; & fortasse sentis mecum. Fasciculum literarum a Gevartio iam accepi, quem dum exspecto, responsum distuli, non negligentia, ut una fidelia duos, quod aiunt, parietes inalbarem. Da hanc igitur veniam: & me Index trium Tomorum Steph. Pighii Amaliam Rom. ab V. Cond. ad Vespasiani tempora, tenet mire occupatum; ut vix literis amicorum par sim αὐτοχειρὶ scribendis, etsi forte dictandis. Pecunia Elzevirio hic adnumerabitur, arcae nostrae confidat. Adolescentem illum ad grandia exsurgentem tibi, iterum, Meursi, si pateris, de meliore commendo nota. Vale, nosque iuvaro mutuo ne desine. Sic tibi mihique fausta omnia, & de meis annis addat tuis Deus Opt. Max. Antverpiae postr. Id. Novemb. CIↃ IↃ CXIV. Salve a P. Heriberto.

CCCXLVI.

GEORGIUS REMUS IO. MEURSIO S. D.

MAgnas me tibi agere gratias Vir Cl. Domine Meursi, amice honoratissime, magna dictat ratio. Munus exquisitae eruditionis, quod ἀμφοτέρησιν amplexus fui, longe gratissimum accidit. Egone vero censeam? Taciti, haeus, aemulum te agnosco, solertem aeque, ac felicem. Palpum, id me vetat Candor ingenuus, prohibessit nostrae foedus amicitiae; palpum non obduco Βαλλ' ὕτως. Macte ingenii & calami alacritate *cum propitio Deo*. Non te tacebit ulla posteritas, ubi in hoc stadio a carceribus ad calcem decurreris, & ἀμαράντιον laurum promeritus, de seris nepotibus per ora hominum, per manus labor ille tuus volitabit, atque volutabitur. De rebus Germaniae quid scribam ὐδὲν ἔχω εἰπεῖν. Pacis δωτῆρα Iehovam deveneramur, uti his in oris auram conservet tranquillam a tempestatibus Martiis. Non desunt, qui libertati nostrae invideant, adeoque insidias struant. Non eripient eam nobis salva Religione. De morte Rittershusii τῦ ἐν ἁγίοις inaudisti, opinor: cuius memoriae utinam metra des! Exspectamus sedulo a te, quotquot Rittershusio amici fuimus: expetunt idem haeredes filii. Sat cito, ubi intra bimestre, vel etiam trimestre adcepero. Editur *Ius Iustinianeum* XVII. Capitibus methodo exactissima digestum a Rittershusio. Ei operi addentur amicorum Epicedia [a]. De Casaubono, proh! quid ais? Abiit? Immortalitate dignus emoritur. Α'ντιγράφυς denique has mitto ad te, Episcopo Religiosissimo, & eruditissimo apud Britannos *Eliensi* inscribendas. Nomen me fugit, fugit & Christianum Becmannum, qui eas scripsit literas: & magnopere cupit has deferri Episcopo, a Casaubono non semel laudato. Tuto inscriptionem, rogo, & per amicos, traiicias in Britannos. Inest quaestio de veteri Historia, quam sibi Becmannus noster, vir politissimus [b] enucleari petit. Sed quod responsum dabit Antistes, quod oraculi instar

(a) Prodiit quidem hoc ipso anno istud opus *Rittershusii*, & addita fuerunt Elogia & Epicedia, tum soluta, tum ligata oratione, sed nihil a *Meursio*, ceterisve Belgis, quos *Remus* talia poposcerat. GRAMMIUS.

(b) *Christianus Becmannus* erat tunc temporis Rector Paedagogii Ambergensis in Palatinatu: postea vero professor Theologiae, professor in Gymnasio Servestano Anhaltinorum. Ex scriptis eius nota inprimis *Manuductio ad Linguam Latinam*, ac *de* Ori-

Ann. Chr. MDCXV.

st ar erit Becmanno, in re historica haerenti, fac, ad me destines. Nihil gratius mihi, nihil exoptatius Becmanno, cuius causa nil non volo. Vale quam felicissime, vir meritis tuis magne, & mihi amorem perenna tuum; quod si feceris, me beatiorem aestimabo, quam si Croesi, & Crassi opibus potiar. Norimbergae X. Kal. Mart. CIƆIƆCXV.

Qui in Academia vestra doceant Antecessores, fac sciam.

Tuus ex fide prisca

G. REMVS.

CCCXLVII.

ANDREAS SCHOTTVS IO. MEVRSIO χαίρειν.

GRatus mihi adventus Gevartii, qui has tibi reddet, fuit, doctiss. Meursi, eoque gratior, quod familiarem vobis, a quorum latere non nisi doctior discederet, cognoscerem. Eum ut amabilem diligere, imo amare ne desinas, rogo, in me collatum beneficium interpretabor; & apud me positum officium. Greg. Nissenus hisce apparebit nundinis, nobis vigentibus, Graecolatinus. Sequetur, spero, Cyrillus Alexandrinus, typis Morelli regiis. Si huius sanctissimi Scriptoris reliqua a Bonaventura descripta honesto pretio nobis redimere placet, faxo, ut adpareant. Quid enim tu Graece eruditissimus exoptas magis, quam ut Sanctorum Patrum paulatim sua quisque lingua illustrior adpareat. Iuva itaque in partem cum D. Heinsio, quando publica spectare commoda coepistis feliciter. Carisium Sosipatrum quam vellem istic tuis Notis auctiorem extruderes; habet enim glossematis non pauca utilia: & noster Index auctorum a C. Plinio citatorum, si istic usui esse non potest, ad me recurrere sinas. Absolvi iam, etsi tardius, Steph. Pighii Fastorum Rom. vastum opus, in quo me Index egregie exercuit: sed erat maxime necessarius. Quid praestitum sit, volui quidem certe, tu opt. & sincere iudicabis, nosque amabis. Salvebis a Brantio nostro, qui ἀῤῥωςεῖ, incisa vena. Reliqua Gevartius, quem bellum hic remoratum est. Antverpiae XV. Kal. April. MDCXV.

Salvebis amanter a Rosveido nostro, qui (ut ego Cyrilli illa redimere cupio, excepto De Adoratione in spiritu & veritate, quem aliunde sum nactus Bruxellis) optaret sibi emi Io. Climaci Scalas Graece: qui ex parte meus est codex ex Hisp. a me adlatus. Vera narro, sed apud te haec sint. Ἔῤῥωσο πάλιν.

CCCXLVIII.

IO. BRANTIVS IO. MEVRSIO S. D.

IN nominibus tuis me esse fateor, Vir Clarissime & ad binas ternasve tuas responsum debere, imo & gratias pro muneribus literariis, quae ad me mittere dignatus es. Iamque diu officium hic meum fecissem, nisi (quod res est, dico) gratias tibi toties agere, & agere tantum, subpuduisset. Itaque exspectavi, dum te remunerari vicissim munusculo aliquo possem, & ad hoc Asterius occasionem daret, qui nunc tandem prodit dias in luminis auras, eritque, ut spero, vel eo tibi gratior, quo te magis eius tenuit hactenus desiderium. Spissius enim fortassis opinione vestra, quod in his talibus amat fieri, & testudineo gradu processit editio, ita tamen ut vires eundo adquisiverit, nisi me fallo. Accesserunt enim Rubenii τοῦ μακαρίτου Poematia, Orationes & Epistolae selectiores, & amicorum insuper in defunctum pietas. Vt varietate ipsa Philologis omnibus gratum sit futurum hoc opus: tibi inprimis, qui inter hos familiam ducis. Quaeso te, vir Cl. aequi bonique facito, & nos mutuo semper ama.

Antverpiae VI. Kal. Iul. MDCXV.

P. Schottus te salutat, ego D. Heinsium, cui & Asterii exemplar mitto, absque literis tamen, quibus scribendis hic nauta tantulum mihi temporis non relinquit.

CCCXLIX.

ANDR. SCHOTTVS IO. MEVRSIO S. P.

NVnciatum nobis Ia. Rutgersium a vobis ad Svecos proficisci, Consiliarium, quod illi vertat bene. Is, ut scribis, Indicem nostrum Plinianum Auctorum, a nobis collectum, recensuit. Si istic edetur, est, cur gaudeam; sin locum non reperiet, ad me remitte, ut Puteano nostro committam, C. Plinii librum VII. qui historicus est, me hortante, interpretaturo. Doleo omnes ea industria carere editiones Plinii, tamen saepe necessaria, ut te omnium minime fugit. Aldelmum quoque de Virginitate si contulisti cum Mantissa tua, ultimaque Parisiensi editione, ad nos mitte, ut suis reddam. Nam Theophylacti epistolas curae tibi fore, ut & Carisium, nullus dubito. Mitto fastos Rom. per Pighium concinnatos, si forte Annales, seu Commentarios, a nobis absolutos nondum vidisses. Graecos etiam Siculos adiecimus, & plura emendare potuissem, fateor, si otium fuisset, aut libido in alieno post magnos viros, qui manum admoverunt. Si quid mea apud te valet fides, ut senis, ut Sacerdotis, mitte commodato mihi reliqua S. Cyrilli in Pentateuchum manu Bonaventurae descripta, qui edituro mihi eas vivus concessit; nam ego Mediolanum cogitans, Amplics. Card.

Originibus Ling. Latinae opus, haud illaudatum, quod prodiit Hanoviae apud *Aubrios* 1619. in 8. Vita eius legitur in *Pauli Freheri* Theatro. Filium habuit virum haud paulo celebriorem, *Ioan. Christoph. Becmannum*, professorem in Acad. Francof. ad Oderam, *Notitiae Orbis Terrarum* & *Syntagmatis Dignitatum illustrium* auctorem. GRAMMIVS.

Card. beneficio eosdem tibi conferam libros in Bibl. Insubrica, nam, & idem Card. Cyrilli etiam ἅπαντα, & Ambrosii, edere meliora, ac bilinguia illa Antverpiae decrevit. Vtque vere me, & ex animo loqui cognoscas, en tibi, epistolam hisce inclusi Antonii Olgiati, qui a secretis est, & vera me narrare Casp. Gevartus liquido pro me iurarit, qui in contubernio est Legati Christianissimi. Si mittere ad me placet, credas, velim, ea Cornelio Schotto, fratris mei filio, qui has vobis reddidit. Quid mediteris, adornesque, fac, sciam. H. Rosweidus manum de tabula non ponit in *Patrum Vitis*, vastum sane opus ac varium. Vale, nosque amare ne desine.

Antverpiae VIII. Kal. Aug. CIↃIↃCXV.

CCCL.

IDEM EIDEM.

ACcepi cognati manu, doctissime Meursi, quem Cyrilli misisti alterum Tomum: de quo, cave, dubites, quin exemplar sis habiturus, ut Th. Cantero curavi stipulando haberet Greg. Nysseni ἅπαντα Lutetiae iam typis Morelli, h. e. Regiis evulgata, pro exemplari scripto, quod ad me miserat. Posuisti beneficium, opto quidem certe, apud memorem. Non erat, ne sis nescius, in eo fasciculo, cum Aldelmo colligato, *Index* Auctorum Plinii manu scriptus. Forte per errorem istic remansit. Cognatus enim arculas omnes me coram excussit, nec fasciculum nisi Antverpiae aperuit. Εὐαγγέλια tibi debeo de Harpocratione, in quo si illam operam ponis, quam & potes, & polliceris, ingenti nostro gaudio, posteritati ostendes, te non minus in Atticis, & decem Graeciae Oratoribus, quam in Mixobarbaris aetatis mediae fuisse versatum. De Manasse scito, & penes me esse Ms. ex libris P. Pantini, eodem etiam Lat. interprete, cum ignoraret a Leunclaio esse conversum fortasse. Item Michaelis Glycae Politici versus historici, satis antiqua litera. Vide, an opus tibi sit. Lausiaca Historia usui fuisset iam edita P. Heriberto, qui iam Vitas Patrum, tandem aliquando Quirites, edet hisce nundinis, vastum haud dubie volumen; sed operam alibi forte commodius, plane Herculeam, posuisset, nisi quid secus vobis videatur: at suum cuique pulchrum. Tu nos amare ne desine, & vale. Antverpiae XXVIII. Augusti Anno CIↃIↃCXV.

Salutem D. Heinsio, & meo Gevartio significa commodo tuo. Mediolanense iter nostrum in alium annum reiectum. Vias obsessas a praedonibus militaribus, &c.

CCCLI.

VBBO EMMIVS IO. MEVRSIO S. P.

CL. & doctiss. vir amice plurimum mihi colende. Ex animo doleo, errorem illum inter te & maximum virum Thuanum incidisse. Quo enim alio nomine ipsum adpellem? Quod si D. Casaubonus viveret, sine dubio is optime, & commodissime, errorem posset explicare, & tollere. In me quantum erit, libens id faciam, quod petis. Debeo autem hoc benevolentiae erga me tuae, & multa maiora debeo. Atque utinam possem tantum, quantum debere me tibi intelligo, praestare. Videres, atque experireris animum meum in omnia officia promtum, ac paratum. De D. Thuano non dubito, quae ipsius est humanitas, & facilitas singularis, ac rara in tali fortuna, quin is de te, atque animo tuo, melius edoctus, offensionem, aut sinistram suspicionem, si quam forte concepit, statim sit abiecturus, Α'εὶ γὰρ στρεπταὶ φρένες ἐσθλαί. Et sane poscit hoc ipsa aequitas, ut quod inter bonos bono studio fit, id bene ab eo, cuius studio fit, etiam accipiatur. Opera recudendae Historiae a me scriptae de rebus nostratibus tardius progreditur, quam existimaveram. Vtinam tam correcte cudatur, quam cuditur lente. Intelligo ex iis, qui indicem in eam conficiunt (ipse enim vacare illi labori non possum) multo plura, ac maiora, quam vellent, menda typographica passim ipsis obcurrisse. Quod sane non parvum mihi dolorem creat. Sed ferre cogor, quod mutare non possum. De Decade sexta manu scripta graviora quoque metuo. Proclivior enim hic lapsus. Vale, Vir Clarissime, & me amare perge. Valde festinanter. Groningae, die IV. Eid. Septembr. MDCXV.[a]

Clarissimos Viros DD. Heinsium, Scriverium, & Cluverium, officiosissime saluto.

Tui observantiss.

VBBO EMMIVS.

CCCLII.

EIZO TIARDA IO. MEVRSIO S. P.

Antiquissime, & optime frater.

COnfiteor diu esse, quod ad te non scripserim, neque a te aliquid literarum, quamvis saepius per tabellarios nostros te salutarim, acceperim, nisi ante aliquot septimanas, quibus adiunctae erant Epistolae ad Pynackerum, qui tibi has tradet. Intellexi te Coloniam profectum fuisse, & inde feliciter domum rediisse, de quo vehementer laetor. Sed quaeso, mi frater, quae & quantae ex eo tempore rerum vicissitudines: quanta Dei iudicia: quae humana vana, caduca & fragilia nobis ostensa sunt! Ego quidem existimo te nunquam hoc sperasse: sed mihi semper eventura non sine maximo dolore proponebam. Durum enim est contra stimulum calcitrare & θεομαχεῖν. Vnquamne blasphemius quid contra Deum dictum, quam illud avitum suum iactare: *Nil scire, tutissima fides*. Cui bono symbolum nostrum, quod est tanquam tessera, & arrha

(a) Ad hanc epistolam referantur, quae supra ad unam *Rigaltianarum* & aliquam etiam *Eizonis Tiardae* adnotavimus. GRAMMIVS

Ann. Chr. MDCXV.

arrha Redemtionis, & Regenerationis per Iesum Christum nostrum secundum parentem, quum in priore omnes perieramus? Fides ad omnia utilis est, & habet promissionem & praesentis, & futurae vitae. Quaeso, non moveant nos haec insignia exempla, & serviamus Domino in timore, & exsultemus cum tremore? Sed missa haec faciam; & quod ad postremas tuas attinet, respondeo mihi probari consilium tuum, quo aliquid Provinciae nostrae inscribere statuisti, &, quod ad me, de honesto dono providebo. Interim vale, & salve cum amicis Bontio, & Heinsio, Scriverioque, & mecum precare, ut patriae communi omnia prospere, & feliciter porro eveniant. In quo omine desino. Scriptum Groningae III. Nov. stilo Iuliano.

CCCLIII.

Io. Mevrsio V. Cl. Casperivs Gevartivs S. P. (a)

Vir Clarissime.

Quamvis inhumanum omnino, & impudens videatur, ab eo novum beneficium petere, a quo multis iam ante beneficiis sum adfectus, fretus tamen benevolentia illa, quam ultra meritum meum iamdiu expertus sum in me propensam, stimulante necessitate, ad te recurrere ausus sum. Notas meas Statianas hic apud nos Hillebrando Ordinum Typographo excudendas tradere constitueram, at ipsius praela modo tot exemplaribus onusta sunt, ut nulla ratione, nisi iniquissimo pretio editionem in se recipere velit. Textum quidem Statii a correctore quopiam conducto recenseri patiar; at Notas meas non nisi fido, & amico credere ausim. Implebunt illae facile X. aut XII. folia. Quapropter summopere te, Vir Cl. rogatum velim, ut, si per gravissimas occupationes tuas fieri possit, Gevartii tui gratia, paucula haec Notarum foliola percurrere digneris; efficiam sane

officio ne te certasse priorem
Poeniteat

Et amplissimo nostro Legato, qui te plurimum salvere iubet, res nulla gratior accidere poterit. Vale, Vir Cl. & discipulum tuum hominem tui amantissimum, redama. Hagae Comitis XXIII. Novemb. MDCXV.

CCCLIV.

Io. Lydivs Io. Mevrsio S.

Vtinam recte valeas, amicorum optime, D. Meursi. Quum domum rediissem, & grata mihi esset recordatio nostri conventus, & colloquii, ut fit, tui apud uxorem meam facta mentio. Illa mutans colorem & blandule subridens, tunc (inquit) mi marite solus amico tuo exsultas? novi ego illum perquam familiariter, & familiarius adhuc uxorem eius Lucretiam, cognatam meam, causa prioris mariti mei, interfui ipsius nuptiis, & viximus in virginitate tamquam sorores. Scribe D. Meursio, me petere, ut invisat Elisabetham Hasselariam, quae Amstelodamo venit ad ipsius nuptias, ut nos cum uxore invisat, & amicitiam elanguidam renovet: si adhuc ignoret, qualis sim, dic me nuptam olim Martino Ernesti a Bassen, haec illa. Duplicavit hoc mihi, Vir Cl. gaudium meum, & nunc uxor tua tecum maiores habet causas nos visendi, & videndi, quod speramus brevi futurum. Detinent me Apostoli mei Frisiae, quos propediem dabimus, volente Deo, e Manuscriptis venerandae Antiquitatis. Testis est Heda pag. 211. ab Egberto emissos hos: Willebrordum, Switbertum, Accam, Wigbertum, Willibaldum, Winibaldum, Levinum, Ewaldidum nigrum, & album Werenfridum, Marcellinum, & Adelbertum. Horum omnium Vitas sum consequutus, & quidem diversis Auctoribus. Addam diversas Bonifacii, Svidberti, Ludgeri, Willehadi, Anscharii, Vicelini, Remberti tertii & aliorum. Quia vero saepe recurrendum est ad Historiam Anglicanam Bedae, rogo te, mi Meursi, ut ad quatuordecim dies mihi exemplar tuum communices. Curavi mihi adferri exemplar illud, quod a Commelino editum, cum Scriptoribus Britanniae, Gildae, & aliis, sed dum hoc careo, tuo, si liceat, uti vellem. Mitto ad te libros Iuliani Προγνωστικῶν, raros admodum, quos, volo, tibi serves; habeo enim adhuc exemplar aliud. Quia concinnandum erit, cogor filum scriptionis abrumpere. Vale, Vir Ornatissime cum Lucretia tua, & prole; salutati a me, & uxore tantisper dum ipsi nos invisetis, quod ut fiat, rogat vos uxor mea. Raptim XXIV. Nov. MDCXV.

CCCLV.

Io. Mevrsio V. Cl. Casperivs Gevartivs S. P.

Vir Clarissime.

Literas tuas, ut primum conspexi, dici non potest, quanto gaudio exsilierim. Profecto, cum Papinio meo dicam, licet:

Amyclaeis minus exsultavit arenis
Pastor, ad Idaeas Helena veniente carinas.

Triumpho certe, dum tantum Statianis meis censorem nactus sum. Ecquod nam existimas mihi ad honestiora studia calcar addi, dum videam duos non Belgii tantum nostri, sed & Europae universae Cl. Viros, te, inquam, & maximum Heinsium, ad studia mea promovenda unanimiter conspirare? Merito certe

sublimior ibo
Dum famae mihi pandis iter, dum detrahis umbram.

Notas meas intra septimanam, atque alteram, mittam, dum D. Heinsii Observationes,

(a) Exstat in Volumine Gudianas & plurium Eruditor. epistolas complectente, impresso studio P. Burmanni, pag. 279. ep. ccx. Grammius.

Ann. Chr. MDCXV.

nes, quas nondum mihi transmisit, meis addidero. Amplissimo D. Legato nostro [a] gratum fuit intelligere tam benevolam tuam in se voluntatem, gratius vero de *Atticae Populis* sibi obferendis, tibique plurimum se commendat. Vale, Vir Cl. hominemque aeternum tibi devotum redama.

Hagae XXVIII. Novemb. CIƆ IƆ CXV.

Accepi heri a D. Schotto litteras, qui plurimum te salutat, & Michaelem hunc Glycam mittit. Litteras eius ad Canterum rogat etiam quamprimum ultraiectum deferendas cures. Iterum vale.

CCCLVI

V. Cl. Io. Mevrsio H. Grotivs.

C*Onstantinum* tuum antequam ad me mitteres legi, a Rutgersio commodatum, Durdrecti quum essem. Sed relegere non pigebit, quamquam obscura mihi pleraque, & Historiae Byzantinae, &, quod praecipuum τοποθεσίας inexercito. Suaviter tamen agam id tempus, quodcumque muneri tuo impendam, quippe quod tu mihi miseris non *ὡς τυχόντι*, sed ut amico, & quidem, ut tu addis, & ego magnifacio, veteri. Remetior sane libenter ingens illud aetatis meae spatium, quo alter alterum amavimus, arctissimo iuncti vinculo, studiorum similitudine, nec tamen non aliqua huic voluptati amarities accedit, quum video me ab illis Musarum viridariis, quae nobiscum colebam, in nescio quae inculta & salebrosa loca deiectum: Vere igitur tu, fecisse inter nos fortunam; non animorum quidem, sed vitae divortium. Sed illam ego ut non accuso, ita non multum ei debere videor, quod me in forum & crimina & lites ita demerserit, ut tempus nullum intersit, ne ad hoc quidem, ut revisam interdum, quae bona reliquerim. Igitur vestros ego labores quum video, vobis gratulor, mihi doleo, & tacite ad vestrum illud quietis gloriaeque plenum otium suspiro. Quam enim tu voluptatem putas, exclusam omni orbis externi notitia, & doctorum Virorum commercio, tabulis tantum multis innotescere? At tu perge, & doctos omnes & discere volentes demereri; praecipue *Latino-barbarum Lexicon* nobis compone, ut de nobis quoque semibarbaris bene merearis. Vtilissimum erit opus, & tibi gloriosum. requirit enim Iuris, praesertim Feudistici cognitionem, ac praeterea linguarum fere omnium, quae nunc regnant, scientiam: ad haec mediae Antiquitatis, plurimarumque gentium Historiae acrem investigationem. Vtinam tantae diligentiae digna respondeant praemia. Sed puto non tam infeliciter cum seculo agi, ut non ii, quibus ista curae sunt, aliquando videant, quid rectum sit, Vale Vir doctissime. [b]

Ann. Chr. MDCXVI.

CCCLVII.

Hvgo Grotivs Io. Mevrsio S.

F*Acis* rem te dignam, Meursi doctissime, quum amissa longo ab aevo monumenta instauras, & illam literarum parentem Atticam luci suae reddis: qui labor singularem tuam in evolvendis etiam reconditissimis libris diligentiam monstrat, si tamen monstrari amplius ea res potest, cuius iam pridem certissima indicia habet orbis universus: Ceterum si quid me amicum veterem audis, pervelim te parem operam ponere in colligendis disponendisque ad Pandectae nostri ordinem legibus Atticis, quae apud Graecos Oratores, eorumque Scholiastas passim exstant. Summum id exstabit a te beneficium collatum, & Iuris, & Historiae studiosis, neque unquam desinet eius meminisse grata posteritas. Incubuit huic labori magnus Scaliger, sed, si recte memini, non consummavit. Nemo est, a quo id potius, quam abs te sit exspectandum. Quod si meae preces non satis apud te valent, excitabo alios amicos communes, Mylium, Tiardam, aut plures etiam, si necesse est; omnesque turba facta extorquebimus, ne tam honesto voto renitaris. Haec autem aliaque praestare ut possis, & quidem diu, fac, cures valetudinem, quam tibi, coniugi, familiaeque toti opto quam prosperrimam. X. Ian. An. CIƆ IƆ CXVI.

T.

H. Grotivs.

CCCLVIII.

Edovardvs Hobaevs Io. Mevrsio S.

L*Iterae* tuae, mi Meursi, quas decimo Novembris Tabellario tradidisti, languidum me, ac graviter febricitantem 14. Decembris stilo nostro apud aedes nostras Bercenenses invenerunt, nec adhuc persuaderi potest quartana febris, ut vel mutet diversorium, vel minuat acrimoniam. Nullam omnino pollicentur Medici spem leniminis, nisi forte novi veris salubritas (cum auspicato advenerit) morosum hunc convivam abigat. Donum tuum literarium (quod mihi quavis gemma praetiosius) testatur te non dictum magis quam nostri memorem; nos saltem redamando tantis meritis aliqua ex parte satisfacere, conabimur. Testes erunt grati ac propensi in te animi, opera Chrysostomi, impressione Etonensi edita, quae a nobis (quamprimum salutaris mihi Phosphorus adfulserit) sine pretio tuo recipies. Quod ad filium, proficiat velim non solum in humanioribus, sed & in sacris literis, quarum Isagogen nisi

(a) Erat is *Beniamin Maurerius*, Legatus Regis Christianiss. cui *Gevartius* erat ab epistolis Latinis. Tacent hoc in eius vita *Franc Swertius*, & *Valer. Andreas*. Sed didici ex epistola *Iani Gruteri* MS. ad *Zincgrefium*, hoc ipso anno 1615. scripta, qua salutari iubet *D. Gevartium ab epistolis Latinis apud Legatum Gallicum*. Et *Dan. Heinsius* epigramma scripsit in *Gevartii Statium*, ubi *illustri viro Beniamino Maurerio domesticum Apollinem* vocat. v. *Poemata Heinsii p.* 381 Ipse *Statium* suum anno 1616. Lugd. Bat. inscripsit *Maurerio*, dicens, se *in familiam eius nuper honoris sui gratia advecatum*. Grammivs.

(b) Pertinet ad an. 1616. Grammivs.

Ann. Chr. MDCXVI.

nisi per Catechesin & Institutionem domesticam prius calleat, parum certe ex mille auditis concionibus lucrabitur. Quocirca si post epulas singulas unicum Bibliorum caput Belgice, Gallice, aut Latine, legat, & precibus tam matutinis, quam vespertinis testem Guilliamum adhibeat, magna erit mihi messis in herba. Habes, bone Vir, satis perspicua aegrotantis symbola. Lectum olent, non cerebrum; caligant insuper inter relegendum oculi. Si quid desit, pristina tua humanitas subplebit, vere dicam, quod & ipse fateberis.

Non ego, si cupiam non tuus esse, queam. Vale. Dat. Bighami XX. Ianuar. stilo nostro MDCXVI. (a)

Tuissimus

ED. HOBY.

CCCLIX.

IDEM EIDEM.

Insignissime Domine!

LIteras tuas 23. die Iunii, stilo nostro datas, 22. eiusdem mensis, secundum stilum antiquum, recepi, quae mihi ut exspectati, ita etiam grati, ac laeti fuerunt nuncii: pro quibus gratias tibi quam maximas habeo: estque, cur maximopere laetor, meque felicem existimem, filium meum unicum tibi in manus esse traditum, quo nomine Dominus meus, Confoederatarum Provinciarum Legatus dignissimus, me sibi perpetuo devinctum habebit, utpote praecipuum eximiae educationis filii mei instrumentum. Quod ad praeceptorem attinet, quidve in ea re faciendum sit, tuo prorsus iudicio relinquo, teque oratum velim, ut (omissa omni sumtus cogitatione) id agas, quod tibi optimum visum fuerit, quodque filii mei institutioni maxime conducat. Nolo quemquam nostratium filio adsidere; illum prorsus substituendum volo, cuius tua prudentia delectum faciet: huic uni, si quae sit, eruditionis gratia redundabit: multa sunt, quae me non parum movent, ut vestrae, apud quam degit, gentis mores studiosissime discat, nostrae vero dediscat. Hoc ex praeceptis meis per Matthiam Wats. (de quo mala nuperrime pervenit fama) missis, plenius constabit. Haec num tibi tradita, aut tecum eo modo sint relecta, quo a me missa, adhuc ambigo. Quod ais te a me literas, iuxta articulum in praeceptis meis, prius exspectasse, quam ad me scriberes; fuit certe hoc a praeceptis alienum, ab instituto nostro alienissimum. Itaque si Wats. qui (ut aiunt) est in itinere valetudinarius, aliquid in eis mutaverit, vel non bona fide tradiderit, ex nostris ad te missis exemplaribus, liquidius patebit. De brachio iam convalescente (licet adhuc equum non ascenderim) non est, quod contristeris. Gratissimum facies, si me Magnif. Heinsio commendatum habeas: ego vicissim, si quid sciam vel privatis tuis studiis, vel negotiis apud nos profuturum, ex Anglia procurabo. Vale dignissime, meque te semper amaturum ama.

Vpberiae in agro Cantiano VII. Cal. Iulii stilo nostro.

Tuissimus

ED. HOBY.

PRAECEPTA EDVCATIONIS.

INprimis ipsum educari velim in timore Domini, ut adsurgens mane, & vespere recumbens, serio privatis precibus Deum invocet; & quod diligenter frequentet publicas preces & conciones secundum morem & consuetudinem loci.

Totus studeat, velim literis humanioribus & Dialecticae, prout ipse ad ea sit idoneus, & quantum fieri potest, lingua semper utatur Romana.

Linguam Graecam, in qua iam initiatus est, ne penitus dediscat.

Characterem discat perite scribere Romanum.

Mallem ipsum uti vulgari lingua eius loci, quam Gallica pro praesenti, & per triennium vel quadriennium mores, & consuetudines istius loci solummodo prae aliis ediscere.

Ipsum Dominum, cuius tutelae filium mando meum, rogatum velim, ut ipse solum in se recipiat tesseras numarias, ut sit occasio, & curam habeat erogationis, quum opus fuerit.

Sub timore vivat filius, castigandus pro arbitrio suo.

Praeceptores habeat in primis bonos & peritos: sed nullus eorum audeat castigare ipsum sine vestro adsensu, in cuius tutela ipsum totum esse volo.

Serio observetur, quibuscum consortium habeat, & quod ebrietatem & perniciosam illam herbam, *Tabacco*, tamquam exitialem pestem devitet & effugiat.

Anglis apud vos diversantibus, qui Anglicanam loquuntur linguam, ne se comitem adiungat; vernaculam enim linguam diu dediscat, velim.

Libris ne indigeat neque Belgicis, neque Gallicis, neque Latinis, quibuscumque opus habeat.

(a) *Eduardus Hoby*, Anglus. Vir magnae apud suos existimationis, atque ob singulares virtutes, pietatem, candorem, eruditionem, prudentiamque Regi *Iacobo I.* bonisque omnibus percarus; doctorum etiam virorum, & qui singulare aliquid in divinis humanisque scientiis, vel antiquitatum studio praestabant, fautor praecipuus. *Camdenus* quanti eum fecerit, adparet ex Hibernia eius, huic *Edvardo Hobyo* inscripta, ubi *clarissimum & omnibus verae nobilitatis ornamentis generosissimum virum, Equitem auratum, & amicorum optimum*, adpellat. Plura de ipso, nec non scriptis eius, Theologici & Politici argumenti, subpeditat *Antonius Wood* in *Athenis Oxoniensibus* Tom. I. ad an. 1616. num. 489. Filium habuit, extra coniugium genitum, nomine *Peregrinum Hoby*, natum anno 1602. eum ipsum, quem tanto studio, ut solicita cura educaretur, *Meursio* his & seqq. literis commendatum ivit. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXVI.

Cura praecipua habeatur, ne quis alius vel in carmine, vel in prosa oratione eius componat exercitia, tametsi ipse ad ea in principio minus perite agere sit idoneus.

Vt ipsi inserviat sedulo famulus eius, nec ab eius latere, nisi raro, discedat, & quod ipse nummos plus aequo nec recipiat, nec expendat.

Singulis mensibus, si fieri possit, te rogatum velim (doctiss. Vir) ut ad me rescribas de salute filii, tum quibus opus habeat.

Vt per nuncium istum, id est Watsonum, mihi significes, quid ulterius hac in re agendum senseris, quam ipse ego ad te jam scripserim.

CCCLX.

BENIAMINI AVBERII MAVRERII Legati Regis Galliarum Hagae residentis EPISTOLA AD IO. MEVRSIVM.

Monsieur, ie suis contraint de repondre en mauvais franqois au Latin elegant de la lettre, avec la quelle vous m' avez faict ce bien de temoigner vostre souvenir, & de vous remercier quant & quant du livre de vostre composition, dont il vous a pleu me faire part. L' offre seule de vostre amitie estoit assez precieuse d' elle mesme; Mais vous avez eu dessein de m' obliger doublement: ce que vous faictes d' autant plus, que moins ie recognois l' avoir merité. Vostre reputation es lettres, m' a tousiours faict estimer vostre persone, & desirer de la cognoistre de presence, comme de nom; ce qui me sera tousiours tres agreable, lorsque vous me ferez la faveur, que nous voyons, regrettant de mon coste que cela soit encore a faire, ainsi que souvent ie l' ay dict au S. Guevartius, qui vous le peut attester. Vsez en donq librement, & a vostre premier voyage en ce lieu, faictes que nous buvions ensemble, vous asseurant que vous y serez le tres bien venu. Cependant ie visiteray tous ces peuples de Attique, qui pour la plus part incogneuez & dispersez, ont esté si bien & doctement recueilliez par vous: & garderay le present que vous m' avez faict aussi cherement: comme il en est digne, & que ie salue affectueusement vostre bonne grace; priant Dieu vous avoir en sa S. & digne garde. De la Haye ce XXVI. Ianuier MDCXVI.

CCCLXI.

ANDR. SCHOTTVS IO. MEVRSIO S. P.

Accepi libenter, legique, doctissime Meursi, quae de Atticis Tribubus a te conscripta, mittere placuit: quibus faciliorem tibi cursum in Harpocratione illustrando fore confido; nec enim Sigonius in Atheniensium Republica, cetera satis in Graecis adsiduus, satis eam partem pertractarat. Perge itaque Atticismos pari felicitate, qua μιξοβάρβαρα potes etiam illustrare. Observationum nostrarum iuvenilium credo istuc adlata exempla. In Notis ad Procli χρηστομαθίαν, nisi me amo, reperies fortasse nonnulla, quae iuvet vidisse ad Harpocrationem illum: sed quid ego in silvam ligna? vinces tu diligentia studioque omnium, ut hactenus, exspectationem, quum intendere ingenii aciem in tot tantisque Nodis coeperis. Quid agam, quaeris? Cyrilli iam λόγυς ἑορτασικὺς XXX. utraque lingua hic excudimus, & extrudemus, si possumus, & in Pentateuchum γλαφυρὰ, amici manu scripta. Eutychii versionem interpolamus, comparando cum Graecis, quae adiungam te hortante maxime; etsi Lutetiae idem meditetur Fronto Ducaeus: sed tumultus ibi civilis iustitium studiis indicere videtur. Te valere, remque ornare diu publicam literarum, exopto. Vale iterum, nos etiam ama mutuo.

Antverpiae VI. Kal. Martias CIↃIↃCXVI.

CCCLXII.

IO. GEORG. HERWARTVS IO. MEVRSIO S.

Cl. & Doctissime Vir!

Ex Notis Theodori Dousae in Georgii Logothetae Chronicon Constantinopolitanum, pag. 61. intellexi, te quoque post Georgium Dousam Notas scripsisse in Origines Constantinopolitanas Georgii Codini, quas cum videre summopere desiderem, idque eo magis, quia Codini Origines MSS. paulo auctiores in Bibliotheca Sereniss. nostri habemus. Ideo te rogo etiam atque etiam, ut non dedigneris exemplar harum tuarum Notarum, meis sumtibus, ad me dirigere. Quod si qua in re tibi vicissim gratificari potero, habes me ad officia, & studia, tua promovenda paratum & promtum. Datae Monachii Bavariarum XXIV. Febr. MDCXVI.

Tui studios. & amantissimus

IO. GEORG. HERWART ab HOHENBVRG.

CCCLXIII.

VIRO CLARISS. IO. MEVRSIO NIC. RIGALTIVS S. D.

Litteras abs te nudius quartus accepit Illustriss. Thuanus a. d. IV. Iunii datas una cum syntagmate *de Populis Atticae*, item *Palladio* & *Manasse*; ac tum forte aderam legenti. Verum tanta animi perturbatione consternato prae moerore, quem ex acerbo dilectissimae coniugis obitu, paucis ante diebus elatae, concepit, ut me suam vicem officio rescribendi fungi voluerit. Quod igitur recepi, id exsequor, ac primum eius nomine, gratias tibi pro munere habeo maximas; est enim eximium & praeclarum, atque ut porro de re literaria publica bene me-

Ann. Chr. MDCXVI.

ne mereri pergas, scito maximum virum omnia illa, quae tu nobis aut ingenio perficis, aut elaboras industria, quanto potest, laudum favore prosequi; tantum abest, ut de illius erga te animo alieni aliquid subspicari debeas; neque ipse meminit ullas se unquam ad Vbbonem Emmium dedisse, quae te in eam opinionem adducere debuerint; imo si quid aliud in opere illo Historico abs te animadversum erit, id ut ad se mittas, etiam atque etiam rogat [(a)]: quod autem in quadam epistola te petiisse ais, ut lacuna, quae in Palladio tuo adparet, ex Codice Regio subpleretur, liquido adfirmaverim eam epistolam in manus ipsius non pervenisse; nam si quid huiusmodi abs te desiderari sensisset, confestim mihi significasset: neque ego, qui iam tum Regiae Bibliothecae curandae Casaubono subfectus fueram, cessassem, prius quam iustissimae petitioni tuae satisfecissem. Verum ut dixi, ea de re nihil ante hos quatuor dies rescivimus. Itaque non est, quod nos officio nostro defuisse quereris. Ecce autem, etsi serius, quae in Palladio tuo deesse, ex Regio comperi. Vale, Cl. Meursi. Lutetiae Parisiorum prid. Non. Iul. CIƆIƆCXVI.

CCCLXIV.

IO. MEVRSIO V. CL. CASPERIVS GEVARTIVS S. P.

Vir Cl.

FAsciculum hunc literarum D. Legatus noster hodie Lutetia Paris. accepit, iussitque, ut ad te perferendum curarem. Venit etiam ad nos hodie mane Had. Perier primarius Typographus Parisiensis ac officinae ibidem Plantinianae praefectus. Is diligenter a nobis inquisivit, si omnia Vulcanii MSS. essent publice distracta, nullis sese adserebat parciturum sumtibus, ut aliquam eorum partem sibi compararet. Sed spes eius fractae sunt, postquam dixi omnia Bibliothecae publicae esse destinata. D. Legatus officiose te salutat. Vale, Vir Cl.

Hagae Comit. Kalend. Sept. MDCXVI.

CCCLXV.

ANDR. SCHOTTVS IO. MEVRSIO S. D.

ACcepi magni muneris loco, Vir magne. & Manassem tuum, & nunc Musices Graecos cum Aristoxeno Scriptores, ac Philostrati *ἀνέκδοτα*: gratiam habeo, quando referre nequeo, quam possum maximam. De Musicis memoria teneo, vidisse in Antonii Augustini Bibl. plures, Quintiliani, Bryenni, & Ptolemaei, nisi senem fallit memoria. Sed contenti interim hoc simus Catone. Ptolemaei enim de Musica, librum Venetiis olim Latine edidit Medicus N., cuius me nomen fugit, in 4. non est Ant. Hermannus, inscripsitque Gonzagae Mantuae Regulo. Vtinam idem Graece etiam evulgasset: sed habes fortasse in tua Bibl. adeo instructa libris bonis Gr. Amabo, habes, vidistine in Palatina Epistolas prope CCC. Libanii Sophistae, praeter eas, quas in uno corpore Aldus olim coniunxit, Epistolas Libanii? Habeo, sed describi oporteret, adeo vetustate dissiliunt, & interpretem efflagitant. Sunt enim *Ἀττικώτατοι*, ut nosti, hominis Basilio nostro & Chrysostomo familiaris, ac praeceptoris. Fed. Morellus pridem cum Declamationib. promisit, sed nunc opulentus nimis, & quod militibus [(b)] usu venit, lente, ac timide nimis agit. De Harpocratione ecquid fiet? alteris fortasse, ut opto, nundinis. Fronto noster minime cessat. In Greg. Nysseno, & Basilio Graeco, totum esse se ad me scribit. Et haec intestina, sive tumultus Gallici, sive motus, an bella, cursum, ut fit, remorantur, non voluntatem infringunt, operis, in ea praesertim gente, diffluentibus saepe gregatim, ut grues mare traiiciunt. Vtinam tales X. Nestoras Agamemnon habeat; plura hinc foras darentur, etiam in Patribus. In Cyrillo totus equidem sum, absolvi tamen *ἑορταστικοὶ λόγοι* nondum, ut in nundinas irent, potuerunt: alteris ibunt *σὺν θεῷ*. In Glaphyris alteram interpretationem adgredi sum iussus; & codices vestri sarti tecti redibunt; alterum enim Graecum exemplar Glaphyrorum a Theod. Cantero acceperam: cuius utinam quae habet de Ecclesiasticis rebus collectanea heredes posteritati non invideant. Vrge homines, habes enim propius, mi Meursi; & Glossarium vestrum tertio ditabis, consulesque patriae & honori viri opt. & eruditissimi; nam & de sacris Eleusiniis ac Cerealibus fertur collegisse non poenitenda. Vtinam adpareant tandem aliquando, non eodem condita sepultaque iaceant sepulchro, exopto. Vale amice magne, nosque iuvare perge, & ornare.

Antverpiae Nonis Sept. CIƆIƆCXVI.

CCCLXVI.

EDOVARDVS HOBAEVS IO. MEVRSIO S.

LIteras tuas datas Cal. Aug. recepi X. stilo nostro. Scias me curae & dilectioni tuae pari adfectu respondere. Nihil magis desidero, quam ut filiolus meus animi tui propensionem (qua nos aequas, vel etiam superas) aliqua ex parte possit promereri. Quod ut facilius fiat, orandus es, ut disciplinae castigatoriae studium non vulgare adhibeas. Hos (mihi credas experto) flagitant & prosapia, & ardor animi indomitus: ad hoc etiam te serio invitant & anni & in re literaria supina negligentia: me non amas, si in hac re non sis assiduus.

Prae-

(a) Faciunt ad hanc epistolam intelligendam, quae leguntur excepta in novae editionis Thuani Tomo VII. sub tit. *Illustrium viror. Iudicia* &c. a pag. 26. 30. vid. & infra Epist. *Eixonis Tiardae ad Meurs.* dat. 7. Nov. 1616. GRAMMIVS.

(b) *Forte* divitibus. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXVI. Praecocia ingenia, ne tumescant nimis, mature sunt amputanda. De Watsono mihi inviso, quid apud vos rerum gesserit, & an praecepta nostra (a quibus tantopere deviavit) primo adventu suo tibi tradiderit, nihil te scribere non nihil miror. Quod intellexi filium meum Serenissimi Regis Legato apud Hagam semel adfuisse, tantum abest, ut improbem, ut plurimum me hac in re prudentiae tuae debere, non diffitear. Sic enim fiet, ut Britannicam obedientiam & discat & sapiat. Peto autem, & id ex animo, ut illi in posterum (nisi solemnia se spectacula obtulerint) Hagam interdicas. Legatum quater tantum in anno, nec sine bona tua venia, inviset. Quid de Anglorum commercio sentiam, ex praeceptis nostris didicisti. Festinavit nimium *Peregrinus*, quum novissimas literas exararet. In formandis Romanis characteribus, Deus bone! quam invenustus! quam maiusculus! Pauciora mallem, sed meliore litteratura, & manu politiori concinnata. Claudicant enim clausulae mihi parum intellectae. Literas D. Advocati de Vall. inter ceteras exspectavi. Hae si non tempestive advenerint, nullas omnino a nobis recipiet servus noster Guill. Nicol donec ab aedibus nostris in Comit. Berceriae Rex abierit, qui a nobis in aestivali hoc progressu V. Kal. Sept. hospitio est excipiendus. Vale optime vir cum domesticis tuis (sicut & nos valemus) diu, prospere & feliciter. Ab aedibus meis apud Blanckfryers London. XVIII. Cal. Septem. stilo nostro MDCXVI.

CCCLXVII.

IDEM EIDEM.

Illustrissime Domine.

Literae tuae datae 17. Septemb. adlatae fuerunt 26. eiusdem stilo nostro, quibus quid respondeam? nisi ut spondeam, me curae, imo στοργῇ tuae pro virili responsurum. Redolent lineae tuae animum vere paternum. Vicisti, mi Meursi, tuus est iam totus. De quaesito & iam recepto adolescente, nihil est, quod displicet, ne Minerval quidem. Sedulitas hominis non oscitantis, ignobili honorario non est honoranda. Praeter statutum pretium nos etiam lucrabitur. O fortunatum admodum! quid illi deerit, qui te Musam Atticam habebit commensalem? Nunc est profecto, quum me adolescentem illum esse percuperem, non ut iam quinquagenarius & amplius iuvenescerem, sed ut quotidiano tam literati viri consortio, in lingua Graeca, quam iam pene desuetudine dedicici, de novo accrescerem. Sed nil vota senilia prosunt. Acuet vigilantia tua hominem, ille filium, quem scio centenis oculis & acribus indigere, ne vanis iuramentis imprecationibusque, quas odi turpiter, adsuescat. Properam pueri in lingua Belgica peritiam, libenter audio. Vereor autem, ne foetidi & impuri sermonis spurcitias, aut adquirat, aut evormat. Tu si virgam tuam Ianitorem adhibeas, abigentur citissime a circumstantia labiorum culices; illicitas intelligo sermocinandi formulas. Haec si pro solita benevolentia tua diligenter cures, sumptus anniversarius, quem integrum ad centum libras sterlingorum numeras, libentissime advolabit. Post unam aut alteram septimanam sum Deo favente Londinum profecturus, ubi & rei vestrae pecuniariae per literas Excambii providebo, & literis Antonii nostri 24. Sept. stilo nostro cumulate respondebo. Itineranti filio non irascor, quum Zelandiam invisendi copia per te facta sit, his praesertim feriis, & domestica solitudine. Consulto egit Gulielmus, qui te inconsulto nihil adtentavit. Dedi enim illum adseclam, non ducem. Habuit a me literas 12. Sept. stilo nostro. Nihil novi apud nos novi, praeter febrem morbidam & tussim molestissimam, quae passim nostrates infestant. Fecerunt hae me mihi (etiam invitis oculis) hac vice amanuensem. De praeceptis meis ad te per Watsonum missis, nihil adhuc rescripsisti, forsan aut oblitus, aut tergiversationis notam homini inurere nolens. Nimis indulgens es, qui sibi non faventi faves. Rem totam, quaeso, explica in proximis. Dum haec scriberem, incidi forte in Appendicem quemdam meum Anglicano operi annexum, & servi cuiusdam meo nomine editum, quem tibi non ingratum fore iudicavi. Quid ultra? hoc unicum: filium cupio meum, pium, Historicum, Ciceronianum.

Argilla quidvis imitaberis uda.

Characteres exspecto novi Informatoris adminiculo novos, aut nullos. Vrge hoc D. & eris mihi magnus Apollo. *Ve Chasitha, Ve Revetha*. Datum apud septum Iacobi prope Vindesoriam. IX. Octobris stilo antiquo MDCXVI. (a)

Tuissimus

EDW. HOBY.

CCCLXVIII.

EIZO TIARDA IO. MEVRSIO S. P.

Pecuniam inclusam velim D. Raphelengio cum salute tradas, ut referat in rationes meas: Scaligerumque cum Schotto de Re Numaria remittat, & si quid praeterea lectu dignum ex Nundinis Francofurtensibus adtulerit. Intellexi ex Iuniore Elzevirio in re mea Svecica aliquid a D. Rutgersio actum, sed quidnam, adhuc scire non potui. Rem igitur mihi gratissimam feceris, si quid certi per te, aut D. Heinsium, qui

(a) Plures epistolas non videtur accepisse *Meursius* ab *Hobaeo*. Brevi enim post in vivis esse is desiit, quemadmodum liquidum est, mortuum fuisse sequenti anno, ex epist. *Georgii Abbot* Archiepisc. Cantuariensis ad Vastum, Novembri mense an. 1617. scripta. GRAMMIUS.

Ann. Chr. MDCXVI. qui plurimum apud ipsum valet, cognovero. Si ea bene successerit, memorem & gratum me habebitis. Carnem suillam ex promissione mea iam misi, sed credo, Tabellarius praeveniet. Accipias eam eo animo, quo tibi mitto. Si a D. Legato Svecico libros meos receperis, poteris per hunc mittere, & si quid praeterea volueris. Regnerus noster utcumque valet, & D. suae pro munere misso gratias habet, & oscula remittit. Ego vero cum uxore mea, te tuamque bene habere, & agere praecor. Officiose meo nomine salutabis D. Legatum Rutgersium, Heinsium & Scriverium. Omnes bono publico mente sana in corpore sano vivite & valete.

Groningae XI. Octob. MDCXVI. stilo Iuliano

CCCLXIX.

G. MICHAEL LINGELSHEMIVS IO. MEVRSIO V. CL. S.

ET superioribus nundinis, & istis proximis accepi recte tum literas tuas amoris plenas, tum ingenii tui monumenta praeclara, quibus nihil mihi iucundius & gratius obtingere potuisset. Exosculor autem hunc tuum in me constantem adfectum, quod silentio meo minime offensus, tamen pergis in me amando, & mihi benefaciendo. Perge quaeso publice commodare, & me tibi deditissimum certo persuasum habe. Respondere malo factis, quam verbis, & testabor studium in me constans, ubi occasio dabitur. Quod quaeris, an existimem debere te Principem nostrum publice quoque compellare, omnino consultum iudico, nam & literis praeclare imbutus est Princeps, & gratum se, uti confido, praestabit; qua in re adiutor ero sedulus. Iudicium quoque meum expetis super monumentis tuis: ego vero admiror, & acclamo, ut sedulo pergas bene mereri de re literaria & posteritate; faciunt ea certe ad nominis tui gloriam, & acceptissima sunt Viris doctis. De *Populis Atticis* mirifice placuit commentatio tua, & placet illustrari per te Graecas res, quum Romanae iam in luce sint doctissimorum Virorum lucubrationibus. Si quid in his partibus est, quod tibi gratum esse possit, aut expetas, impera, quaeso. Tam enim tibi plurimis beneficiis obstrictus sum, ut gaudio mihi futurum sit, si insigni officio gratum me ostendere possim. Vale cum Collegis tuis, quos unice veneror, ac pergite in famae cursu, ad nominis vestri immortalitatem.

Heidelb. XXII. Octob. MDCXVI.

CCCLXX.

EVSTATHIVS SWARTIVS IO. MEVRSIO S. P.

BEne vero fit Tiardae nostro, Cl. Meursi, qui primus meo literis tibi obstrependi calori fenestram aperuit. Quod enim hactenus a pudore meo impetrare non poteram, iam interveniente optimi Viri beneficio provocatus saepius tibi molestus esse, si occupationibus tuis operosissimis commodum erit, pergam. Quod non ingratum tibi fore, humanitas tua singularis, cuius luculenta semper in me specimina edidisti, spondet. De libris, quorum usura Heroi nostro concessa erat, hisce diebus monui, cum maturius, utpote quem negotiis Regiis apud Dnn. Ordines expediendis immersum sciveram, non potuerim. Se conquisiturum quamprimum respondit, & Leidam, quo brevi se iturum adfirmabat, delaturum. Rogo itaque, Vir Cl. desiderium tuum iis potiundi tantisper sustineas, donec praesentarii tibi inibi sistantur. Vale, Vir Cl. meque amare perge, qui te aestimo ac veneror. Hagae Comitis, IV. Novembris An. CIƆIƆCXVI. Officiosissime te salutant Amplifs. D. Legatus & D. Rutgersius, nostri.

CCCLXXI.

EIZO TIARDA IO. MEVRSIO S. P.

AMicissime Meursi, Testor Deum nunquam tuas accepisse literas, quin ad eas responderim: nec unquam committam, ut in eo officio meo defuisse vere dicere possis. Et quamquam Bonaventura noster itineri accinctus, de abitu mihi tandem significaverit, nolui tamen eum sine meis abire. In quibus de munere literario tibi gratias ago, & nos omnes bene valere (Regnerius enim tuo meus, Laus Deo, convaluit, quod ex parte precibus vestris adscribo) nuncio. De negotio Svecico fac tandem, ut aliquid intelligere possim: & quale munus tu & Heinsius a munifico, ut fertur, Rege acceperitis. Literas Rigaltii, Thuani nomine scriptas (a), cum admiratione legi: sed quid magnus ille Vir ad Vbbonem nostrum scripserit, data occasione mittam, & quod Vbbo te eo nomine in literis ad Thuanum excusavit, vel ex hac inclusa schedula videre potes. D. Amplifs. Legatum Dikium & Mylium quam officiose, cum D. Grotio, Pavio (cui etiam pro munere literario gratias ago) Bontio & Scriverio (nam ad Heinsium scribo) per occasionem salutabis: & a Swartio libros meos expetes. Te autem tuamque cum filiola nostra (cui Regnerus viginti quatuor oscula remittit) diu valere & salvere Optimum Maximum obtestor. Scriptum Groningae VII. Novemb. MDCXVI.

CCCLXXII.

CL. V. D. IO. MEVRSIO IO. WOWERIVS Antverpiensis S. P. D.

DIu est, quum tacite eruditionem tuam subspexi, V. Clarifs. ideoque amicitiam ambivi. Palam utrumque nunc facio, & occasionem nactus mihi videor nimio quam opportunam. Quanti vero doctissimum ingenium tuum faciam, operis propositi

(a) Habentur eae supra, inter *Rigaltianas*, ubi vid. quae ad oram notavimus. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXVI. positi aestimatio indicabit. Olim inter Belgicae lumina, nobilissimae eruditionis atque eruditae nobilitatis *M Laurinus* exsplenduit. Hic antiquitatis amore mere flagrans, nec industriae, nec patrimonio pepercit, ut illam tamquam postliminio in vitam reduceret. Tanto negotio domi eruditos atque elegantes, Viros alebat; alios per Europam varie ablegabat, qui venustatis vestigia passim explorarent, reliquiasque colligerent. Talis *Smetius* fuit *Golziusque*. Illius Inscriptiones antiquae, magno cum fructu studiorum & seculi gloria, barbariei iterum ereptae lucem acceperunt. Golzius magnanimo *Laurino* a numismatis antiquis erat, uti quaedam eius opera testantur, pauca edita sunt, si quae superesse scimus examinentur. Nam Graeciam describere universam quum instituisset, Magnam tantum & adiunctam Trinacriam evulgavit. Sed ecce! (o fati benignitatem) reliquum illustrandae Graeciae adparatum LXVIII. laminis aereis inscriptum, amicus quidam meus a possessoribus nuper redemit, O vere thesaurum auro contra carum, praecipue si pro dignitate expoliatur. Ego ab amicis rogatus, cui tam egregium antiquitatis monumentum commendari posset, te unicum unice Meursi doctissime designavi, Graecae Historiae amantissimum simul scientissimumque. Illi dictis meis fidem habentes, rogaverunt, ut te certiorem huius instituti facerem, & sententiam tuam, amice, exquirerem. Hoc dum molior, *Gevartius* vester, imo potius noster supervenit, qui iudicio meo statim subscripsit, operamque omnem addixit. Quin & Rev. *Schottus* designationem hanc postquam a nobis intellexit, statim benevolentem & doctissimum sententiae huic calculum votis nostris adposuit. Rogamus itaque omnes, ut tam illustris operis partum tollere ne graveris. Prolixius distinctiusque alias postquam adnutus tui facilitatem tuis ex literis cognoscemus. Salve doctissime D. Festinasse me ex iusta causa Gervartius etiam dicet.

Antverpiae CIↃ IↃ CXVI. XIII. Novemb.

Serio addictus

IOANNES WOWERIVS ANTVEPIENSIS.

CCCLXXIII.

IO. MEVRSIO H. GROTIVS S. D.
Vir Clarissime,

Ann. Chr. MDCXVII. VSus sum nuper beneficio tuo Codice Balsamonis, cuius similem nusquam reperio, Et usus sum sane diutius, quam honestas exigebat, fretus tua bonitate. Et tamen iterum cogor molestus tibi esse. Video enim ea lectione a me adnotata quaedam, quae relegere sit opus. Quare si eumdem Codicem in tempus haud longum denuo mihi utendum concesseris, dignam rem feceris & tua humanitate, & amicitia vetere nostra; cuius ut mihi periucunda memoria est, ita multo eadem futura sit iucundior, si ullus eius fructus ad te posset pertingere. Vale Vir eruditissime, nobisque amicissime. Felicem tibi precor annum, qui instat, & sequentes, quot erunt.

Scribebam Rotterodami Prid. Kal. Ian. MDCXVII.

Tuus

H. GROTIVS.

CCCLXXIV.

GEVERHARTVS ELMENHORSTIVS
IO. MEVRSIO S.

Clarissime, & praestantissime Domine!

IAm antea amabam te, ob excellentis ingenii dona non vulgaria, & eruditionem inusitatam stupendamque, quam orbis admiratur; nunc magis propter summam istam humanitatem, & prolixum in me animum, qui te impulit, ut elegantissimas in *Proclum* emendationes nobis transmitteres. Si plures penes te Notae tam bonae, communica, & irremunerabili beneficio me obstringes. Sane Procli Codice usus sum corruptissimo, descriptoque non solum a Graeculo inepto, sed & malo. Nulla linea fere exstat, in qua non enormia errata commisit. Itaque in toto hoc genere mihi divinandum fuit. unde factum, ut passim obhaeserim, nec in aliquot locis sensum commodum extricare potuerim. Religio vero fuit, nostras coniecturas pro MS. lectione, lectori obtrudere. Tu autem, Vir summe, ut es in Graecis exercitatissimus, facile multa advertisti, & emendasti feliciter, in quibus nostra parvitas incassum desudaverat, unde & occasionem mihi dedisti, vel in secunda editione Latine ea vertendi, quae iam pro desperatis deposueram. Vtinam si similiter studia nostra iuvare velles in collectione Conciliorum Zonarae, & Homiliis Theodori Studitae, quarum editionem, post provulgatum Concilium Chalcedonense, adgrediar. Habeo & Panthaleonem de laudibus Michaelis Archangeli, & multa aliorum Graecorum Patrum opuscula sub manibus, quae ubi lucem viderint, statim inter primos ad te ibunt. Proclus Platonicus iam in fine laborat, cuius exemplar, ubi potero, ad te mittam. Instigavi omnibus modis Typographum, ut Nicolai Methonensis refutationem (quam multoties nobis promisit collega tuus, ut & Vir maximus D. Heinsius) Proclo iungat, scilicet animam corpori. Ita enim facilius opus istud operosum, divendere poterit. Dominus Rutgersius saepius apud me fuit, in quo singularem eruditionem, & humanitatem summam adgnovi; si forsitan ipsi scripseris, monebis hominem, ut mei sit memor, qui corde eum amo. Holstenium nostrum, iuvenem eximium, non puto neces-

se, ut

Ann. Chr. MDCXVII. ſis, ut tibi commendem, quem ultro amare coepiſti: Sucreſcant iſtae ſtirpes felicium arborum, ſed utinam aevo feliciori. Vale, Vir Cl, & me ſtudioſum nominis tui ama. Hamburgi V. Eid. Ianuarii Iuliani AH. XPI. MDCXVII.

Tibi ad omnia obſequia paratiſſimus

GEVERHART. ELMENHORSTIUS.

CCCLXXV.

ANDR. SCHOTTUS IO. MEURSIO S. D.

NActus commodum amicum ad vos proficiſcentem, volui, ut poſtulas, Pſellum ad te adlegare, quando ſpem facis, ut cum Euſebio in Cantica exeat, nam ipſe tam aequos hic non ſum expertus Typographos in Graecis excudendis, a quibus cum barbarorum vulgo tanquam a larva, vel Hydra quadam Lernaea, lucri plus ſatis cupidi plerique abhorrent. De reliquis poſt videro, otium nactus, nam Libanii Epiſtolas prope CCC. ἀνεκδότυς vellem, vel Graece exirent iſtic, nec deerit interpres Latinus, adeo ſunt eruditae. Sed narro tibi, deſcribi prius oportere, quam operis tradantur. Vetuſtate enim folia pene diffugiunt, quaſi Sibyllae folia, venti ludibria nollem, interciderent, nam eiuſdem Libanii multas in S. Baſilii operibus pro nuper editis a me, & nonnihil auctis, delibavi, quae in Aldino Epiſtolarum Graecor. exſtant Codice. Vide, ſi iſtic Librarium potes nanciſci, noſque tempori moneas. Baſilii ἀσκετικὰ in membranis ſcripta, quae D. Ger. Voſſius amice commodato miſit, brevi remittam; integrum prope iam contuli, & ſaepe fuit operae pretium, & Lutetiae iam bilinguis exibit typis Morelli. Cyrilli ἑορταστικὰ adhuc ſub praelo ſunt, lentum, ut ſcis, negotium, neque cum γλαφυροῖς τῦ αὐτῦ εἰς πεντάτευχον proximis vernis adparere poteſt, ſed ſi vitam largietur Deus, autumnalibus, una cum Iac. Pontani noſtri in Ovidii Metamorphoſin Commentariis, huc nuper edendum miſſis. Vale in Domino, noſque iuvare ne deſine, & amare.

Antverpiae MDCXVII. quem tibi felicem adprecor, poſtridie Epiphaniae.

CCCLXXVI.

IDEM EIDEM.

MIſeram nuper, doctiſſ. Meurſi, per domeſticum, ut poſtularas, quae Graece habebam Politicis verſibus Michaelis Pſelli, in Cantica Canticorum, ut tuis iungas. Equidem, quod Lacunas aliquot deprehendiſſem, & unico eoque recenti exemplari contentus eſſe non poſſem, idcirco cum Catena in Proverbia non evulgavi; tuum eſt, qua vales felicitate, ſupplere, ac ſtrenue pergere in proferendis e tenebris, ut coepiſti, opt. Graecis libris, ne perpetuo deliteſcant. Sic tibi poſteros perpetuo devinxeris, ut fama loquatur anus, ut Bilbilitanus ait vates. Quoniam vero hic quaeſitum ſcribam non repperi, mitto, ut iſtic deſcribantur, exeantque tuo ductu, Libanii τῦ πάνυ epiſtolas ἀνεκδότυς fere CCC. Si lucem, ut rogo, per te adſpicient, interpres non deerit, ob elegantiam ſtyli, ſermoniſque Attici, quo & Baſilius ille Magnus, & aurei oris ſcriptor Oratorque ſit uſus perfamiliariter. Ephremi praeterea Homilias III. nec enim plures Romae deſcripſimus, adiunxi, item Methodii *de Arbitrii libertate* ſermonem e Vaticana hauſtum. Sed ego te fortaſſe nimis urgere occupatum videar, ac currentem, quod aiunt, impellere: nam & Harpocrationem memini te promittere, vel Notas in illum, quas, puto, Atticas vocas Lectiones, ut Agellius Noctes Atticas. Quin & Theophylacti epiſtolas exſpectare me iubeas, quia ſacrae ſunt ſacri hominis mihi initiato, ϗ φιλέλλην, ut videri volumus. Nuper & Baſilium M. hic recenſitum a nobis exſcidere ſum paſſus, & nactus ab optimo eruditiſſimoque Viro Ger. Voſſio Aſceticorum calamo Codicem exaratum, totum contuli cum edito, & remittere paro, gratiamque humaniſſimo Viro iuxta, ac doctiſſimo (quantum e Rhetoricis ipſius colligo) officioſe, ut debeo, agens habebo, ſi non qua teneor elegantia, at quo poſſum conatu. Habes otii rationem mei, num de tua diligentia libri ad me miſſi muneri ſatis loquuntur. Etſi vero perpaucorum haec hominum ſtudia eo glorioſa magis, quam trita, ac pervulgata, exiſtimo. Vale in Domino, noſque ama. Salvebis & ab Heriberto noſtro, qui Vitas illas Belgic. etiam Virginum monaſteriis nunc tranſcribendas typis curavit. Item a Brantio noſtro, qui in Terentio ornando totus eſt. Antverpiae IV. Kal Febr. MDCXVII. quem vobis annum adprecatur feliciter decurrere tuus Schottus.

CCCLXXVII.

IDEM EIDEM.

PEr mihi gratae tuae, doctiſſ. Meurſi, a Brantio nuper redditae. De Pſello, & Theophylacto edendo laetum accepi nuncium, optoque integris pergas viribus, & ope divina reliqua in apertam lucem proferre, Graeca potiſſimum, quae ſemper perpaucorum ſunt, fueruntque, id eſt, bene de litteris iudicantium hominum. Si ſumptus ipſe toleras, crede mihi, tempore, ut in bonis rariſque mercibus, refundentur, quod carius veneant, ut in H. Stephani, & Hier. Commelini editis Graecis experimur, & in Regiis Bibliis, atque Hub. Golzii aureis ſentimus, quae, auro contra non carae. Quod meum nomen tuis inſerere vis, facis amice. Potes nos ſine invidia nominare, modo ne laudibus nos oneres immodicis. Miſi & nuper ad te Li-

Ann. Chr. MDCXVII.

Libanii Epistolas Gr. ineditas, manuscriptas antiquiss. per fidum amicum τῆς ἡμετέρας κοινωνίας, vereor ut acceperis, quod in epistola tua nulla mentio. Vtinam denuo descriptas curaque tua editas videam aliquando, vel Basilii eius familiaris causa, in quo & elaboravi aliquid, ut nunc sum in Cyrillo occupatus, edendisque *Dialogis* Ant. Augustini V. C. hospitis quondam mei: qui, ut spero, nundinis apparebunt proximis. Cyrillus non item. Operae enim in Graecis βραδέως festinant, ut solent in his terris.

Antverpiae Idib. Febr. MDCXVII.

Salvebis a Brantio nostro, qui mecum, & clariss. Heinsium salvum optat. Remitto Basilii M. ἀσκετικὰ calamo exarata, quem Cod. doctiss. Viri Ger. Vossii benignitate contuli paulo accuratius, ac ut debeo, ex fide restituo bona. Inclusi fasci, & vobis Heronis illum Codicem MS. ut commodo vestro illa Iulii, nescio an Africani, illius exeant, ut Τακτικὰ abs te edita habemus, aliaque Leonis ceterorumque ἀποσπασμάτια. Vive nostri memor, καὶ ἔρρωσο ἐν τῷ κυρίῳ.

CCCLXXVIII.

GEVERHART. ELMENHORSTIUS IO. MEURSIO S.

Vir Clarissime!

IN magna infelicitatis meae parte pono iacturam literarum, quas ad me dederas. Basiassem eas Spissius, si in manus meas incidissent, & quasi particulam opum Croesi inter κειμήλια reposuissem. Nunc tanto bono viduus, desiderium mihi saltem illarum superat. Beabis me igitur in solidum, si adloquium iteraveris, & quid Musae tuae agant, simul intimaveris. Nos actis Concilii Chalcedonensis iam ultimam manum imposuimus, quae spero proximis nundinis prodibunt splendide, ut & Wouverii opuscula postuma, quorum frontem tibi, D. Grutero, Heinsio, & Scriverio inscripsi. Excuduntur etiam Lubecae iussu meo auctores de Viris illustribus Ecclesiasticis, quos brevi mittam. Si forte penes te Braulion, aut alius farinae, rogo, transmittas, ut ceteris iungatur. Conferam me postea ad Zonaram, & Theodorum studitam, modo per imbecillitatem valetudinis licebit. Iam enim propter crebros labores emaciatus sum, & totus langueo. Si pertexis Glossarium Latino barbarum, suppeditabo complura vocabula barbara, quae observavi apud Blesensem, quem his diebus cum MSS. contuli. Dominus Gruterus, & Hufwedelius carmine eleganti municipem nostrum [a] cohonestarunt. Si tantum otium tibi a rebus gravioribus, idem facias, volo. Scripsi etiam ea de re ad D. Scriverium, a quo responsum urgebis. Eximium Heinsium patrem leporum, & poetarum Deum, propter negotia amatoria compellare non audeo. Monebis hominem, ubi occasio erit, ut nostri sit memor, qui adfectuosissime illum amamus. Salve Vir maxime, &, si me non indignum tuo amore putas, responde. Hamburgi III. Kal. April. Iuliani MDCXVII. Proclum fidei tuae commendo; obligabis me granditer, si addideris tuas emendationes. Omnino autem necesse est, ut errata, quae bis ad Holstenium nostrum misi, in fine libri exprimantur, alias periculum, ne negligentiae nimiae me incusent Viri eruditi. Salve iterum praestantissime Virorum, & per te Nobiliss. Philippus Cluverius, cui propediem scribam.

Qui te serio aestimat, & amat

GEVERHART. ELMENHORSTIUS.

CCCLXXIX.

HIER. ISBRANDUS IO. MEURSIO S. [b]

VTinam illa ex transverso non intervenissent negotia, & tu hesterno die ad nos excurrisses, mi frater, vidisses me, puerperam, novamque prolem sic satis (gratias Deo) valere. Et ne mihi credas, arrepta occasione, quae indies obvia, veni, vide, cum uxore carissima, si ullo modo illi integrum. Sin minus, & sontica est causa, excusatam illam habebimus hac vice, si tu veneris. Quod publica tangat, nihil hic novi, quod scire desideres. Navis Ecclesiastica iisdem adhuc iactatur dissensionum fluctibus. Faxit Deus, ut illam in mare non referant, sed fortiter portum occupet, & rectores videant, non illi integra esse lintea, non Deos, quos iterum *pressa vocet malo*, & quod sine funibus concordis Religionis

Vix durare carinae
Possint imperiosius
Aequor

hostis saevissimi. Ad petitionem Legati Galliarum decretum Illustr. Hollandiae Ordinibus fertur, & Geldriae, auxilia illa quinque millium mittere; ex ceteris provinciis aliquot non itidem, quid futurum sit, res docebit. Gallia prope tota adhuc in praeparatoriis, nisi quod mandatum Comiti Avergniensi, civitatem *Soissons* equitibus cingere, quam constituisse Regem expugnare postremae literae *Langeracci* volunt. Comitia Rochellis indixisse nostrae religionis homines, & magnam partem eorum optimo in principes animo esse, haud dubieque auxilia decreturam vereri plurimos, idem scribit. Mareschallum *d'Ancre* apud Reginam obtinuisse, ne tam calide negotium illud pacis Italicae porro urgeatur, ne confecto ibidem bello, Galli milites sese principibus iungant; moras illic nectendas esse, atque interim principes summa vi adgrediundos, & fatigandos saltem, si plane subigi non possint: quia *Laon* congregati esse di-

(a) I. e. *Io. Wouverium*. Vtrumque Carmen legitur, post *Wouverii* Vitam, in *Syntagmate* eius, a *Gever. Helmenhorstio* edito, de quo ad epist. seq. GRAMMIUS.

(b) *Hieronymus Isbrand.* Iurisconsultus, Reip. Groninganae Syndicus. Cui *S. Methodii* Orationem, Graece inter *Varia Divina* editam, *I. Meursius* inscripsit. GRAMMIUS.

Ann. Chr. MDCXVII. dicuntur. Ferme per literas IX. Aprilis Parisiis scriptas, XXII. autem receptas *Langeraccius*, Dux *Espernonius* ἐπέχει, & absque intercessione Legati Hispani foret, iam & ipse quoque reus maiestatis fuisset declaratus, documentum aliis daturus, in bello civili non licere tuto eventum speculari. Sapiens olim lege id vetuit apud Athenienses, & alibi quoque hostes habiti, qui in partes non abierant. Deus pacis inflectat principum animos ad pacem, & tibi, mi frater, uxorique tuae, ac toti familiae, ut & nobis omnibus omnia prospera, ac felicia largiatur. Vale, charissime frater, & nos, ut facis, amare perge. Hagae Comitum $\frac{1}{11}$ April. MDCXVII.

CCCLXXX.

Io. RVTGERSIVS Io. MEVRSIO S.

QVarti variarum mearum quinque priora capita en tibi. Cur non plura, inquies? Quia in Menandro, quem illi in fero, iudicio tuo mihi opus est. Quod ut consulam, die Lunae, cum Deo, me exspecta. Et alioqui satis foliorum habere Typographos scio; nam tertium caput, cuius reliqua ab Heinsio petes, minimum duorum foliorum futurum est: Obsecro, ut Lynceis oculis utaris. Si illis, quod agant, deficit, iube Graecum illud folium, quod in secundo libro omiserunt, expediant. Vale, Vir Clarissime, & nos ama. Hagae XXII. Maii MDCXVII.

CCCLXXXI.

GEVERHART. ELMENHORSTIVS IO. MEVRSIO S.

ACcepi Commentatores tres in Cantica Canticorum, & non longo intervallo post desideratissimas tuas, una cum elegantissimis epistolis Theophylacti, pro quibus gratias ago immortales. Vir summe, oro te, quicquid deinceps profers, ut nobiscum communicare velis: ego vicissim omnia minima maxima, simul atque lucem viderint, statim ad te festinabo, quae licet tuorum pretium haud aequent, non tamen tibi improbabuntur, spero. Iniunxi Holstenio nostro, ut exemplar *Arnobii*, *Minucii*, *Gennadii*, & *Procli* tibi traderet. Puto illum fidem suam liberasse. Quod si non fecit, poteris eum de illis compellare. *Sidonium* Wowerii eis paucos dies a me habebis, ut & alia maioris operae pretiique. De *Populis Atticis* avide videre cupio, ut & operosissimum *Glossarium Latino-barbarum*, quod iam diu eruditis debes. *Orosios* MSS. poterit Holstenius cum aliis libris meis tuto mittere ad Petrum de Witte civem Amstelodamensem noti nominis (a), cui mandata dedimus recipiendi, & adservandi. Intra mensem unum, aut alterum salvi sistentur tibi. Iam antea cum sex membranaceis Codd. hunc auctorem contuli, & infinitis locis emendavi. Si quid porro ex his exemplaribus poterit excerpi, quo ornatior prodeat editio, id totum tibi adscribam. In glossis tuis video te citare Matthiam Blastarem, si grave non est, velim, edoceas me, e cuius Bibliotheca illum librum habuisti (b). Ego eius notationes in acta Concilii Chalcedonensis redimerem pretio pretioso, si quis esset, qui obferre eas nobis vellet. Conieci in appendicem Synodi Chalcedonensis Zonarae, Balsamonis, & Stephani Ephesini Scholia graeca, quibus & hunc quartum socium adderem haud incommode, si copia eius esset. Tu de illo videbis, Cl. Meursi, & nos amabis, quibus haeres in medullis. Hamburgi V. Non. Iunii Iuliani CIↃIↃCXVII.

CCCLXXXII.

ANDREAS SCHOTTVS IO. MEVRSIO V. C. Χαίρειν.

ACcepi muneris loco Theophylacti epistolas Graece a te venuste editas: easque ingenti voluptate relectas, nihil duxi antiquius, quam interpretem reperire, ut repperi Pet. Castellanum, Graecarum litterarum Lovanii in trilingui Collegio Professorem, qui & hic iam primitias extrudet, *De Festis antiquorum* Commentarium, & *De priscis Medicis*. Mihi certe non vacat vertere, ut maxime vellem, Cyrilli γλαφυροῖς plus satis recensendis, & periculis operarum castigandis, occupato. Eius ego partem priorem ad te remitto, a quo accepi, quia contuli quidem cum meo Codice in Genesim, quem operis lacerandum tradidi. Vulcanii vero Codicem sartum tectum restituo, & deprehendi de septem libris in Genesim, nobis deesse quintum, sextum, & septimum, quos ex Amplis. Card. Borromaei insigni Biblioth. iam accepi, & opus porro urgeo. Perge tu quoque Graecis edendis posteritatem tibi demereri. Impensae etsi lentius, refundentur tamen, ne dubita, & quidem lucro aliquo, si moram ferre potes: quia etsi pauciores Graeca tractant, iidem etiam amplius pro Graecis solvunt, amore iudicioque praestantes. Quare spe etiam, quae Romae collegi, & ex Bavarica Biblioth. habui. Andreae Hierosolymitani Episcopi Cretensis omnia mitto, quia cognominis est. optemque pari charactere Graece tantum istic excudi, tua lima adhibita in nostri gratiam: & Schotto cum Graeco epistolio inscribi, *ut fundo &c.*

(a) *Petrus Wittius, iuvenis, cui super amplissimi generis decus ornamenta earum omnium scientiarum accesserunt, quae liberali homine digna sunt. Quibus omnibus cum egregie exsultus sit, nullo tamen studiorum genere aeque capitur, ac Geographorum libris.* Ita de eo, quem alias nulla ingenii monumenta, quod sciam posteritati, ac famae tradiderunt, iudicavit *Ianus Rutgersius* V. Cl. Lect. var. l. I. c. XIV. GRAMMIVS.

(b) Eius *Syntagma alphabeticum* in Concilia, & Canones primum adparuit in *Beveregii* Pandectis Canonum Tom 2. Fueritne vero hoc opus, an potius *Glossarium Iuridicum* eiusdem *Blastaris*, quod *Meursius* in Glossis suis subinde adlegavit, haud dixerim, cum *Meursii* Lexicon Graeco-Barbarum nunc mihi non ad manus. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXVII.

Mitto & lib. mer. Dialogos Ant. Augustini V. C. a me olim Latinos factos, & nunc demum extrusos, repertis Iconibus, aere Ducis Croy Arschotani, aeneis formis insculptis. Aequi bonique consule, ut meas esse aliquid putare nugas consuevisti. Matthaeus noster Raderus, qui in Martialem denuo conscripsit, Commentarios molitur, & in Q. Curtium Rufum, de gestis Alexandri M. rogat me per epistolam, impetrem abs te mihi amico Callisthenem de rebus eiusdem, quas penes te esse e Glossario didicit, ut vertat e Graeco Latine, & bona faxo recipias Codicem fide, si meae credis fidei, vel si inde Colonia Vbiorum per Bibliopolam Hierat . . . . Monachium Bavariae libet statim mittere: vecturae pretium ille persolvet, remittetque cum foenore, si quid forte meo nomine in Bavarica Biblioth. Graece describi iubes. Sic χεὶρ χεῖρα νίπτει, Epicharmus ait Siculus. Narro tibi, incidisse me nuper in Io. Curopalatae Historiam a Io. Gabio Latine conversam; & cum Georg. Cedreno κατὰ πόδα convenire deprehendi; adhibui & Zonaram eadem per omnia narrantem, & notavi ad oram non pauca, in quibus discrepant, sed duo desunt, quo minus absolvam: cum otium maius tum Codinus *De Magistratibus* eius aevi, & vocabula, quae tamen e tuo glossario suppeterent. Quia MS. possides Curopalatam, si vel Graecolatino, aut Latine tantum cum tuis Notis extrudere aliquando placeret, mittam meum Codicem, bono fortasse publico, nam quod in aurem dico, in Byzantinis illis hodie Galliae statum velut in speculo contemplari licet. Nihil enim novum sub sole, ait Ecclesiastes, & hic est Historiae, tempora comparando, fructus uberrimus: ut te omnium minime fugit. Salutem D. Danieli recens nupto, & Gevartio, quem ad nos rediturum sperabam. Antverp. Nonis Iuniis MDCXVII.

CCCLXXXIII.

GEORG. MICHAEL LINGELSHEMIVS IO. MEVRSIO S. P.

INsignis tua est in me benevolentia, quam assidue testaris gratissimis tuis lucubrationibus. Quae in Canticum Canticorum protulisti, grata habuit Serenissimus Elector, gratiasque agere iussit, quod nomini eius inscripsisti, ac Scyphum auratum mihi tradendum curavit, quem ad te mittam testimonium affectus sui in te. Dum autem quaero commoditates tuto transmittendi, tempus labitur. Itaque certiorem te facere volui, donec occasionem nanciscar, qua tuto recipere possis, argumentum favoris Principalis. Quod autem & nomen meum aeternare monumentis tuis constituisti, non reperio, quomodo grates dignas agere queam, praesertim non conscius cum mihi sim, tantam benevolentiam promeruisse. Exstabit etiam apud posteros monumentum nostrae amicitiae, quam ego in maximis duco. Diffidia apud vos in Religionis negotio nos anxios habent, & Elector libens conferet, quae ad pacem Ecclesiis vestris reddendam facient. Nostrae res quietae sunt, Dei gratia. Bohemi Regem sibi elegerunt Ferdinandum Archiducem commendatione Caesaris, qui aetatem suam, & invaletudinem, & aversos fratrum suorum animos a novis curis explicavit. Quo animo sit in pios, satis declaravit: itaque si & Imperatoria dignitas ipsi cedat, nihil aequi ab ipso sperare possumus. Hic autem aditus, & destinatio Hispanicorum consiliorum illuc eunt. Deus aderit suis, & Ecclesiam suam servabit, etiam per graves persecutiones. Vale, amicorum eximie, & Vir praestantissime.

Heidelbergae, idibus Iunii MDCXVII.

CCCLXXXIV.

EIZO TIARDA IO. MEVRSIO S. P.

Optime frater!

NOn sine periculo vitae fretum pernavigavimus; huc venimus, & quod omnium aegerrime patior, uxorem, & filiolum nostrum infirmos invenimus; & illam quidem ex abortu: quod quidem vos mecum sine dubio dolebitis: sicut nos vicissim gaudebimus ex nuncio felicis partus; nam non dubitamus, quin tua uxor te iam denuo parentem fecerit; mea quidem ex eo tempore, quo reversus sum, meliuscule habuit. Sed de Regnero quasi desperamus. Faxit Opt. Max. quod utrique nostrum salutare sit. De Plutarcho nosti quid, postremo inter nos actum. Interea Catalogum auctionis accepi, ex qua vellem hos sequentes meo nomine, sed aequo pretio (nam iustum ex aliis cognoscere poteris) emas.

Hopperus de vera Iurisprudentia fol.
Marchantii Flandria 8.
Berbellana ad Constit. de Pace Relig.

Datum Groningae XVIII. Iunii MDCXVII. stilo Iuliano.

CCCLXXXV.

G. M. LINGELSHEMIVS IO. MEVRSIO S.

Vir Clarissime aevi nostri decus!

REcte mihi redditae tuae XXII. Iunii datae, cum duplici munere tuo eximio. Quas grates dignas tibi referam unquam? quod nomen meum aeternitati consecrasti (a), dum id inserere libuit monumentis tuis. Quod summum est, mihi donasti, neque meae sit opis gratiam referre. Me totum tibi devinctum tenes. Levia nimis sunt, quae a me profecta extollis, sed id debeo benignitati tuae, & amori in me, vix memoria digna. Mutuum tecum facio, & amo

(a) In Theophylacti Epistolis. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXVII. & amo te medullitus, unum hoc in votis habeo, ne indignus tanta tua benevolentia reperiar, & in eo sum, ut facto testari possim, quanti hoc tuum in me officium faciam. Credo te munusculum accepisse a Principe meo, quod misi per Tabellarium, qui literas ad Ill. Ordines deferebat. Sed & alterum tuum eximium opus *Atticarum* recte mihi redditum, in quo aliquot horas summa cum voluptate collocavi. Sic perge bonas literas illustrare, cum aeterna nominis tui gloria. Sed quid Heinsius noster? iam dudum nihil eius monumentorum vidimus. Spes nobis facta fuerat insignis operis Politici, quo Aristotelis observationes ad nostrum seculum accommodabat. Iubetne nos porro sperare, an aliud aliquid adgreditur. Scio non torpere ingenium tam vegetum. Salveat a me constanti suarum virtutum admiratore. Etiam Grotius spem fecerat desideratissimi operis de magistratus iure in sacris, quod premi diutius nolim. Vtinam rependere vobis liceat, tot tam amice in me collata beneficia. Gratias tibi ingentes habeo, & voveo, ut paria facere queam. Vale Vir eximie.

Heidelbergae V. Iulii CIƆIƆCXVII.

CCCLXXXVI.

IO. MEVRSIO H. GROTIVS S. D.

Vir Clarissime!

TVm pro dulcissimis Theophrasti literis, tum pro plenissimis omnifariae eruditionis Ethicis lectionibus, & publico, & privato meo nomine gratias tibi ago maximas: agent & omnes, quibus datum est ista suo pretio aestimare, neque minus tibi debeo altero nomine, quod & veteris nostrae consuetudinis memoriam tam fideliter servas, & in eodem adfectu constanter perseveras. Ingratissimus sim, ni haec mihi sint gratissima. Ita velim, tibi persuadeas, doctissime Meursi, me, quoties animum a molestioribus curis licet avocare, nullum tempus tanta cum voluptate respicere, quam illud, cum in amoenissimis studiis pariter adolescebamus, tuaque mihi, & diligentia, & adsequuta diligentiam fama, magnum ad praeclara quaeque capessenda incitamentum erat. Quae nunc est vita, frui vobis, haud aeque mihi permittit; quin vos amem, atque admirer, prohibere non potest: quippe quum omni dignitate illustrius mihi videatur, eorum, qui de literis optime merentur, amicitia censeri. Curatores Academiae vestrae, quos tui amantes esse non dubito, magis magisque adgnituros tua in publicum merita, confido, atque utinam ea sit testimonii nostri auctoritas, ut inservire tuis commodis tuoque honori possit. Nihil plane est, quod facturus sim libentius, quam ut Virum in promovendis literis indefessae industriae, deinde amicum veterem, atque constantem, aliqua in parte adiuvem. Vale, Vir eruditissime. VIII. Iulii MDCXVII. Rotterodami, Ann. Chr. MDCXVII.

Tuus

H. GROTIVS.

CCCLXXXVII.

GEVERHARTVS ELMENHORSTIVS IO. MEVRSIO S.

IN lecto eram, & cum hoste truculento saevoque carnifice luctabar, quum tuas accepi, quae adeo gratae mihi acciderunt, ut inter acerrimos cruciatus a lectione illarum temperare mihi non potuerim. Adieci postea, quum paullulum respirassem, lectionem *Atticarum* tuarum, & repperi, Meursiana esse, quae diceres, id est, omnino eruditissima, quaeque pauci, quos aequus amavi, adsequi possunt. Demiror te, quem partim publica, partim amicorum officia distringunt, ea praestare potuisse, quae vix ac ne vix quidem illi, qui tota vita litteris assident, efficere possunt. Vir maxime, oro te, ut quae in omni doctrinarum genere non iam inchoata, sed adfecta habes, seculo imputes, & nos obstringas, atque una opera nomen tuum consecres immortalitati. Certe si alii tantum tuis laboribus, quantum ego tribuo, abunde tibi constabit ratio impensarum, quemadmodum σὺν θεῷ publico aliquo scripto brevi protestabor, ex quo quanti divini ingenii tui monumenta faciam, abunde perspicies. Ego iam totus sum in Zonarae operibus concinnandis, quibus addam & alios Graecos Patres ineditos, modo per imbecillitatem corporis licebit, cuius fulturis (ut nosti) animus sustinetur. D. Hoeschelius edet brevi Sextum Pyrrhonicum Graece, cum Eclogis Legationum, Siracide, & aliis. Sic enim heri nobis adsignavit. Cicero Gruteri nostri, & Proclus Platonicus, iam in fine laborant, cuius exemplaria vobis ante nundinas (ut spero) transmittam. Plura propediem, iam enim necdum longae scriptioni subficio. Salve, Vir Clarissime, ab illo, qui merito te amat, aestimat, colit. Hamburgi IV. Eid. Iulii Iuliani CIƆIƆCXVII. Holstenium nostrum non erit tibi grave compellare de libris, quos inibi mihi emit, transmittendis prima occasione. Ei proxime scribam, iam enim plane non vacat.

Aeternum tuo

GEVERH. ELMENHORSTIO.

CCCLXXXVIII.

IDEM EIDEM.

Clarissime Domine, amice colende.

ADsignificavit nobis Collega tuus, ut & Vir maximus D. Heinsius, exstare penes Nobiliss. Theodorum Dousam opus epi-

Ann. Chr. MDCXVII.

epistolarum Ioan. Zonarae, cuius ἐξήγησιν in omnia Concilia ex MSS. Palatinis brevi provulgare nobis animus est. Rogamus igitur te obnixe, ut a praedicto D. Dousa istum thesaurum nobis impetres, quo' operoso operi nostro addi queat. Quod si illum nobis nolit concredere, spero, facile impetrabimus a D. Heinsio, ut nomen suum obliget de cita redhibitione. Tuae enim humanitati in exordio novae coniunctionis, tantum oneris imponere ausi non sumus. Salve, Vir Clarissime, & petitionem meam curae tibi habe. Hamburgi III. Non. Augusti Iuliani CIƆIƆCXVII.

CCCLXXXIX.

Io. Mevrsius Casparo Hofmanno (a).

Litterae tuae, Vir Clarissime, omnino gratissimae mihi fuerunt: &, quod ab eo venirent, cuius virtutem, & doctrinam ante decennium, quum apud vos per trimestre agerem, praesens aestimare didici; & quod tam pronum erga rempublicam litterariam studium tuum nunciarent. Quod profecto utinam iuvare possem! Verum in Bibliotheca nostra Lugdunensi hac, nihil tale adservari, interroganti adfirmavit Collega meus, Daniel Heinsius, eius Praefectus. Si litteris tuis acceptissimis serius respondeo voto tuo, quaeso ignoscas: quippe VIII. Ianuar. mensis scriptae, exeunte demum Iulio ad me pervenerunt. Vides facile, culpam hic nullam meam esse. Si litterarum hoc iter saepius ingredi tibi placebit, ego vicissim officio amici nunquam deero. Vale, Vir Clarissime, & amare me perge, tui studiosissimum. Lugduni Batav. a. d. XXVII. Augusti. Anno MDCXVII.

CCCXC.

Andr. Schottvs Io. Mevrsio S. P.

Ivre tu quidem optimo, Optime Meursi, cessationem accusas meam, quod acceptis muneribus sileam, sed invaletudinis nostrae, quae me lectulo adfixerit, iusta fortasse excusatio fuerit. Non utar tamen, at reum me adgnoscam, ac binis tuis respondebo, gratiasque, ut debeo, non modo agam, sed, & habebo, dum spirabo, de Graecis Eusebii, & Polychronii εἰς Ἄσματα Commentariis, recens abs te editis, itemque de Atticis Lectionibus, quibus Harpocrationis multa instauras, aliosque Graecos. In his, & e decem Graeciae Oratoribus Andocidem, Antiphontem, atque Isaeum: quos eo audacius ad te adlegare visum, ut, si potes, ita commendes Elzevirio (qui, ut coram adfirmabat, Graeca libenter, etiam nostra excudet,) quasi a me proficiscantur, qui ab amico, me hortante maxime, Alfonso Miniato, septuagenario sene, Latine sunt utcunque redditi. Recenseri tamen debent, ut solent, qui correctoris funguntur munere, initio, ut pauciores sint liturae. Qua forma autem Aubriani nuper Lysiam, me hortante, excuderant, & nunc cessatores facti (quum venustos habeant a Wechelianis typos Graecos, & Regios) eadem horum trium excudi istic exoptem Orationes, quas mitto. Et quia columnae angustae fortasse in 8. paginis oppositis collocari Graeca commodius sit: vel si Graece omnino detrectarent Elzevirii, saltem Latine ederent hasce, vellem, Orationes, quas hactenus a nemine versas dolebam: exceptis paucis a Gul. Cantero, quas ab Aristide avulsas, his adieci. Isaei vero Orationes faxo a Grutero Elzevirius si Francofurtum ad mercatum pergit, accipiat, vel quis eius nomine. Addi & Lycurgi adversus Leocratem cupiam, quam Latinam fecisse audio Ioan. Lonicerum, typis Opocini, & quae vobis videbuntur, pertinentque ad Oratoriam, & Harpocrationi illustrando, prodesse queant. Vrge hominem, quantum nos amas, nullo tamen tuo impendio, sed eius ad quem quaestus redibit. Si detrectat, fac, cognoscam. *Invenies alium, si te hic fast. &c.* Verum a Graecis Typographis hoc seculum inops laborat. Io. Curopalatam ubi absolvero in recensendo, ad te mittam. Ad quem enim potius? qui tanto studio, & alacritate, nitoreque Graeca curas divulganda, ut grata sit perpetuo tibi posteritas debitura. Miseram, memini, nuper etiam Andreae cognominis Homilias, a me Romae collectas, Hierosolymitani, inquam, & Cretensium Episcopi. In tuis quoque literis nulla de his mentio, ut vicissim subdubitare incipiam, an acceperis cum Dialogis nostris Antonii Augustini, Latinos, quos fecimus, cum Iconibus. Chalcidii an Platonica sunt, quae Latina dumtaxat vidimus? & Constantini forte Tactica ad hanc diem ἀνέκδοτα. Macte animo isto generoso, & famam extendere eruendis edendisque Graecis ne dubita, nomen sic cum omni posteritate adaequabis. Lucrosos illos, ac nugivendulos omnes unius aestimemus assis. Verbosam habes epistolam pro diuturno silentio. Tibi imputa, amice magne, qui meas convicio pene efflagitare es visus, sed & onus adiicio, commodo tamen quod fiat vestro. Si tertiam fortasse Glossarii tui meditaris, ut fit, editionem, quin ab heredibus Th. Canteri impetras, quae multa hic adnotasse memini, etiam Ecclesiastica vocabula, ne pereant apud liberos, qui alia omnia forte nunc curant. Vale in Dom. Antverpiae die XX. Sextilis MDCXVII.

Quod in Atticis Lectionibus voces innominatum Chronicon Olympiadum scire aveo, an forte Georgii Alexandrini Chronicon nuper a Matthaeo Radero nostro editum? sive ἀνέκδοτον aliud. De interpretatione Latina epistolarum Theophylacti Bulgar. Episc. fa-

(a) Descripsimus hanc epistolam ex *Spicilegio illustrium epistolarum Georgii Richteri epistolis selectioribus* (Norimbergae 1662. in 4. impressis) adiecto, pag. 808. Grammivs.

Ann. Chr. MDCXVII. faxo habeas, ut subiungat Elzevirius, si videbitur Graecis.

CCCXCI.

IDEM EIDEM.

EGo vero, Clarissime Meursi, respondi nuper ad binas tuas, traditis literis adolescenti Hagiensi, qui se continuo missurum ad te Haga promiserat. Usus interea iusta excusatione, quod eger aliquandiu lectulo affixus decubuissem: & accepisse me duplex abs te munus Graecum, cum in Cantica Eusebium Polychronium, & Psellum Gr. tum nuperis Atticas Lectiones; de quibus gratias, quam possum, maximas habeo agoque. Macte animi, & plura indies edolere, & in auras proferre vitales perge. Feliciter! Neque tu ternis tuis, iisque quas Iustus Holsteinius eruditissimus adolescens reddidit, facis mentionem, an quae misi Andreae Hierosolymitani ἑλληνικὰ (Romae a me collecta, quod cognominis esset) cum Dialogis Antonii Augustini Latinis, & Tomo Cyrilli in Genesim Manuscripto qui fuit Bonaventurae Vulcanii, acceperis. Rogabam enim, si fieri istic commode posset, Graece tantum excuderentur, vel sumptu Elzevirii, qui tam multa hic Puteani suo aere curat edenda, vel alterius Bibliopolae. Fac, quaeso, sciam, an redditae illae Homiliae sint, Andreae Hierosolymitani, Episcopi Cretensis; an perierint mihi. Narro tibi, quando de Cyrillo nostro anxie, & amice rogas, scito Praefat. excudi ἑορταςικῶν, interprete Antonio Salmatia, qui domesticus est Card. Borromaei. Excusis iam de septem libris Glaphyror. quatuor, deprehendi in Vulcanii Cod. deesse quintum, sextum, & septimum. Rogavi statim per epistolam Illustr. Card. qui quintum quidem misit e sua instructa Bibliotheca, sed sextum, & septimum negat mittere, forte quod librarius desit, vel qua alia de causa, quam non divino. Quam ob rem maiorem in modum rogo, ut si in scidis eiusdem, aut in Bibliotheca vestra Lugdunensi reperiantur sextus, & septimus liber Glaphyrorum Cyrilli in Genesim, qui est de XII. Patriarcharum benedictione, vel apud Ger. Vossium Graecis & literis & libris abundantem, exstent, nobiscum communica, ut pergere queam, ad Exodum enim operae festinant, in quem & quaedam converto in dies. Mitto ad te nactus occasionem, quae in XXX. ἑορταςικοῖς hactenus excusa: ut moram patientem feras, quae & mihi satis gravis est, ac molesta seni. Vides autem tu, cur lentum sit nobis negotium, praeterquamquod Graeca ambulent βραδέως. Lucas tuus domesticus (a) multa mihi iucunde narrare de Ge. Elmenhorstio, deque eius scriptis; in quibus tantum abest, ut invideam quaedam praevertere, ut utroque pollice faveam, gaudeamque in sinu; imo & communicare sim paratus, si ex fide mecum agat: hoc est, nihil suis admisceat, quae nostros offendant: nam de Chalcedonensi Synodo edenda ab illo, & Canonibus antiquis audivi sane perlibenter, optoque brevi appareant. Vale, mi Meursi in Dom. nosque iuvare, & amare ne desine. Antverpiae III. Kal. Sept. CIƆIƆCXVII. Schottus te salutat.

Adieci Cyrilli Io. Savarum de Larvatis Galliae, qui fere hodie choreis adiuncti, si quid forte addere id genus *Salsationi* libeat. Περὶ ὀρχήσεως memini, Lucianus, & nos quaedam ad Procli χρηςομαθ. attigimus. Sed quid in silvam ligna? Molitur & Puteanus noster *de Natatu* tractatum: maiora mallem, sed pax. Quum obsignare pararem, commodum Lutetia accepi literas a Fred. Morello Regio Professore, ad quem nuper διττογραφόμενα in Basilium M. quem iam extrudet, miseram. Libanii Epistolas ait, in Vatic. Bibl. ipsi transcribi a Librariis Pontif. parario Scip. Cobellucio, Card. iam creato, nostri amantiss. qui Harpocrationem mihi cum membranis curarat comparandum. Epistolas vero Libanii non erit necesse laboriose transcribere, sed, si postulabit, meum Cod. denuo commodabo. Πάντα γὰρ τὰ κοινὰ φίλων, neque nobis natos divinus Plato opinabatur. Iterum vale, amice magne. De promovenda, qua potes, editione III. Graeciae Oratorum, Isaei, Antiphontis, & Andocidis, interprete amico Alf. Miniato Italo, scripsi ad te; fac, laetum brevi nuncium ille accipiat φιλέλλην.

CCCXCII.

IO. PHILIPPUS PAREUS IO. MEURSIO Salutem a Domino.

Clarissime, & praestantissime vir.

ERumpit tandem interior animi mei adfectio erga publica tua bene merita, quae varia in Remp. litterariam iam pridem contulisti, atque indies eam egregiis tuis lucubrationibus iuvare non desinis. Quo nomine me tibi quoque obnoxium esse fateor; quippe qui iam a multis annis multiplicem e monumentis tuis percepi fructum. Id quod amica hac scriptione ad te contestatum facere volui, plane confisus, haud tibi ingratam fore hanc meam salutationem. Habent enim hoc, ut nosti, literae nostrae, ut in sui communicationem facile coalescant. Equidem inter eos me esse lubens profiteor, qui quidquid habent virium, in auxilium, & decus litterarum conferre student. Prodierunt a me ingenioli mei cuicuimodo ἐνδείγματα, quibus hun-

(a) Is est *Lucas Holstenius*, qui contubernio usus fuerat *Meursii* Leydis. Supra in his litteris mentio est *Iusti Holstenii, eruditissimi adolescentis*; quem puto non alium, sed eumdem esse, & *Schottum* incogitantia erravisse, ut saepe fit, in nomine eius scribendo. Ac poterat multa *Lucas Holst.* narrare de *Gev. Elmenhorstio*, utpote cive suo; uterque enim Hamburgensis. Verum quae idem *Lucas Elmenhorstio* narravit (Epistola CCXXVI. inter Gudianas pag. 290.) de *Meursio* nostro, & bonarum litterarum in iuventute Belgica fastidio, non aeque profecto iucunda. GRAMMIUS.

hunce meum animum iam Viris doctis adprime innotuisse mihi persuadeo. Inter alia annis ab hinc octo in censuram vocabam optimi Comicorum Fabulas, quas mea industria paulo meliores reddere conatus sum: quid vero praestiterim, aliis merito iudicandum relinquo. Certe quidem, & animo saepe poenituit, tam propere praecipitasse illud meum studium. Taceo enim, quod ab operis typographicis tum misere exceptus meus labor, dum prave omnia expressa, non pauca omissa, aut interpolata; etiam dies, ut fit, interea multa me docuit aliter. Sensi insuper inquam obelum τȣ̃ δεῖνα [a]. Quae omnia necessario me pepulerunt, ut de nova editione cogitandum fuerit; ut hac ratione Auctori, quem expoliendum susceperam, rectius consulerem; meaeque famae, contra invidorum morsus minime deessem. Serio igitur istam rem adgressus sum Musis omnibus benevolentibus. Ab Serenissimo nostro Principe Electore novem Codd. MS. impetravi; e quibus palmarium obtinet vetustissimus iuxta, atque optimus ille, quo olim quoque usus Camerarius. Ex hoc libro, & ceteris optimae quoque notae MSS. proximis nundinis, si Deus vitam, & valetudinem porro concesserit, castigatissimas dabo Poetae nostri fabulas: sequestratis omnibus aliorum divinationibus, aut coniecturis. Ita polliceri audeo, postquam iam priores septem ad librorum istorum cynosuram, emendavi. Reprehendi namque passim a multis perperam lectionem membranarum exscriptam: meque antea qui alienis oculis videre cogebar, turpiter quoque inductum. Quin heri demum, dum in Epidico versor S. I. V. mirabar, quis Magno μακαρίτῃ Scaligero insusurrasset libello *de Re Numaria* pronuper edito, in optimo Camerariano Codice inibi legi *gestant copulas secum suas*: unde ipse fecerat, *sesuncias*. Sed adfirmo tibi, mi Meursi, expresse membranas sic habere *gestant copulos siavi*. Talia ψευδογραφήματα ex omnibus Codd. Palatinis nobis prodidit is, qui a Columbis [b], an Colubris, nomen accepit, in vasto illo Centonum volumine infinita prorsus: uti ex altera editione mea cuivis liquido patescet. Promiserat non ita pridem iuvenis quidam in *Analectis* suis novam editionem, eamque curis MSS. Scaligeri b. m. quae tot iam annos in magna fuerunt exspectatione. Profecto quum illam ὑπόσχεσιν legerem, cor meum rem ludicram fecit: totus enim exsilii, & in haec verba prorupi: ἔξεχ' ὦ ἤσσε! Interim meam cogitationem abiicere non potui, tot praesidiis ad hanc rem oppido necessariis instructus: absque quibus si sit, neminem in bonorum Auctorum emendatione feliciter versaturum, utique te ὁμόψηφον habebo. Quaeso igitur Cl. Vir, hanc mihi gratiam facias, & quid de Swartiana pollicitatione credendum, mihi significes. Ego, ut dixi, propterea a meo proposito dimoveri non potero. Semel enim haec mihi alea iacta. Secus namque abstinere maluissem: quum alia multa in meis ληκύτοις supersit, quae lucem adfectant. E quibus facile laudem merebitur *Panoplia* universalis Locorum Communium, quam institui. Sed hic nunc fatisco, usque dum Comicis meditationibus satisfecero. Habeo & paratos duos Indices absolutissimos in opera Statii, & Nalonis, qui iam Typographis traditi. Symmachum nuper percurrebam, & Sallustium: quorum hunc tibi dono, ut de μελέταις nostris iudices. Addidi alia quaedam Opuscula, dicis causa a me edita: profutura tamen, nisi me animi ratio fallit, iuventuti. Tu quid, Cl. Meursi, quid meditaris? quid Heinsius? quid Scriverius? Huius Martialem iam diu in spe nostra posuimus. Heinsii Terentium videre quoque gestio. Is enim in Moenano Indice promissus, nobis nondum adparuit. Sed abrumpone inficetiis meis tibi ultra molestus sim. Condonabis omnia adfectui meo, quem in te, & coelestes alias animas, quae in Athenaeo vestro, gero intimum. Me vero, si sic videatur, mutua vicissitudine litterarum honorabis. Salutem ex animo dico Cl. Vir. Heinsio, Scriverio, atque etiam florentissimo iuveni D. Gevartio, si vobiscum est; nec non D. Erpenio. Vale, Vir Cl., meque amare incipe. Ex Museo meo, Neapoli Nemetum, CIↃIↃCXVII. a. d. VIII Sept.

Literas tuas, si voles, Coloniam curabis ad D. Bilderbeccium, Serenniss. nostri Referendarium, vel alia occasione Heidelbergam, ad parentem meum, aut Gruterum nostrum.

CCCXCIII.

IO. MEVRSIO H. GROTIVS S. P.

Vir Clarissime!

ROtterodamum ut veni, didici, quantum tibi deberem. Ibi enim Chalcidium inveni, nomini nostro tua benignitate inscriptum, Scriptorem reconditae eruditionis, utpote Timaei, qui tot ingenia iam olim exercuit, doctissimum interpretem. Elogiis, quae mihi nec merenti tribuis, erubui; quae sicut dolorem mihi incutiunt, quod amicorum de me spem implere non possum, ita contra gaudium adferunt indicio constantissimi adfectus in me tui, de quo, sicut ego nunquam dubitavi, ita iam nemo erit, cui dubitare liceat. Ego, quod par reponam, non habeo; tamen, ne nihil mittam, mitto librum [c], aliorum magis impulsu, quam sponte mea editum, qui ita ad sacra pertinet, ut iuris, ac Historiae non parum suo ambitu comprehendat. Saltem id conqueremur, ut aequis hominibus adpareat, quam longe absint a

ca

(a) *Frid. Taubmanni*. GRAMMIVS.
(b) *Taubmannus*; nam *Taube* lingua germanica *Columbam* significat. GRAMMIVS.

(c) *De Satisfactione Christi adversus Socinum*, hoc anno editum. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXVII. castris Socini, qui non omnibus Calvini sententiis adligandas putant Ecclesias. Te vero nihil opus σπεύδοντα, καὶ αὐτὸν ὀτρύνειν, ut pergas de literis bene mereri. Non debet terrere te aetas haec, si qua alia, rerum bonarum contemptrix: iustam olim tuis laboribus mercedem persolvet posteritas: neque crede me solam tibi ὑστεροφημίαν augurari. Quum tam iuvenis inclarescere coeperis, senectute tibi mediocri dumtaxat opus est, ut posteritati tuae intersis. Quamquam interea spero in praesens quoque eos, quibus promovendarum artium cura incumbit, daturos operam, ne virtutes tuas ignorasse videantur. Ego si unquam quicquam efficere potero, quod ad te iuvandum ornandumve pertineat, crede nihil fore, quod non aut sine respectu vetustissimae amicitiae merita tua, aut etiam seposita meritorum ratione, amicitiae memoria a me impetret. Vale, Vir Eruditissime. Rotterodami X. Sept. MDCXVII.

Tuus

H. GROTIUS.

CCCXCIV.

IACOBUS GILLOTUS IO. MEURSIO S. D.

ACcepi, Vir doctiss. literas tuas, a. d. XXX. Iunii scriptas Lugduni Bat. mihi traditas a Gevartio, adolescente mihi tumnondum cognito, sed ut ex literis tuis cognovi, virtute, & doctrina claro, cum tuis Atticis Lectionibus, quas me rogas, gratas habeam. Homo non siem, si non gratissimas, spero etiam utilissimas. Illum, quam potui, humaniter accepi; & tua, & illius causa, & omnia, quae in me posita erunt, obtuli, mirumque in modum rogavi, me saepius invisat: hoc maxime tempore, quo prolatis rebus, officiis, curisque forensibus soluti sumus. Illum omni benevolentia complectar, & quacumque in re iuvare potero, vel cura, vel omni officii genere, si me, ut quam maxime cupio, uti volet, faxo commendationem apud me tuam non vulgarem sentiat. Non tam perscribere possum, quam mihi grata fuit recordationis tuae testificatio. Velim tamen existimes me non adgnoscere beneficio ullo te, & fratrem tuum ullo devinxisse, imo accepisse me beneficium, quando ita adpellas, quod in probos, & literatos Viros contuli. Sed, malum, audio in vestris provinciis novas quasdam de religione velitationes natas, & divisis in partes animis, inter vos discordiam exortam, & usque ad seditionem ventum. Cavete, vestram navem in mare referant novi fluctus. Exemplo vobis sit misera, & adflicta Gallia. Cavete ab Hispanicis artibus, & dolis, ne fructum ex illa divisione vestra faciant, & incautos vos opprimant. Excusso foedere, quod inter vos firmatum est, quid confoederatis Provinciis fiet. Ceterum de me ὅπως ἔχω καὶ εὖ τινὶν εἰμί; nisi molestus sum, dicam Thuanum huius seculi miraculum, quem si fas est dicere, immortalem esse oportuit, insolabiliter lugeo, totus in lacrymis, & crescit moeror in horas. Amisit Gallia Virum, cuius similem nunquam vidit, nec videndi spes ulla. Ego amicissimum ad intimam usque familiaritatem, quod mihi superfore solatii sperabam, secum abstulit. Resp. literaria cum illo heroe tota concidit, Lipsio, Fabro, Scaligero, Casaubono, Baudio, & Thuano, tot Herculibus exstinctis. Videte vos, apud quos florent literae, ne illa multum detrimenti accipiant. Iam enim videre videor Barbariem caput exerere, & audacter literarum campum adgredi. Heinsium, Grotium, Meursium, Gevartium quoque, & alios nonnullos homines divinos, & pugnatores fortissimos adpellant, qui se a monstro illo horrendo tueantur fortiaque adversus opponant pectora. Vale, Vir doctiss. & nos ama.

Lutetiae Paris, XXIII. Septemb. Anno MDCXVII.

CCCXCV.

IANUS GRUTERUS IO. MEURSIO S. P.

NOn quidem sermone literato te nobis exhibes, sed vividiore imagine, Atticis scilicet Musis, ob quod donum plurimum tibi debeo; nec habeo, quei illud, ut & multa priora, digne remunerer, nisi voluntate, atque adfectu satisfieri tibi patiaris, aeque, atque si adesset facultas, atque adfectus. Interim gratitudinis qualecumque simulacrum, ecce tibi a Dominis Elzeviriis Ciceronem nostrum, quo es erga me indulgentia, laudabis operam nostram, etiamsi minus mereatur, hasque inclusas Domino Grotio per occasionem transmittes; ut & Tullii alterum exemplar, quod itidem commisi D. Elzeviriis. Quod si deinceps frequentibus literarum adloquiis solitudinem nostram adfeceris (iterum enim ago Scholasticum, sumque hospes in propria domo) rem feceris & moribus tuis, & voto meo dignissimam. Pater Schottus nuper a me petiit pro Pontano Callisthenis historiam Alexand. Magni. Indica quaeso cui auctori MS. adsita sit; nam Bambarsius in meam gratiam totum Indicem Graecum Pal. percurrit, a Sylburgio concinnatum, & negat occurrere ibidem illud nomen, ob quod non ab uno vapulat ille rex regum. Theodorum Canterum obiisse praeter alia indicat Catalogus Bibliothecae eius, quae misere dilacerabitur, supra Pentheum, ob heredum fatuitatem, quae res me quotidie magis, ac magis refrigerat in augenda libraria mea, cui alioqui desit proles mascula. Pergam igitur deinceps fortius incumbere horto meo suburbano, & delectare me Florae meae blanditiis ac venustatibus; utique cum studia mea alia male passim audiant ab iis, qui a semper exule, semper funesto, paria exspectant, atque procudunt al-

Ann. Chr. MDCXVII. albae gallinae filioli, quorum numerum ne augeas, plurimum te quaeso, cum prece, mente, ac corpore sano diu diuque valeas, tibi, tuis, nobis, tui studiosissimis. Francofurti. XXVII. Septemb. CIↃIↃCXVII.

CCCXCVI.

Io. MEVRSIO Io. BRANTIVS S. P.

Vir Clarissime.

QVas ad me nuper literas misisti, & adiuncta ingenii tui praeclara monumenta (quorum & exemplar humanitati tuae debeo (Chalcidium, inquam, & Constantinum Porphyrogennetam, R. P. Andr. Shotto nostro perquam grata fuisse dubitare te minime puto, qui probe nosti, quam ille his literis delectetur, & universae rei literariae iuxta tecum, ita graviter incumbat, ut praeter te, atque illum paucos habeamus admodum, quibus illae plus debeant. Pergite, quod facitis, adiuvare eas vestris conatibus magis indies, magisque. Vellemus utique & nos huc aliquid opellae nostrae conferre, & quasi symbolum dare, sed

cupidum, pater optime, vires
Deficiunt

ut canit Poeta Lyricus. Conamur tamen, & ut vides, in Apuleium Criticum aliquid molimur, tenues grandia scilicet. Quaeso quantulum id est, inspicere, & legendo percurrere digneris, & recensere, etiam ad acerrimi ingenii iudiciique tui limam. Tum, si tanti putes, curabis, ut ad manus doctissimi Viri Geverharti Elmenhorstii Hamburgum tuta, & commoda via perveniant; quem novam Apuleii editionem prae manibus habere, cum antea ex literis D. Gruteri, tum nuper ex D. Luca Holstenio tuo humanissimo, & eruditissimo adolescente intelleximus, qui, & operam suam hic mihi obtulit, & ut spero, una tecum lubens dabit. Sed hoc te rogo unice, da tantum, quae probaturus es (si quae erunt) mittantur; alia omnia in spongiam tuam incumbant [a]. Nam & iuvare, quantulum in me est, Remp. literariam studeo, ita tamen, ut una famae meae, & honori consultum eam; ne si quid indignum doctis auribus, & delicatis emisero, aut ab alio fortassis occupatum, pretium ob stultitiam feram, quod, & te nolle mea causa scio, & rogatum hoc ipsum etiam velim D. Elmenhorstium, cum officiosissima salute mea, quam, & impertire te meis verbis cupio D. Lucae [b] tuo, imo & meo. Nam ex quo eum nuper apud nos vidi, spectata mihi satis est eius virtus, probitas, eruditio cum summa modestia coniuncta; neque nos fugit Antisthenis illud dictum: ἀξιέραστος ὁ ἀγαθός. Vale, Clarissime D. Meursi una cum Clarissimo Doctissimoque P. Scriverio: quem equidem iam diu tacito interioris animi sensu ob eximias, quas possidet, animi dotes admiror, amo, colo, & salutem, & cultum omnem per te defero. Quid si & ille censuram de nostris illis suam mihi significare dignetur, gratum profecto faciet. Sciam quaeso, an bene hae literae ad te perlatae sint. P. Schottus plurimum te salutat, & paulo a negotiis expeditior ad te scripturus est πάντα περὶ πάντων.

Antverpiae XXVI. Sept. An. MDCXVII.

Tuus toto pectore

Io. BRANTIVS.

CCCXCVII.

GEVERHART. ELMENHORSTIVS Io. MEVRSIO S.

PRo transmisso Chalcidio, & Constantino gratias tibi ago ingentes, & remitto ἀντίδωρον levidense, *Syntagma Wouverianum* [c], cuius frontem tibi, & D. Collegae inscripsi. Velim tantisper exiguo hoc munere contentus sis, dum maiora, quae tibi destinavi, adorno. Cupio enim omnibus manifestum facere, me te non vulgariter amasse. Patri Schotto de meliore nota me commendabis. Non est, quod de fide nostra, & candore dubitet, quem iam publice scriptis nostris satis declaravimus. Acta Chalcedonensia iam per integrum annum otiosa iacent apud Wechelianos, quorum veternum spero brevi excutiam. Zonaras totus absolutus est, quem cum Balsamone Graeco studiose contuli, & iam Typographo nostro commisi, licet sciam alios eius editionem maturare. Crede mihi non nisi castratum Zonaram fibulati isti patres nobis dabunt. Si poteris a D. Dousa nobis Epistolas illas impetrare, effeceris hac opella, ut aeternum tibi debeam. Iacobo Marci transmittam Apuleium ad futuras nundinas, serio castigatum, modo a tua eruditione ille impetrare possit, ut postremam probam semper inspicias; hoc enim summe desidero. Sunt & alia infinita, quae ibi dabo, si bona charta, typisque bonis ea producere avet. Magnifico Viro Hugoni Grotio lubens scriberem, si te parario, & proxeneta hoc fieri poterit. Salve decus nostrum, & quum primum valetudo mecum in gratiam redierit, uberiores a me exspecta.

Hamb. VIII. Kal. Novembris Iuliani MDCXVII.

CCCXCVIII.

(a) Comparuerunt postea *Io. Brantii* Notae in *Apuleium*, in Elmenhorstiana editione, Francof. 1621. in 8. GRAMMIVS.

(b) *Lucae Holstenio Meursii* in aedibus hospitandi. GRAMMIVS.

(c) Inscribitur istud opusculum (paginar. 110. in 8.) *Ioannis Vovverii Syntagma de Graeca, & Latina Bibliorum interpretatione, nunc primum in lucem emissum*, ex *Biblioth* Geverharti Elmenhorstii. *Hamburgi apud* Nic. Heringium CIↃIↃCXVIII. Dedicavit illud editor *Iano Grutero*, *Danieli Heinsio*, & *Ioanni Meursio*, brevissimo adloquio trium quatuorve verborum. GRAMMIVS.

CCCXCVIII.

Io. Rutgersius Io. Meursio S.

Vir Clarissime.

VEhementer exspecto primi folii tui exempla, ut Indicem conficere possim. Absoluto enim libro omnia simul me obruerent. Melioris chartae mitti nolim, sed servari. Obsecro, ut crastina primo curru, id fiat. Vbi plura excusa erunt, semper ad me mittas, rogo. Literas nunquam aliter, quam ad Pollionem destinabis. Etsi enim apud viduam Duykiam in eadem vicinia maneam, quia tamen hoc nomen aurigis minus notum est, ad illum certius mitti possunt. Rogo, ut *I.* [a] *Gazae* vitam, aut de eo eiusque libris testimonia inquirere non obliviscaris. Ego crastino meridie cum Deo per nautam secundum librum mittam. Vale, Vir Cl., & metui observantiss. ama III. Octob. MDCXVII. Hagae.

CCCXCIX.

Vincentius Marinerius Valentinus Doctissimo Viro Ioanni Meursio Χαίρειν.

ΤΡομερῇ φρενὶ ταῦτά σοι γράμματα ἐμολευσάμην, σοφώτατον γὰρ ἄνδρα, καὶ θαυμασίοις ἐξισαύμενον, τὸν νῦν φιλοσόφοις Ε῞λλησί τι, καὶ Ῥωμαίοις, τοῖς, ἐν τῷ ἐκείνῳ χρόνῳ, πρώτοις τῶν Μουσῶν, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ἀδελφοῖς, ἔπειτα κατ᾽ ἐμοῦ καθοπλίζεσθαι, ὥσπερ εἴ τις πρὸς τὸν στέφανον ἀποχρῆν οἴοιτο, τὸ πάλαισμα, καὶ μάχην. ἐκ τῆς τόλμης μόνον συνάπτειν, κόνιος δὲ μὴ ἅψαιτο. ἀλλὰ ἐγὼ τοῦ σταδίου ἐπιβῆναι πειράσω, πόῤῥοθεν μίξας χεῖράς τε, μένος τε, μήποτε περὶ τῆς νίκης ἀμφισβητήσας, ὅτι συ ἀήττητος, καὶ τῶν Μουσῶν φράγματι δηθὰ πεφυλαγμένος, καὶ ὁ πρόθεν γεγονὼς τῶν σοφῶν, ὥστε οὐδεὶς πόνος αὐτῷ, καὶ οὐδεμία μηχανὴ γενήσθαι, πρὸς ἁπάντων κρατεῖν, ἐν ταῖς τῶν ποικίλων δογμάτων διδαχαῖς. νῦν δὲ μηδεπώποτε ἐδυσχαίρενον ἐγὼ πρὸς τὴν ἐμοῦ μοῖραν, τῇ μὲν σοῦ ὑστερίζειν κατηναγκάσθην, δι᾽ ὃ καὶ ἐν οὐδενὶ λόγῳ ποιούμενος τὸ μὴ νικᾷν. Εὐφραίνομαι μάλιστα ὅτι αὐτοῦ οὐκ ἀμφισβητήσιμος πράϋτης, ἐμὲ εἰς ἀσφαλὲς αὖθις ὑπὸ ταύτης ζάλης παρενεχθέντα κατέστησε, ἵνα τι ἔμοιγε ἤδη συμβαίνει προΐεσθαι τὸν καιρὸν τοῦ γράφειν πρός σε, εἰς τὸ τῆς δόξης ἄφενος, καὶ τὸ κέρδος ἀποφέρεσθαι, τὸ ἐκ τῶν λόγων, πάνυ μὲν γὰρ οἶμαι καλῶς, ἐμὲ πρός σε γράφοντα εὐδαιμονεῖν. ἀλλ᾽ ὅτι τοῦτον τὸν λόγον εὐχῆς οἰκτέον, σοὶ μέλεσι, σαυτὸν δεῖξαι, ἐμοῦ θυμὸς ἤδη εὔχεται. Λέγε.

ΕΠΙΓΡΑΜΜΑ.

Αἰνεῖν οὐ δύναμαι Μουσῶν στόμα, Μεύρσιον αὐτὸν
Οὐδὲ βροτοῦ, μεγάλοις εἰπέμεν ἶσα θεοῖς.
Τοῦ δὲ νόοιο φάος φαῖνεν καλῆσι βίβλοισιν.
Καὶ Φοίβοιο σοφοῖς φέγγεα αὐτοῦ ἔδω.
Meursii Epist.

Τοῦ φήμη ἀνέβη παντὸς, καὶ πείρατα κόσμου.
Καὶ μήνης κεράτων ἅψατο ὑψιπέτης
Τὸν δ᾽ αἴρει γλώττης, καὶ καλλιέπεια μελιχρᾶς
Μουσάων, κῦδος, πέμψεν ὄρεσσι μέγα.
Α῎ξιον οὗτος ἔην αἰεὶ μὴν ἅπασιν ἄγασμα,
Γλωσσῶν γὰρ πᾶσιν ἱρὸν ἔχευσε μέλι.
Ε῎ργων, καὶ ἀγαθῶν, Μούσας ἐνέπλησε μεγίστας
Τῆς δείξαο ποτὴν ῥήματα τούτου ἄγει.

Εἰ μὲν ἐγὼ σοὶ κεχαρισμένος εἰμὶ, καλῶς ἂν ἔχοι· ἀλλὰ σὺ, σοῦ ἡδύσμασι νοημάτων, τῶν βίβλων πλήθει, τῆς φήμης εὐδοξίᾳ μοι μάλα, καὶ παντὶ σοφῶν χορῷ, θαῦμα πέλῃ ἄσπετον, καὶ αὐτοῦ δείκελον Πλάτωνος σοφωτάτου. Ε῎ῤῥωσο.

Madriti VIII. Octob. MDCXVII.

CCCC.

Andr. Schottus Io. Meursio S. P.

LOngius factum esse fateor, doctissime Meursi, quod frontem B. Cyrilli ἑορταστικῶν ad te miserim, quod Indicem una mittere optarem, quo liber ad legendum compaginari queat, dum τὰ γλαφυρὰ absolvimus, quae proximo mercatu, nisi me patienter satis exspectantem, fallent, ut solent, operae. Accepi tuo beneficio quintum, & sextum, & octavum in Genesim librum: quorum in quinto hiatum, qui Mediolanensi erat Cod. ut explerem, recudere folium denuo oportuit, adeo scribarum Graeculorum detestanda perfidia, ut ex uno exemplari vertere vix audeas, nec plura semper subpetant, quae invicem committas; veluti cum Byto Bacchium, par gladiatorum. Habeo & gratiam, ut debeo, pro Chalcidio, & Constantini Porphyrogennetae operibus, dono missis: vis nimirum me mori ingratum, dum tua tam libenter nobiscum communicas: quod sint, ut nosti, apertae Musarum fores, ut Philostratus ait. Elmenhorstius Vir sane optimus iuxta, & doctissimus, humaniter ad me scripsit de iis, quae publico bono extrudere parat: Adspiret coeptis Deus, servetque diu incolumem. Vale in Dom., nosque amare ne desine. Salvebis a Brantio nostro, cuius & Bibliotheca tua crescit liberalitate, & a P. Heriberto.

Anteverpiae. Festo Dionysii Martyris IX. Octobr. MDCXVII.

CCCCI.

Io. Meursio V. Cl. Casperius Gevartius S. P.

Vir Cl.

NOn excidit profecto mihi, quam humaniter me apud vos agentem saepius exceperis, & studia mea ope consilioque tuo iuveris, ac nuper in Galliam proficiscentem, scriptis ad maximos Viros litteris, gravissimi iudicii tui testimonio prosecu-

(a) Sic scriptum in *Lundii* apographo. An recte, nescio. Credo sane T. fuisse, ut *Theodorus* significetur; nullus enim mihi *Gaza* notus, cujus nomen ab *I.* incipiat. Grammius.

Ann. Chr. MDCXVII.

secutus sis. Et certe iam dudum vos de prospero meo in hoc regnum adventu certiores fecissem, nisi in D. Legati nostri ad vos reditum literas meas distulissem. Nolebam enim sine munusculo aliquo vos adire, ideoque tantisper mihi exspectandum duxi, donec Poematium meum, quod in statuam Henrici Magni nuper hic effudi, typis excusum foret, ut vobis illud per Legati nostri homines transmitterem. D. Gillotus omnia sane humanitatis officia mihi exhibet, & has modo, quas cernis, literas mihi, ut ad vos mitterem, commendavit, quas iam non ita recentes esse non miraberis, eo quod D. Legati nostri reditus ad vos opinione longius dilatus fuerit. Dici sane non potest, quot hic Consiliarios & Advocatos doctissimos nominis tui studiosos, repererim. Inter alios autem Io. Bapt. Hansenium, Batavum patria Harlemensem, Lipsii olim discipulum, cuius multae ad eum exstant epistolae. Diu in Italia haesit in familia Cardinalis Baronii, cui a Latinis Epistolis fuit. Modo in Academia Cadurcensi Professorem Regium agit, & Iurisprudentiam docet. Edidit ante annos aliquot Tolosae librum *De Iureiurando Veterum*. Dixit non abhorrere se a patria, a qua iam plus quam XXII. annis aberravit, modo in Academia vestra illi Professio Iuris pateret. Religione Catholicus est, ideoque nescio, an admittendus, nihilominus tamen, quod egregium aliquem, & celebrem Iurisconsultum diu desideretis, huius gentilis vestri, & municipis D. Scriverii nostri vos admonere volui. Magnam sane hic illustrium Virorum in me benevolentiam expertus sum, & Pro-Cancellarii D. Du Vair, cui silvulam meam inscripsi, a quo non semel honorificentissime convivio exceptus sum. Patet mihi beneficio D. Rigaltii Bibliotheca Regia, & Medicea; item Thuanica per D. Puteanum Claudii filium, qui Thuani aedes inhabitat, & Bibliothecae curam gerit, donec filii eius adoleverint. Vale, Vir Cl. & solito favore tuo me semper prosequere. D. Scriverium hospitem meum plurimum meo nomine salutes, velim, cui modo scripsissem, nisi festinatus D. Legati discessus, quem vix per medium diem praescivit, illud inhibuisset. Raptim Lutetiae Parisior. XXV. Octob. MDCXVII.

CCCCII.

GEVERHART. ELMENHORSTIVS Io. MEVRSIO S.

VAlde mihi doluit, errasse nos in solenni inscriptione Historiographi, atque ita honorem tibi debitum, alterum adsignasse (a). Velim tibi persuadeas non animo fraudulento, sed solius facti ignoratione hoc erratum commissum, a quo quum dolus malus abfuit, nocere nobis non debet ista exorbitatio vel secundum vestrorum IC. communem & tritam sententiam. Ergo igitur, quod hac vice peccatum, in iterata editione emendabitur; quod sancte tibi polliceor. Nunquam putassem adeo durum, & inexorabilem fuisse Dousam in re facili (b). Nolo amplius pertinaciam eius fatiges. Quum omnia feceris, etiam frustra nos habebit. Et sine istis Epistolis poterimus dare Zonaram, modo Typographum commodum reperiamus. Certe quoniam Graecus est Auctor, vix est, qui eius editionem suscipere velit. Doleo nos in haec tempora incidisse, in quibus ineptissima citius, quam seria, emptorem reperiunt (c). Connitar tamen omnimodo vel cum dispendio rei familiaris, ne opus exquisitissimum situ, & inusu pereat. De Schotto deamo te, ut & D. Grotio, cui tua fretus fiducia iam scribo. Si me amas, rogabis hominem, ut vicem nobis reddat. Proxime Holstenius noster mihi significavit, transmisisse tibi Brantium Notas suas in Apuleium, de quibus avide tuam exspecto sententiam. Si velit, ut nostris iungantur, omnino necesse est, ut prima occasione illas nobis perlustrandas transmittas. Totus enim iam sum in illo Auctore perpoliendo, quem ita, spero, exornatum tibi dabo, ut improbare industriam nostram haud queas. Salve, Vir honoratissime, & me amare perge.

Hamburgi XV. Kal. Novembris A. XPI. CIƆIƆCXVII.

CCCCIII.

ANDR. SCHOTTVS Io. MEVRSIO S. P.

REddita mihi folia, seu quaterniones, sedecim Apostolii Paroemiarum, doctissime Meursi, cum tuis literis, manu Brantii nostri Ergone vicistis cum diligentia, tum characterum venustate exspectationem nostram. Et quoniam Notas infra, ut in Zenobianis, ego adponendas censuistis, veni in eam opinionem ad calcem coniecturas, quae

(a) Vocaverat *Elmenthorstius* in dedicatione syntagmatis *Wowveriani*, *Dan. Heinsium* nomine *Historiagraphi Potentissimor. Ordinum*. Hac occasione (qua forsitan haud commodior in his epistolis dabitur) liceat cogitationem aperire de loco in epist. *Grotii* ad *Heinsium*, quae est Sylloges *Burmann.* Tom. 2. CCXIII. Verba sunt: *De componendis belli nostri Annalibus egi cum* Pericle; *sed video decretum ipsi nihil agere antequam venerit* ὁ ὑπέρθυρος, *quem plane tuum esse confido. Vereor, ne* Byzantinus *molitiones nostras perturbet*. Hic Cl. *Burmannus* adnotat, *Periclis nomine Oldenbarneveldium videri indicari*, (verissimum hoc, atque ita saepius in Belgarum epistolis indicatum legi) *sed, quis*, pergit laudatus Vir, *Byzantinus ille sit, vix exputo, nisi ad nomen* Constantini *respiciens, intelligat* Hugenium. Ego vero pace magni Viri dicam, *Hugenium* ista aetate (anno 1614.) nondum auctoritate fuisse tanta, vix 18. annorum adolescentem. Certe non alius ibi est *Byzantinus*, quam noster *Meursius*, quippe qui in *Hesychio Milesio*, *Constantino Imp. Codino*, Lexico Graeco-Barbaro, aliisque id genus operam ponebat, nihilque magis metuebat, quam ne *Heinsius* aliusve spartam sibi eriperet Annalium belli Belgici condendorum GRAMMIVS.

(b) Vid. epist. 3. Non. Aug. datam, supra. GRAMMIVS.

(c) Pariter & ad *Vossium* conqueritur, de *Zonara* suo loquens, *epist. 66 vide nos in ea tempora incidisse, ubi citius decem nugatorii, & novitii libelli, quam unus antiquus & bonus Auctor, emtorem reperiat*. GRAMMIVS.

quae videbuntur collocanda quoque ab Hoeschelio notata una miseram: si spatii nonnihil mihi ad relegendum paulo attentius conceditis, mittam a me observata, quae vestris immisceatis, si videbitur, communi nomine, *Notae doctorum virorum in Apostolium*; nec enim ex hoc mustaceo laureolam quaero. Satis est lucem adspicere opus, vobis amicis una obstetricantibus. Si non displicebit consilium D. Heinsio, cum salute plurima, mihi significa. Interea Typographus Indices contextui subiiciat, Adagiorum Graecorum, alterum Latinorum, tertium Auctorum, qui citantur ab Apostolio, & rerum memorandarum, si videbitur. Interea per folia mittam schediasmata mea, nisi quid secus vobis videatur. Vale, & salve a Schotto tuo, mi Meursi, nobisque statim, commodo, quod fiat vestro, responde. (a)

CCCCIV.

Idem Eidem.

Reddidit mihi tuas Brantius noster, doctissime Meursi, measque redditas cognovi, cum titulo B. Cyrilli atque Indice; quae grata vobis accidisse, est, quod gaudeam. Castellani *de Festis Gr.* libellum non dum ab Auctore accepi, ut nec *de antiquis Medicis*, quem hic evulgavit. De Festis, quin plura edas, nihil prohibet: in medio enim palma, in hoc tuo bene de omnibus merendi studio, attigeram quaedam adolescens ad Procli χρηστομαθίαν, quae exiit tandem cum *Observationum humanarum* libris nostris. Inventis addi plura queant. Macte igitur, Meursi, & Spartam Graecam ornare ne desine. Mitto nunc Icones Graeciae urbium antiquas Numismatum, ab Hub. Golzio olim aeri inscriptas, sed relictas mortis interventu, imperfectasque relictas: sed quas tandem, aegre tamen, heredibus extorsimus. Iacobus Biaeus, cuius sunt illae Dialogis Ant. Augustini appositae imagines, sumtibus Ducis Croy Archotani sculptae; molitur & has in proximo mercatu Francof. extrudere, meque rogat, ut Latina adponam, quo sint in vulgus gratiores, utilioresque. Coepi in hisce operarum typographicarum castigandis laboribus, sed unus par esse nequeo: adlegavi itaque ad te recentem a Tribubus & Lectionibus Atticis, & rogo, quae addere libet, cum exemplarium copia, mercedis loco; nos in partem iuvare ne graveris, ex Strabone, Pausania, Stephano, & in Boeotia Homeri Eustathio, ceterisque, qui Tabulas inspicienti, tam excellenti memoriae facile accedent. Posteritatem tibi demereberis. Et scito Golzii Siciliam, Magnamque Graeciam hic recusam, cum nostris Scholiis Auctorum, quod ea nomenclatura deerat, & exemplaria auro contra cara, nec reperiebantur. Faxo ut accipias nundinis proximis: & brevi mittam Io. Curopalatam, quem recensui ad Cedrenum, & erit fortasse operae pretium, si manum adhibebis ultimam, ut spero. Callisthenem de Vita Alexandri Magni negat in Palatina reperiri I. Gruterus per epistolam, ac ne a Bibliothecae Catalogo reperiri; non possumus itaque gratificari Matth. Radero nostro. In tuo Glossario visum a te deprehendo; si potes pulpiti meminisse. Vale in Dom., nosque amare perge. Lucae Holstenio sal. si vero discessit, significa me per epistolam, quae illum antevertet, Card. Cobellucio, Graece doctos adamanti, commendaturum, ne dubita. Antverpiae Idibus Novembris CIƆIƆCXVII. Ludovico Elzevirio miseram tempori syllabum librorum, quos e Theod. Canteri emere vellem: vide, an seposuerit, Andr. Schotto, quos miseram, libellos. Vale. (b)

CCCCV.

Io. Meursio V. Cl. Petrus Castellanus εὖ πράττειν.

Quantum ad conciliandos hominum animos studiorum similitudo faciat, V. Cl. ex lectione Scriptorum tuorum abunde sensi: & unde vulgus aemulationis, ego amoris initium mihi faciendum putavi. Quod tamen haudquaquam naturae meae, quasi extra communem fragilitatis humanae aleam factae imputari cupio; sed praestantiae tuae, quae non tantum meam, sed omnium in eadem palaestra certantium invidiam superat: sed etiam ab invitis admirationis tacitae confessionem extorquet. Ceterum ne in amicitiam tuam ἀσύμβολος veniam, habes hic testem mei animi librum de *Festis Graecorum*: quem ego quidem non tanti facio, ut tua lectione dignum existimem, sed ideo misi, ut tua elicerem, quae magno Graecanicae antiquitatis detrimento subprimuntur. Vale, V. Cl. & hoc amicitiae perpetuo duraturae initium boni consule.

Lovanii Id. Nov. CIƆIƆCXVII.

CCCCVI.

Georg. Archiepiscopus Cantuariensis Io. Meursio S.

Egregie Vir, ego semel atque iterum literas vestras ad me scriptas accepi, in quibus manifesta mihi fit singularis cura, qua discipulum vestrum *Peregrinum* complexi estis; quo nomine ut par est, multo maximae vobis gratiae agendae sunt. Nunc vero qui destinati sunt exsecutores supremae voluntatis Illustris Equitis *Edovardi Hobaei* non ita pridem defuncti, mihi saepius significarunt, praesentiam *Peregrini* privatis illius negotiis peragendis, & stabiliendis esse adprime necessariam. Providerunt igitur, ut Vir bonus harum lator Lugdunum mitta-

(a) NB. Videtur aliquid hic deesse: etsi non plura in exemplari nostro. Grammius.

(b) NB. Nova epistola. Grammius.

mittatur, qui adolescentem in Angliam perducat, eaque de causa centum libras Anglicanas vestris manibus persolvendas statuerunt, ut solutio fiat impensarum quarumcunque, ut honeste discedat. Satisfactione data obnixe peto, ut discipulum vestrum bona cum pace & fausta precatione in Angliam rediturum, dimittatis. Vlteriorem vobis nolo facessere molestiam, sed immortalis Dei benedictioni vos etiam atque etiam commendo. Lambethae, Nov. X. MDCXVII. Verae dignitatis amantissimus.

GEORG. ARCHIEPISCOPVS CANTVARIENSIS.

CCCCVII.

I. RVTGERSIVS IO. MEVRSIO S.

Vir Cl.

ACcepi libros. Gratias pro cura ago, etsi Bibliopolam rem suam egisse video. Librum secundum absolutum esse gaudeo. Reliqua tertii proximo Mercurii die, per nautam habebis. Obsecro te, ut singularem curam eius capitis, quo Propertii Hylam emendamus, habeas. Correctiones enim nostrae, ut plurimum in distinctionibus sunt; quarum si unus apex modo invertatur, omnis gratia pervertetur. Id autem caput non aliter, quam oculos meos amo. Vale, Vir Cl. & nos ama. Pagellas, si quae excusae sunt, singulis posthac diebus ad nos mittas, rogo. XIII. Non. MDCXVII.

Osculum uxori, & filiolo meo.

CCCCVIII.

Io. RVTGERSIVS IO. MEVRSIO S.

Vir Clariss.

IT ad vos Dubletius noster, qui has tibi tradet, Is quum hoc ipso die huc rediturus sit, obsecro, ut folium ei tradas, si quod excusum est. Erit in aedibus eius, qui promovetur, Duckii. Quartum librum nondum mitto; quum hoc toto tempore scribendis in Sveciam libri occupatus fuerim. Die Iovis hinc abimus; itaque die Mercurii cum Deo habiturus es. Vale, amicissime Meursi, & irasci me tibi scito, quod nuper me insalutato hinc abieris. XXI. Novemb. MDCXVII.

Osculum uxori filioloque meo (a). Ego proximo die Lunae cum Deo ad vos in biduum aut triduum.

Σὸς ἐξ ὅλης τῆς καρδίας.

RVTGERSIVS.

(a) Scil. *Meursii* filio, quem *Rutgersius* suum adpellat, forte quia susceptoris partibus functus eum lavacro sacro repraesentarat. Ipse enim nec uxorem nec filium habuit. GRAMMIVS.

(b) *Cicero Gruterianus* praefert quidem in fronte annum 1618. sed hoc ex more Bibliopolarum, qui libris post nundinas autumnales absolutis solent sequentem annum inscribere. Tum vero Hamburgo, ubi excusus, per *Elmenhorstium* acceptum, a praelo calentem *Meursius* eum miserat *Grotio*, GRAMMIVS.

CCCCIX.

HVGO GROTIVS IO. MEVRSIO S.

TV quidem, Vir Cl, pro more tuo non desinis de publico deque me privatim optime mereri. Pro Constantino gratias habeo; neque minus pro sollicitudine de transmittendo ad me Cicerone Gruteriano (b), summae diligentiae opere, quantum video. Ad Elmenhorstium scribo, librumque nostrum Socino obpositum Viro optimo, & ut scribis, amantissimo nostri, mitto. Gratum mihi erit, si quae te conciliante coepit, amicitia eadem te favente augescat. Poteris mihi supra cetera beneficia, etiam hunc amicum imputare. Vale, Vir Cl. & quod facis, facere perge.

Prid. Cal. Decemb. CIϽIϽCXVII.

CCCCX.

EIZO TIARDA IO. MEVRSIO S. P.

Amicorum Amicissime.

POstquam non sine indignatione intellexeram, te carnem porcinam nondum accepisse, statim ad nautam misi, cui eam transfretandam dederam. Is omnem culpam, sive potius negligentiam in schidam membranaceam, quae inscriptionem ad te continebat, & per incuriam deleta erat, coniiciebat. Incertus igitur quid ageret, & ad quem vasculum curaret, illud deposuisse se apud civem Amsterodamensem dicebat. Tabellario itaque Amsterodamensi in mandatis dedi, ut vasculum a depositario reposceret, & cum hisce literis ad te mitteret: sed vereor nimis, ne caro corrupta sit; de qua me certiorem facies. Fasciculum librorum a Raphelengio per Castriomium accepi: sed miror, quod non una Scaligerum (qui est ex ipsius editione) & Schottum *De Re Numaria*. Velim ergo eos, cum iis, quae Swertius edidit, & si quid praeterea novi, ut proxima occasione habeam, efficias. Poteris autem commode per Elzevirium nostrum. Toties ad te scripsi de negotio Svecico, quod Rutgersius in se receperat, sed ne gry quidem rescribis. Vale, & salve, mi frater cum uxore filiola & amicis. Datum Groningae VII. Decemb. stilo Gregoriano.

CCCCXI.

GEVERHART. ELMENHORSTIVS IO. MEVRSIO S.

MVltum te amo de transmissis literis, ut & libris amicorum. Si qua in re tibi opera nostra poterit usui esse, audacter impera; efficiam, ne illam desiderare ullo modo possis. Adsignificat Holstenius noster

Ann. Chr. MDCXVII. noster postremis suis te parare nonnulla in Cantica Canticorum. Si prius hoc rescivissem, tecum communicassem Honorium, quem ante paucos dies ad Reverend. Patrem Schottum per mercatores nostrates transmisi. Totus iam sum in Apuleio emendando, cuius Philosophica cum bono Deo intra spatium unius mensis, Iacobo Marci committam. Cupio scire an ne a tua humanitate vel ab eximiis viris & non nisi cum honore nominandis, Heinsio, Vossio & Scriverio, ullis precibus impetrare possim, ut postremam probam inspicere velint. Alias subtimeo, ne liber inemendate prodeat; quod cum propter aerumnabiles labores, quos in illo auctore perpurgando exantlavi maximos, tum ipsius Apuleii caussa nolo. Si me amas, studia nostra iuvabis, & cultorem tui religiosissimum vicissim redamabis. Hamb. IV. Eid. Decemb. Iuliani CIƆIƆCXVII.

CCCCXII.

IO. RVTGERSIVS IO. MEVRSIO S.

Vir Cl.

OBsecro, ut hoc ipso die per aurigam ea mihi transmittas, quae in meis excusa sunt post folium LI. Quartum librum paratum habeo. Si vis, cras habebis. Rogo, ne mittere negligas. Intra decem dies scito certo me abire. Hodie negotia mea expedita sunt. Vale, IX. Dec. MDCXVII.

CCCCXIII.

IDEM EIDEM.

Vir Cl.

OBlitus hesterna die sum Indicem proximae Auctionis. Obsecro, ut hoc ipso die mihi mittas. Adiunges ei, si placet, Heronem & Philostrati Epist. quas apud te reliqui. Vale, Vir Cl. & nos ama.

CCCCXIV.

IDEM EIDEM.

Vir Cl.

ACcepi ea, quae misisti, & gratias ago. Nunc ut hos libros in Actione sive ipse emas mihi, si praesens futurus es, seu per alium emendos cures, oro. Quibus pretium non addidi, non nisi mediocri emi velim. Sin minus

Οὐκ ἐς' ἐμὸν τὸ πρᾶγμα, πολλὰ χαιρέτω.

Osculum uxori & filio tuo.

CCCCXV.

IDEM EIDEM.

Vir. Cl.

IMpatiens desiderium meum, quo libros exspecto, facit, ut famulum meum ad te mittam. Poteram, si voluisses & labori & sumptui pepercisse. Nunc quum aliter ceciderit, libros illi tradas, rogo. Vale.

CCCCXVI.

CL. V. IO. MEVRSIO IO. BRANTIVS S. D.

Ann. Chr. MDCXVIII. EX literis tuis, Vir Cl. quas proxime ad Schottum nostrum dedisti, cognovi alias tuas, paulo ante datas, ad manus meas non pervenisse: & cognovi sane invitus, cum tua, tum Schotti caussa; sed & Castellani, ad quem fasciculus ibat. Tu vide, cui ex Tabellariis commiseris, nam ex omnibus, quos equidem percontatus sum, id rescire non potui. Et ut intercepta sint, qui potest per tuta nunc itinerum atque viarum, nisi fortasse inter vias excidisse, magis in mentem veniat subspicari: aut Tabellarii incuria, aut negligentia apud eum istic remansisse, quod malim, quam periisse omnino. Nostra ad D. Elmenhorstium meliore fato perlata, ex literis, quas ab illo nudius tertius accepimus, intellexi, & curae atque diligentiae tuae, libens debeo. D. Holstenius ad me venit ipso D. Thomae subvesperam, quum ego, quod valde doleo, forte domo aberam. Credo postero die eum prima luce hinc profectum, neque tempus aut spatium illi relictum, ut iterum me viseret; quem ego visendi studio quoque summo tenebar, sed ubi aut invenirem, aut investigarem, nesciebam. Felix illi faustumque iter intimo animi adfectu precor. A D. Heinsio, ex quo uxorem duxit, nihil accepimus, & plane conticuerunt eius literae. Terentium ab illo ad variorum Codicum qua MSS. qua excusorum fidem collatum, & iampridem, nisi fallimur, excusum, avide quotidie exspectamus. Si eius per te copia nobis fieri possit, plurimum te merito tuo amabimus. D. Heinsium, si apud vos est, salvere cupio, & D. Scriverium. Vale, Cl. Meursi, & nos amare persevera, mutuum hoc tecum facturos. Antverpiae Proprid. Kal. novi anni MDCXVIII. En tibi a P. Schotto literas, ad tuas responsum.

CCCCXVII.

ANDR. SCHOTTVS IO. MEVRSIO S. P.

QVas die XVII. Decemb. ad me dedisti, accepi, seriusque respondeo, quod sacris feriis hisce valde sim occupatus. Miniato quidem nuncius ille ingratus accidit, tergiversari Typographum; rogat itaque maiorem in modum, ut quam primum fascicu-

sciculum illum nobis cures redhiberi, mittique, ut proximo mercatu per Io. Gruterum Aubrianis offeramus tempori, qui Isaeum pridem acceperunt, qua forma Lysiam nuper, eadem & III Viros illos Graeciae Oratores edere. Tentanda via est. Si & ipsi tergiversantur, Latine hic extrudere conabitur. Elzevirios non censeo amplius sollicitandos, quandoquidem detrectant. Alia nobis quercus excutienda. Tantum te mea causa & amici τοῦ μακαρίτου Pantini rogo, ut apud eosdem explores, an Mich. Apostolii παροιμίας excudere coeperint, quibus Dan. Heinsius commisit, nunc uxore ducta, plus satis occupatus. Feliciter: si & hic tergiversantur, scire interest mea, ut alium quaeramus, qui non fastidiat talia, Petro nostro iam sito & acquiescente a lucubrando. De Curopalata alias, quaedam enim addenda. Epistolam Marinerio missam puto. Is ad me pridem scripserat Graece, se eum Scriptorem habere, sed Latine exstare ignotum sibi esse. Liberavi eo metu. Vtinam exemplar eius habeamus, expleamusque hiatus, qui in Cedreno sunt, & post Cedrenum. Vale.

Antverpiae a. d. VI. Ian. anni quem felicem adpraecor CIↃIↃCXVIII. Salvebis a Schotto, & Brantio nostro.

CCCCXVIII.

IDEM EIDEM.

S. D. Meursi, commendo vobis hos nobiles Gallos, qui Academiam vestram inspicere etiam optant. Fac, sciam, acceperisne meas literas, & fasciculum cum Curopalata compacto & Cyrilli nostri Glaphyris incompactis; una cum altero ad Dan. Heinsium. Apostolii folium nullum accepi ab Elzeviriis: inchoasse tamen scripsit Vir Clariss. Rutgersius: cuius Varias magna cum voluptate lego, & relego. Vale.

Antverpiae scripsit properans

ANDR. SCHOTTVS.

CCCCXIX.

ANDR. SCHOTTVS IO. MEVRSIO S. D.

SCripseram pro nuper ad te, doctissime Meursi, iteroque eadem, quia nimis mihi molestus est cum iurgio Alfonsus Miniatus, super Orationibus Andocidis, & Antiphontis Latinis a se factis, & a nobis ad vos missis Elzeviriis: qui quum edere recusent, quaeso, saltem confestim remittant Auctori Antverpiam: ut ego ab hominis importunis liberer conviciis, atque interpellationibus. Rogo itaque te, ut Elzeviriis extorqueas quam primum, ut ad illos perscripsi, & primo Tabellario ad nos remittant. Quo mihi inpraesens gratius nihil facere potes. Significa eadem opera, nisi molestum id tibi accidet, an iidem, ut coram unus receperat, Adagia Apostolii Graeco-Lat. sit adgressus, preloque subiecerit; ut & Danielem Heinsium per epistolam rogavi. Si & illud non excudendum opusculum arbitraris, fac me, quaeso, tempori, certiorem, post biennii patientem moram: priusquam Galliam lustret Heinsius cum nova nupta. Equidem aliena dum nimis prompte curo, mea interim negligo, & pro gratia odium incurro: adeo tenet, etiam senes, scribendi cacoethes; ut insanire prope cogat, ut rapto catulo leaena. Sic vivitur. Tibi felicem annum adprecatur & fausta omnia Schottus. Salvebis & a Brantio nostro. Antverp. X. Ian. MDCXVIII.

CCCCXX.

IO. MEVRSIO PETRVS CASTELLANVS S. P. D.

MVtui adfectus officia, quae postulas V. Cl. in votis mihi praecipue fuerunt; quae tamen ita concepi, ut plenus essem fiduciae, quam faciebat animus tuus, ut a blanditiis alienus, ita rectus & candidus; cuius expressam velut imaginem in scriptis tuis aliquando contemplabar. Neque enim adhuc in iis locum obsenderam, in quo temere quempiam laudares, aut, cum merito liceret etiam, reprehenderes. Quum tamen, si mores aevi respiciamus, frequentissimus fit in alterutram partem lapsus. Neque enim livoris amplior messis unquam fuit, & tanta est adulationis, ut nunquam meliori iure potuerit Satyra Varronis, *Mutua Muli*, revocari. At tibi mores videbam ductos meliore metallo: ex quibus animum induxi meum, non ingratum fore adfectum, etiamsi notam censoriae virgulae scriptio mereretur. Quamvis & excusationem sit inventura apud aequos rerum aestimatores, & qui conditionis meae statum non ignorant. Quae est eiuscemodi, ut me non patiatur totum hisce studiis occupari, si quam modo curam habere velim τῶν πρὸς τ' ἄλφιτα. Philosophia & Medicina me totum occupant, & in hac Laurea (quam vocant *Licentiae*) ante sex annos donatus, nunc supremum gradum cogito. Sed quod me pessime habet, nec has disciplinas ex animi sententia tractare mihi licet. Graecum Auctorem, Graecam aut sententiam adlegare, non ridiculum modo, sed piaculum est; quod ut a scholis hactenus ab ista labe puris averruncetur, egregie curant. Quare apud nos si aliquid esse velim, omnino δεῖ βαρβαρίζειν. Sensi enim nuper in petitione Lectionis Medicae, hoc unum mihi obfuisse, quod ex Graecarum literarum Professore (nam hoc unum obiiciebatur, ut adolescens & purioris Philosophiae, & omnis literaturae prorsus ignarus mihi praeponeretur; sed post talem repulsam pila ludere non detrectassem) factus essem Medicus. Quasi Hippocrates & Galenus iam linguae suae obliti ex interpretum silva tantum saperent; aut de Avicenna, Averrhoe, Haly Abbate, & similibus elegantioris notae Scriptoribus, tanquam ἐκ διὸς δέλτου

omnis

Ann. Chr. MDCXVIII.

omnis eruditio petenda foret. Sed tamen ut publice testatum facerem, me non ignorare, quorum magisterio proficere liceat, in lucem emisi vitas illustrium Medicorum, & hic exemplar habes; opusculum aliud agenti natum, ut satis res ipsa loquitur. In nonnullis curae aliquantum invenies, in plurimis insignem supinitatem, quam ab aestu languor inducere solet diebus aestivis, quibus ista, ne somnus obreperet, a meridie consarcinabam. Sed tu pro candore tuo boni consules, etsi revera Persiis scripta non sint. At tua omnia sunt exacta, & ad unguem adcurata, & quae nec Momum vereantur. Quare Lectiones Atticas mearum nugarum ἀντίδωρον censebo, ubi Diomedis & Glauci aequam esse permutationem mihi probaveris. Obsendo in illis multa, quae mihi oculos aperiunt. Χαλκεῖα nunquam legisse memineram. Coriandrum a novis nuptis obferri Iunoni Pollucis Interpreti credideram, ubi tu κορεῖον ingeniose restituisti. Sed dici non potest, quantopere mihi placuerit emendatio tua in versibus illis Orphei de Cerere, ab Arnobio conversis. Nuper incidi in Alexandrum Sardum Ferrariensem, in cuius libro III. de Ritibus antiquis cap. XXV. aliquas festorum dierum solemnitates inveni mihi inobservatas. Eleutheria, Trophonia, Hydrophoria, Oilea, Dioclaea, Protelikea, Geraestia &c. de quibus amplius inquisivi, & pluscula adnotavi, quae si usus erit (quamvis non poscas ligna lucus) transmittam. Sed garrire desino, & tibi V. Cl. cum adprecatione salutis omne officium amicitiae ἐξ ὅλης τῆς καρδίας offero. Vale, Lovanii a. d. XIII. Kal. Febr. CIↃIↃCXVIII.

CCCCXXI.

V. CL. IANO GRVTERO IO. MEVRSIO S. D.

NAe mecum regia plane literalitate uteris: paucula ego eaque valde exigua certe tibi dederam, & qua benevolentia atque humanitate prolixissima meritus eras; uam Ciceronem tuum donas, quo donare maius nihil mihi poteras. Adfirmo tibi: verba non possum invenire, quibus gratias dignas agam. Itaque in praesens iterum levidensе aliquod, ut soles a me, munus accipe, Orchestram meam, & in Nundinas Autumnales, si Deus dabit, opusculum aliquod tuo nominis auspicio editum. Nihil addam, nisi ut amare me pergas adfectu solito. Vale. Lugd. Bat. die XXIII. Feb. CIↃIↃCXVIII.

CCCCXXII.

GEVERHART ELMENHORSTIVS IO. MEVRSIO S.

Clarissime virorum.

LIbellum tuum eruditissimum *de Orchestra* recte transmisit Loccenius noster, pro quo gratias tibi habeo ingentes, reponamque prima occasione Proclum Platonicum, qui iam tandem in fine laborat. Apuleii primas pagellas fidei tuae trado. Si me amas, effice, ut statim praelo Typographus illas subiiciat, quo primam probam, ut vocant, proxime habere possim. Eius Philosophica iam absolvi; mittamque per Tabellarium sequentem. Rogo te autem per summam humanitatem tuam, ut onus corrigendi in te suscipere velis, ne mendis obsita prodeat editio, & me insumpti laboris poenitere possit. Si qua in re tibi, vel tuis vicissim prodesse potero, non committam, ut operam meam ulla in parte iuste desiderare queas. Patri Schotto bis scripsi, nec responsum extrico. Si forsan aliquas ad illum dabis, rogato hominem, ut nobis in occasione satisfaciat. Salve decus nostrum, me ama, & Apuleium tibi cordi habe. Hamburgi IX. Kal. Martii Iuliani, id est, hora ipsa, qua tuas accepi. A. XPI. CIↃIↃCXVIII.

Ante XIV. dies ab Holstenio literas accepi Clavennae in finibus Rhaetorum datas. Puto iam illos ad Venetos pervenisse. Si quid de illis inaudieris, gratissimum mihi feceris, si per te id sciam.

CCCCXXIII.

RINALDVS BREDERODIVS IO. MEVRSIO S. P.

Clarissime Domine Professor.

LIterae tuae mihi pergratae fuerunt, tum tui, tum nuncii, quod adferebant, ratione. Gaudebam id a me tam oportuno monitum, atque a te tam solerter fideliterque praestitum esse; ac maximas, quas possum, gratias habeo: ut & pro munere literario, quo ita me devinxisti, ut multis nominibus me tibi debitorem libens profitear. Quamvis autem eorum, quae Graeca sunt, interpretationem desideraverim, libellum tamen cum voluptate perlegi, laborioso sane opere congestum, ac lectioni Graecorum Auctorum non inutilem. Laudo sane institutum ac diligentiam tuam in re literaria illustranda, cui non dees. Deus Opt. Max. faveat studiis tuis. Vale vir clarissime, atque me pristino amore prosequi perge. Hagae IV. Id. Martii MDCXVIII.

Tibi addictissimus

RINALDVS BREDERODIVS A WESENBERG.

CCCCXXIV.

EIZO TIARDA IO. MEVRSIO S. P.

Amicorum antiquissime & unice!

SPe tua equidem arbitror te excidisse, sed non ego, mea sententia. Ex eo enim tempore, quo huc reversus sum, semper mihi proposui non aliter futurum, quam

quam accidit. Nosti, quam vehementer odi novatores: nihilominus quoniam aliquando Grotii nostri dotes apud omnes laudavi, statim in eorum numerum relatus sum. O tempora, o mores! Ego nihilominus patriae meae pro virili inserviam, & resistam iis, qui contra eam aliquid machinabuntur. Administro enim in illa talem provinciam, qualem nec honoratiorem, nec meliorem exoptarem, modo tecum esse possem. Quod tamen erit cum bono Deo proxima aestate. Quaeso tandem debita tua solvas (tot enim auctores edidisti, ex quibus nullum accepi) aut ego deleam. Rutgersii varias & doctas Lectiones vidi, impetrabis exemplar pro me. Eundem etiam velim meo nomine de pecunia Svecica interpelles. Misi iam dudum Catalogum librorum, quos a me D. Legatus Svecus habet; quaeso apud ipsum aut Secretarium eius instes, ut eos habere possim. Interim vale cum uxore & sorore tua mea, tuisque; & a nobis salveas: qui Deo gratia omnes salvemus. Heinsio, Bontio, Scriverio, ceterisque amicis a me salutem. Raptim Groningae XXIII. Martii stilo Iuliano. [a]

CCCCXXV.

Io. Georg. Herwartus Io. Meursio S.

MIsisti ad me iam pridem, Cl. ac Doctissime Vir, libellos duos, pro quibus maximas, quas tibi possum, ago gratias. Et quando etiam petiisti, ut duos Graecos Bibliothecae Bavaricae libros describi curarem, id ipsum exsequendum suscepi. Ac alter quidem, Hippolytus sc. Thebanus (ut inter lustrandum comperi) Graece ac Latine iam a Canisio in suis *Var. Lection. Tom. III.* Ingolstadii editus est, ut ita supervacaneum putaverim eumdem tibi descriptum velle obferre; quod si nihilominus describi velis, fac me proxime rei illius certiorem. De altero vero, qui & satis magnus est, Davidi Hoeschelio saepius insinuavi, qui tametsi non plane recepisset, tamen non abnuere videbatur. Quum vero is non ita pridem rebus humanis excesserit, omnis mihi spes est succisa, quum non noverim ullum in tota nostra provincia, qui parum correcte describeret (quin qui perfecte nosset Mss. legere) aut describendi officium susciperet. Interim doleo sane; hac in re me tibi pro voluntate gratificari non posse. Ceterum omnes avide exspectamus, quae & quanta mediteris de festivitatibus Graecorum. Ea namque, quae de iisdem nuper evulgavit Petrus Castellanus, desiderio nostro minus videntur satisfecisse. Vale, Vir carissime, ac vive feliciter. XXVIII. Martii A. MDCXVIII.

CCCCXXVI.

Ianus Gruterus Io. Meursio S. P.

IMo tu potius sophistice loqueris, ac de musca elephantum facis, dum debitorem te mihi profiteris. Vtinam in plures inciderem tanta animi bonitate, ut scilicet, liberi quum sint, ultro necti ament! Amo tamen, mi Meursi, hunc animum, hanc mentem; quippe nisi fortiter admodum & calide amares, non ita sentires, censeresve. Ego vero quanti te faciam, aliis libentius insinuarem, quam pudori tuo; es enim mihi eximium seculi huius & virtute & doctrina sidus: sed quod maior pars peiorque hominum prae lippitudine aut malignitate non adgnoscit. Ceterum gratias tibi ago habeoque magnas pro saltationis tot speciebus. Da operam, ut unum sub adspectum habeamus ipsam artem totam; meo enim animo, nihil ullo seculo uspiam quid exstitit divinius. Aevum certe nostrum ea illa forma ac specie nondum loquitur: imo ne balbutit quidem, nisi admodum ridicule. De praeloquio ac pagina honorum, qua caput istud beare tibi fert animus, plurimum tibi iam nunc debeo, debeboque deinceps, dummodo intra modum te tenueris, neque quid expresseris, quo doleant oculi communi illi orbis nostri delicio D. Io. Philippo Paraeo, quondam discipulo meo, quum ipsi expediebat; nunc mordax canis, latrans sane; is enim quum ex me quaereret, qualem se gerere deberet in editione Plauti secunda, quam profusissime cacatis suis chartis a capite ad calcem permerdat; respondi, consulturum sibi, si suo se pede metiretur, occupareturque potius circa suam virgidemiam. Sin omnino decrevisset publicare curas secundas, sequeretur exemplar omnino Taubmannianum; utpote cui ipse ultimam imposuissem manum. Ibi ille Paraeus Gruterianus, sive Gruterus Pareanus (quae nomina, me invitissimo, sane ignaro, assumpsit, neque ego unquam adgnovi; nisi forte ipsum forte eieci inter alia mea retrimenta) fremere ac tremere; obiicere denique mihi & ζῆλον & φθόνον, imo & animum hostilem; minarique adeo se theatro mundi universi declaraturum praeconio plus quam tubali, Centones Taubmanni non nisi mangoniis meis ac Pistoris subfarcinatos. Iam modo palam iactat, reperisse in Camerarii MS. (quem ei misi) ducenta loca optimi commatis, ad quae ego Lynceus mera fuerim talpa. Interea asinus ille non videt, se eisdem verbis eamdem caecitatem obiectare optimo virorum Camerario. Liber ille prodibit in lucem Autumno proximo. In eum diem si vixero, nullo mihi opus Iola in istam hydram, qui iunior serio batui sculponeis os Godofredi [b]; idem scuticae visu sonituque mancipium illud Scythicum avertam evertamque.

(a) Anno 1618. scripta est, postquam inclinare res Barnefeldii & Grotii, & Rutgersii variarum lectionum opus in publico conspici coeperunt. GRAMMIVS.

(b) NB. Non ergo tam seria Grutero fuit poenitentia, litis quondam cum *Dion. Gothofredo* exercitae, nec tanta caloris ipsius iuvenilis detestatio, ut quidem, secundum *Balth. Venatorem*, *Gruteri* panegyristen, credidit *Petrus Bayle* (vid. Dictionar. in *Gruter*. Lit. (M) pag. 1330. 3. aedit.) quin cum voluptate quadam eiusdem rei adhuc senex meminerit. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXVIII.

tamque. Est enim moribus supra omnem rusticitatem insubidis, ingenio sterilissimo, iudicio sinisterrimo, animaque bilingui. Verum si quid mihi accidat (satis enim periculose iam aliquot dies laboro Synanche) subveni Gruteriano nomini, adsere amicum tuum, eiusque memoriam a dentibus calcibusque tam infelicis Aselli. Quod autem idem quondam in praefatione Plauti priore ita serviliter mihi parasitabatur, factum me omnino ignorante, ideoque tantum ut aliquam sibi circumdaret dignitatem a nomine meo apud Baronem Vinenbergicum gratioso; sed & videbat sibi opus tam tenello umbra. Itaque sub arbore me latuit, crevitque isthaec hedera, quae iam se putat trunco isti strangulando parem; bellua ista est, & stupore, & impudentia, ut quum ille amicus noster aperte ei non adversetur, putet stare a se: quod secus est, sed gravioribus occupatus isti rei propius attendere non potest, non cupit; verum indignatione longius abripior. redeo itaque ad te, mi Meursi, petoque ut dignitatem literarum porro substinere ne digneris, tuerique mortuum Leonem ab insultanti isto lepore; nam serpentem a sinu meo calentem, &c. alii indigitabunt. Ego istaec praecipitabam Heidelbergae, XXVII. Martii A. CIↃIↃCXVIII.

CCCCXXVII.

G. M. LINGELSHEMIVS IO. MEVRSIO S.

Cl. & amplissime Vir!

PErgis tu adsidue beare me muneribus longe gratissimis lucubrationum tuarum, ut nunc etiam Orchestra tua: sic & struis monimenta aeternitati nominis tui & nos tuos amicos magis magisque devincis. Quod autem extollis merita mea, nae ego conscius meae tenuitatis, profiteor plurimum debere, neque adsequi magnitudinem tuorum beneficiorum grato animo. Cupio tamen tibi in omnibus demonstrare, quanti faciam amicitiam tuam. Iam hunc adolescentem tibi commendo, ut aditum ipsi facias ad tuam Collegarumque, quos veneror, notitiam, ut videre possit, quae in vestra Academia praeclara. Nepos est magni illius Hochfelderi Consiliarii olim Palatini, Paulus Flachius, qui bonis literis & Iuris cognitione excultus, iam desiderio tenetur perlustrandi, quae ubique laudabilia. Sedem non figet apud vos, sed per Angliam festinat in Galliam. Nihil mihi iucundius erit, quam si occasionem aliquam nancisci potero, tibi gratificandi; mutuum enim certe tecum facio, & amore tui ardeo. Grutero ac Pareo redditi fasciculi ipsis inscripti. Salutem dico soli vestro, magno Heinsio, cui felicissima omnia comprecor. Valete divinae animae.

Heidelb. XXIX. Martii MDCXVIII.

T. omni studio & cultu

G. M. LINGELSHEMIVS.

CCCCXXVIII.

GEVERHART. ELMENHORSTIVS IO. MEVRSIO S.

MIsi tibi pronuper primas pagellas Apuleii nostri, quas recte ad te perlatas arbitror. Reliquam partem D. Heinsius habet, a quo, quum necessum fuerit, illam petere poteris. Rogo per amicitiae nostrae sacra, ut curae tibi habeas foetum hunc nostrum tenellum, nimirum ne tot mendis vulneratus prodeat, ut infelix Cebes & Theodalphus, quos tui similibus propter enormia errata vix obferre ausim. Edendus autem omnino in quarto erit cum Scholiastis, sicuti ad Loccenium fuse scripsi, quem etiam per omnes Deos Deasque conveni, ut ultimam probam semper tuae humanitati, vel collegis optimis Heinsio, Vossioque obferat. Scio D. Scriverium esse admodum curiosum, & felicem in hoc negotio, sed eum tanto onere onerare non sum ausus, quoniam non magni videtur amorem, gratiamque meam facere. Amabat me adolescentem ante multos annos, sicuti testantur literae, quas mihi scripsit amicissimas. Iam quis mihi frigidam apud illum subfuderit, nescio. Scripsi certe homini ante VI. menses amicissime, sed responsum non recepi, quod mihi in vita nunquam contigit. Nam & Principes, Comites Baronesque benigne hunc honorem semper admiserunt. Sed quam ille causam tacendi praetendat, ignoro. Illud scio me semper & ubique honestissimam eius mentionem fecisse; cuius rei locuples testis etiam esse poterit amicissimus & optimus noster Morsius, qui has tibi dabit: quem & propriae & innatae virtutis, & nostri causa serio amabis. Salve optime amicorum, & nobis responde.

Hamburgi VIII. Kal. April. Iuliani A. XPI. CIↃIↃCXVIII. Proclum in Platonis Theologiam proxime tibi dono misi, quem iam recepisse te spero.

CCCCXXIX.

ANDR. SCHOTTVS IO. MEVRSIO S. D.

PRomissum tandem exsolvo, doctissime Meursi, misso Curopalata, utcumque a nobis recensito, dum Cyrillum, adorno, cuius etiam γλαφυρὰ ad te dono mitto. Consule boni, nosque perge iuvare, quod facis sedulo. Orchestra tua legi etiam libenter, ut accepi. Ab operis in littera B. pagellas male collocatas traiectasque deprehendi, in γέρανος. Etymologici auctor, *est post pag.* 14. ubi & numerus fallit; ut hoc folium censeam recudendum. In κυβίστησις recte quadraret παροιμία explicata a Diogeniano, Zenobio & Suida. Οὐ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ ubi recte Rutgersius V. Cl. lib. I. Variarum Lect. cap. IX. pro Καλλισθένους Κλεισθένους leg. censuit. quam etiam vocem pro Ἀγαθοκλέους reponendum equidem arbitror, nisi quid secus vobis videatur. Eius ego iuvenis eruditiss. *Varias*, otii plu-

Ann. Chr. MDCXVIII.

sculum a feriis Paschalibus nanctus, legam adtentius, ut proficiam, utque gratias agam, moneamque, quod per epistolam postulat. Fasciculum adcipies nautae manibus, cui nomen N. & Cyrillum compactum cum Libellis duobus Collegae trades Dan. Heinsio, a quo folia Apostolii, si quae iam excusa, exspectabo; Teque valere nosque amare iubeo. Amstelodamo miserant Plantiniani meo iussu Zonaram in Canones Synodorum Graecolat. Parisiis nunc recens editum, cum aliis nostris libellis ad Elmenhorstium nostrum, per manus Henrici Barenthens, istic Bibliopolae, opinor Angli. At negat se post menses duos adcepisse, exspectare tamen avide. Si per epistolam Henricum monebis officii, pergratum utrique nostrum futurum & utile confidito. Magni enim pretii opus illud Zonarae, ut Lutetiae excusa, Graeca praesertim, existere solent. ἔρρωσο πάλιν. Antverpiae pridie Resurrectionis Dominicae XV. Apr. MDCXVIII.

Ex Curopalata Graeco possint quinque lacunae in Georgio Cedreno expleri, ut animadvertis e Schidis a nobis additis: si illum vel a Vincentio Marinerio, magistro Ducis Alcalae Madrito possemus nancisci; aut aliunde haberi queat. Graeciae Tabulae hactenus a Golzio ineditae in nundinis adparuerunt, cum Indice Geographico, cui addent docti, ut speramus, quae desiderari videntur.

CCCCXXX.

IACOBVS OMPHALIVS IO. MEVRSIO S. P.

Vir Clarissime.

NVper quum nobiscum coenaret affinis hic tuus, qui has adferet, circumlatis, ut fit, poculis, tuae tuorumque sanitati haustus aliquot libavimus. Ea occasione insignem meum dolorem exposui, ex eo conceptum, quod ipse tui ad nos adventus sub veris initium nobis facta frustratum me viderem. Tum soror Corneliana, atqui, inquit, cur literas didicisti, nisi ut amicos etiam absens tibi pares? quumque tum decorum, tum pudorem, tum alia, quae in mentem veniebant, adlegarem, illa solam humanitatem tuam obponens, non prius destitit, quam fratri me literas ad te daturum, nonnihil iam vino calens, essem pollicitus. Poenituit postridie, quum cogitarem, hoc meum factum esse temerarium, indecorum, insolens: sed quid facerem promisso obligatus, nisi ut ad eam, quam ille, & frater tantopere mihi commendarunt, humanitatem tuam confugerem? Ea igitur fretus, hanc, quam vides, epistolam exarare sum ausus: qua tribus verbis significo, habere te in hoc dissito loco hominem ignotum quidem, sed tui studiosissimum, virtutum tuarum admiratorem, nihilque magis habentem in votis, quam ut suam erga te egregiam voluntatem officio aliquo testatam facere possit; pro quo in te animo hoc unum unice cupit & optat, ut in numerum amicorum tuorum vel postremus cooptetur. Quod si etiam officio aliquo dignari immerentem volueris, non aliud petit, quam quod tibi praestitu fore putat periucundum, ut quum rerum vestratium narrationes fere non sine partium studio istinc ad nos perscribantur, veriora subinde de iis discere tuo beneficio queat, quo habeat, quod iis per occasionem obponat, qui credulitate sua imprudentes de immeritis male loquuntur, magno cum ipsius dolore. Quantulumcunque huius ab humanitate tua impetraverit, tantum felicitati suae accessisse putabit, Deumque precatus, ut tuis tuorumque piis votis benignus annuat, ac vice tempora tua diutius non morabitur (a).

Colonia XII. Iunii Gregor. MDCXVIII.

Tui impense studiosus

I. OMPHALIVS.

CCCCXXXI.

Viro Clariss. & Doctissimo D. Io. MEVRSIO MICHAEL PICCARTVS S. P. D.

NAe tu creditoribus, & exactoribus quantumvis acerbis durior mihi videris, mi Meursi; etenim his satis est solo tempore lapsam esse fidem: tu mihi statim, qui ὑπερημέριος fui & non ad diem respondi, divortium minaris, & supremum vale nuncias. Desine quaeso huius rigoris, & erga amicum veterem atque antiquum, & quod in amicitia palmam possidet, candidum (ita Dio Philios & omnes amicitiae praesides testor) nec minus constantem, ἐπιεικὴς, quam ἀκριβοδίκαιος esto. Qui si me innocentem insuper convincam? adeoque iniuriam abs te mihi fieri quererer? Quid, si, quod tu mimi impingis peccatum, in te revolvam? Ab anno enim CIↃ IↃ CXIII. quo geminas abs te habeo, & cum unis Hesychium tuum, nihil accepi, ita sancte adfirmo, quum utrisque respondissem e vestigio, & tibi quaedam nostra literaria ἀντίδωρα misissem. Verum haec omnia omitto, qui in his proximis tuis, quum diu lapides in caput meum coniecisses, extremo illarum rosas adspergis, & mero melle rursus inungis. Velim autem id mihi adcredas, nihil mihi optatius, nihil iucundius evenire posse, quam saepius hoc literario adloquio frui, meque memoria veteris conversationis nostrae recreare. Vivo enim hic inter homines vel aliorum studiorum, quam sunt haec nostra, vel tumidos, & typho quodam insanientis sapientiae inflatos, fermentatosque, qui me

(a) Quo vitae genere aut qua professione hic *Iacobus Omphalius* fuerit, ignoro. Credo vero filium aut nepotem fuisse celebris Iurisconsulti *Iacobi Omphalii*, Professoris quondam in Acad. Coloniensi, & Duci Clivensi a consiliis, cuius scripta Iuridica in Bibliothecis obvia. Eiusque, anno 1570. fato functi, Vita habetur apud *Melchiorem Adami*. Ceterum videtur ex hac & seqq. eius epistolis, sororem huius *Omphalii* nuptam fuisse *Billerbeccio*, *Meursii* adfini. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXVIII.

qui me & mea studia superbe contemnunt, aut sarcastice irrident, quibusque adeo oculi dolent, si videant etiam nos aliquid non fugere eorum, quorum cognitione ipsi magnificare se solent, καὶ ἐξαίρειν τοὺς γνάθους ὡς αὐλητρίδος υἱέες, ut loquitur Aristaenetus; quos sane, quia aliter non possumus, permittamus suo sensui, nec ipsorum exemplo deseramus propositum, multo minus terga furori eorum vertamus. *Atticas* tuas *Lectiones* saepe hactenus dissuaviatus sum; tuo nomine & q. te complecterer, neque tam miratus sum eruditionem operis, quam memoriae insignis & plane exemplaris felicitatem. O quam vellem & *Res Belgicas* tuas videre, & Harpocrationis Lexicon, quod iam diu frustra quaero in nostris Bibliopolis. Ἀντίδωρον mitto, sed qualia mea solent esse, quae ipsa tamen pro amore mei tuo aestimare soles, videbis & Exsequialia *Gentili* τῷ μακαρίτῃ a nobis praestita. Amisimus profecto Virum magnum, certe ingenio & iudicio praeclarum, quique potuit plurima complecti paucis, sic ut nec brevitas obscuritatem contineret, nec, quae ille solebat, fraudi cuiquam essent. Non petam, ut grata habeas, qui & Virum unice amasti, & dotes eius praeclare animadvertisti. Quod reliquum est, mi Cl. Meursi, oro te atque obsecro, ut & mei amorem perseveres ipse, & idem petas a Clariss. Collegis tuis D. Heinsio & D. Bertio, quorum virtuti & doctrinae in templo pectoris mei iam diu aram sacravi. Commendes etiam Nobiliss. Scriverio tuo, nam post mortem magni Casauboni nostri, & coniunctissimi mei Gentilis obitum, unus in Germania nostra superest mihi Gruterus, meliorum & morum & studiorum vindex. Cavete igitur destituatis vestri amantissimum & observantissimum Piccartum, o vos illustres animae, quique estis hoc aevo literis nostris, quod Lunam de nocte circumludentes fulgidulae illae aetheris nitelae. Salvete, inquam, & praeclare vivite, tu mi Cl. Meursi, tu Cl. Scriveri, tu, Cl. Heinsi, tu, Cl. & iam a multis retro annis apud illustrem Stupecium mihi cognite Berti, & quotquot sunt apud vos vestri similes, & si indignus non videor, adfectui meo, quantum cuiusque dignitas & virtus sinit, respondere ne gravamini.

Altorfio. Non. Iun. An. CIƆIƆCXVIII. (a) Salutant te peramanter & officiose D. Dinnerus, D. Queccius, D. Virdungus, quorum ultimus nunc nuper dedit nobis Notas in Agricolam Taciti. Scribe, an Comm. nostrum Politicum videris, si non, submittam. Quae Collega meus per literas abs te petit, ut commendata tibi habeas, oro.

Tuus omni adfectu & cultu.

PICCARTVS.

CCCCXXXII.

GEVERHART. ELMENHORSTIVS IO. MEVRSIO S.

VEhementer adficit obstinatum silentium tuum. Iam enim aliquot menses elapsi sunt, quod nullas a te vidi, licet creberrimas tibi miserim. Fac eius rei caussam sciam, ut & illud, num Proclum cum Wowerii Epistolis, acceperis, de quibus adhuc nihil mihi constat. De Apuleio meo quid fiat, iuxta cum ignarissimis scio. Si non est grave, sententiam Iacobi Marci ad me perscribe prima occasione, ut sciam, quid hac in re porro mihi agendum. Significavit mihi P. Schottus, sub manu te habere aliquot Homilias Andreae Hierosolymitani. Quod si verum, submittam tibi duas elegantissimas & doctissimas Orationes in Natalem B. Virginis, quas ex. MSS. Palatinis olim descripsi. Salve, mi Meursi, &, si me non plane contemnis, ad omnes meas responde prolixe. Nihil mihi gratius facere poteris.

Hamburgi a. d. XXIII. Iunii Gregoriani CIƆIƆCXVIII.

CCCCXXXIII.

I. CASPAR GEVARTIVS IO. MEVRSIO S. P.

Vir Clariss.

GRatissimae mihi fuere literae tuae una cum *Orchestra* muneri missa. Accuratum sane scriptum hoc est, quod profundam eruditionem tuam toti orbi iam pridem notam abunde indicet. Aequum nimirum erat, ut postquam nuper veterum *Musicam* in Aristoxeno protulisses, etiam saltationes priscas nobis repraesentares. Exhibui Dom. Gilloto munus tuum, qui mihi dixit, sese iam diu esse in exspectatione tuarum litterarum, nam illius te iam pridem adcepisse non dubito. Prodiit hic nuper elegantissimus libellus tuus *De Gloria*, quem D. Lalanius Consiliarius Regius in idiotismum Gallicum traduxit, & Gallicae Iuventutis Principi, ad virtutis studium velut facem praelucere voluit. Non dubito exemplaria ad vos per Elzevirium esse delata. Iam diu te intellexisse existimo, quo loco hic res meae sint. Ago enim modo in familia Illustris Viri Errici Memmii, praetoris Vrbani, qui nepos est magni illius Errici, summi suo tempore eruditorum omnium Moecenatis. Is perhonorifice me habet, & honorario splendido prosequitur. Habeo hic modo sub praelo *III. Electorum* libros, in quibus Miscellaneae ad varios Scriptores Observationes. Exceditur & Manilius cum Notulis meis, quibus omnibus, postquam erunt adfecta, te participabimus. Hesterno die hic bini Itali & Gallus unus Rotarum supplicio adfecti sunt, quod libellum famosum in

(a) Apographum quidem nostrum, manu *Zach. Lundii*, habet MDCVIII. sed omnino vitiose. Quum enim non solum mentio supra facta ex anni 1613. tanquam longo ante tempore praeteriti, sed & exsequialium *Scipioni Gentili* praestitorum, qui obiit anno 1616. facile animadvertimus decennii notam numeralem per errorem excidisse, quam idcirco reposuimus. GRAMMIVS.

sum in Regem edidissent in gratiam matris Reginae. Erat in eo libello perpetua comparatio Regis cum Nerone, quippe qui matrem suam semel interfecisset, quum Rex id singulis diebus faceret. Et huiusmodi alia scurrilia & abominanda. Sed desino, nam D. Puteanus Vir Cl. qui has defert, tibi literarum loco erit, & si quid hic novi abunde referet. Scire velim, utrum Chrysolorae Epistolae unquam in Latinum sermonem versae fuerint a Vulcanio, quod a te semel adcepisse mihi videor. Excuditur hic Balsamon in Nomocanonem Photii cum Notis R. P. Frontonis. Vale, Vir Cl. & solito nos favore prosequi perge. Raptim Lutet. Parisior. XXIII. Iunii MDCXVIII.

Si quid aut ad D. Gillotum, aut ad me scribere placuerit, litterae tuae per Amanuensem D. Maurerii Legati Regii recte curabuntur.

CCCCXXXIV.

Cl. Viro Io. Meursio E. Puteanus S. D.

Antea doctrinam tuam aestimavi & admiratus sum Cl. Vir; nunc benevolentiam & humanitatem: Etenim amare tibi satis non erat, nisi & scriberes: quo officio quum superatus sim (praevenisti enim) operam dabo, ut novisse videar, quem non compellavi. Sic quidem quum aeterno Nomini tuo persolvam laudem, ipse adsumam: tuo adfectu quam meo ingenio clarior (a) evasurus. Tot iam scriptis illustrasti literarum tenebras, tot iam monumentis ad *Aeternitatem* vocasti genus humanum, ut non vivere dicam, qui indoctus est; non sapepere, qui felicissimam ingenii eruditionisque tuae industriam non intelligit. Mitto Belgas: in Italia celebris es, & inter lumina aevi haberis. Iam quoque crescunt isti radii, & vel ab *Orchestra* emicant (b) ἀντιδωρίδιον adpellas? δῶρον est, gratissimum mihi, quia doctissimum & prorsus curiosum. Sed si sic pergis, nox in omni Antiquitate esse desinet: te solem suum seculi consensus adpellabit. De me quid attinet dicere! satis erit, si in maiori numero stella sim, si non obscurus lateam. Obscurus tamen, quia famae tuae radios nunc subeo, & adfectu iungor. Non recuso; obfuscari malo, quam non amari: sic tamen beneficio tuo clarus ero. (c) Lovanii, in Arce. VIII. Cal. Aug. CIↃIↃCXVIII.

CCCCXXXV.

C. Pynacker Io. Meursio S. P. D.

Facile Domini hi nobilissimi literas meas ad te obtinuere, quum salutem ipsi sponte obferrent. Nihil habebam scriptione magnopere dignum, nisi vivere me basilice, & te amare animitus. Hoc unum te exoratum venio, ut data commoda occasione certiorem me facere velis, an Lexicon tuum Mixobarbarum auctius sit editum. Tantam ego voluptatem ex isto tuo opere capio, ut nullus dies transeat, quo non manu teneam, evolvam, aliquid addam occurrens inter legendum, aut iudicium meum audacter adnotem. Observavi multa esse inter ea Arabica, per Mauros & Hispanos introducta. Rapiunt me aliquando transversum haec amoena literarum studia, & detinerent totum, nisi res domestica me cogeret ad vitam negotiosam; foro causis orandis, seu potius scribendis occupatissimus sum, nec negotia mihi committuntur quisquiliosa, sed momentosa tantum, Magnatum & provincialia. Et sane nisi esset, non superarem esuritionum campos Famelicos. Fatum hoc est literatorum, ut colant numina cultori damnigera φορτηγοὶ δ' αὐτῶν καθύπερθεν, & inclinamus iis nos

Α῎μμες οἱ μεγάλοι, καὶ κάρτεροι ἢ σοφοὶ ἄνδρες.

Ad me autem quod adtinet, ita mecum nunc est comparatum, ut nulli cogar esse obnoxius; rupi omnia foedae & submissae servitutis servilia vincla. *Experior melius divitiusque forum*, quam *clamosa nostra pulpita*, & *steriles cathedras*. Te autem rogo obnixe, ut velis significare, quid nunc moliaris, quos auctores expurges, quibus factis famam extendas: ad nos necdum ista purioris spiritus transvolant. Vale amicissime, & epistolam meam plenam brevitatis boni consule. Ex Museo ad sextum eidus sextilis CIↃIↃCXVIII. (d)

Tuus soldurius

C. Pynacker.

CCCCXXXVI.

Geverhart Elmenhorstius Io. Meursio S.

Defectum in Proclo, quem petebas proximis tuis, nunc trasmitto. De Apuleio iam antea mihi scripsit D. Rutgersius, qui & de negligentia Typographi narrat nobis illud ipsum, quod tuae loquuntur literae. Si ille trico conditione semel accepta uti nolit, facile alium inveniam, qui opus elegantissimum praelo subiiciat. Quod de Notis causatur, nihil est. Illae iam in fine laborant, ut & Index, quem confeci in totum auctorem absolutissimum. Homilia illa, cuius in tuis mentionem fecisti, non est Andreae Hierosolymitani; sed Germani Archiepiscopi. CP. quam ego Patri Schotto dono pronuper misi, cum duabus eiusdem auctoris longe elegantissimis. Andreae praedicti duas, quas adhuc domi servo, tibi non invidebo, si nactus fuero occasionem mittendi meliorem; has enim in incertum scribo. Ab Holstenio binas saltem accepi, Venetiis

(a) *Edit.* futurus. Grammius.
(b) *Haec uncinulis inclusa, non comparent in edita.* Grammius.
(c) Exstat edita in Epistolar. *Erycii Puteani Parte III. Cent. I. Ep.* 83. Grammius.

(d) Erat *Cornelius Pynacker* primum Lugd. Bat. postea Professor Iuris Groningensi in Academia. Vid. Theatrum Freheri. Grammius.

Ann. Chr. MDCXVIII. Venetiis datas. Demiror, quod hospitem tam eruditum hactenus insuper habuerit. Quum primum litteras ab eo accepero, statim te faciam certiorem. Metochitam & Basilium Patricium exspectabo, quum commodum erit. Salve, & nos ama. Hamb. VIII. Eid. Augusti Iuliani CIↃIↃCXVIII.

CCCCXXXVII.

DOCTISSIME MEVRSI!

QVum obsignatas alteras mihi tuas Brantius reddidit, quibus de Vincentio Marinerio Valentino scire ex me aves. Equidem nescio, albus, aterve sit: id est, candidus, an secus; hoc tantum: Graece doctum, & ad me Graece bis literas dedisse, ac respondisse me. de Io. Curopalatae Chronicis, quae MSS. habere se significabat: docui iam ea Latina facta a Io. Bapt. Camotio, Venetiis edita: & eumdem esse cum Ge. Cedreno, parte altera: non necesse ergo esse, in vertendo operam ponere. Rogavi, ut duas lacunas mihi ex eodem suo Curopalata restituendas Cedreno mittere ne gravaretur. Subspicor Comitis alicuius Bibliothecae praefectum esse (a): nescio, an Hispali. nostrae non est societatis. Mittam itaque brevi Curopalatam meum utcumque recensitum, non tamen ad omnia Zonarae, qui Graece ad manum non erat mihi. Alias de eo cetera perscribam.

ANDR. SCHOTTVS.

CCCCXXXVIII.

ANDR. SCHOTTVS IO. MEVRSIO S. D.

SCripsi ad te, Vir Cl. cum Brantio nostro, missis nonnullis libellis nostris ad Elmenhorstium, liberalem quoque med erga, atque ut eruditiss. sic & humanissimum: quoniam coepit & ille meas esse aliquid putare nugas, quem errorem citius dum leget, eripient. Zonaram in Canones Apostolorum & Conciliorum Graece meditatur extrudere, & iam puto Lutetiae exierint. Misi itaque & Ant. Salmasiae interpretationem Latinam, mihi, quis credat? inscriptam iussu amplissimi Card. Mediolanensis, nunquam mihi visi: adeo homines novi inescare, atque fallere. Rides fortasse tu: vera narro; cave fallaris & ipse nimis nos amando, & opinione alicuius eruditionis, qua tinctus verius, quam sum imbutus. Mittamus illa & hoc agamus. Alf. Miniatus importune haec ad te scribit, quod, ut fit, dum primo in scenam actor gestit prodire, omnis est morae impatiens, putatque quae vix biennio, me hortante, absolvit, uno posse mense, ut die uno panes furno coqui. Ego vero illi occinere illud, quod de forensibus est litibus verissimum, Tribus P. opus esse, Patientia, pecunia ac pace, id est, in parturiendis libris usu veni re, Graecis praesertim, quibus rarae subpeditant obstetrices, ut est fuitque semper perpaucorum hominum erudita illa lingua. Hominem, si potes, placa. Dederam enim Elzeviriis per epistolam negotium, ut hisce actis nundinis ab Aubrianis vel I. Grutero nostro Isaei orationes XVI ab eodem versas missasque per me, ut una excuderentur Graeco Latinae, ut Lysiam iidem Aubriani excuderant. Qui nuper significarunt per Gruterum, excusuros se, sed vereor ne reiiciant in longinquum tempus, dum alia subpetant utiliora. Et quoniam spes nobis feceras fore, ut Elzevirii Andocidem & Antiphontem eiusdem in proximum pararent fortasse mercatum, quaeso, significa, an sub praelo sint, & orare nos, ut Isaei, si nondum accepit, efflagitent litteris a Grutero vel Aubrianis, ut subiungant duobus illis Isaeum, venustiorem: eritque libellus Isocrati Orationibus prope par. Et sunt in illis decem Graeciae Oratoribus, hactenus inediti Latine, quibus addi exoptem Lycurgi adversus Leocratem Orationem, interprete Io. Lonciero, quam me utraque lingua arbitror olim eidem Grutero misisse cum Isaeo. Possent & ex Gul. Canteri select. Oratt. addi, quas misi nuper, & vobis placeret. Erit enim honesta Typographo editio, &, ut opto, quaestuosa, dum Iurisperiti & Philologi legent, quae hactenus muta iacuerunt: illi ob caussarum varietatem, hi ob ἑλληνικὴν παιδείαν atque eloquentiam. Iuva, mi Meursi, potes enim, vel suffragio. Ἐπανορθωτὴς, qui operas castigabit, antea interpungat Latinam Miniati versionem, ut minus in cursu sit laboris. Mihi occupatissimo integrum non fuit. Haec de alienis, nunc de meis: Eosdem roga Elzevirios, si, ut coram Ludovicus receperat, excudere coepit Apostolii Παροιμίας, interprete Pet. Pantino, τῷ μακαρίτῃ, cum Hoeschelii etiam Notis; ut Daniel Heinsius receperat curaturum φιλίας χάριν. Ducta nunc recens uxore, litteras non accipio, absente etiam Casp. Gevartio, qui Lutetiae degit, editque Statium suum denuo, cum omnium Commentariis, etiam Luctatii: & nescio denique an Dordrechto Lugdunum vestram Heinsius commigravit. Vrge, amabo, rem, si est opus, & utile Reip. litterariae. De libris mihi ab Elzeviriis coemendis in illa Canteriana auctione nihil ego, neque Heribertus cognovimus, quum ante auctionem nostrae sint missae literae. Ex iisdem fratribus Elzeviriis, si nihil exspectabimus, cognosces eadem opera. Vale a tuo Schotto.

De Marinerio Graece perito Madriti, iam ad te scripsi, ad me scripsisse; & habere MS. Curopalatam. Vtinam ad te mittat, cum in Latina interpretatione lacunae aliquot occurrant, quae ex Cedreno expleri possunt, partim etiam exscriptis libris fortasse; nisi quid coniectura fallor. Callisthenem de Vita Alex. Magni negat Gruterus in Palatina exstare. Lucam Holstenium per epistolam hinc Romae commendabo Card. Cabellucio. ἔρρωσο πάλιν.

CCCCXLIX.

(a) De *Marinerio* dicemus postea, quum ad eius epistolas ventum. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXVIII.

CCCCXLIX.

ANDR. SCHOTTVS IO. MEVRSIO S. P.

QVod siluerim, optime Meursi, causam existimato, non oblivionem, sed quod me Apostolius habuerit, dum & excusa istic recenseo, & Notas describo, quas ordine misi, maturans, ut potui, in alieno. Cupio itaque nomen eius praefigi, qui interpres est: & si oculum identidem operis admovebis, dum excudentur mea descripta manu, facies perbenigne, absente nobis. Daniel enim profectus, nescio, quo ferebatur ab Elzevirio, & Rutgersius Hagae Comitis degere negotiorum Regis causa dicebatur: & multa irrepunt menda, nisi quis advigilet. Tuarum vero quid vigiliarum extrudes? fac, sciam. Si ab eruditissimo & amantissimo Elmenhorstio Homiliam accepisti Andreae Hierosolymitani, Episcopi Cretae, sive in meis erat, ut conferatur, sive non erat, queso, commodo quod fiat tuo, Andreae illius Homilias omnes a nobis missas, uno fasce libelli edas, Graece tantum, & si videbitur, nobis Graeco praemisso Epistolio dedicentur, ut a me olim Romae collectae, quodque Andreas etiam adpellor. Erit hoc per mihi gratum. Alibi curae erit, ut Latine exeant. Sunt enim omnia fere conversa. Da hanc mihi veniam pro veteri necessitudine. Brantius noster (a), quia aedificat, ideo lentius scribit, rariusque. Vxoris eius soror, vidua Philippi Rubeni a secretis nostrae Reip. noctu prope exspoliata vasis argenteis, nisi ad clamorem domestici adcurrissent. Adeo & hic fures noctu vagantur. Vt iugulent homines, surgunt de nocte latrones. Sed & istic motus esse civiles quidni indoleam? Deus meliora dabit bonis tempora! En quo discordia cives perducit miseros? Te interim valere, beneque agere volo. Antverpiae, pridie S. Laurentii CIƆIƆCXVIII. Bertius hac in Galliam transiit, ostenso Ptolemeo Gr. Lat. quem ornatum Regi Christianissimo obferet. Vtinam liberalem experietur. Salutem Danieli, si apud vos est, ceterisque. Cl. Puteani filius tertius Petrus hac quoque cum Legato iter habuit, ad vosque cogitabat. Ex his cetera de Gevartio audies, eius *Electorum* tres excudi libros, Manilium adornari post τὸν πάνυ. Ἔῤῥωσο πάλιν.

CCCCXL.

IACOBVS OMPHALIVS IO. MEVRSIO S. P.

NIhil mihi gratius accidit literis tuis, Vir Cl. XII. Iulii ad me datis, eo quod in numerum amicorum me receptum, ex eis intellexi. Quod enim multo antea tempore votis omnibus exoptaveram, eius me compotem videre, non potuit non esse iucundissimum. Itaque eius diei, quo hoc responsum a te tuli, memoriam nunquam deponam. Illum vero multo magis candido lapillo signabo, quo, quem absentem, nec unquam usurpatum oculis, constans virtutis fama amare coegit, tueri dabitur, & praesentem complecti. Cuius quidem gaudii spem, in iis, quas ad me dedisti, dubitanter propositam, certius postea factam adfini Bilderbeccio, lubentissime intellexi. Qui tamen, ut & soror Corneliana, nullam causam vident, cur alteram illam, de adventu una tecum, charissimae coniugis tuae, concipere sibi non liceat. Et sane quod ad periculum adtinet itineris, id, in comitatu praesertim mercatorum, qui militum plerumque praesidia adsciscere sibi consueverunt, non magnum. Turbas autem vestrates in eo iam articulo versari, ut tantum non prorsus sopitae videri debeant, ii, qui res vestras hic aestimant, sibi persuadent. Et faxit Deus, ut feliciter, & sine Ecclesiae & veritatis detrimento, cum rubore autem communium hostium, mox sopiantur. Te cum tuis exspectamus, ut solido nos omnes gaudio perfundatis. Vale Vir, Cl. una cum uxore suavissima & communibus liberis, tuumque erga me adfectum perpetuo serva. Coloniae Vbiorum XXV. Augusti CIƆIƆCXVIII.

CCCCXLI.

IO. RVTGERSIVS IO. MEVRSIO S.

EGo vero, Vir & amice Cl. te ante discessum tuum cum Deo videbo. Ac rogo, ut rationem destinati itineris mihi scribas. Si tu huc venire recuses, ego ad te venturus sum. De munere, quod adiungis, gratias immortales, & pro hoc & aliis multis tuis in me officiis ago; ac quocunque tempore & loco ullo genere te demereri potero, scito promptissimum esse & futurum semper Tuae dignitatis cultorem & defensorem. XXX. Aug. MDCXVIII. Hagae.

RVTGERSIVM.

CCCCXLII.

IDEM EIDEM.

VEniam, o doctissimum caput, veniam, & te complectar. Neque ullum grave quicquam erit, quod non tua causa magnopere cupiam. Te rogo, ut sciam, an diu illuc haerere statueris, an cum Mercatoribus, qui ad Nundinas ituri sunt, redire. Nam ego, ut scis, Embdam cogito, iussu regio, & pro tuo responso, ut alter alterum revisuri sum? me parabo. Vale, o semper carissime. XXXI. Aug. MDCXVIII. Hagae.

CCCCXLIII.

(a) Qui *Asterii* Homilias & alia *Philippi Euberii* postuma edidit. GRAMM: VS.

Ann. Chr. MDCXVIII.

CCCCXLIII.

CHRISTOPHORVS SIGISMVNDVS DONAVERVS IO. MEVRSIO S. P. D.

NOli mirari, quamobrem te hac mea molestem epistola. Etsi enim vel frontis ductu, vel naturae instinctu, non possim, nec velim, viris in clarissima hominum luce positis, & communi commodo indefesse studentibus, aliquam obiicere remoram, & molestiam; tamen non ab una impellor causa, ut nec frontis velim, nec naturae possim amplius sequi ductum vel instinctum, quod tam saepe huc usque a me factum, qui ab aliquot annis ad te scripturio, sed animo tantum, non calamo. Anni enim iam multi, ex quo hunc animum in tui observantiam & amorem devovi. Et nonne etiam debui? Certe debui, sive obstrictus publice cum multis, sive privatim prae multis. Publice, quem non virtus & eruditio tua capiat, inque sui amorem rapiat? ea enim tui animi celsitudo, ut cum paucis fugientes literas potenti vinculo retineas; ea rerum cognitio, ut non tantum multa scire, sed penitus nil ignorare videaris; illa ingenii tui felicitas, ut sapias, ad quae ceteri caligant, & teneas, quod multi anxie requirunt. Sapientiam mentis perpendo?

——— σοφίην μὲν ἀλίγκιος ἀθανάτοισι.

Facundiam oris cogis? ille vir es

Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώττης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.

Annon igitur te talem colam? non ipsas Musas certe, nisi te Musis adeo dilectum caput. Vides, quam arctiori nexu publice tibi adstringar! sed privatim non laxiori. Ille est, Amicitia, quae cum parente olim, *νὺν ἐν ἁγίοις*, tibi intercessit meo, quam iure quodam mihi deberi sentio. Sapientis vas est: *πρέπει τοὺς παῖδας, ὥσπερ τῆς οὐσίας, οὕτω καὶ τῆς φιλίας τῆς πατρικῆς κληρονομεῖν.* Vidi ego admodum puer, quum augustum te hospitem Augusta Tiberii haberet, quam humanum te parenti dederis, ita ut tum sub coena nulla amoris melioris indicia neglexeris; ex quo tempore tantum abest, ut memoriam & observantiam tui depoluerim, ut etiam ardentior ille adfectus cum his annis creverit,

——— & tantus quoque crescat in horas
Quantum sub Sirio sol cane robur adit.

Cum igitur a parente te sis amari passus, etiam a filio te coli & observari patere, sique e contra parenti amorem non negasti tuum, etiam favorem filio noli subtrahere, qui licet in omnibus parenti sit inferior, in te tamen admirando, & celebrando neque parenti, neque ulli mortalium primas dabit. Scio tibi summos esse viros, quibus cum amabile hoc amicitiae foedus ineas, ut nos obscuros facile possis contemnere: Verum ut magnum illud coeli lumen Sol non tantum superioris aeris & aetheris regionem collustrat, sed imam hanc quoque & infimam telluris maculam: sic tu, undequaque, magne Vir, non tantum excelso positos loco viros amabis, sed nobis etiam obscuris, favoris & amoris tui radios non subtrahes & negabis, quorum si stricturam per epistolam sensero, habebo quod cum Poeta exclamem.

O quantum est hominum beatiorum!
Quod me laetius est, beatiusve?

Audacior, quam par esset, si non essem, obnixe abs tua praestantia peterem, ut Poematum parentis editionem, quam volentibus, imo iubentibus, quibusdam Fautoribus paternis iam adorno, epigrammate e divina tua facundia depromto, ornares in frontispicio, quo & beatis benedices Manibus, & me novo beneficio tibi obstrictum reddes aeternum. Sed quo perlabor? abrumpo epistolam, non observantiam & amorem, quem tibi servabo *ὄφρ' ἂν ἔγωγε*

Ζωοῖσιν μετέω, καί μοι φίλα γούνατ' ὀρώρει,

quia debeo, sive publice cum multis propter virtutem, sive privatim prae multis, propter amicitiam paternam. Vale & fave, Vir Celeberrime. Dabam in Academia Salana, quae est Iehnae prid. Kal. Sept. CIↃIↃCXVIII. (a)

CCCCXLIV.

G. M. LINGELSHEMIVS IO. MEVRSIO S.

Vir Clarissime amice certissime!

PErgis tu beare me adsidue lucubrationibus tuis, & egregiis scriptis, quae prodeunt publico bono ex tua Bibliotheca. Gratias tibi maximas habeo de munere isto, praecipue vero, quod spem facis alterius operis tui, illustrandae Graeciae. Sic perge nomen tuum aeternare, & beneficus esse in amicos, & omnes. Hoc tantum crucior, quod paria tibi referre non possim. Verum quanto magis accumulantur tua in me beneficia, tanto ardor meus incitatur magis magisque demonstrandi factis, quanti te faciam. Gruterus noster gravi morbo liberatus, iam adest filiae suae, quae ipsum nuper avum fecit ex viro honestissimo Oswaldo Smendio, Praetore Brettano, apud quem iam degit, inde in mercatum abiturus Francofurtum. Faxo, recipiat munus tuum. Vehementissime adficior gravissimo casu Grotii nostri; spe tamen sustentor, fore ut eius & magni patroni tui Barnefeldii innotescat innocentia. Deus eripiet eos ex ista calamitate, & det porro bene mereri de Republica. Ad Synodum Dordracensem mittentur de Theologis nostris Abrahamus Scultetus, Paulus Tossanus, & Henricus Altingius. Reddat Dominus pacem Ecclesiis vestris, & te servet incolumem bono literarum, quarum decus tu iam cum paucis sustines. Salutem quoque a me tuo commodo dicito incomparabili Heinsio nostro, a quo diu est, quod nihil adcepimus.

(a) *Christophorus* ipse *Sigismundus Donaverus*, Wisensis Palatinus, tunc iuvenis, postea Pastor ac Superintendens Ratisbonensis fuit, mortuusque est anno 1655. Parentem habuerat *Christophorum*, Poetam Laur. Caesar. ac primum Pastorem Wisenae in Palatinatu, postea vero in urbe Ratisbonensi Ecclesiasten, mortuum an. 1611. cuius, ut videtur, hospitio usus fuerat *Meursius*, in itinere Germanico anno 1607. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXVIII. Non desinet, confido gloriam, quam adeptus summam, pluribus in remp. literariam meritis magis magisque illustrare. Vivite felicissime.

Heidelberga XII. Sept. MDCXVIII.

CCCCXLV.

GEVERHARTVS ELMENHORSTIVS IO. MEVRSIO S.

Vir Clarissime amice summe!

DEfectum in Proclo, quem misi tibi per D. Foppium, Legatum ad Hanseaticas civitates, quin recte acceperis, nullus dubito. Si non est grave, fac, sciam, num adhuc Iacobo Marci animus producendi Apuleium, quem plane absolvi. Ille enim respondet nihil hactenus, ut nec eius domesticus Loccenius, cui nupere centum marcas transmisi. Non possum comminisci causam tanti tamque diuturni silentii, & negligentissimae cessationis, praesertim quum quod scriberet, habuerit affatim. Nam & hic constans sermo percrebuit, DD Barnefeldium, & Grotium proditionis summi status reos in carcerem detrusos. Quod hactenus credere non potui. Non enim arbitror homines optimos, eruditissimos Patriaeque amantissimos, lucri cupidine adeo inescatos, ut scelus inauditum, & exsecrandum omni aevo committere voluerint. Rogo te vehementer, pro summa nostra necessitudine, & amore mutuo, ut quicquid huius sit, me prima occasione edoceas. Gratius mihi nihil facere poteris. Salve Vir summe, & nos amare perge.

Hamburgi IV. Eid. Septembris Iuliani Anno XPI. CIƆIƆCXVIII.

CCCCXLVI.

PEIRESCIVS IO. MEVRSIO S.

MOnsieur, encore que je n'aye eu l'bonneur d'estre cognu de vous, si est ce, que vous avez laisśé de par deça tant de bonne odeur de vostre courtoisie, que j'ay esperé de pouvoir obtenir de vous une petite faveur, dont Monsieur Gevartius veult estre intercesseur en vostre endroit, & possible que Monsieur du Maurier y joindra encores ses prieres. C'est qu'ayant aprins que vous aviez l'indice des livres MSS. Grecs de la Bibliotheque Vaticane, je desire, scavoir de vous, s'il vous plaist, en quel temps il peult avoir eté escrit sur les lieux a peu prez; & iusques a quel nombre de volumes il y en a (Car ils sont touts cottez par divers nombre) mais particulierement s'ils excedent le nombre de 2029. qui est le dernier de la septiesme Table en il ya certoins opuscules de S. Chrysostome. Et s'il y en a beaucoup aprez ce nombre la. Que s'il estoit loisible de demander la copie, de ce qu'il y pourroit avoir oultre de pardessus ce nombre 2029. Ie le ferois volontiers, mais je voudrois bien au prealable m'estre rendu digne de cette gratification, en vous rendant quelque bon service. Cependant je me tiendray assez vostre obligé, de scavoir s'il vous plaist, ce que vous en avez. Et ne laisseray pas de vous rendre en revanche tout le service, dont je me pourray adviser, y estant porté de toute mon inclination de fort longue main, par le renom de vostre vertu, & de vos merites, que j'ay tous jours grandement admiré, & que me feront estre à jamais vostre tres humble serviteur.

De Paris ce VIII. *Novembre* MDCXVIII.

DE PEIRESC.

CCCCXLVII.

I. CASPAR. GEVARTIVS IO. MEVRSIO S. P.

LIteras meas, quas per Petrum Puteanum, Claudii Senatoris filium, ad te dederam, iam dudum tibi traditas esse non dubito. Retulit ille mihi non parum doluisse se ob angustias temporis, quo Hagae egit, & rerum motus, non potuisse se frui sperato colloquio tuo, ut & aliorum in Academia vestra Virorum scriptis, & fama illustrium. Mitto tibi modo Gratulatiunculam, qua *Erricum Memmium*, Praetorem Vrbanum, in cuius contubernio hic ago, prosecutus sum, dum nuper nova dignitate auctus esset. Merito inhumanitatis insimularentur Musae nostrae, si ullum opusculum nostrum prodiret, quod tibi non esset communicatum, cuius consuetudini, & humanitati aeternum debiturae sunt. Non pauci hic sunt eruditione, & dignitate praestantissimi Viri, nominis tui studiosissimi. Inter eos autem facile eminet Vir Amplis. Nic. Fabricius Peirescius, Regius in Aquisextiensi Curia Senator, D. Gillotio nostro intima familiaritate iunctus. Is quum iam diu Catalogum Bibliothecae Vaticanae frustra hic quaesivisset, & illum apud te, qui harum rerum promus condus es, exstare intellexisset, eius rei gratia sese ad te scripturum dixit, ut beneficio tuo illum posset inspicere, meque etiam rogavit, ut literis suis meas comites adiungerem. Non dubito, quin Viro maximo in hac re, quod commodo fiat tuo, sis gratificaturus, sive Catalogum per amanuensem tuum libeat curare describi, sive ipsum per D. Maurerium, Legatum Regium, transmitti placet: spondeo illum sartum tectum ad te quamprimum remissum iri. D. Bertius abunde tibi narrabit, quis Vir sit Peiresius, & quantae humanitatis, & auctoritatis. Si quid exstat in Bibliotheca Regia, aut Medicaea, quod tibi usui esse possit, indubitato per illum poteris nancisci. Tres nostros *Electorum libros* intra mensem, atque alterum spero absolutum iri, nec omittam exemplar exactissimo castigatissimoque iudicio tuo censendum transmittere. Vale, Vir maxime, meque inter eos, qui clarissimas virtutes tuas unice colunt, & admirantur, sem-

Ann. Chr. MDCXVIII. semper adnumera. Scribebam Lutetiae Parisis. VIII. Novembr. CIƆIƆCXVIII.

CCCCXLVIII.

HIER. ISBRANDUS IO. MEURSIO S.

PArum abfuit, quin me vidiffetis craftino die, cariss. frater; decretum enim mihi publica in auctione, quae apud vos, libros aliquot, quos in Catalogo notavi, fi licebit iusto pretio, emere. Ex commenfalibus eft, qui impediit, qui Leida veniens hodie, adfirmat, non nifi Theologicos craftino divendi. Quod fi ita eft, merito fubfifto, nec enim ex illis quemquam defignavi. Interim tamen ne fraudi mihi, aut incommodo fit, temere forfan credidiffe, eos mihi coemptos velim, quos inferius adfcribo, de reliquis XX. mihi felectis non tam follicitus, modo per vos fcire liceat, quis, fi quis utique in dividendis qui expofiti, obfervandus ordo. Vale cum cariffima coniuge forore noftra, ac dulciffima filiola, a me, & uxore, forore veftra. Raptim Delfis reverfus Hagae Comitum fcripfit noctuabundus, prid. Iduum Novemb. MDCXVIII.

D. ISBRANTS.

Lucas de Penna, Lugd. 82. fol.
Britannia Cambdeni. Francof. 8. a. 90.

CCCCXLIX.

IO. RUTGERSIUS IO. MEURSIO S.

Vir Clariffime.

INdiculum eorum, quos mihi emi velim, en tibi. Nullum tamen omnium cupio, fi pretium excedant, quod adpofui. Reliquos arbitrio tuo relinquo. Sed quis ille Diofcorides, n. 1. inter compactos in fol. Si cum Andr. Lacunae Comment. eft, obfecro, habeam. Sin minus, πολλὰ χαιρέτω. Defcriptionem Angliae &c. quae afterifco notavi, quovis pretio volo. Vale, Vir Clariffime, & ut hic diligens fis rogo, Scrib. Prid. Kal. Novemb. MDCXVIII. Hagae.

CCCCL.

IDEM EIDEM.

Suaviffime rerum.

AVctio cras habebitur, uti nofti. In ea inter libros Gallicos in F. eft Belonius *de Avibus*, quem nullo pretio, ac ne centum quidem Daleris mihi eripi cupiam. Tu fi unquam pro me curam gefferis, hic labora, ne is elabatur. Obligabis me novo beneficio, qui tot veteribus tibi obftrictus fum. Inter Theologos in F. funt Coccii Sabellici opera inter primos. Ea fi 7. flor. haberi, aut circa, poffunt, rogo, habeam. De reliquis craftina die ad te fcribam. Sollicitudo autem de Belonio facit, ut te fummopere rogem, ut num has receperis, hoc ipfo vefpere refcifcam. Potes per ultimum currum. Vale, XIII. Nov. MDCXVIII. Ofculum uxori filioque tuo.

CCCCLI.

IACOBUS OMPHALIUS IO. MEURSIO S. P.

Vir Clariffime Domine, & amice, ceu frater, honorande.

DIfceffus tuus fubitus, ut a valedicendi officio brevitas temporis me excluferit, non parvo dolore me adfecit. Sed eam in aequitate tua, & facilitate fpem repofitam habeo, ut id mihi te vitio non verfurum plane confidam. Interim te falvum tuis redditum fuiffe, magna cum voluptate percepi. Nos etiam profpera hactenus (fit laus Deo) ufi valetudine, nullum paulo hilariorem tranfmifimus diem, quin iucunda tuae praefentiae recordatione nos refecerimus, tuaeque, & tuorum valetudini, ut vota noftra omnia, ita ex more, & hauftus aliquot confecraverimus. Aliud dignum fcriptione hic non evenit: nifi quod iam dudum fufpenfos nos tenet toties decantata profectio Waffenbergenfis: a cuius myfterio nos (profanum vulgus) arcemur. Nunc tamen magnicrepae iftae invitationes paulatim conticefcunt, & contra dicteriis in Waffenbergenfes omnia perftrepunt, quod quid fit, dies, credo, tandem docebit; nifi forte D. Scanternellii frater, certi aliquid eft adlaturus. Is enim ad proximum diem Dominicum hic fe adfuturum fratri refpondit. Lutzenkirchius hactenus copiam conficiendi Indicis non fecit. Nam ut eft ad rem adtentior, omnem temporis iacturam, ne quid forte lucello decedat, evitare ftudet: ideoque feftos aliquot dies huic operae deftinari cupit. Nobis, qui promiffo tenemur, morem gerere homini fordido decretum eft. Quamquam fi plus, quam bidui operam forte Index ille poftulabit, vereor, ut ante meum ad vos adventum confici poffit. Incidit enim aliquid, ut Hagam Comitis profectio mihi fit propediem inftituenda: in quo itinere, adfpirante Dei gratia, tuam, quam tam prolixe obtulifti, benignitatem experiri, & dulciffima tua confuetudine perfrui nequaquam negligam. Interea Deum precor, ut H. T. cum cariffima coniuge, & gemina prole quam diutiffime incolumem confervet. Vale, Vir praeftantifs. & me favore tuo, & gratia complecti perge. Dabam Coloniae Vbiorum XVI. Novemb. MDCXVIII.

Ann. Chr. MDCXVIII.

CCCCLII.

GEVERHART. ELMENHORSTIVS IO. MEVRSIO S.

Vir Clarissime,

PRo Metochitae Historia gratias tibi dico maximas, rogoque, ut negotium Apuleianum tibi curae habere velis. Intra XV. dies totum textum Typographo transmittam. Vnde iure hominem urgere poteris, ut manum operi admoveat. Si qua in re tibi opella nostra poterit esse utibilis, faxo, ne eam ullo modo desiderare possis. Salve, Vir praestantissime, & iure nobis chare.

Hamburgi XII. Kal. Novembris Iuliani MDCXVIII.

CCCCLIII.

LETTRE DE MONSIEVR DV MAVRIER A MONSIEVR MEVRSIVS.

MOnsieur, il y a quelques jours que je receu une depesche de France avec une lettre de Monsieur de Peiresc à vous addressante, la quelle je vous feis tenir aussy tost; depuis il m'a encore escrit, & me ramentoit le bon office, qu'il requiert de vous en ce dont il vous a requis, c'est de quoy je vous prie pour luy bien affectionnément par la presente avec advis, que s'il vous plaist luy addresser vostre responce, je pourveoiray qu'elle luy soit tenüe seurement, si vous me l'envoyez, sur quoy, j'attendray de vous nouvelles. Cependant je vous prie dire a Monsieur Erpenius, que le dict Sieur de Peiresc n'a point receu la responce, qu'il m'a dict luy avoir faicte, & que les Maronites, qui sont a Paris, ont trouvé la signification des characteres de ces antiques Arabisques, qu'il luy envoya par mon addresse il ya un an. Ie salue tres affectionnément vos bonnes graces, & les siennes, & vous prie de croire, que je suis vostre trés affectioné amy, & serviteur.

De la Haye ce III. *Decembre* MDCXVIII.

CCCCLIV.

BILDERBECCIVS MEVRSIO S. S. (a)

LItteras tuas, Adfinis charissime, iam pridem adcepi, nuncium vero Crassum illum nostrum ante biduum modo primum vidi, qui etiam litteras, quas a sorore mea habuit, in itinere perdidit. Casei quoque tandem mihi redditi sunt, quorum unus praecipue in quamplurima frustra erat dissipatus. Casum non dubito quin ipse nuncius tibi sit expositurus. Gratissimum nihilominus mihi, atque uxori meae munus. Vasculum rubelli mei horni plenum, prima occasione mittam: non tam ut paria faciam, quam ut mutuis his munusculis necessitudinis nostrae memoria conservetur, atque alatur. Wassenbergensis ille ad patres migravit. Schanternellius apud D. Ketlerum Monroiae Baronem aulae agit Praefectum. Tu interim cum tuis a me meisque millies, salve, atque vale. Dabam Coloniae X. Decembris MDCXVIII.

CCCCLV.

PEIRESCIVS IO. MEVRSIO S.

MOnsieur, je me sens grandement oblige à la bonne volonté, que vous me tesmoignez par la vostre du 23. du mois passé, remplie de tant du surabondance de courtoisie, que quand j'eusse receu de vous la grace, que je vous avois demandée, je ne vous en pourrois pas estre plus redevable que ce que je suis. C'estoit de Rome mesme qu'on m'avoit mandé qui vous aviez en communication du Catalogue de la Biblioteque Vaticane. Il faut qu'ils se soient equivoquez, ou bien que quelqu'un ayt emprunté vostre nom pour l'avoir. Quelques jours nous sçaurons possible qui c'est. Au sur plus je seray bien ayse d'apprendre de vous, si la version du Procope de Vulcanius, & de Monsieur Heinsius, n'est point encore sur la presse, & qu'elle que vous preparez de nous donner de tant de belles pieces, que vous gardez au public, pour prevenir le contentement, que nous en aurons, lors que les Editions en seront achevées. Les offres, que vous me faictes de vostre amitié, me font prendre ceste liberté. Et je voudrois bien par ce moyen vous inviter a m'employer de pardeça, en tout ce dont vous me jugerez propre, & a vous servir de moy, comme de vostre tres humble, & tres affectioné serviteur.

De Paris ce XXX. *Decembre* MDCXVIII.

DE PEIRESC.

CCCCLVI.

C. RITTERSHVSIVS IO. MEVRSIO S.

IGnosce quaeso, Cl. D. Meursi, huic satis intempestivae meae interpellationi, vel studiorum tuorum, vel quietis. Cuperem huius diei aliquot horas impendere relegendae, & decurtandae meae Dissertationi de Rebus parvis: quam in hunc usum rogo mihi per meum paedagogum (sed obsignatum) remittas, cum tuis, si quas chartae mandasti, Notis B. V. Plura alias coram inter ambulandum. Vt coenas Platonicas etiam

(a) *Bilderbeccius* coniugis Meursianae frater, domicilium habebat Coloniae. Quem etsi in doctorum Virorum litteris, tum editis, tum ineditis, *Gruteri*, *Lingelshemii*, *Goldasti*, aliorumque, saepius nominatum vidi, tamen non possum liquido dicere, quodnam in ea munus gesserit. Saltem eius occupationes ita comparatas fuisse, ut vix unum diem abesse potuerit, sequenti epist. indicavit. Obversatur quidem animo meo & memoriae, parum in his rebus fideli, Iuris consultum eum fuisse, & Coloniae Vbiorum Principis alicuius (an potius Ordinum Hollandiae?) negotia obiisse, *Residentis*, vel *Agentis* titulo, ut vocant. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXIX.

etiam postridie bene sapere aiebant prisci; sic mihi tua solent colloquia, non postridie tantum, sed etiam pluribus insequentibus diebus. Iterum vale, & salve.

CCCCLVII.

IDEM EIDEM.

QVia iam adventat dies abitus vestri, rogo te Cl. & Doctiss. D. Meursi, amice dilectiss. ne diutius differre velis concoenationem nostram: sed hodie condicas mihi. Aderunt coenae frugali, & plane Platonicae, & Dominus D. Dinnerus, & M. Queccius, intimi mei, & optimi amicorum, ac fidelissimi. Hi condient una tecum illa, quae adponentur, suavibus colloquiis B. V.

Tuus omni studio, & off.

C. RITTERSHVSIVS.

CCCCLVIII.

CORNELIVS VAN DER MYLIVS IO. MEVRSIO S.

M*Onsieur, il m' a esté fort aggreable a entendre par la vostre, que continuez à m' aimer, aussi ay je eu tousjours cette creance de vostre amitié, qu' elle ne pourroit estre legerement esbranslée, moins changée par l' iniquité du temps. L' affliction, & desastre, dont il a pleu a Dieu de permettre, que mon beau pere*[a] *est visité, est tres grande, & par reflexion i' en suis touché fort vivement, mais il faut, que nostre consolation soit en Dieu, & en nostre bonne conscience. Ie vous remercie cependant de celles, que me donnez, & ne desespereray de l' effect, si ce n' estoit le grand age du personnage*, sed apud Deum sunt omnia possibilia. *Les vies des hommes, & des plus excellents, comme vous sçavez, ont tousjours esté sujets à des grandes revolutions. Auguste, lequel, presque sans exemple, a dominé seul, fust durant sa vie exercé de tant, & si grandes adversités, que difficilement sçauroit on juger, s' il a eu plus de bien, ou du mal. Pompée, ce grand triumphateur renommé par tout le monde, estant vaincu de Cesar, a esté miserablement depesché par Photius un esclave. La teste du grand Ciceron s' est veue suspendue au lieu, ou auparavant tout Rome la regardoiet, di sant divinement contre M. Antoine. Le payement de Demosthene fust l' exil. Belizaire apres avoir par le secours de Iustinien vaincu le Perses en Orient, en Italie les Goths, en Afrique les Vandales, & mesmes mené en triumphe leur Roy, pour recompense Iustinian luy ajant fait crever les yeux a esté contrainct de repeter souvent*, Da obolum Belisario, Viator, quem invidia, non culpa, caecavit. *Et plus recentement Bajazet tres grand Empereur, & Victorieux de Sigismond, & de plusieurs nations, n' a il pas esté vaincu, & pris par Tamerlan, & par tout conduit en une cage de fer, & de redoutable triumphateur, qu' il avoit esté, luy servit de marchepié toutefois, & quantes qu' il vouloit monter à cheval. Tout ce que dessus advenu aux plus grands du monde, me fait mieux avaler ce que nous arrive, en leur comparaison, au petit pié, & pourtant preus mon refuge a la verité celeste, m' enseignant* propriam piorum felicitatem esse aeternam, neque ab his vitae momentaneis dependere. Praeterea etsi a Deo caduca, & transitoria illa bona sint creata, tamen aestimata ex usu res medias. Et quum etiam piis difficillimum sit modum in summa copia tenere, nonnunquam parce illis vitae commoda largitur Deus, quia paucis contenta est natura; *neque quisquam vivit ex abundantia.* Luc. 12. 15. Improbis vero, ad interitum eadem largitur uberrime. Incommoda autem huius vitae a peccato orta, mali naturam retinent, quoties ad ultionem sceleratis infliguntur, ut tanquam a suburbio ad inferos rapiantur. Quoties vero filiis Dei submittuntur ad eos, vel probandos, vel castigandos, vel reprimendos, vel denique Christo filio primogenito conformandos, iam mutata mali natura divinae benevolentiae redduntur instrumenta. *Et pourtant n' envions pas ces apparentes commoditez aux meschants, car leur chastiment est logé chez eux, veu qu' il n' y a plus grand malheur, que d' estre meschant, & que les susdités commodités, ont aussi peu de vertu, contre le mal, qu' ils ont au dedans, que les pantoufles de velours contre les gouttes, les diademes contre les migraines, ou les robbes de pourpre contre les coliques passions. Ie m' oublie avec vous, & vous dis des choses, que sçavez autant, & mieux que moy, voire le fuis pour vous faire parler d' avantage, comme chose, que j' ay a grand contentement, durant ce loisir. Ie vous prie s' il advenoit, que par vos affaires, vous deussiez estre absent de vostre maison pour quelques jours de laisser ordre aux vostres pour l' adresser des lettres, qui viendroyent pour moy de Coulogne. Et sur ce je me recommende fort à vous, & à Madame vostre bonne compagne, demeurant sans varier, vostre tres affectione, & ancien amy, Corn. Van der Myle. Escrit ce* XXVIII. *de Ianvier* MDCXIX.

Il me sera aggreable d' avoir quelque fois de vos nouvelles, & que m' advisiez en confidence, si je puis de mesme traicter avec vostre beau frere le S. Bilderbeque a Coulogne, ou qu' il y faut aller avec reserve, car selon cela je me regleray.

CCCCLIX.

DANIEL HEINSIVS IO. MEVRSIO S. D.

Vir Clarissime.

DAbimus operam, Dominus Magnificus & ego, ut si possit fieri, circa mensis proximi Calendas, apud vos simus: quamquam

(a) Oldenbarnevelt. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXIX.

quam hic multa, & quidem gravissima, inprimis me, tenent, quum & Reip. & Ecclesiae hic agatur tranquillitas. Quicquid autem geritur, & Illustrissimos, ac Praepotentes Ordines, & incomparabilem Principem Auriacum ex me scire volunt, qui de nobis tam benigne iudicarunt, ut huc evocandum censerent. Et haec una tantum; nec gravissima molestiarum pars est. Praesident hac septimana Frisii, quorum nomine, ut & aliorum plerorumque ex delegatis publice aliquid dicendum est, nihilominus in eo toti erimus, ut si possit fieri, nec graviora, aut hoc gelu intercedat, nos sistamus, reversuri protinus. Quod si secus eveniat, peto, ut quod solet, nominato iam Rectore, fieri, ad Principem scribas. Formula scribendi ea fere est, quam subiecimus. Reliqua enim facile ex ingenio additurus es. Adiunxi & suffragium meum, quod hic obsignatum habes. Vale, Vir Clarissime, & nos ama: qui quacunque occasione, fidem nostram, & amorem probaturi tibi sumus.

Dordrecti XXVIII. Ian. MDCXIX.

ILLVSTRISSIME PRINCEPS.

Quum ex consuetudine Academiae, & statutis Illustrissimorum Ordinum sit usitatum, ut quotannis ipsis Februarii Calendis, tres nominentur, qui sermonis Belgici periti sunt, ut ex iis unum Tua Excellentia pro more eligat, qui sequenti anno ex honore, atque dignitate Academiae Rectura fungatur, ita ut sit inter illos, qui eadem dignitate anno praecedente functus est, ut si esse e re Academiae videtur, prorogari Magistratus eo possit, nunc autem tres hi pluribus suffragiis sint nominati.

IOANNES POLYANDER &c.

Enixe petimus, ut quamprimum Tua Excellentia respondere, atque ex tribus istis aliquem, qui maxime idoneus videbitur, eligere dignetur. Deus immortalis &c. (a)

Suffragium meum literis Domini Polyandri est inclusum.

T. Excellentiae addictissimus Rector, & Senatus Academ. Leidensis, & eorum nomine

IO. MEVRSIVS.

CCCCLX.

VINCENTIVS MARINERIVS VALENTINVS IO. MEVRSIO V. CL. S.

Vt te verius Magistrum haberem, & ad ipsas Graece linguae Musas ducem, nescio quo audaciae stimulo, illas Theophilacti Epistolas, quas primus edidisti, latinas facere sum adgressus. Non dubitas quot mendis illae vitiosae sint, quanta Typographi sint corruptae incuria, & quo vetustatis sint veluti obsitae squalore, quibus nisi tu facem praemisisses splendentem, nulla oculi acies illarum posset penetrare tenebras. Tandem iam, ut ut sit, latine illas loquentes puto, quendam emisisse, saepius maior alicui adfulget felicitas, & fortunae propensior manus, ubi in maiora incidit pericula, & ubi se gravioribus aliquis adflictum cognoscit laboribus; nam vel inde, aut felicius emergit, aut tutioris status causam, & miseriam facilius invenit. Ex quo patet errores nonnullos in sublimiores extulisse rerum eventus. Ego etsi non aliud, quam te Magistrum, & Ducem, hoc plusquam satis, mihi felicius contigisse adfirmo, dum in hac interpretatione te meum Apollinem videor fuisse consecutum. Ad doctiss. Andr. Schottum exemplaria misi; illius rigidam timeo censuram, tuum pertimesco iudicium; meos irritos fere iam despicio conatus, & orsus meos nihili facio, si tantis Viris haec proba videri nequeunt. Hoc autem solum fateor, me hanc versionem magis animi furore, quam tranquillo mentis studio absolvisse. Nam non credis, quo impetu me Musae impellunt: sed forte id compertum habebis, ubi illa leges. Etiam & omnia illa Doctis. D. Heinsii Epigrammata Graeca Romano vulgari sermone, non hoc animo, ut lucem videant: sed ut te, & illum mihi lucem praeferentes nitidam, facile comparem. Ioan. Curopalatam, quem ut ad te mittam, rogas: etiam, & alios ineditos libros Graecos ad te mittam, si magnam Escurialis Regii Bibliothecam, mihi commissam, ut ambio, adeptus fuero. Hoc semper ardeo literarum amore, hoc praesertim aevo, in quo tanta in illas hic praeceps pruina delabitur. Deus forte votis annuet meis. Vale, & hoc Epigramma suscipe, & in illo me totum tuis Musis adscribe. Madriti, VI. Kalend. Feb. MDCXIX.

AD DOCTISS. ET CLARISS. VIRVM IOANNEM MEVRSIVM.

EPIGRAMMA.

In quo prima cuiusque dictionis litera nomen eius connectit.

EPIGRAMMA.

Inclutus Orbis Honos Affulges Nomine Noto,
Et Superas Musas, Et Vincis Robore Sacri,
Ingenii Variis Semper Virtutibus Ingens.
Restauras Doctrinam Omnem, Contraria Tollens,
In Summa Sede Ipse Manes, Vtrinque Supremus.

CCCCLXI.

D. HEINSIVS IO. MEVRSIO S.

Clarissime Domine Collega!

Si recte hesterno die mentem Swanenburgii percepi, vix est, ut de rationibus Academicis quicquam tempore hoc fiat; quia

(a) Ex his patet, nec non ex seq. literis absente in Synodo Dordracena *Dan. Heinsio*, partes eius in Notariatus Academici munere *Io. Meursium* gessisse. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXIX. quia post dies quatuordecim, redituri Curatores videntur. Ego eas commendo tibi, & inprimis Domini Coddaei, qui suas mihi exhibuerat, ego autem vicissim Domino Polyandro, quum me statim ab adventu discessurum existimarem: is autem seposuisse schedam temere, aut neglexisse videtur. Quare velim eas a Coddaeo, nisi grave est, rursus exigas. Nosti enim quam suspiciosi hodie sint homines. Plura quum vellem, tempore exclusus, non poteram. Vale cum suavissima coniuge, & me ama.

Hagae Comitis X. Febr. MDCXIX.

Pedelli erit, singulorum rationes, si quas habent, petere, illi eas, ut a me est factum, in schedam coniicient.

CCCCLXII.

CLARISSIMO VIRO IO. MEVRSIO ERYCIVS PVTEANVS S. D.

NOn suavem tantum, sed & utilem amicitiam tuam experior, Clarissime Vir; namque ingenii tui felicissimi divitias mittere ad me pergis: post *Orchestram*, Principes hos Tragicos, etiam in Reliquiis Magnos. Aestimo igitur munus, quia & ipsum magnum; quia & tu mittis. Perfice, perfice, quam promittis, *Bibliothecam*: te secundum velut Auctorem tot librorum celebrabimus. Sane quemadmodum non omnium olim fuit, sic scribere: ita non omnium hodie sic colligere. Solertia, & iudicio opus, industria, & doctrina: quibus omnibus iam profecto consequutus es, ut alio seculo vitam ducere, alio calamum videaris. Quid verbis opus est? tuo beneficio redivivam Antiquitatis eruditionem spectamus: nec morientur ingenia, quibus tuum impendis. Plura vellem; sed breviorem me languor facit, a longo, & gravi morbo adhaerens. De Cometa tamen concinnare παράδοξα quaedam ausus sum, ante morbum effusa: quae ad te propediem mittentur. Obtrudam mea, vel cum famae damno, ut tua eliciam. Vale, & vive, & *aeternitate* fruere.

Lovanii in Arce VI. Eid. Mart. CIƆIƆCXIX.

Clarissimum *Scriverium*, *Bontium* imo, & *Vorstium* salvere iubeo, quos adesse opinor. Exemplar adiunctum *Castellano* tradidi, qui scripturum se dixit.

CCCCLXIII.

IO. PHILIPPVS PAREVS IO. MEVRSIO Salutem a Domino.

MVnus tuum, Vir Cl. quod superioribus nundinis ad me misisti, mihi gratissimum fuit, e quo προθυμίαν tuam erga me adgnosco. Vtinam ἀντίδωρον ἰσόῤῥοπον tibi reddere possem! Ecce leve hoc meae erga te observantiae ἔνδειγμα accipe, novam editionem Plautinam; in qua quid praestiterim, Vos semones iudicabitis. Ego quid voluerim, ostendi. Non dissimulabis autem iudicium tuum, quod quanti facere soleam, domi scio. In Poenulo diu haesi, & exspectavi symbolum D. Erpenii; ad quem ea de caussa scripsi, addito sudario Arabico, literis item Constantinopoli scriptis. Responsum hucusque exspecto. Quaeso igitur meis verbis D. Collegam salutes. Plura nunc me scribere vetant Mercuriales Viri, in quorum strepitu vix ista exaravi. Vale, Vir Magne, meque amare perge.

Francofurti a. d. XVIII. Martii MDCXIX. ὡς τάχιστα.

Tuus toto pectore

PAREVS.

CCCCLXIV.

IACOBVS OMPHALIVS IO. MEVRSIO S. P.

EX iis, quas per communem amicum nostrum Bassovium ad me misisti, literis, facile intellexi, Vir Clarissime, & humanissime, eas, quas ad T. H. dudum dedi, ad manus tuas non pervenisse: quod cuius culpa sit factum, non possum cogitare. In iis praeter gratiarum actionem pro missa Barnefeldii effigie causaeque, quae iter meum ad vos remorata est, indicationem, id quoque significaveram, non illos tantum, quos iam secundum H. T. mihi designavit, sed nec alios ullos apud Lutzen-Kirchium reperiri libros Graecos, nisi admodum vulgares, & quos T. H. procul dubio, haud moretur. Quin & ex iis, qui mihi initium fuerunt contexendi petiti ab H. T. Catalogi, iudicare mihi sum visus sine errore, non admodum deplorandam esse eam iacturam, quae ob insulsam hominis istius stoliditatem facienda nobis fuit. Sunt enim libri illi, quos habet, vel petiti ex Nundinis Francofurtensibus (quales, utpote omnibus expositos, H. T. non desiderat) vel certe coemti ex Bibliothecis hominum, quibus rara aliqua literatura non magnopere curae fuit. Quo aequiore animo feres, quod desiderio tuo hic non est satisfactum. Pro caseis missis soror haud dubie, pro eo quod par est, gratias egit. Ago nunc & ego pro me. Nostra ea est amicitia, ut tali μνημοσύνῳ non egeat. Attamen vix unquam iis fruimur, quin renovent nobis vestri memoriam; & tuae inprimis humanitatis, quae ita animo meo est impressa intime, ut insigni aliqua iucunditate nunquam careat eius recordatio. Vtinam tale aliquid a me profectum esset tunc, quum tua nos bearet gratissima praesentia, quod liberalissimam illam tuam depraedicationem, quam aliquoties iam in tuis ad me literis repetiisti, vel exigua ex parte mereretur. Sed profecto ita se res habet: quemadmodum merito tuo maximo ego te subspicio, ut iis omnibus rebus, quibus laudem tribuere solent homines sano iudicio praediti, quam longissime me superiorem: ita ut verborum plena humanitatis con-

Ann. Chr. MDCXIX.

contestatione unquam a me vincaris, frustra sperem. Itaque ut in hanc tecum arenam non descendam, optimum factu reor. Illud tamen magnopere, ut credas, velim, non fore, ut humanissimae istius tuae commendationis illecebrae ita oculos iudicii mei offuscent, ut quanto minora sint meritis tuis, ea omnia, quorum, vel specimen aliquod edere, vel saltem significationem exhibere mearum est virium, obliviscar. Ceterum in eo nunc sum, ut inquiram, an & quando ea rerum gerendarum opportuna instet occasio, quam tunc instare, cum profectionis ad vos consilium caperem, arbitrabar. Et fieri potest, ut tale aliquid renuncietur, quod iter meum (nondum enim spem abieci) maturet, cuius is certe non erit fructus minimus, quod T.H. denuo, & alios praeterea Viros optimos, nunc magna ex parte tantum ex fama cognitos, dabitur videre, & complecti. Interim Deum Opt. Max. rogo, ut res vestrates publicas ad Ecclesiae suae, tuas autem privatas ad tuam familiaeque tuae salutem, & commoda dirigat benignus. Scripsi haec eo ipso articulo, quo D. Bassovius Francofurto redux discessum parabat, quum antea amici hominis interpellatio impediisset, a quo detentus in prandio, & plusculum invitatus, si Minervam in scribendo non satis habui propitiam, tuae humanitatis erit erratis ignoscere. Vale, Vir praestantissime cum charissimis pignoribus, uxore, & liberis, quos omnes cognata Vossia, & soror Corneliana una mecum, quam officiosissime salutant. Ensii etiam salutem perscribo, non iam ex speciali, sed generali tamen, de quo sat mihi constat, mandato. Raptim Colonia X. Aprilis Gregoriani. Anno a partu virgineo MDCXIX.

CCCCLXV.

GEVERHART. ELMENHORSTIVS IO. MEVRSIO S.

Vir Clarissime!

GRatas tuas mihi accidisse non arbitror necessum, ut scribam, qui eximie nosti, quanti a multis annis te faciam; cuius quidem rei etiam satis idoneus testis esse poterit politissimus, & amicissimus Holsteinius noster, cui iam nunc duas eruditissimas Orationes Andreae Hierosolymitani transportandas dedi, a te veste Latina contegendas. Vidit etiam apud me opus Catecheticum Theodori Studitae, quod olim vertit Livineius, sed plane barbare. Si mihi aliquot exemplaria pro impensa, quam in describendo insumpsi, dare tibi animus, Codicem ipsum lubens transmittam, editioni iam paratum. Poteris ex eo Glossarium tuum centenis vocabulis locupletiorem reddere, multorumque tibi animos isto sancto labore demereri. Ut enim es Hellenismi peritissimus, in corrigendo opere facile immutare poteris, quae Livineius non intellexit, aut perperam immutavit. Exemplar meum est antiquissimum, scriptumque manu eleganti, ex quo omnes lacunas, quae in Vaticano sunt, tibi supplere in proclivi. Quicquid in hac re placuerit, poteris per Holsteinium nobis significare, cui plenissime mentem meam aperui. Salve, Vir honorandissime, & negotium Apuleianum tibi curae habe. Hamburgi XVIII. Kal. Maii Iuliani MDCXIX.

Tuus bona fide

GEVERHART. ELMENHORSTIVS.

CCCCLXVI.

AND. SCHOTTVS IO. MEVRSIO S. P.

ERat cur ad te frequentiores darem, mi Meursi, sed me temporum deterruere discrimina, ne mea scriptio nomenque periculum crearent (a), quod nollem. In moerore esse te, supplicii causa (b), nullus dubito: sed qui in optimis Philosophiae Auctoribus aetatem consumseris, nostra non indigere παραψυχῇ, certo scio, non abutar itaque operam. Te tui in constantia, καὶ ὑπομονῇ similem esse iubeo. Respondit tuis literis ex Hiberia Vincentius Marinerius: misitque Latine redditas utcumque Epistolas Theophylacti Bulgarorum Episcopi. Sed ego neque istic evulgandas Latine censeo, non sine magno utriusque periculo existimationis (c), neque in sacris locis vertendis, ut est Ecclesiasticus ille Scriptor, qui & in Prophetas, & Evangelia conscripserit, satis exercitatum, ut tironem deprehendi: ἀλλὰ συγγνώμη πρωτοπείρῳ debeatur. Pet. Castellanus forte melius, qui suam ad te interpretationem, si Graecis placet subiungere, mittet non invitus: etsi medicinae iam Doctor renunciatus, medica tractet libentius, quorum illustrium iam Catalogum evulgavit. Quid moliaris, neque enim cessare fas est, sed contra dolorem audacius obtinendum, fac cognoscam. Quam vellem Andreae Episcopi Cretensis Homiliae Graece exirent, nominis mei gratia, vel certe Libanii Sophistae Epistolae, paulo quam Theophylacti, & plures, & disertiores. Vale in Dom., nosque ama, Procopii Persica Gothica Latine, interprete Bona-

(a) Haud vanus profecto metus: cum Gomaristae, & contra remonstrantes spargerent de Arminianis, & qui his minus infesti erant, calumnias, quod cum Iesuitis conspirarent. GRAMMIVS.

(b) *Barneveldii* scil. GRAMMIVS.

(c) Evulgata tamen postea haec interpretatio in *Biblioth. Patrum Colon.* 1622. *Tomo XV.* & in *Maxima Biblioth. Lugdun. Tomo XVIII.* Haud mitius profecto de ea iudicium Schotti in hac epistola, sed acerbius etiam, quam illud Celeb. *Io. Alb. Fabricii* in *Biblioth. Gr. Vol. VI. p.* 285. *Versio huius inde obscurior est, & emendatione indiget.* Eamdem vero nuperrime castigandam suscepit iuvenis quidam *Danus*, e discipulis meis, optimae spei diligentiaeque laudabilis, nomine *Marcus Bucchius* Collegii Medicei (hoc est *Borrichiani*) in Acad. Hafn. alumnus, qui hoc anno *Adnotationum Philolog. in Theophylacti Bulgar. Archiep. Epistolas Particulam I.* emisit Hafn. 1737. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXIX. naventura Vulcania, an lucem tandem adspicient, fac, sciam, nimis enim iacent diu. Antverpiae XXVIII. Maii MDCXIX.

CCCCLXVII.

LETTRE DE MONSIEVR DV MAVRIER.

Monsieur, j'ay receu avec vostre lettre du VI. de ce mois vostre oeuvre de la description des Panathenea, dont je vous remercie tres affectionnément, tant pour le tesmoignage de vostre souvenir, que pour le merite de la chose. Ie le liray attentivement pour y apprendre, & le garderay soigneusement avec les autres, que vous m' avez donnez pour marque de vostre amitié & bonne volonté, que j' estimeray tousjours comme ell' en est digne. Le temps, qui sera employe à cette lecture, sera infiniment plus aggreable, que celuy qu' il faut donner à tant de fascheux objects, que le temps nous produit, lesquels je prie Dieu vouloir convertir en d' autres plus aggreables aux gens de bien, & plus utiles à cette patrie. Cependant je vous prie faire Estat qu' ou j' auray moyen de servir à vostre contentement, ce sera d' aussi bon coeur, qu' estimant vostre merite je suis vostre tres affectionné amy à vous servir.

De la Haye ce VII. Iuin. MDCXIX.

Monsieur, quand vous viendrez ici vous me ferez plaisir de me venir veoir, & serez le bien venu.

CCCCLXVIII.

GEVERHART. ELMENHORSTIVS IO. MEVRSIO S.

Accepi libellos tuos elegantissimos, pro quibus inpraesentiarum quum nihil sit, quo te remunerare queam, gratias ago maximas. Cyrillum, ut tuis adiicias, facile patior. Commiseram etiam Holstenio duas elegantissimas Andreae Hierosolimitani Orationes, quarum in tuis mentionem non fecisti, quod miror. Si vacas, & eas publico bono adornabis. Quam egregie nos deluserit Iacobus Marci, puto te ex Holstenio cognovisse. Nunquam putassem tantam vecordiam, & malitiam innatam cuiquam, nisi re ipsa id expertus essem. Sed Typographorum proprium est probos viros decipere, unde desipit, qui aliquid boni illis facit. Salve, mi amicissime Meursi, & nos amare perge. Hamburgi a. d. XXVIII. Iunii Iuliani MDCXIX.

CCCCLXIX.

IO. MEVRSIO VIRO CLARISSIMO P. CASTELLANVS S. D.

Literas tuas accepi, & simul libros *de Eleusiniis sacris*, & *Panathenaeis* vere singulares; quos, ut sum talium avidus, illico voravi. Rogas qui sapiant? nemini sic cerebrum Iovis pene supremi. Ego, ut video, amplam tibi messem reliqui. Tu ne quidem spicilegium, ut, si quis post te in hanc palaestram descendere velit, ipse sibi nihilo plus expucet, quam si post Roscium in scena gestum agat. Et quaeris, an bona mea venia, *Graeciam Feriatam* sis daturus? Posses, vel cum invidia; nisi eam eruditio tua longe superaret, ac non potius admirationem mereretur. Theophylacti epistolas vertere quidem eram adgressus, & iam iam aliquo usque progressus sum. Sed occurrunt multa, quae me remorentur, & illud inprimis, quod passim adludat ad loca Sacrae Scripturae, aut ea sic adleget, ut me lateant. Vulgatae autem versioni sic insistendum, ut ne θριξ ἀνὰ μέσσον. Hic labi crimen est; itaque aleae tam periculosae me subtraho. Verum, ut licet, receptum habeo ad eas amoenitates, quas nobis exhibes, & quidem abunde. Vix enim alterius hodie foecundiorem reperire est scribentis industriam, & εὐστοχίαν. Atque adeo, si ita pergis, video brevi futurum, ut in hoc genere Docti nihil sint desideraturi; atque ipsa etiam Graecia, licet barbara servitute oppressa, talem sit gratulatura sibi vindicem. Quem ut publico rei literariae bono diu servet incolumem D. O. M. voveo.

Lovanii, ipsis Kal. Iuliis MDCXIX.

CCCCLXX.

MONSIEVR DV MAVRIER.

Monsieur, je receu le jour dhyer avec vostre lettre du XXI. les deux livres de vostre composition, que m' avez envoyez dont je vous remercie affectionnéement prisant tout ce qui se peut le tesmoignage de vostre souvenir en toutes occasions. de quoy je voudroys me pouvoir revancher, car ce seroit de tres bonne volonté. Ie recognois a vos oeuvres, que vous ne cessez point de bien faire au public, le quel aussi par la est obligé d' avoir soin de vous, ce qui ne sera jamais tant à vostre avantage, que je le desire pour vostre contentement. Auquel de ma part je voudrois pouvoir contribuer quelque chose, car je m' y employerois d' aussi bonne volonté, que saluant vos bonnes graces de mes plus affectionnées Recommendations, je prie Dieu vous avoir en sa sante garde. De la Haye ce XXII. Iour d' Aoust. MDCXIX.

CCCCLXXI.

IO. MEVRSII EP. AD LINGELSHEIMIVM

Vir Nobilissime, & Amplissime.

Non te potui, pro vetere nostra amicitia, rerum mearum statum celare, cum potissimum eum te ex aliorum quoque literis accepturum existimarem. Quae sit in Rep. nostra mutatio facta ab aliquo tempore, ignorare minime potes. Nunc ad Academiam etiam, tamquam nostra quo-

Ann. Chr. MDCXIX. que togà fit timenda, est perventum. Nudius quintus quinque e Professorum numero loco moti; & mox sextus ego addendus, quantum divinare licet. Ecce autem quidnam obiiciant. Auditorii infrequentia accusatur, quum frequentius tamen illud dicere possim, quam multorum collegarum est; de quibus querela nulla; quin in victrice parte numerantur, Beati nempe sunt gallinae albae filii. Me calamitas Maecenatis mei involvit; nec quid aliud est, quod nocet. Infrequentiam auditorii in frequentiam lucubrationum conferunt, detrahique lectionum curae censent, quantum istis diligentiae adhibetur. Itaque & haec reprehenditur, quamquam oblique, & per istud quasi latus. Quodque Academiae aliae magno sane redimere velint, nostra debeat, per obtrectatorum invidiam, qui nunc nimium in me validi, si non palam improbatur, certe minus, quod adfine vituperio, aestimatur. Vides culpam, & ob hanc denunciatum est, nisi intra hoc Semestre omnino efficiam, ut frequentius posthac auditorium habeam, munere publico Professoris amovendum: interimque a Senatu Academico abstinere me iusserunt. Vides, quis sit rerum mearum in praesens status, & quam illae in praecipiti collocatae. Sed eventum exspectabo, animi intrepidus, ac fidentem recta conscientia facit, & illae dotes, quas benignus mihi Deus est largitus. Quod si patria mihi noverca esse velit, meque eiicere, quod non sperem; forte terram peregrinam alibi inveniam, quae sit patriae instar futura. Artem quaevis terra nutrit, & omne solum forti patria est. Certe, quod inimicis doleat; quocumque abiero, omnia mea mecum feram, nec per Dei gratiam Meursio male esse uspiam terrarum potuerit. Α'εὶ γὰρ ἐμπίπτουσιν οἱ Διὸς κύβοι. Edidi Graeciam Feriatam, Eleusinia, & Panathenaica, & exemplaria via Francofurtensi misi, per librarios mercatores, qui ad nundinas abierunt, accipiesque Gruteri nostri manu, ad quem ea destinavi. In his desinam; nec te aliud quid rogabo, Vir Nob. & Amplifs. nisi ut me adfectu solito complecti pergas, quandiu mereri adnitar. Vale. Lugduni Bat. ad diem IV. Sep. MDCXIX.

Tui observantissimus

IO. MEVRSIVS.

INSCRIPTIO.

Viro Nob. & Amplifs.

D. Georg. Matth. Lingelshemio, Serenifs. Electori Palatino a consiliis interioribus, Domino, & Amico plurimum honorando. Heidelbergam.

CCCCLXXII.

CORN. VAN DER MYLIVS IO. MEVRSIO S.

M*onsieur, je vous prie de prendre la peine, & de parler au S. Vossius, & Bertius, touchant la personne de Iohannes Cadderus, a fin, que par vos lettres je puisse avoir rapport de sa vie, probité, & doctrine, & specialement, s'il est aucunement versé aux lettres grecques, & aussi en la philosophie, & me sera tres aggreable. S'il vous n'est trop incommode, que cela se face encores ce jourdhuy, à fin que je puisse la dessus recevoir vostre responce demain sur le midi. Ie vous advise aussi, que devanthier m'a esté delivré le pacquet d'Allemagne. Ie salüe affect: les susdits amis, & attends leur advis sur ce que dessus. Ie me recommende a vos bonnes graces, & a Madame vostre compagne, & suis vostre plus affectione amy pour vous servir C. Van der Myle. De la Haye ce same Dy XIV. de Septembre MDCXIX.*

CCCCLXXIII.

IDEM EIDEM.

M*onsieur. Vostre lettre du XV. de ce mois m'a appris, que les deux amis n'avoyent cognoissance de la personne de Iohannes Cadderus, ce que fait, que je retourne à vous requerir d'en parler avec le S. Barleus, qui à esté Subregent, & de vous informer particulierement de sa vie, probité & doctrine, & specialement s'il est avancé aux lettres grecques & latines, & en la philosophié qu'il en pourroit instruire des jeunes gens. Excusez, s'il vous plaist, que je vous donne tant de peine, & croyez, que je suis vostre meilleur, & plus asseuré amy pour vous servir. Ie salue le dit S. Barlaeus, & aussi Mad. vostre Compagne. En haste de la Haye ce XVII. de Septembre MDCXIX.*

CCCCLXXIV.

IANVS GRVTERVS IO. MEVRSIO V. C. S. P.

VAlde miror non constare tibi, an ingenii tui luculentissimi monumenta recte receperim: nam quantum meminisse possum, & pro eis, ut quaeque receperam, uberes tibi egeram per epistolas gratias, & hortabar ad pergendum ulterius. Itaque oportet literas meas omnino periisse. Imo, mi Meursi, nil tui est, quod non etiam recte ad me curarint Elzevirii, homines officiosissimi: quare etiam libenter fateor, imo adeo profiteor largiter esse me in aere tuo; nuncque etiam magis, quo placuit Musis tuis, ac Gratiis nomen meum committere peplo Aeternitatis (a). Valde me profecto dedicatione ea obligasti. Sed & libenter me video Collegam Viro egregio Domino Vossio. Est enim mihi per uxorem omnino adfinis: cohaeremus tamen magis communiorum studiorum vinculo. Ei quaeso plurimas a me salutes. Epistolam tuam communicavit mihi adfinis meus Lingelshemius, & cogitabamus de Praga; illic tibi & Vorstio locum esse posse honoratissimum; utpote ubi desiderantur Professores, & ho-

(a) *Panathenaeis* scil. *Gruteri*, & *Vossii* nominibus inscriptis. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXIX.

noraria eis constituta sunt admodum splendida. Poterat tibi etiam modo locus esse apud nos [a]; sed id impedirent sacri ordinis homines, quos nosti. [b] Vnice miror, quo evasura sit censura istaec durissima. Rempubl. sane, aut perdet, aut dividet in partes, quo quid hostibus accidere queat optatius? Exemplar libellorum tuorum ante septimanam transmisi ad Lingelshemium Heidelbergam, qui ipsemet tibi scio peculiariter gratias aget per literas. Ego aestatem istam occupavi totam in comparando Plauto Parei cacatissimo, cum exemplaribus Palatinis, iamque demisi Wettebergam, ut ibidem excuderetur, cum commentariis Taubmanni, multis modis a me auctis emendatisque. Spero aliquid lucis ornatusque meo illo labore accessisse Comico nostro. Tu certe tuique similes laudetis oportet, vel amicitiae causa. Interim detestanda Parei infanda calumnia, qua inter Euphemias undecim meas voces ex epistolio excerptas [c] ponit, disertim contra animi nostri mentem. Spondebam quidem editionem istam ultimam mille modis superaturam priorem; sed non sane bonitate, verum fatuitate, impuritate, stultitia &c. [d] Eone iam venit res, ut me vivo, me tantum non praesente, nebulo ille ausit committere manifestum falsi crimen, ac stellionatus? Iam modo me publicis scriptis proscindit, tamquam auctorem Asini Cumani: sed nullis probationibus, nisi mendacibus. Libelli autem ei tam stolidi erant, ac bardi, ut parens ipsius ultro exemplaria omnia subpresserit. Si pro Plauto meo impetro Epigramma tuum, magnus accedet ad beneficia tua in me cumulus. Recte curabitur transmissum, Amsterodami ad Commelinianos, aut potius Coloniae ad Billerbecium nostrum. Idem peto ab Adfine D. Vossio, cui salutes plurimas adscribo, gratiasque praeterea uberrimas pro luculento librorum munere ante annum imputato mihi prorsus immerito. Ego occupatissimus, nihil in eis legi: at Lingelshemius perlegit a capite ad calcem, non sine laudis encomio exactissimo. Eum enim hic solum habeo, quorum omnia libere communico, quique non dissimulat, quae sentit. Sed abrumpendum. Valete igitur, ac salvete amicorum coryphaei. Scribebam raptim Francofurti XXV. Sept. MDCXIX.

Meursii Epist.

(a) H e. Heidelbergae. GRAMMIVS.

(b) Theologi Palatini, *Scultetus* aliique, Theologis Batavis Contra-remonstrantibus (ut vocabantur) consentientes, omnique studio impedientes, ne Arminianarum, aut *Barnefeldii* partium qui essent, in Palatinatum reciperentur, quemadmodum tum ex *Praestantium Virorum epistolis* (libro eo titulo Amstelod. ultimum 1704. in fol. edito.) tum ex *Grotii* ad *Lingelshemium* epistolis MSS. didici. GRAMMIVS

(c) Ita vero iacent in *Plauto Parei*, Neapoli Nemetum 1619. edito, dictae voces, *ex litteris Gruteri ad Pareum d. 7. Dec. 1617. Secunda haec editio tua Plautina, quam paras, (spondeo) mille modis superabit priorem.* Ac vid. insuper *Parei* Respons. ad *Christof. Pflugium*, in *Tomo VII. Thesauri S. Lampadis Criticae*. Verum haec omnia plus satis nota. GRAMMIVS.

(d) Amplius paulo rem narrat in literis ad Kirchmannum, inter Gudianas CXXIV *p.* 208. *Miserat* (Pareus) *ad me quinque vel sex Comoedias uti percurrerem, & si censerem dignas impressione, pergeret in opere inchoato, sin indignas, desisteret. Scripsi simpliciter, editionem primam fuisse plane seculo nostro indignam, & ipsum expertum, quali pastoritia fistula excepta fuerit a doctis, & bonis. Hanc scire, me mille modis futuram vitiosiorem cacatioremque, addebamque eius sententiae causas meas.* GRAMMIVS

CCCCLXXV.

GEVERHART. ELMENHORSTIVS IO. MEVRSIO S

HAud facile tibi dixerim, quanta voluptate sim perfusus, postea quam recepi amicissimas tuas literas, cum insigni, & perelegantj libello tuo, quo me inter summos huius seculi viros referre, atque ita immortalem reddere voluisti; unde tantum tibi debeo, quantum persolvere vix, atque ne vix quidem possum, dum vivam. Numquam putassem esse aliquid in me, quod ad tam magnificum testimonium te provocare posset, nam tenuitatis meae mihi conscius, tale quid a te non exspectavi. Eapropter & impensius mihi placeo, quod praeter existimationem, & omne meum meritum ea mihi evenerunt, quorum sine magna voluptate, & aeterna beneficii tui memoria nunquam meminisse potero. De reformatione Academiae vestrae iam antea ex amicorum litteris factus sum certior. Nemo autem mihi scripsit de inhumano, & barbarico facto, quo tibi homines nasuti auditorum paucitatem obiicere non sunt veriti, quasi tam bene cum genere humano ageretur, ut bona pluribus placerent, aut tibi in proclivi esset, stolidissimis adolescentibus collegium totum farcire. Equidem vitio fatui, & insulsi huius seculi, doctrina humanior omni ex parte laborat. Quos mihi dabis adolescentes ita moratos, ut Graeca discere velint. Non arbitror tres homines in tota nostra civitate existere, qui curam huius rei agunt, ut illorum filii principis linguarum imbuantur liquore. Quoties video scholae nostrae Rectorem [e] (video autem saepissime) conqueritur mecum suas fortunas, quod indies minuatur numerus discipulorum, nec amplius reperiantur, qui Graecis literis animum induere studeant. Ipse mihi retulit, se Basileae Erastum insignem Philologum, & Philosophum saepius audivisse Aristotelis Ethica explicantem, quum duos saltem auditores haberet, inter quos, & famulus unum locum occupabat. Et meo tempore Leidae Vulcanius magna penuria discipulorum laborabat, neque tamen eius eruditio inde quid detrimenti accepit, vel Domini Curatores, rem, quam praestare non posset, ipsi imputarunt. [f]

Y 2 Qua-

(e) Erat is *M. Paulus Sperlingius*, Eckernfordensis Holsatus, Vir eruditissimus. Cuius filii etiam egregii, & doctrina insigni Viri fuerunt. Nepos vero *Otto Sperlingius* IC. & Antiquarius celebris, qui multis varia eruditione refertis scriptis Daniam nostram ornavit, mortuus Hafniae anno 1715. aetatis 81. GRAMMIVS.

(f) Legantur quae *Meursius* ipse scripsit in praeclara illa epistola dedicatoria ad D. *Reinerum Bontium*, ubi inter alia haec: *Io. Capnio, Vir insignis, Ingolstadii, ante centum, istos annos, Plutum Comici auditoribus plus trecentis se exposuisse scribit. Nunc hoc seculum videamus, & in Academias omnes inquiramus lustremusque auditoria; quantum certe infra istum ubique numerus adparebit? Quin vix totidem Graece linguae studiosos tota nunc Europa habeat. Quam inique igitur faciunt, qui iniuriam temporum publicam in privatam Professorum culpam vertunt.* GRAMMIVS.

Quare iniquiores in te sint, caussa non est; nisi forte unicum illud te premit, quod olim magni, nunc nuper vero infelicis viri familiaritate usus es nimis familiariter, quam incivilitatem tamen non arbitror in tam civiles homines cadere. Quod si omnino merita tua in Rempubl. litterariam, & eorum iuventutem contempserint, censeo infracto, & generoso animo assultus eorum feras, & iniuriam Spartana nobilitate concoquas. Erunt qui virtutem seculi sui malignitate oppressam, & iniuste sedibus motam, iusto loco reponent.

Saepe enim maiori fortunae locum fecit iniuria.

Multa ceciderunt, ut altius surgerent, & in maius,

Adgnoscis verba Romani Sophi, quibus epistolam feliciter claudo, Deum ex animo venerans, ut mentem aequam Curatoribus dare velit, ne pro benefactis literariis tibi necessum mali messem metere. Salve, & nos ama. Hamburgi VI. Kal. Octobris Iuliani anno CIↃ IↃCXIX. (a)

Tibi ad omnia obsequia paratissimus

GEVERART. ELMENHORSTIVS.

CCCCLXXVI.

(b) GEORGIVS MICHAEL LINGELSHEMIVS IO. MEVRSIO.

Cl. & Excellentissime Vir,

AMice vetus, & spectate S. Literae tuae IV. Sept. datae graviter me adfecerunt. Tantum ne esse odium factiosorum hominum, ut etiam scholasticam quietem turbent, & ob simultates in Rep. excitatas, etiam in perniciem trahant, qui illarum participes non fuerunt, sed tantum, quia eos coluerunt, quos adversariorum potentia, & factio perdidit. Nam quae tibi obiiciuntur, aut falsa sunt, aut inania, ut auditorum infrequentia, aut potius in laudem tuam vergunt, qui lucubrationibus tuis publice prodes, ut evanescat paullatim hic ardor nocendi, & locus, quem honestissime tueris etiam tibi relinquatur. Sin perseverabit ipsorum improbitas, tum usurpandum erit γῆν πρὸ γῆς, nec deerit virtuti, & eruditioni tuae locus, vel in hac nostra universitate, vel in antiquissima Bohemica, quae ut facultatibus prae aliis instructa, ita viris industriis, & doctrina claris aliquandiu caruit. Tu magno animo omnem fortunam tolera, & tibi persuasum habe, non defuturum me tibi omni ope, & studio. Iam enim Elector noster iter ingressus est, ad diadema illud, quod divinitus ipsi delatum, sine omni sua cogitatione, aut conatu, suscipiendum, & cetera sane hactenus fluunt pro voto. Et videtur Deus magnam mutationem in melius moliri. Monumenta ingenii tui terna egregia recte a Grutero nostro accepi, & gratias maximas habeo, qui cumulus accedit ad innumera tua priora. Mordet me non parum, quod pro tot tantisque tuis muneribus, nihil adhuc vicissim a me tuleris. Sed dabitur opera, ne ingratus reperiar. Tu aequo animo iniuriam remotionis e Senatu sustine, & melioribus temporibus te reserva. Vale, constans, & vetus amice. Heidelbergae postrid. Kal. Octob. MDCXIX.

T. addictiss.

G. M. LINGELSHEMIVS.

CCCCLXXVII.

BILDERBECCIVS IO. MEVRSIO S.

QVod ad binas tuas hactenus non respondi, nulla sane mea negligentia, sed Michaelis Tabellarii culpa factum est, qui, quum in terram Montensem excurrisset, se huc rediturum promiserat, sed per aliam deinde viam ad vos est reversus. Et quia iam idem ab eo factum auguror, frustra ipsum exspectare nolui. Itaque per D. Elzevirium has ad te mitto, rogoque ut morae huic ignoscas. Quod tam amanter me meosque invitas, gratias ago immortales. Atque utinam res nostrae ita ferrent, ut ad vos excurrere, ac dies aliquot una esse possemus! Sed nosti officii mei occupationes ita esse comparatas, ut vix unum diem abesse possim. Spero tamen occasionem aliquam aliquando se oblaturam; quam cupide sane captabo, atque accipiam. Vltimum illud in literis tuis de statione tua Academica, non parum molestiae animo meo facessit: confido tamen magistratum vestrum aequiorem in te futurum, nec ita facile abdicaturum. Quicquid tamen evenerit, non vereor alibi locum defuturum. Ego certe omni tam meo, quam amicorum studio, atque opera efficiam, ut intelligas, te ut rarum seculi nostri ornamentum magni a me fieri, & ut adfinem, atque fratrem amari. Lingelshemius quidem operam suam liberaliter promittit. Idem mihi de aliis magnae auctoritatis viris polliceor. Tu interim praesenti sis animo, & quicunque fuerit eventus, mature ad me perscribe. Vale, adfinis charissime, & cum tuis omnibus, a me meisque salve. Dabam raptim Coloniae IV. Octobris MDCXIX.

CCCCLXXVIII.

IO. MEVRSIO V. CL. IO. BAPT. LAVRVS S. D. (c)

ME quidem Criticis ad Plautum tuis, Vir disertissime, & castigato Arnobio, deliciis meis, egregie fascinasti. Quidni enim

(a) Hanc epistolam compares licet cum illa *Rutgersii* ad nostrum, Lipsiae d. 31. Martii an. 1620. scripta. GRAMMIVS.

(b) Epistola *Meursii*, ad quam haec responsionem continet, reperitur in fasciculo, *Meursii* ipsius illas complectente. Vide quae postea ad Rutgersianas adnotabimus. GRAMMIVS.

(c) Videant, quibus ad manus sunt *Io. Bapt. Lauri* epistolae, an haec iner eas inveniatur. Ego. n. libro isto destituor. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXIX.

enim ego id verti apud te, quod tu in priore Exercitationum parte apud magnum Scaligerum usurpasti? Alia tua scripta mihi hactenus videre in urbe non contigit, & scio esse plurima; uti ex homine comperi, qui proxime ad nos redux ex Hollandia, haec & multa retulit de Academia vestra, de studiis tuis, & de adfectu in Italos, eoque proniore in aliquem Rom. Aulae candidatum. Quae commemoratio animum impulit, iam pridem istuc sua sponte anhelantem. Et ecce volatum auspicatur Iunone non aversa, calentibus Nuptiis, & Saliaribus Principum nostrorum Coenis hilariter adstupentibus. Inter quas enatam poeticam foeturam ad te mitto, quae distorta licet, ut celeriter exclusa, recepta tamen est plausibiliter, quia nimirum coniugalis quidam anteambulo, ac venerii vadimonii index erat. Vtinam non abfuerit a versu Venus; sed profecto ubi tu, Vir Cl. perlegeris, ipsa continuo aderit, quum in tuis, & labris & libris sessitet; quosque ex te haurit spiritus, eosdem in omnia, quae in manus sumas immigrare suaviter iubeat. Vale humanitatis exemplar, atque hominem excellentis doctrinae tuae admiratorem, semet verecunde aperientem tibi, amice amplectere. Romae Idib. Octobr. MDCXIX.

CCCCLXXIX.

IO. MEVRSIO V. CL. P. CASTELLANVS S. D.

QVod serius ad tuas respondeo, negotiis imputandum, quae me aliquamdiu foris exercitum habuerunt. *Graeciam Feriatam* recte accepi, & alterum exemplar Puteano nostro tradidi. Eruditionem tuam semper admiratus fui; nunc & candorem amare debeo. Omnem enim scriptionem ita temperasse videris, ac si hoc unum secutus esses, ut illius exemplum singulare literatis omnibus exhiberes. Vbique honorificam mei mentionem facis: ubi vero, vel ignorantiam perstringere, vel ἀσχήματα carpere licuit, modeste dissimulas. Quam hic κόμπος μάξιμος aliquis paratragoediasset! nec minus quam, velut ob palmarium facinus, sibi triumphum decerni postulasset. Tibi vero, qui propriis laudibus abundas, non fuit necessum ex aliena reprehensione gloriam captare. Sed quid sinistri de statu tuo ad nos fama tulit? Facinus indignum? Quam modo Deam illam esse falsi nunciam velim. Sin aliter, non deerit tellus, quae tantum artificem alat. Vale, Vir Clarissime, & me ama tui (testor fidem) amantissimum.

Lovanii ad D. XXVI. Octobris MDCXIX.

CCCCLXXX.

MEVRSII EP. AD LINGELSHEMIVM. (a)

Vir Nobil. & Amplis.

NVnquam ego dubitavi, quin amicus mihi esses; idque ut facerem, virtus me iubebat tua. Et nunc plenam mihi fidem illa ipsa fortuna facit, quae iniuriam inferre coepit, & minatur etiam porro. Nempe verum est istud vetus: Amicus certus in re incerta cernitur. Ego profecto omnino peccem, nisi verum tibi fatear, me in tuo isto adfectu tam sincero acquiescere. Et inprimis optem fieri, que tu scribis, & honestam mihi aliquam vocationem procurari, ut ingrata patria sciat aestimari me ab exteris, & me ipsa etiam aestimare discat. sed haec, & alia, numero multa, in sinum tuum effundere vellem, quae non temere literis credo. Itaque nunc salvere te iubeo, & me constanter porro amare: qui sum, eroque, quamdiu ero.

Lugd. Bat. ad Kal. Nov. CIↃIↃCXIX. raptim.

Virtutum tuarum maximarum cultor & praedicator

IO. MEVRSIVS.

CCCCLXXXI.

IO. MEVRSIVS IANO GRVTERO V. CL. S. P.

REcte accepi literas tuas, V. Cl. illas longe amicissimas, & quae mihi animum adderent ad ferendam insignem istam contumeliam; etsi ego minime iaceo, nec despero de benignitate Dei, si quid durius in me ab hisce hominibus statuatur. De Plauti editione quod scribis intellexi omnino libens: & ecce carmen, quod petisti:

IOANNES MEVRSIVS.

Grutere magne, terra qua Germania,
Et qua beata porrigit se Gallia,
Immo orbis omnis, cognitus Musis novem,
Te gloriari nemo doctorum magis
Se iure possit maximo, Scriptoribus
Decus Latinis reddidisse pristinum:
Seu res acumen postularet ingeni,
Laboriosam comparantis seu manum
Ad prisca scripta, vetere membrana abdita,
Monumenta quondam excusa fallaci typo
Vt reliqua taceam, nominanda maxime,
Certe taceri Seneca non debet tuus:
In quo, ille quantum ceteris praestat Viris
Sapiente regnans porticu, maior viro.
Immane tantum ceteris plus omnibus
Tu collocasti industriae, & solertiae.
Nunc, ceu laboris restet in terris nihil,
Mens ignea, alta cogitans coelum petit;
Et decima Musa flore perpetuo tibi

Ne-

(a) Vtriusque huius epistolae, tam quae ad d. IV. Sept. data, quam praesentis huius copiam nobis fecit Vir celeberr. *Io. Christof. Wolfius* theologus, & scholarcha Hamburgensis, ex ingenti, quem possidet, epistolarum ab eruditis Viris scriptarum thesauro. GRAMMIVS.

Nectit coronam, Caelitumque infert choris,
Ibique multo illustriori nomine
Phoebusve Musarum audies, aut Hercules.
Macte operis ergo, macte, virtutis tuae,
Grutere magne, terra qua Germania,
Et qua beata porrigit se Gallia.
Immo orbis omnis, cognitus Musis novem.

Habes ecce, etiam a Vossio, qui scripturus ad te erat, nisi ad adfinem suum, graviter sane aegrotantem, evocatus extra urbem festinanter proficisci debuisset. Itaque rogat, excusatum uti habeas. Interim te salutat plurimum; & ego ex animo, Vir mihi longe amicissime. Lugd. Bat. Kal. Novembr. CIƆIƆCXIX.

CCCCLXXXII.

Io. Mevrsio Petrvs Castellanvs S. P. D.

Accepi literas tuas, & bina simul exemplaria *Variorum Divinorum*. Alterum Puteano tradidi; quem virum scias tui esse studiosissimum. De offensa quod scribis, ne tenuissimae quidem suspicionis umbra a candore isto, mitte in me potius, serio dico, nimis humane mecum egisti. Doceri abs te non minus mihi gloriosum duco, quam laudari. Auctores isti, quos vulgare paras, hactenus mihi fuerunt ignoti, excepto Porphyrio, cuius libros περὶ ἀποχῆς, diu multumque quaesivi, quod ex iis, quae ab Eusebio, & Theodoreto laudantur, multa venerandae antiquitatis monumenta continere viderentur, sed frustra; nam tanta exemplarium raritas, ut vix ulla putem exstare, nisi in Bibliothecis Doctorum, vel hoc nomine plurimum tibi omnes debebimus, quod tua opera nunc parabiliora fient. Et quoniam de libris, ego bona tua venia verbum addam. Vidi nuper apud Puteanum editionem novam Varronis cum Scaligeri coniectaneis, & variis aliorum Adnotationibus; item Apostolii Adagia. Ni importunum sit, velim Elzevirio significari, utrumque mittat per hunc nuncium, & pretium ipsius adnotet, quod ad proximas illi numerari curabo, nam dum ad Bibliopolarum lucrum accedit, avaritia nunciorum, quorundam librorum pretium ita auctum sentio, ut Domino, quod ille ait, quotidie stultitiam suam exprobent. Quod de rerum tuarum statu scripsisti, plane id est, quod simul ac rumorem excepi, suspicatus fui, & alii mecum. Quaeritur obtentus. Sed non obtusa adeo gestamus pectora. Nempe si verum amamus, amicitia tibi nocet illius viri bene de te meriti; & melius de Republ. sua, quam aut ipsi adgnoscunt, aut nobis expedit, qui alteri parti adhaeremus. Nam quod de Auditorio, merae nugae sunt, & miror viros prudentes in hoc simpulo fluctus quaerere, nam quem adeo fungum invenient, cui causam illam probabunt. Hic certe mihi in mentem venit, quod olim Erasmus ad Eobanum Hessum scripsit. *Finge*, inquit, *esse unum, atque alterum ex Professoribus, qui cesset non illibenter, quid aliud accidit, quam quod hominis est? Posteaquam Auditores negligunt suum commodum, ignoscendum est, si Professor suum otium, & emolumentum amplectitur*. Ceterum si quid secius eveniat, en hospitem invenisti, & amicitiam, quam adeo officiose exhibes, novo symbolo sanciemus. Vale.
Lovanii XXV. Nov. CIƆIƆCXIX.

CCCCLXXXIII.

Ianvs Grvtervs Io. Mevrsio S. P. (a)

Amice singularis, atque optime: Optime sit adfectui illi, qui Iambum tuum elicuit ad Plautum nostrum (b) plura quidem nobis tribuit, quam meremur, sed tamen paullo post adparebit, me auctori illi plus praestitisse, quam postremos Asellos, quorum flagitia, & scelera tot, & tanta miraberis detestaberisque. Plurimum quoque tibi debeo, quod D. Vossium incitaveris ad parem liberalitatem. Animis vestris quid rependam? imo quid non rependam? Facitis me de regulo Aquilam; ergo quod talis habebor, debebo vestrae prothymiae. Non puto esse Iacobum Coruputium cui aegrotanti adcurrerit: si quid ei humanitus acciderit, indica id obsecro per adfinem tuum D. Billerbekium, nam habet sub se res rationesque aliquas heredum Smetianorum (c), quarum cura iam soli mihi incumbit, fato functo Winnando Zousio. Quaeso, uti & Virorum illi optimo eruditissimoque multas a me dicas habeasque gratias. Vtinam vicissim de eo studiisque eius, & etiam tuis, possem bene mereri? In Bohemia omnia succedunt ex voto nostro. Si ante ver inde perduelles eiecerimus, magna me tenet spes, vix reliquias aliquas nos veri proximo habituros belli tam formidolosi. Videtur fatum deserere, quos hactenus elevarat super omnia. Distento Hispano, exteri nihil agent, nisi minis. Qui ad vos venit, est Ampliss. Carolus Paul. (d) amicus meus non e multis homo, non modo nostrarum literarum, sed & absque fuco. Is de me, de rebus nostris omnia tibi dicet, si interrogaveris. Itaque finio, precatus tibi, & tuis, ut & familiae Vossianae, fausta omnia, ac felicia, non in hunc modo annum seq. sed multos multosque sequentes. Velim per occasionem indices, numquid Stephanus Dousa vivat Hagae in dignitate. Miror hominem ita intermittere foedus amicitiae, qua cohaerebam

(a) Edita haec habetur in Sylloges Burmannianae Tomo II. Ep. CXXXIII pag. 379 nulla varietate, nisi quod initium ibi sic legitur: *Etsi adfectus ille, qui I. t. el. ad Pl. nostrum, plura quidem nobis tr.* Sed non dubito quin nostrum exemplum habeat h. l. rectius. Grammivs.

(b) Legitur hoc inter Carmina amicorum gratulatoria secundo loco, in *Plauto Taubmanno-Gruteriano*, edit. *Zach. Schurer. Wiseb.* 1621.
Grutere magne, terra qua Germania
Et qua beata porrigit se Gallia &c. Grammivs.

(c) Scil. *Gruterus* erat gener. *Henr. Smetii*. Grammivs.

(d) *Carolus Paulli* Consiliarius Electoris Palatini. Grammivs.

Ann. Chr. MDCXIX. bam parentibus eius, imo & fratribus, imo & ipsi, ante annos XXIV. Si is adhuc vivit, salutes, quaeso, a me quam officiosissime, ut & ceteros amicos, D. Bertium, D. Erpenium. D. Scriverium, dulcissima capita. Iterum vale, ac salve ab omnibus modis tuo Iano Grutero. XII. Decembr. MDCXIX. Aveam mecum communicari natales Triumvirorum, quos modo salutavi, unaque Adfinis Vossii.

CCCCLXXXIV.

MONSIEUR DU MAURIER.

Ann. Chr. MDCXX. *Monsieur; i' ay receu vostre Apollonius avec vostre lettre du iourdhuy, dont je vous remercie tres affectionnement comme d'un present que i' estime ainsy, qu' il en est digne procedant de vostre main & labeur. Ie le verray donq et adiousteray a plusieurs autres que vous m' avez donnes, lesquels me sont tesmoin de vostre bonne affection en mon endroit, que je rencontreray en toutes occasions, par tous les meilleur effectz qui pourront partir de la mienne. Ie trouve que vous avez fait un bon choix pour l' addresse en tous egardz et pour sa capacitè d' en juger, et pour son credit, ce n' est pas mediocre prudence de sçavoir* uti foro: *nomeement en ce temps. I' ay leu avec grand goust le vers de Monsieur Scriverius, au quel je vous prie, que je sois recommandè, comme a un personnage, que j' honnore beaucoup, et que je desire servir: et vous particulierement a que je salüe tres affectionnement, comme estant de bon coeur vostre humble et plus affectione a vous servir. De la Haye ce dernier de Ianvier* MDCXX.

CCCCLXXXV.

IO. MEURSIO V. CL. S. P. D. P. CASTELLANUS.

Literas tuas, & simul libros ab Elzevirio recte accepi. Gratias ago benignitati: & si quid apud nos voles, opera nostra familiariter utere. *Porphyrium* tuum avidissime exspecto; & vereor, ne editioni mora sit iniecta per eam tempestatem, quam in caput tuum Aeoli aliqui excitarunt. Verum utcumque cadet, credo hercle, quod scribis, non deesse, qui ante naufragium tibi portum aperiant Quin ego scio esse etiam apud nos, qui eiusmodi decora libenter Batavis eriperent, modo in Religione melius instrui se paterentur. Quis tandem eventus, brevi sciemus. Nam praefixum ferendae sententiae tempus instare nunc arbitror. Sed videant, ne quod apud Tullium Heraclitus Physicus ob expulsum Hermodorum Ephesiis, id omnes Literati Batavis imprecentur. Vale, & me tui amantissimum redama.

Lovanii ad D. IV. Febr. CIƆIƆCXX.

(a) Hoc in eos scilicet perbellos Academiae Reformatores, qui *Meursium* ob librorum multitudinem & auditorum paucitatem infami censura notandum esse, stolide decreverunt. quos etiam in sequentibus *Puteanus* scite & eleganter pungit. GRAMMIUS.

CCCCLXXXVI.

Clarissimo Viro & de Republica literaria optime merenti IO. MEURSIO ERYCIUS PUTEANUS S. D.

Ann. Chr. MDCXIX. Non respondi, Vir Clarissime, integerrimeque, ut munusculo potius aliquo, quam epistola adfectum meum explicarem. Tu quidem ad me non literas tantum, sed libros mittis, & animum ingenio, ingenium animo testaris. An obstringar? ut nisi reddam beneficium, ingratus sim. Crede mihi, tam strenuo exemplo excitatus sum, ne vacua ad te verba ferrem; & nunc sero tamen, ne diutius sileam. Laetissimus autem *Rerum Mirabilium* Triumviros accepi; in quibus tu te maxime admirandum praestas, dignum non scholae unius aut Theatri, sed orbis universi applausu. Ubique doces, cum sic scribis: illustras Patriam, quam sic doces: quemadmodum maioris operae, doctrinae, famae est, stilo, quam ore loqui. Legant scripta tua, qui vocem accusant (a). *Meursium* docere, quum scribat, hoc satis est; imo scribere, quum doceat, satis. Ego, & quotquot amant litteras, auditores tui sumus. Libros tuos legimus, doctrinam veneramur, & libenter discimus, ubi ignorantiam suam aliqui fortassis homines stolide extollunt. Litteras Graecas etiam cum fastu isti nesciunt: quid mirum, si infesti earum Doctori? Tu perge scribere, ut sic plures doceas: nos amare quoque, mi Meursi, qui adfectum cultu extendemus. Triumviros autem hosce, quia a te editos, legam iterum: in quibus Praefatio ad Clarissimum Bontium egregia est, & prorsus in morbum aevi nostri insurgens. Tu te porro, & *Aeternitatem* cogita; quae destinasti, emolire. Porphyrii opera quem non adficiant, hominis inter paucos docti, & noti paucis. Ego recenter de *Stipendio Militari* apud Romanos Syntagmation scripsi, quo modum eius, hactenus ignoratum constitui. Nam, & Lipsius in *Electis* suis *Commentariisque ad Tacitum* a vero aberravit: & Scriptor ille pariter Venetus, qui Lipsium edito de hac re libello reprehendit. Itaque quid praestiterim, videbis. Alia quoque parabo, ut semper & quod mittam, sit, & quod promittam. Vale, & me in aere tuo cense. Lovanii III. Non. Mart. MDCXX.

Clarissimos Viros, *Heinsium*, *Scriverium*, *Bontium*, *Cluverium* officiose salvere iubeo.

CCCCLXXXVII.

IANUS GRUTERUS V. CL. IO. MEURSIO S. P. D.

Mitto tibi, Vir Cl. varia divina, & Triumviros Rerum memorabilium, alterum quorum exemplar pro D. Lingersfemio. Plautum vero tuum avide hic exspectamus: quando videbimus? exple desiderium

rium nostrum. In rebus meis nihil dumaetum, etsi elapso semestri praestituto. Itaque adhuc totus pendeo. Exspecto quemcumque Deus daturus est eventum cum interea quadam fiducia per eius gratiam non defuturum alibi locum. Habes breve epistolium, sed cum magno adfectu scriptum. Alias prolixior ero. Bene vale, Vir & amice praestantissime. Lugd. Bat. ad diem III. Kal. April. CIƆIƆCXX.

Viro Clarissimo & Praestantissimo
D. Iano Grutero, Professori
Historiarum & Bibliothecario Da.

Heidelbergam

Cum fasciculo librorum.

CCCCLXXXVIII.

IANVS RVTGERSIVS IO. MEVRSIO S. D.

Vir Clarissime, ac mihi fraterno amore iuncte!

Literas, quas per Math. Byvortium ad me dedisti, cum incredibili meo dolore legi, qui eo maior fuit, quod non praevisus esset. Ac ad eas citius rescripsissem, si vel tantillum temporis mihi fuisset a molestissimis occupationibus in tot aulis Principum, quae me pene mihi eripuerunt. Tum a, si quod in tuo periculo Consilium subcurrisset. Nolebam in amici fortuna solita negligentia agere; verum rem totam accurate perpendere, perpensa, tempus exspectare, quo otiosus animi mei sententiam explicare possem. Principio, quod Historiae scribendae spes tibi adempta, equidem vehementer miror. Quis tibi succedet? Grotii calamitas, & ea studia & libertatem ei eripuit. Heinsius, iam in opimo Serenis. Regis mei stipendio, duobus eodem titulo servire non potest. Scriverius noster aeque ac tu subspectus est. Quo fugient? Nam quod negligentia praetenditur, mihi tota vita, nedum tantillo tempore, satis historiarum quis scribere videtur, si recte scribat, quantum tu scripsisti. Equidem nihil aeque me miratum fateri debeo, ac eum casum. Ego si quid in ea re metuissem tibi, ab Heinsio metuissem, cuius florentissimum ingenium similem Provinciam merebatur, nisi & tu ambiisses, & illi satis munerum sine illo fuisset. Sed eo metu per Regem sublato, securus eram, quum hic casus plane ex adverso me oppressit. Augebat admirationem meam de reprehensa scriptione, quum errata tua tibi & demonstranda & a te corrigenda forent. Malorum enim libellorum subplicium spongia est: non domini damnum. Sed Historiae tuae odium non te premere videtur, verum personae tuae, earumque partium, in quibus magni Viri, sed infelicis, auspicia secutus aliquando fuisti: (etsi tu extra scenam constitutus eras, ut animo tantum illi faveris, re ipsa non potueris) Nam quid aliud est, quod Illustrissimi Ordines etiam honorem Dedicationum tuarum refugerunt? ut non solum historiam tuam ingratam esse videas. Memini cum ante annos aliquot Sam. Naeranus (a) editum a se elegantem alioqui Carminum libellum patrio senatui dedicasset, eadem contumelia remissum, non ob aliam causam, quam quod earum partium subspectus esset, quae nunc succubuerunt. Adeo illud perpetui mei in hoc Getico exilio comitis verum est:

In genus auctoris miseri fortuna redundat,
Et patimur nati, quam tulit ipse fugam:

Sed haec duo licet gravissima sint, tertium tamen utrumque superat, quo etiam de Professione te periclitari scribis. Equidem fatebor id, quod res est, id ubi legi, totus expallui. Quid enim in tali casu eius amici facerem, quem ego fidissimum, ac optime de me meritum semper expertus sum? At quo crimine damnatus es? Quod Barbarorum aliquot adolescentulorum palatum ad antiquae eruditionis delicias, quibus, te praeeunte, pasci poterant, plane obsurduerit (b). Ita ex illorum sive ignorantia, sive negligentia pendebit Doctoris stipendium. Meminimus, nobis adolescentibus,

(a) *Samuel Naeranus*, patria Dordracensis Batavus, cum propter partes *Arminii*, queis favebat, invisus suis esset, concessit Sedanum, ibique Professor factus est. Postea in patriam reversus, coetui Remonstrantium, seu Arminianorum, Amersfortii a sacris fuit. Nonnullae eius epistolae inter ceteras Remonstrantium leguntur in volumine satis noto, cui titulus: *Praestantium Virorum Epistolae Ecclesiast. & Theolog.* GRAMMIVS.

(b) In *Vita Simonis Episcopii*, scripta a *Phil. Limborchio*, historia habetur Reformationis, quam in Academia Lugduno Batavorum Ordines Hollandiae, soluta *Synodo Dordracena*, instituerunt, ut quicquid Arminianismum saperet, inde eliminarent: in ea narratione haec de *Io. Meursio* legas pag. 252. *Joannes Meursius Graecae linguae Professor acri censura est notatus: & quoniam multorum librorum conscriptio verisimiliter ordinaria eius studia impediret, ipsi mandatum fuit, ut a tot libris scribendis abstineat, addita comminatione, nisi laborem suum Curatoribus, post sex menses denuo conventuris, probavisset, alium Graecae linguae Professorem in eius locum deligendum: simulque vetitum, ut Senatui Academico interesset.* Haec vero *Limborchius* optima fide narravit, & quidem ex ipsis desumsit Ordinum Hollandiae & Westfrisiae Decretis, quibus, quae a Curatoribus Academiae & Consulibus civitatis Lugdunensis in reformatione illa acta essent, adprobarunt. In his enim articulus de *Io. Meursio* sic concipitur: *Io Meursio indicetur, Dominis innotuisse, quam exiguos fructus universitati ferat, sive hoc ex quodam ingenii vitio oriatur, sive invita Minerva fiat; quocirca enitendum ipsi, illud ut diligentia ac omni conatu corrigat, studiosis maiori usui sit, & spartam melius ornet. Quoniam verisimile est, scribendo multos libros solemnia eius studia inhiberi, potius libros edere supersedeat: admonitus, nisi se melius gerat, aut gerere possit, DD. Curatores ac Consules evitare non posse, quin post elapsos sex menses alteri Professionem Graecae linguae, quae, quod ipsum non fugit, ad communia studia permagnum habet momentum, committant. Quod illi etiam ad Senatum Universitatis praeclusus erit aditus. Haec ubi illi nunciata sunt, excusationes aliquas protulit, attamen officio suo se defuncturum recepit.* (Exstant acta haec & decreta, integre inserta *Praestantium Virorum Epistolis Ecclesiasticis & Theologicis*, edit. Amstelod. an. 1704. in fol. a p. 8. 16.) Constat etiam, iam ante *Meursium*, cum Graeca praelegeret, conquestum fuisse de auditorum paucitate. Confer. *Lucae Holstenii* ad *Geverhartum Elmenhorst.* epistola, inter Gudianas a *Burmanno* editas pag. 290. atque hoc ab inimicis ipsi serio obiectum atque exprobratum fuisse, atque immiti, quam adtulimus, censurae locum dedisse. Ceterum hanc iniuriam non plane dissimulasse, argumento est epistola ad *Reinerum Bontium*, qua ipsi *Historiarum mirabilium Auctores* inscripsit, paucis post censuram istam mensibus (Haec enim lata fuit ultimo Augusti 1619. & Dedicatio praefert 7, Ianuar.

Ann. Chr. MDCXX.

bus, V. C. Paul. Merulam saepissime tribus Auditoribus, saepe me solo contentum fuisse. Neque hoc illi fraudi fuit. Nam de Tuningio res etiam in fabulam abierat. Ne quid de aliis dicam, qui iam fuerunt; quoniam candor noster Virorum nomina dissimulare iubet [(a)]. Cur igitur tibi uni obest, quod illis non nocuit. Nimirum, quod ante dicebam, vera odii tui causa est, quod e partium studio, quibus olim addictus fuisti, conceptum est. Reliqua praetextus tantum, qui quaerendus fuit. Quomodo enim humaniorum literarum Professor removeretur, nisi foris causa quaesita esset, quae domi non erat. Neque enim ullus libellorum tuorum in Synodo, puto, damnatus est. Et haec quidem de ipso morbo: nunc de remedio videamus. Primum, quod de Bibliotheca tu ipse subgeris in Academia Upsalensi administranda, id mihi inprimis probaretur, si ea res parata foret. Nunc quum diligentissime id institutum hactenus urserim, nihil tamen promovere potui; etsi in ea sententia constantissime Sacra Reg. Mai. persistat. Sed, ut in aulis fieri solet, tardissime talia procedunt, praesertim quum ingens pecuniae summa ei rei perficiendae debeatur, cum ea cum in stauratione Academiae novisque Professoribus advocandis coniuncta sit. Id autem an paucos intra annos fieri possit, ut mihi conditio horum temporum nota est, vehementer dubito. Et tamen prolixe ea de re ad Illustrissimum Cancellarium scripsi, animumque eius tentavi, ut eo te Rex vocare velit. Stipendium luculentum futurum esset. Tu modo dum responsum ad id acceperis, omni cura enitere, ne removearis. Et ego super tua causa ad Avunculum meum, & Honerdum scripsi. Causam soli tibi habe. Metuo, ut tui remoti opera Rex uti ausurus sit, ne eorum causam adprobare videatur, qui ab Ordinibus damnati sunt; quorum favore quantopere eius Mai opus habeat, tu ipse nosti. Deinde honorificentius longe tibi futurum est, a tuo loco avelli a tali Principe, quam si vacuus ab eo occuperis. Haec, mi Meursi, non eo scribo, quod haec praeda iam capta sit (& tu tamquam nunquam futurum puta; ne, cum spe subspensus fueris, elusus te ipsum torqueas) sed ita scribo, ut amicus, qui unice laborat, ut aegrotanti fortunae tuae remedium alicunde reperire possit. Optarem ut praeclaro aliquo volumine, & praefatione prolixa atque eleganti te Illustrissimo Cancellario insinuares. Et, si quid paratum est, age, ne differto. Non enim illi audiendi sunt, qui libellorum tuorum multitudinem accusant. Tu plura in dies & plura procude. Et, quod praemium tui temporis malignitas & ingratitudo tibi negaverit, id a tot nominibus obstricta tibi atque devincta posteritate exspectato. Quamvis ne de tuis quidem temporibus tibi desperandum est. Venabor, si quem Pragae [(b)] tibi leporem excitare possim, ut duabus ancoris innitaris, si minus altera successerit. Atque utinam nunc aliquod Rege illo dignum monumentum paratum haberes, quod, dum ego illic etiamnum sum, illi Principi obferri posset! Apud quem etsi absens, & ignotus, in summa exspectatione sum, commendante Io. Casimiro Princ. Palat. Ser. nostri Regis adfine, quo Principe neque melior quisquam, nec humanior, neque denique mihi amicior quisquam vivit. Habes quae hoc quidem tempore mihi in tua causa succurrant. Ad quae responsum tuum exspectabo. Etsi non tantum tibi periculum fore confido, quantum metus ex superiori contumelia etiamnum recens tibi fortasse fingit. Ceterum me in omnibus & fidelissimum & diligentissimum in hac causa offendes. Utinam Porphyrii omnia parata essent pro Bohemiae Rege. Et potes adhuc. Sed ne omitte Itali cuiusdam versionem Lat. librorum περὶ ἀποχῆς, quem apud Vossium reperies. Tum Rittershusii in Vitam Pythagorae Notas; ut & Pet. Olivarii Valentini in Introductionem. Cetera tibi curae erunt. Tu tantum fac, ut omnibus illis voluminibus editione tua liberemur. De Indice transmisso gratias summas. Misi Indiculum Elzevirio, quos mihi emi velim. Is tibi curae sit, rogo. At praesertim de Rhetoricis Graecis, qui de Arte Rhetorica scripserunt, ut purum & insigne exemplar habere possim. Video enim plura esse. Immensas pro muneribus tuis gratias, de quibus brevi plura cum Deo, nunc enim non possum. Obsecro, ut alter Catalogus reliquorum, quos in Italia postea emit, ocyssime mihi mittatur. Literas ad fratrem meum Iacobum Rutgersium Amsterodamum mittes. Vale, uxori filioque meo osculum.

XXXI. Martii MDCXX. Lipsiae.

Tui amantissimus

RVTGERSIVS.

Ianuar 1620.) Quo referendum *Petri Scriverii* carmen, iisdem Auctoribus praefixum, ubi inter alia haec habentur:

Minore quamquam circulo coroneris,
Iuvenisque rarus sedeat in tuis scamnis &c. &c.
Tamen docere pergis, ac, licet paucos,
Ducis volentes, imbuisque doctrinae
Liquore priscae. Cecropisque suadela;
Nec turbat animum, quod sit infrequens miles
Ad signa, Meursi. conscius tibi namque es,
Praeire te, sed ceteros sequi nolle,
Qui si sequantur, plurimusque conventus
Ab ore docto pendeat, putent quidam
Superbiendum: sed tumere nolito. &c. &c.

(a) Neque multo melior sors fuit in aliis Academiis Virorum per ea tempora celebrium, qui humaniores istas litteras profiterentur, ita enim & de *Erycio Puteano*, & de ipso *Iusto Lipsio*, *Abrah. Scultetus* in *Narratione Historica de Vita sua* pag. 66. *Docet Vir doctus* (Puteanus) *ut & ante ipsum Lipsius, in sterili auditorio, non alia de causa (ex magno Viro hoc audivi) quam quod iuventus a melioribus studiis ad tricas disputationum scholasticarum per Iesuitas avocatur*. GRAMMIVS.

(b) Nempe agebat hoc anno *Pragae Fridericus* Elector Palatinus, ac de Academia reformanda novisque Doctoribus instruenda cogitabat. Videantur *Lingelshemii*, & aliorum *Heidelbergensium*, epistolae, ad *Meursium* anno 1620. scriptae. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXX.

CCCCLXXXIX.

Io. MEVRSIO P. CASTELLANVS S. D.

Vir Clarissime.

SAlutem mihi abs te missam nunciavit amicus noster Puteanus, & simul exquisitae diligentiae libros obtulit de *Tragoediis* summorum Scriptorum; opus Hercules ad unguem factum, & quod Auctoris sui reconditam eruditionem prima statim fronte prodit. Semper tui similis es, & parem ubique in observando curiositatem, in excogitando industriam, in disponendo iudicium ostendis; adeo ut paucos hoc aevo norim, quorum me scripta magis capiant. *Lectiones Atticas*, & *Orchestram*, tuo munere habeo; & gratias egi. Tamen in literis ad Puteanum datis dubitare videris, an acceperim. Male sit istis nunciis, per quos non stat, quo minus ingrati nota innocentibus adfligatur. Accepi, inquam, & veluti thesaurum servo, & saepius adeo, ut opes illas variae doctrinae lustrem. Equidem aliquot menses mihi perierunt, dum ad supremam medicinae Lauream contendo; nam maior pene adparatus, maior solennitas & pompa requiritur, quam doctrina. Haec nemini profuerit, si pecunia desit ad sumtus faciendos, qui profecto modum hic excedunt. Sed evasi iam molestias eas, & in gratiam redire cum Musis incipio. Fors aliquid brevi in communia studia pro modulo meo collaturus, quantum exercitia alterius disciplinae, cuius praecipua mihi debet esse cura, patientur Proxima opportunitate Catalogum Scriptorum a te editorum mitti mihi velim: pauca quidem mihi deesse puto: sed *Criticas Exercitationes*, *Criticum in Arnobium*, & *Hypercriticum*, *Spicilegium Theocriticum*, *Notas in Macrobium* & *Varronem*, laudari audivi, videre nondum contigit. Vale, Vir Clarissime, & me tui amantissimum amare perge. Lovanii, ipsis Idib. Martii CIϽIϽCXX.

Virtutum tuarum observantissimus.

P. CASTELLANVS.

CCCCXC.

IANVS GRVTERVS IO. MEVRSIO S. P.

AMice praestantissime. Devincis magis atque magis Gruterum munerum tuorum frequentia. Bina enim exempla accepi ab Elzeviriis, *Variorum Divinorum*, & *Triumvirorum rerum mirabilium*, quorum alterum Lingelshemio tradam, qui literas tuas mecum communicaverat ante abitum. At Plautus meus adhuc sudat sub praelo, dilapsis operis typographicis ad tubam Martis; ei enim militare maluerunt, quam Minervae Erganae. Te adhuc pendere, animitus doleo: est enim molestissimum, neque alio modo ad Melancholiam suam redactus est Bellerophon. Interim bene facis, quod pendeas hic tamen a supremo Numine; quod quum sit nobis non modo Deus, sed & Pater, omnia nostra vertet in bonum. Nos mediis in tempestatibus adhuc agimus halcyonia: sed diffluit iuventus scholastica, revocata a proximis, aut parentibus, ob rumores tumultusque circumstrepentium armorum. Exitus acta probabit. Certe prout ille fuerit, vel sapientes habebimur, vel fatui. Interea displicet mihi militum impietas, praefectorum rapacitas, ducum aemulatio. Deus tantummodo amoliatur discordiam a partibus nostris. Et sic tamen maxime respicimus ad vestros. Verum de his & similibus nec tutum nimis plura scribere, & pro prudentia tua capis, quo tendam. Aetas iam mihi fere acta. Vos ea estis aetate, ut firmandi sitis & tolerantia, & silentio: adeo fatum istud novum alios etiam postulabit mores, nec est, quod speremus seculum aureum; nam & iam istis quoque locis toto arcessitur orbe, quo gens quaeque periit. Itaque incipio mihi metuere, aut de Turca, aut de Tartaro, aut nescio quam vilem nationem, quae nos redigat ad necessaria, ablatis tot irritamentis malorum. Salve plurimum, mi Meursi, a Grutero tuo, una cum uxore & liberis. Saluta officiose D. fratres Rosendalios, D. Bertinium. XV. Aprilis MDCXX.

CCCCXCI.

IOANNES KIRCHMANNVS IO. MEVRSIO S. D.

Lubecam.

NOn scripsi ad te aliquo tempore, Vir Clarissime, quia nec occasio fuit, nec scribendi argumentum: sed adfectum tamen illibatum servo, quo virtutem, & eruditionem tuam dudum prosequor. Nunc humanitatem tuam implorare necesse habeo. Ante biennium Masium mihi commendasti, qui navaret operam suam in instituendo filio. Hunc quandoquidem promovi ad ministerium Ecclesiae, ipse mihi incommodum dedi, filiumque praeceptore suo orbavi. Itaque maiorem in modum abs te peto, si quem habeas, Masio similem, qui recipere munus illud in se velit, eum ut ad me ableges, & id primo quoque tempore: ne, si quisquam se interea forte obferat, etiam hoc carere debeam. Erit illi conditio eadem, quae Masio fuit: id est mensam meam habebit, & triginta annos Imperiales. Sed hoc te admonitum velim, necesse est, ut linguam calleat Saxonicam Inferiorem: nam illam superiorem filius meus non intelligit: & hoc necesse foret, uti operam in biennium saltem obstringeret, quamquam mallem in triennium. Ignosce, quod molestus tibi esse audeo, si quid hic vicissim tua causa potero, utere iure amicitiae & invenies me paratum, ut officio satisfaciam. Vale, Vir clarissime, & me, quod facis, amare per-

Ann. Chr. MDCXX.

perge, semper paria factorum. Scribebam Hafniae, quo negotii causa excurri: ad diem XX. Aprilis CIƆIƆCXX.

CCCCXCII.

GEVERH. ELMENHORSTIUS IO. MEURSIO S.

IAm diu est, quod nullas a vobis recepi literas. Neque enim Collegae tui Viri eruditissimi Heinsius Vossiusque quidquam mihi respondent, ut & Holstenius noster, aliquotiens adpellatus, profundum tacet. Nisi plane animo tuo excidi, fac, cognoscam quam primum, quo loco res tuae sint, & quos auctores iam editioni paratos habeas. Nam post Calcidium te nonnullos emisisse arbitror, quos necdum mihi videre licuit. Apuleii exemplar habebis chartae scriptoriae impressum, simul atque editio ad umbilicum fuerit deducta. De conflictu nostrorum cum Lunaeburgensibus puto te inaudivisse. Heri etiam duae naves bene armatae ex Dania adpulere, thesaurum mali nobis adlaturae, si vulgo credimus. Quid vestri moliantur, scire avemus. Equidem in communi hoc incendio illos omnino cessare neutiquam putamus. Salve, Vir summe, & tam de privatis, quam publicis nobis rescribe mature. Erit mihi hoc maiorem in modum gratum. Hamburgi X. Maii Iuliani CIƆIƆCXX.

CCCCXCIII.

IO. MEURSIO PETRUS CASTELLANUS S. P. D.

SErius, quam decebat, tibi gratias ago, quod munere tuo Triumviros illos θαυμασίων, numquam antea mihi visos, & spectare, & admirari datum est. Id factum casu nuncii nostri: quem in itinere morbus lecto adfixit. Ceterum pulcherrima quidem sunt, quae ipsi exhibent, & cum voluptate spectavi. Quae vero tu illis ipsis, & tot auctoribus antea latentibus contulisti, miratus etiam sum. Illorum labor maximam partem intra Aristotelis, Theophrasti, Theopompi monumenta constitit; & si reliquos auctores haberemus, a quibus ipsi desumpserunt, praeter compendii facilitatem nihil eis deberemus. At quae ex tot scriptorum diffusa curiosaque lectione huc aptissime congessisti, nullus observare potuisset, praeter te, qui legendi lucubrandique constantia Didymum illum χαλκέντερον exaequare mihi videris. Certe in hoc opere consecutus es, ut attexta purpura togam superet. Paucis ab hinc diebus apud vos misero fato periit familiaris olim meus Ioannes Scepperus, Vir non indoctus, & cui Belgicae Musae non uno nomine obstrictae sunt. Varia de eius exitu feruntur; & pleraque in peiorem partem, ut nunc sunt hominum mores ad maledicendum proclives. Si quid comperti habes, velim ad me ordine perscribas, ut quosdam doceam τὸν τεθνηκότα μὴ κακῶς ἀγορεύειν (a). Huius rei abs te certior fieri cupio; tum etiam quo tua loco sint, & an opera mea alicubi usui esse possit. Vale amicorum Candor, & me tuum habe.

Lovanii ad d. XIV. Maii CIƆIƆCXX.

CCCCXCIV.

HIER. ISBRANDUS IO. MEURSIO S.

CArissime frater (ita enim ut te compellem, facit ille meus in te animus, quem nosti, adfectissimus) diu est, & ultra quam debebat, quod literas non modo nullas a te habuimus, sed ne salutationem quidem ullam; & ut opinor, ne tu quoque fortassis ullas, ullamve a nobis, casu an culpa nostra non dixerim. Si prius, excusari me, sin posterius, exorari te, pro illa tam candida nostra amicitia posse, firmiter spero. De mutato in te adfectu nostro, quod dubitare te propemodum scribis, iniuriam mihi fieri existimarem, nisi diuturnum illud nostrum silentium, praesumtive in aliquod argumentum trahere te posse, putare aliquis posset. Ego vero te securum esse, mi frater, iubeo, & certum de animo nostro, in te nunquam mutato, aut mutando. Et cur mutem? Non ob publicam illam, quam tu ominaris causam: cum illo nomine coita illa amicitia nostra non sit, atque ideo ne quidem ob eamdem separanda. Sermones quidem ea de re nobis aliquando, sed rarius, occasione data, me nostram de religione, te diversam sententiam tuente. Quod incolumi amicitia semper licuisse volunt: sed nec ob privatam aliquam. Non enim ab illo tempore, quo excellens tua eruditio, cum summo candore coniuncta, me in amorem tui pertraxit, memini usquam turbatam eam, nedum disruptam, sincere nobis utrimque eamdem observantibus. Intercalata (ut ita loquar) videri potest, fateor, ab illo tempore, quo postremae tuae ad me perlatae. Sed invito me & nescio quibus non incommodis, ab officiis debitis, distento In recenti luctu eramus, & quidem gravissimo, propter obitum optimi & amplifs. Viri, soceri mei, quum ecce literae tuae traduntur, & domesticum malum memoriam earumdem, nescio quo pacto postea excussit. Vix soli-

(a) *Io. Schepperus* Gandensis, Poeta & Historicus, *Ioanni Bernandaeo Velasco*, Castellae & Legionis Comiti-Stabuli a Sacris & Eleemosynis, *decessit Lugd. Batav de nocte domum veniens, mersus in amne, anno MDCXX. VIII. Augusti*. Ita *Franc. Swvertius* in *Athenis Batavis*. Ergo, si 8 Augusti die hoc contigit, falso adscriptus dies 14. Maii huic epistolae *Petri Castellani* a descriptore: vel forsan error typograph. est in *Swvertio*, sed exiguum refert, utrum Maio an Augusto mense perierit *Schepperus*; de cuius fato haud inelegans sane est epigramma, a cive & amico eius *Iusto Rycquio* (libri de Capi*tolio Rom.* auctore) scriptum, quod in margine adponemus:

Post geminam Hesperiam conspectam, & Celtica regna,
Post populi mores triplicis & genium:
Post magni meritis Encomia dicta VELASCHI,
Post patriae scriptam fortiter Historiam:
Post Clarios amneis epotos virginis undae,
Belgicaque exemplo carmina scripta novo:
Crimine perpetuo Parcarum & crimine Coeli
SCEPPERUS Batavo mersus in amne iacet.

GRAMMIUS.

Ann. Chr. MDCXX.

dari extrema huius mali labra visa sunt, quamprimum in publicum prodire, ex more mihi licuit, reip. causa ablegor, idque iterato. Deinde altera subit non exigua cura, struendarum, vel potius reformandarum aedium, quae me binis mensibus, & quod excurrit, pene meimet ipsius potentem non liquit propter id genus hominum irregulares operas flatitationesque. In summa, ob domestica, extera ad tempus neglecta. Et ut finiam, ego hic peccatum esse, quamvis non tam culpa, quam negligentia, adgnosco, tu ignosce. Quod ad Methodii λόγον περὶ τῦ αὐτεξυσίυ, nomini meo inscriptum seu dedicatum, certe gratias debeo maximas, & argumentum habeo adfectus in me sinceri, Cui parem a nostris partibus spondeo, Quam ut diu praestare liceat, faxit D. O. M. qui te cum uxore tua, sorore nostra, adeoque familia universa, incolumem servet, Ita ex animo vovemus, ego uxorque mea, vestra soror, iam trium filiarum mater. Vale frater carissime, & clariss. D. Bontio salutem,

Raptim Gronningae IV. Eid. Iunii MDCXX.

Ludovicus Elzevirius nondum solvit, quod debet propter libros in publica auctione emptos ex Bibliotheca p. m. D. Huismanni, quaeso, de eo moneas, ne cogantur tutores extrema tentare.

CCCCXCV.

IACOBVS OMPHALIVS IO. MEVRSIO S. P.

QVoties apud animum meum recolo, Cl. D. Meursi, tuam uxorisque tuae, quam coram expertus sum, insignem humanitatem, toties haud quaquam exigua voluptate perfundor ea ipsa recordatione. Cuius aliquam dare cogitanti significationem mea manu consignatam, ecce commodissimum eius laborem se obfert Nobiliss atque ornatiss. D. Hermannus Vom Dorn, aliqua quidem consuetudine, magis tamen aliorum commendatione mihi notus, patritius Lubecensis, qui studiorum causa ad vestram Academiam properans, ad tuam humanitatem, cuius fama dudum aures eius pulsavit, aditum sibi tali officio patefieri magnopere cupit. Hac igitur opportunitate usus, inprimis gratias ago non vulgares pro larga illa & prolixa tua erga me voluntate, cuius clarissima testimonia non tantum in opere & verbis, sed me ipso vultu atque oculis tuis conspiciebantur. Tu si qua in re dicto D. Doornio gratificari, ignotumque pro tuo erga bonarum literarum studiosos adfectu iuvare dignatus fueris, ita ut qualemcumque hanc meam commendationem nonnihil sibi profuisse intelligat, accessionem interpretaturum me significo ad illam obligationem, qua iam dudum tibi sum obstrictus. Nam ut in amicitiam tuam eum admittas, meum non est petere; nec si sit, petam alia lege, nisi si merebitur. Pluribus te morari nolim. Vale, Vir praestantissime. Vxorem, cuius dolorem tempore iam mitigatum mihi spondeo, meis, quaeso, verbis plurimum salvere iube; nec non filiolam suavissimam, lecti, dum apud vos eram, sociam una cum fratre. Dabam Coloniae XXIII. Iunii Gregoriani CIↃIↃCXX.

CCCCXCVI.

CLARISSIMO VIRO IO. MEVRSIO E. PVTEANVS S. D.

GEminum & exiguum ad te scriptum mitto, mi Meursi, & ut munusculum, eruditione tua minus, benigne recipias, rogo. Ecce de *Stipendio*, & *Pecunia Romana* breviter egi; an exacte, nescio, Tu qua humanitate leges, ea libertate censebis. Tuo iudicio vel damnabo scribendi temeritatem, si erravero; vel amabo successum, si ad laudem perveniam. Vale, & me ama. Lovanii in Arce, VI. Eid. Quintil. CIↃIↃCXX.

CCCCXCVII.

ANDR. SCHOTTVS IO. MEVRSIO Χαίρειν.

VEreris fortasse, Meursi, ne meae tuis obsint rebus epistolae. Parcius hinc scribo: salute tamen ab Isaaco Elzevirio adlata tuis verbis, respondendum existimavi. Ille Patrum quaedam Graece abs te edita commemorabat, sed quae essent, non meminerat. Quare te maiorem in modum rogo, ut quae Andreae Hierosolymitani Ep. Cretensis olim ad te misi, ea Graece tantum, si commodum est, evulgare ne graveris, quia Andreae mihi nomen; quo etiam consilio Romae ex Vaticana collegi. Cetera, quae sacra sunt edita, fac, ut sciam; nam hic ad Medicam te artem adplicuisse, nescio quis, narrabat, ἴσως γέλωτα ὀφλισκάνων. Bene certe apud te esse exopto vehementer. De Synesio Cyrenaeo Episc. edendo si cogitas, fac me certiorem. Inspecta enim nuper non otiose Dionysii Petavii nostri editione, video illum, nisi si egregie dissimulat per Ianum Cornarium, praeproperum nimis interpretem, quemque pervertere multa Camerarius per iocum, qui seria ostendat, dicere solebat. Nam in de Regno, eodem Camerario post interprete, ad Arcadium librum Notas habet idem Ioachimus, suo more verbosas illas quidem, at eruditas. In libro περὶ προνοίας ἢ Αἰγύπτιον, interprete eius genero Erasmo Rudingero, uberiores sunt Notae, quas non vidisse subspicor Petavium nostrum, plura alioqui in Notas conjecisset. Quos vero G. Canterus vester Hymnos versibus reddiderat, & post Franc. Portus, & H. Steph. prosa ille vertit noster, neque alia opuscula eius, credo, inspexit in Vincentii Pinelli Liguris Bibliotheca. Sed haec alias, si volenti erit. Vale, in Dom. Antverp. pridie Cal. Augusti A. MDCXX.

Si quam orationem ad te misit Andreae G. Elmenhorstius Hamburgo, fac, sciam; & si ab

Ann. Chr. MDCXX.

& si ab Andrea istic edendo Religione V. praepediris, noli diutius proferre, sed ad me remitte potius, quam fraudi vobis ea res foret.

CCCCXCVIII.

GEVERHART. ELMENHORSTIVS IO. MEVRSIO S.

Vir Clarissime!

AMicissimus noster Holstenius transmisit mihi proxime epistolam tuam, qua mihi promittebas insignes aliquot libros tuos, qui mihi gratissimi futuri sunt, ut omnia tua. Spero brevi futurum, ut beneficia tua digne remunerari queam. Interim te rogo, ut nos serio amare pergas, & harum datori, qui est Professoris nostri filius, locum inter tuos auditores & amiculos concedas. Erit hoc nobis vehementer gratum. Salve, amice summe. Hamburgi Prid. Eid. Sextilis Iuliani MDCXX.

Tui observantissimus

GEVERHART. ELMENHORSTIVS.

CCCCXCIX.

ANDR. SCHOTTVS IO. MEVRSIO Χαίρειν.

DIci vix potest, quam exspectatum responsum tuum, doctissime Meursi, quod adtulit Brantius noster, cum fasce librorum tuorum nuper evulgatorum: de quibus amo te, & quas possum, gratias ago; neque necesse ducebam pro vectura soluta totidem Brantio mittere, etsi φιλέλληνι, Latinis tamen magis addicto: quia vecturam possum solvere, si nautis committes inscripta fasci mercede lationis, vel manu Lopesii adfinis Elziviriorum in nostra vicinia. Imposuit sane mihi, qui te castris Graecorum relictis, ad Medicorum transiisse narrarat. Gaudeo te hoc serio agere, ut Graeci eruantur e tenebris, lucemque adspiciant. Interpretes nanciscentur e posteris, qui ignaviae multorum consultum eunt. Doctis magis placet Graeca Graece legere: non sudare in aliorum sensibus improbo labore consequendis, ut experior in sacris B. Isidori Pelusiotae Epistolis prope sexcentis convertendis. In *Variorum Divinorum* tuorum Auctoribus, primam Homiliam B. Cyrilli Alexand. in Dom. Transfigurationem iam edideramus, cum ἑορταστικοῖς eiusdem in calce, si forte vacat inspicere. Reliquas Andreae Hierosolymitani equidem exoptem, rogemque libens adiici charactere eodem. Tomulo altero, Andreae, inquam, reliquas Conciones. Erit hoc per mihi gratum, ut Graece excusas legendo animum expleam. Eius sane concio illa in vitam humanam mire placet, & iam conversam habeo. Eritne denuo reliquis iungenda? Antigoni, Apollonii Dyscoli, & Phlegontis illa a Xylandro edita videram cum vita M. Aurelii Imper. Dyscoli puto esse syntaxim illam Graecam, interpr. Franc. Porto, a Sylburgio typis Wechelianis olim evulgatam. Procopii Gazaei habemus in Octateuchum Commentarios a Gesneris fratribus Latine tantum editos, cum his in libros Regum, sed Claudio Thrasybulo interprete; hic Lud. Lavaterum lego. De Synesio, quae collegi, erit, cum licebit, volenti communicare: quae a Petavio nostro non visa observo, aut egregie dissimulata, Rudingeri, eiusque soceri Camerarii Notas, aliaque. In Curopalata, utinam exemplar Gr. nanciscamur a Vincentio Marinerio Valentino, quo lacunas aliquot Georgii Cedreni explere liceat. Sed de his alias. Vale in Dom., nosque amare perge. Antv. XXIV. Augusti MDCXX.

D.

GEVER. ELMENHORSTIVS IO. MEVRSIO S.

EX Holstenio nostro nuper cognovi, lubentissime te in Graecis auctoribus institutum strenue urgere, Vir maxime. Perge bene mereri de posteritate, nomenque tuum porro propaga, cui quidem, dum litterae Latinae & Graecae erunt, honos decusque suum semper manebit. Apuleius noster lente procedit ob miseram hanc temporum conditionem, quae etiam nos in nostris, qua iamadfecta habemus, producendis, negligentiores reddunt. Nosti enim illud Mimi:

Cum vitia prosunt, stultus est, qui recte facit.

Salve, Vir doctissime & harum latori, qui est filius medici noti nominis Roderici de Castro, locum inter amiculos & auditores lubens concede. Hamb. a. d. XXV. Septemb. Iuliani MDCXX.

DI.

GEORGIVS DE BYE IO. MEVRSIO S. P.

DOctissime D. Meursi, venit ad te filius meus Iacobus de Bye, ut convictor tuus sit. Bonae indolis est, & natura modestus adolescens. Itaque tibi eum commendo, petoque, ut illi impartiaris prudens tuum consilium in adsumendo methodum suorum studiorum. Coepit gustare initia Institutionum Iuris. In eo studio progrediendum est illi; ita tamen, ne interim exercitium Latinae linguae omittat; simulque mandavi, ut interdum horulam in discenda lingua Gallica insumat. Etsi autem sperem illum officio suo non defuturum, quum tamen aetas ea variis illecebris facillime seducatur, velim, si animadvertas illum in eo negligentiorem aut relicta studiorum serie consueta tempus nugis terere, vel etiam serius foris emanere (quod tamen non puto) eius tempestive me certiorem facias. Id mihi erit gratissimum, & me summopere de-

re devincies. Si quod erit, in quo opera mea & ſtudium tibi uſui erit, ſincere id viciſſim & ſedulo exſequar. Vale, quam plurimum. Hagae prid. Kal Nov. MDCXX.

DII.

LETTRE DE MONSIEUR DU MAURIER.

Monſieur, i' ay receu avec voſtre lettre du jour d' hyer le livre de voſtre compoſition, du quel ſelon voſtre couſtume vous m' avez faiꝺ part, & dont je vous remercie tres affectionneement, avec aſſeurance que je le liray et garderay ſoigneuſement, comme je m' aſſeure, qu' il en eſt digne puis, qu' il eſt de voſtre fazon. Le ſujeꝺ en eſtant tres digne, et ne doutant pas que vous ne l' ayez traiꝺe de meſine. Or en attendant queri quelque bonne occaſion je vous puiſſe teſmoigner l' eſtime, que je fay de voſtre ſuavoir et amitie. Je vous prie croire, que je n' en perdray pas l' opportunitè, quand elle me ſera offerte; ſur quoy me recomandant tres affetionneement a voſtre bonne grace. Je prie Dieu vous avoir ſa ſanꝺe garde, & vous de croire aſſeurement que je ſuis voſtre humble amy a vous ſervir.

De la Haye ce VIII. *Mars* MDCXXI.

DIII.

DOMIN. MOLINUS (a) IO. MEURSIO.

Sarà con queſte il pacchetto di libri, che già con altre mie vi ho ſignificato dovervi inviare; Attenderò con deſiderio l' avviſo che vi ſia capitato, la certezza del voſtro buono ſtato, ed il favore di qualche impiego per le voſtre ſodisfazioni. Tra tanto io reſto Monſig. paratiſſimo al voſtro ſervizio. In Venezia li II. *Iuio* MDCXXI.

DIV.

GEORG. MICHAEL LINGELSHEMIUS IO. MEURSIO S. P.

Vir Cl. amicorum eximie.

Tua mihi iam opera opus eſt, rogatus ab amico inſigni, te quaeſo, ut officium hoc mihi praeſtes. Gulielmus Laurenbergius Medicus edidit Lugduni Batavorum, libellum in quo ſcribit, ſe a calculo liberatum medicamento quodam. Iam vero ſunt Venetiis, qui rumorem ſparſerint, hunc eumdem Medicum illo ipſo medicamento ſibi perniciem adtuliſſe, eo & exſtinctum fuiſſe. Eius rei certus eſſe cupit amicus ille meus, Vir primarius. Gratiſſimum igitur mihi praeſtiteris officium, ſi me certiorem feceris, anne adhuc in vivis ſit (b), an vero exitium ſibi ſuo medicamento quaeſiverit, quod explorare tibi difficile haud erit. Vides, qua libertate te compellem, quum enim plurimum tibi debeam, quod ingenii eſt, amplius tibi debere cupio, & gratiam quavis occaſione referre. Nos adhuc gravi in diſcrimine, finitis induciis a Britanno obtentis, iam hoſtis ad vim converſus rurſus, arcem in Rheni ripa ſitam v. milliaribus hinc diſtantem, Steinam nomine, per inſidias occupavit, interea dum Legatus Britannicus Digbeius apud Caeſarem de pace agit. Vtinam Rex noſter nobis redderetur, de meliore ſucceſſu ſpem concipere, poſſe-

(a) *Dominicus Molinus* Patricius Venetus *Marinum Dominici* F. & *Paullinam Barbadicam* parentes habuit, & IV. Nonas Novembres anno pubblicae ſalutis MDLXXII natus eſt. Adoleſcens adeo ſe cunctis probavit, ut anno MDIC. Quinqueviris, qui rebus maritimis in Senatu tractandis praeficiuntur, adſcriptus fuerit, & iuvenili Magiſtratu fungeretur, ut moris eſt apud Venetos. Anno MDCIV. vectigalibus praefuit; quadriennio autem poſt, rei argentariae. Anno MDCXVI. inter Decemviros, qui *Sapientes* vulgo adpellantur, cooptatus eſt. Anno vero MDCXX. adlectus eſt iis, qui res bellicas in Senatu procurant; & inſequenti Pater Conſcriptus renunciatus eſt. Vertebat annus MDCXXII. cum IV. Nonas Septembres Senator electus fuit. Anno MDCXXVI. Sexvir ad Remp. in Senatu procurandam iuſſus fuit, quem graviſſimum Magiſtratum tredecies deinde obivit. Anno MDCXXVIII. Vir diſertiſſimus omnes eloquentiae nervos intendit, ut Senatum moveret ad opem Regulo Mantuano ferendam, qui tunc a Germanis op pugnabatur, ut *Nanius* libro ſeptimo *Hiſtoriae Venetae* memoriae prodidit; qui quidem Scriptor ſubdit, *Dominicum Molinum* habitum fuiſſe Reip. tractandae conſultiſſimum, adeoque magnam ſibi opinionem conciliaviſſe. Anno, qui conſequutus eſt, e Sexviris, qui Principi adſident, fuit. Anno MDCXXXII. aquarum Curator creatus eſt, donec anno MDCXXXV. ſupremum diem obiit. Elatus eſt ad Divi Stephani, ubi Fratres Auguſtiniani degunt, ſepultuſque eſt in eorum Aſceterii cavaedio, ſequenti Epigrammate impoſito,

ANGUSTO HOC CLAUDITUR CIPPO, CUIUS AUGUSTAM
NON CAPIT ORBIS FAMAM
DOMINICUS MOLINUS
QUI IN CONSERVANDA REIP. MAIESTATE,
PROVEHENDAQUE
LITTERARUM GLORIA NUMQUAM QUIEVIT
FRATRI DULCISSIMO
FRANCISCUS D. MARCI PROCURATOR
MOESTISSIMUS POSUIT
OBIIT DEC. SEX. KAL. DEC. MDCXXXV.
VIXIT ANNOS LXII. M. XI. D. XXVI.

Marcus Zuerius Boxhornius funebri cum Oratione laudavit, quae una cum aliis eiuſdem Orationibus circumfertur, & ſeparatim etiam formis deſcripta fuit Lugduni Batavorum anno MDCXXXVI. Eorum, quae *Molinus* litteris mandavit, non ſuperſunt niſi hae Epiſtolae *Ioanni Meurſio* ſcriptae, & alia ad *Caſparem Scioppium* data, qua antiquitates Hiſpanas pertractat, quaeque manu exarata in Codice Caeſareo exſtat. De eo multa cum laude loquuntur *Balthaſar Boniſacius*, cui *Molinus* dicitur *Magnus Heros* & *Muſarum parens*; *Ioannes Gerardus Voſſius* Praefatione libri *de Hiſtoricis Latinis*; *Antonius Querengus in Hexametris*; *Laurentius Pignorius Symb. Epiſt. Lib I. Epiſt.* 43. *Chriſtophorus Finoctus Odarum Lib. prim. Ode* 14. *Daniel Heinſius*, *Fortunius Licetus*, & ſexcenti alii. LAMIUS.

(b) *Gulielmus Laurenbergius* fuit Profeſſor Medicinae & Mathematum in Acad. Roſtochienſi, interque varia Medici argumenti ſcripta, quae in *Mercklini Lindenio* renovato deſcriptis Medicis recenſentur, reliquit *Epiſtolicam Diſſertationem de curatione Calculi veſicae*, quae aliquot a morte auctoris annis lucem adſpexit Lugduni Batav. 1619. in 8. ipſe vero iam an. 1612. d. 2. Febr. fato ſuo functus erat, aetatis anno 65. adeoque tertio anno poſtquam in ſe ipſo fuerat expertus vim medicamenti, quod memorata epiſtola deſcripſit. Scilicet eius ab ipſo rationem expetierat, de curatione illa per famam certior factus, *D. Henricus Hoierus*, Bergis Norvegiorum Iatrophyſicus Hiſtoricuſque inſignis. Ac ſatisfecit petitioni huic *Laurenbergius*, ampla caſus ſui narratione, & remediorum, quibus in comminuendo & ex veſicae latebris exturbando calculo ſuo uſus eſt, deſcriptione, nec non plurium in eodem morbi genere ab aliis commendatorum. Data eſt epiſtola *Roſtochii* IX. Cal. Sept. anno 1610 filios *Gulielmus* iſte habuit oppido eruditos & praeclaros viros, *Petrum & Ioannem Laurenbergios*, quorum hic Profeſſor in Acad. Sorana & Collega *Meurſii* exſtitit. GRAMMIUS.

Ann. Chr. MDCXXI.

possemus. In Deo nobis fiducia, quem veneror, ut te tuosque servet incolumes, & ab omni malo protegat. Vale, Vir praestantissime. Heidelbergae XVII. Aug. CIↃIↃCXXI.

DV.

Io. Mevrsii Epist. ad Lingelshemivm.

Vir Nobilissime & Amplissime.

Vix dicere equidem tibi possim, quantae voluptati fuerit, gratissimam illam manum tuam quasi postliminio videre. Iamdudum enim neque vidi quicquam, neque etiam audivi. Intellexeram enim, per has turbas Argentinam se petiisse. Nec de reditu quicquam nunciatum fuit. Vtinam Mansio vobis detur tranquilla; sed confide, Deus providebit. Saepe ille bonae causae male etiam esse patitur, sive in poenam peccatorum humanorum, sive ut virtutem suorum exerceat: quorum constans semper esse fiducia debet, & vos ipsa:

Etiamsi me frangas, Domine, tamen in te sperabo porro.

Vides rerum humanarum hodie statum; nec vos solos exagitari; & lenire dolorem potest, ac debet, vexationis quaedam communio. Petamus, quod meriti sumus; & patientia, ac poenitentia, flectamus succensentem Deum. Is haec fortasse benigna reducet in sedem vice. Mihi, si privata quaeris, reddita professio & Senatus; sed non munus Historiae scribendae, quod differtur: sive ea, quod ego existimo, quaedam quasi est negatio. Cuperem tamen, si hoc vellent, ut aperte potius facerent. Sed & istud tolerandum. Interim vivo, & tranquillo animo contemno inimicorum meorum malevolentiam, ac Museo me includo: ubi scripsi *De Athenis Atticis* libros VI. *De Arce Athenarum* librum singularem. *De Archontibus Atheniensium* libros IV. Et videbis, volente Deo, proximis nundinis. Ac sequentur *Bibliothecae Atticae*, sive *de Scriptoribus Atticis* libri IX. iam parati; & *Porphyrii opera omnia*. Quibus puto satis me declaraturum, animum mihi supra fortunam omnem positum, neque facile a pratu suo deturbari. Quod de *Laurenbergio* quaeris, cum scito, quicquid contra aemuli dicant, annos aliquot sanum omnino & incolumen morbo suo supervixisse: ita accepi ex Auctoribus fide dignis, & qui Virum, cum viveret, novere. In his desino, & Deum precor, Vir Nobiliss. & Ampl. ut te cum familia omni sanum ac florentem quam diutissime servet. Festinante manu scribebam. Eo ipso die, quo tuas accepi, id est, ad diem X. Septemb. MDCXXI. (a)

Tuus omni cultu & observantia

Io. Mevrsivs.

Viro Nobiliss. & Ampliss. D. Georgio Michaeli Lingelshemio, Sereniss. Boemiae Regis Consiliario interiori.

Heidelbergam.

DVI.

Andr. Schottvs Io. Mevrsio χαίρειν.

Qvis non pacem bello praeferat! cum agere tuto de studiis liceat, otiaque consectari, quae literis dandis ad amicos de rebus necessariis requirantur. Accepi nuper ab erudito amico Vincentio Marinerio loca III. quae in Georgio Cedreno desiderantur, suntque in Ioanne Curopalata, ut legendo in Cod. quem ad te misi, observaram; ut & illud, aut Curopalatam adpendisse suam Graecia Imp. historiam Cedreno (ut in plerisque aliis cum Graecis, tum Latinis factitatum non ignoras) aut Curopalatam Cedrenum, vel hunc illum transcripsisse, pro suoque venditasse, ut plagiarium. Ea loca ad te mitto ipsius Vincentii descripta manu, si forte, quod optamus, ut Manassem nuper politicis versibus, sic & Curopalatam nobis edendum ac posteritati cures: addito & de Officiis Magistr. libello eiusdem, sive Codini est, vel similis potius argumenti: idque forma & charactere minori in 8. nisi quid secus iudices, ob haec civilia, quibus conflictamur, bella intestina. Vtinam Pax alma terris redeat, & otium. De Libanii quoque Epistolis illis, si describi potuerunt ab aliquo librario, quam vellem, Graece excudere placeret. Non est, quod a Fed. Morello, iam caduco, illas exspectemus, adeo lentum illi seni hoc negotium. Optarem cum Heriberto nostro accederet de Vita a Libanio ipso fuseque conscripta. Iuvaret nos ad Basilii M. loca illustranda, itemque Ioanni Chrysostomo lux accederet. Vterque enim Scriptor sanctissimus, ut te omnium minime fugit, Libanio usi sunt perfamiliariter. Iulianus etiam ὁ παραβάτης praeceptore usus putatur. De Andreae Ierosolymitani Episcopi Cretensis Homiliis in amici gratiam (sumus enim cognomines) amabo, adpareant, cum integrum erit tuis rationibus. Tua enim meis anteponam, necesse est, salva ut sit φιλίας iustitia. Tuas literas mitte Lopesio cognato Elzeviriorum, sic mihi reddentur secure. Vale in D., nosque dilige, vel ama potius. equidem qua potero, re consilioque praesto ero. Salutat te Heribertus & Schottus.

Scriverium quoque salutari cupimus, nisi molestum est.

DVII.

(a) Ex Volumine Epistolar. maximam partem ineditarum, quod penes me est, olim vero ad *Io. Preinshemium* V. Cl. pertinuit. Grammivs.

(b) Videtur anno 1621. vel 1622. scripta.

DVII.

CL. VIRO IO. MEVRSIO E. PVTEANVS S. D.

DOctissimum ad me munus mittis, mi Meursi: quod profecto coepi legere, ut accepi. Vix e limine Tabellarius pedem extulerat, & lemmata capitum singulorum percurri. Sic vero maiori desiderio correptus, quantum legere exorsus sum, tantum cultissimi ingenii tui industriam admirari. Hoc vero est, bene de Athenis, imo de seculis omnibus mereri. Quam multa observas, quam varia indagas, quam involuta explicas! Divini, non humani, tui oculi sunt: omnia intuentur, amplius dicam: omnia illustrant. Perge intueri, illustrare perge: tuo beneficio diem deinceps sine nocte habebimus. Sed felices Athenae, felices Archontes, qui esse iam non desinent: fecisti, ut regere adhuc videantur, qui ne vivunt quidem, & quorum maxima pars hactenus ignorata est. Qui latent etiam, per nubem tamen conspicui sunt, in quam ingenii tui radios immisisti. De Athenis vero ipsis, imo de Acropoli, quam suave fuit intelligere! In Arce vivo, Acropolim teneo: quicquid dixeris, proprie ad me pertinere arbitrabar. Vale, & me amare perge, quem augere divitiis tuis pergis. Ego redhostire cupio: sed vinci liberalitate tua, ingenuum erit profiteri. Lovanii III. Non. Ian. novi anni CIↃIↃCXXII. quem felicem precor.

DVIII.

ERVDITISS. VIRO D. IO. MEVRSIO.

Lugdunum Batavorum.

Monsieur.

L*A vostra singolar cortesia mi ha di già condotto assai vicino al fine di quel molto desiderio, che ho lungamente avuto di ritrovarmi tutte le vostre bellissime, ed eruditissime fatiche, capitatemi parte con gli libri di fiera, inviati già di qua dal nostro Elzevir, e parte in pacchetti mandatimi di mano in mano dal Sig. Residente Surrano; l'ultimo pervenutomi la presente settimana è la parte posteriore di Eusebio, Policronio &c. mi manca l'anteriore sino al foglio M; che voglio sperare sia per arrivarmi col venturo dispaccio; mi resta in oltre il Macrobio, il Panegirico detto al Re Britanno, l'Apologia d'Apuleio, l'Epistole di Teofilatto, Calcidio, Flegonte Tralliano, e quello che per adesso sopra ogn' altro bramo, il novo Pisistrato. Nè voglio, Signore, restar di dirvi quello, che appunto mentre sto scrivendo mi vien discorso da persona di buon intendimento, che viene a restituirmi i libri* de funere, & de puerperio *da me prestatigli, e da lui letti con somma sua sodisfazione, e con averli riscontrati col Kirchmanno, e con un altro Autore ancora, ed averli ritrovati assai migliori, ed è quello appunto, che so avervi scritto più d'una volta, cioè che meritano le vostre opere essere raccolte in un solo corpo, acciò così sparse non si perdino; poichè si vede principiar esse a patire questo naufragio, durandosi molta fatica a ritrovarne alcune di esse, e quelle appunto che sono più curiose; e delle quali particolarmente quì in Italia non se ne ritroverebbe un esemplare per danaro, che l'uomo volesse spendere; si deve in oltre per ogni modo aggiungervi la translazione Latina di tutto il Greco. Averete, Signore quì aggiunto il principio del Catalogo de' libri, che si ritrovano in questa pubblica Biblioteca, il rimanente vi anderò inviando; il copista ha fatti degli errori nello scrivere, nè mi resta tempo di levarli. Favoritemi Sig. di adoperarmi ne' vostri desideri, ed amatemi al solito, che io niuna cosa maggiormente desidero, che di gratificarvi in tutto quello, a che si estendono le mie forze State sano.*

Di Venezia li XVII. *Febb.* MDCXXII.

Vostro affezionatiss. Amico
DOMENICO MOLINO.

DIX.

IO. RVTGERSIVS IO. MEVRSIO S.

ACcepi literas tuas, quae, ut semper, gratissimae mihi acciderunt. Cave autem, putes quicquam a me neglectum in ea causa, de qua loquutus tecum fueram; sed dum memoriam excutio, dies aliquot elapsi sunt. Nunc horum mihi in mentem venit; Adolphus, princeps bello & pace longe clariss. singulari magnanimitate, liberalitate, omnibusque adeo iis virtutibus, quae in heroicum animum cadunt, Carolo V. militavit. Dithmarsos ferocissimos ac ad id tempus invictos populos cum fratre Ioanne, & Friderico II. Daniae Rege, domuit. Liberos complures habuit, inter quos Fridericus Episcopus Slesvicensis, princeps, inter alias virtutes, doctissimus, Philippus virtutum patris sui aemulus, princeps singularis. Christina Carolo IX. Svecorum, Gothorum, Vandalorum &c. Regi nupta, quae tota ipsa Maiestas est, ut neque alia matre Gustavus nasci debuisse videatur. Io. Adolphus, pater huius Friderici, cui dedicas, is praeter summas virtutes alias, tantus Eruditorum patronus fuit, ut sui temporis Maecenas habitus sit. Inter doctos, quos fovit, Io. a Wouwer fuit, quem evexit, dignitatibusque summis, amore literarum, auxit. Bibliothecam insignem in Regia vere arce Gottorpia instituit, optimis Graecis, Latinis, Codicibus, antiquis numis &c. instructissimam. E qua praeter alios Proclus prodiit. Eam Fridericus filius in dies ornare non desinit, qui Princeps est, ut breviter dicam, in quem omnes & singulae singulorum familiae suae Principum virtutes confluxerunt. Inter alia eruditione summa ipse & doctorum Maecenas unicus, magnanimus, liberalis, sobrius; nullum

Ann. Chr. MDCXXII.

lum otium ab eo nisi honestiss. & Principe dignis exercitationibus teritur. Horum ipse oculatus testis sum, ab eo splendidissimo adparatu ac singulari comitate exceptus, quum a sacra R. M. ad eum superiori hieme missus essem. Ac ut parens Theologiam Procli dedit, ita eius liberalitate Nic. Methonensem exspectamus, quem a suo Typographo Graece & Latine excudi curat; qui Methonensis gentilia Procli deliria e fundamentis Iesu Christi confutavit. Liber e Bibl. Lugd. depromtus. Ecce tabellam.

Adolphus D. G. Heres Nowegiae, Dux Slesvigae, Holsatiae, Stormariae, Dithmarsiae; Comes in Oldenburgh & Delmenhorst &c. inter alios liberos hi fuerunt:

Fridericus	Christina Reg. Sveciae	Io. Adolphus	
Philippus Epus Slesvicensis		Fridericus, nunc imperans.	& duo alii

Omnes hi Principes eo titulo utuntur, quem in Adolpho posui. Nec hoc tantum, sed regentes Principes revera sunt. Itaque quem Episcopum Slesvicensem nomino, heres Norveg. Dux &c. vocandus est. Totus enim titulus ἀπὸ κοινοῦ, ut scis, repetitur. Haec sunt V. C. quae occurrebant. Ab avo huius tantum incepi; quod tibi subsectu rum puto. Altius repetere, id vero non Praefationem, sed Genealogiam scribere esset. Cancellarius eius, Vir insignis, Martinus Chemnitius est. Et haec hactenus. Tu dilatabis & addes, aut demes, quae voles. Vale, & boni consule. XXVI. Febr. MDCXXII. (a)

DX.

LETTRE DV MONSIEVR DV MAVRIER.

Monsieur, j'ay receu avec vostre lettre du 7. de ce mois vos Archontes Athenienses, *dont je vous remercie tres affectionnement. Ce sont tousiours temoignages de vostre bienveillance les uns sur les autres, que je cheriray et conserveray, comme ils en sont dignes, et de plus ne manqueray de vous servir en recompense, si jamais l'occasion m'en peut estre offerte, d'aussi bon coeur, comme avec plaisir et profit je m'en vay faciliter vostre oeuvre. Sur quoy saluant humblement vos bonnes graces, de mes affectionnees Recommendations, je prie Dieu vous avoir en sa S. garde. De la Haye ce X. Auril.* MDCXXII.

DXI.

DOM. MOLINVS IO. MEVRSIO.

Nel farmi conoscere, come avete fatto col mezzo delle vostre cortesissime lettere l'amorevol disposizione vostra verso di me, mi avete fatto conoscere insieme l'obbligo che ho alla vostra gentilezza, poichè del debito che tenevo d'amarvi, e d'onorarvi, già per avanti me n'aveva data compita notizia il merito della vostra singolar virtù, che risplende ben chiaro in tante vostre bellissime e dottissime opere che si traggono alla stampa. Ma perchè Monsig. non vi sete contentato di prevenirmi con così cara esibizione, quanto è quella che m'avete fatta della vostra amicizia, che avete anco voluto nel medesimo tempo aggiungervi il dono preciosissimo del libro ultimamente pubblicato da voi De Fortuna Atheniensium, *e quello che più importa, significarmi l'intenzione che avete di onorare il mio nome colla Dedicazione d'altre opere, che dovete ben tosto pubblicare, però convengo confessare di restare altretanto confuso di tanta vostra umanità, quanto che ben vedo incoverare nella pienezza di cotal favori, e d'esser preoccupato da dimostrazione di tanta benignità, senza speranza di poter mai in alcun tempo, e con qual si sia mia operazione portarmi a proporzionata ricompensa con esso voi Monsig. Ma ne pur a darvi segno in minima parte di quella gratitudine che perciò conservo nell'animo. Stimerò io però di restare in qualche parte sollevato, se di tutto quello che vi può venire dalla debolezza mia, vi valereste con altrettanta confidenza, con quanta prontezza vi sete mosso ad essermi liberale della vostra da me stimatissima amicizia, a favorirmi de' vostri presenti, e ad onorarmi con espressione di stima, e di lode nel far che si veda impresso il mio nome, e quelle lodi, che ben so di non meritare, nel frontespizio delle vostre dottissime fatiche; perchè di questa maniera e più lodevolmente goderò di favore, e con maggior quietezza d'animo saranno essi da me ricevuti; con l'accompagnare l'esposizione Latina alle citazioni Greche, che si contengono nelle vostre opere, verrete Monsig. ad usar una gran carità all'universale del mondo, perchè così come tiene egli per il più notizia della lingua Latina, così già si sa mancare di quella della Greca, specialmente in Italia, ed in Spagna. E farete quello che hanno anco fatto tanti altri valorosi e letterati uomini, con accrescimento di loro merito, e di gloria. Il Padre Maestro Paolo nostro, che con gratissimo animo ha ricevute le vostre salutazioni ve ne rende insieme abbondantissime grazie, e vi tiene in quel luogo di stima e d'onore, che ben si deve alla vostra virtù, pregando meco insieme il Sig. Dio ad esservi favorevole del colmo delle sue grazie. Di Venezia li* XXVII. *Aprile* MDCXXII.

DXII.

CHRISTOPHORVS GVRIANVS ORATOR VENETVS IO. MEVRSIO.

Molto Ill. ed Eccellentiss. mio Sig. Oss.

All'osservanza, che sempre ho portato al nome, al merito, ed alle virtù sue, si è V. S. Ecc. compiaciuta dare argumento d'obbligo con farmi aver parte dell'opera del suo nobilissimo ingegno. Ho ricevuta la fortuna Attica, e le rendo affettuose grazie con le presenti per poter opportunamente farlo di

(a) Parabat scil. *Meursius* aliquod operum suorum inscribere Duci Holsatiae. GRAMMIVS.

di bocca. Dalle lettere intercette da una dell' Illustriss. Sig. Molino averà egli già inteso come sia seguito il negozio, nè aggiungerò di vantaggio in questo per non attediarlo. Credo bene, che godrà di esser favorito da lei d' una altra copia della medesima Fortuna Attica, che mandandola a me non mancherò fargliela capitare, e senza più le bacio affettuosamente le mani. Dall' Haya li XIX. *Maggio* MDCXXII.

DXIII.

CHRISTOPH. SURIANUS IO. MEURSIO.

Continua V. S. Eccellentissima a favorirmi co i parti del suo bell' ingegno, e con i frutti delle sue virtuose fatiche, ed in un istesso tempo sempre più mi và obbligando alla sua cortesia. Godrò del presente fattomi della composizione, de Ludis Graecorum; *per quella parte a che la capacità mia potrà arrivare, e mi riserbo di corrispondere a tempo, ed all' opportunità con la servitù, che le confesso. Li due pacchetti per l' Illustrissimo Molino, e per il Padre Maestro Paulo andranno a buon ricapito, e mentre attendo maggiori comandamenti da V. S. Eccellentissima godrò nell' esecuzione di questi; e senza più le bacio riverente le mani. Dall' Haia li* XIII. *Giugno* MDCXXII.

DXIV.

DOMINICUS MOLINUS IOANNI MEURSIO.

Ogn' ora più voi volete, che io vi conosca nella persona mia, altro tanto cortese, e gentile con accrescimento di mio debito, quanto nella vostra fama, e nelle vostre eruditissime opere v' ho già molt' anni sono conosciuto e valoroso, e letterato con vostra singolar lode. S' io qualche cosa valessi, o pur da alcuna cosa mi fussi, tutto mi vi offerirei, e tutto m' affisserei col pensiere per ritrovar modo onde potessi corrispondere agli onori, che da voi ricevo, specialmente con l' aver voluto onorar il mio nomine, facendolo veder impresso nella vostra Cecropia, ma perch' in me non conosco cosa degna di voi, ne equivalente al favore, che m' avete voluto fare, solo vi offerisco il mio sincero affetto, accompagnato da una gran stima, in che tengo il vostro gran merito, e da un infinito desiderio d' aver occasione, onde possa con veri affetti darvi segno della gratitudine del mio animo, tenendo tra tanto la vostra amicizia, e quella buona volontà, che verso me dimostrate, come ricco, e prezioso tesoro, fra le più care cose, che io m' abbia a questo mondo. Ho già letti li due fogli della Cecropia, che m' avete mandati, con mio supremo gusto, ed altro tanto son molto ben sicuro di ricevere dal libretto De Ludis Graecorum, *e da quello delle* Meditazioni, *li quali faccio accomodare per leggerli pur anch' essi, farli vedere a qualche amico mio, e tenerli presso gli altri vostri, che conservo in questa mia libreria tra li più conspicui. Di quelli, che sono notati nel Catalogo mandatomi da voi Mons. trovo alcuni mancarmene, de' quali vi manderò nota di mano in mano, acciò conforme alla vostra cortese esibizione vi piaccia inviarmeli a parte, a parte, consegnando li pacchetti al Sig. Residente Suriano. Per ora desidererei li stampati l' anno* 1598. *cioè Licofrone, Teocrito, e Macrobio. Sono Mons. le vostre Opere certamente degne d' essere raccolte, e ristampate tutte insieme ordinatamente in un solo corpo, perchè restando così separate, e sparse, avverrà, che alcuna se ne perda, e sarà con danno pubblico, e con dispiacere di quelli, che vi amano al presente, e che v' ammireranno nell' avvenire; oltrechè con la ristampa potrete aggiungere l' esposizioni latine de' luoghi Greci citati: cosa veramente necessaria, e che con particolar contento vedo già principiarsi ad esequire da voi nell' impressione della Cecropia. Ma ditemi per grazia, Mons., voi, che tanto benemerito sete della Greca letteratura, e che per quello molto bene appare nelle Opere istoriche da voi pubblicate sino a quest' ora, così ben maneggiate la Politica, e specialmente quella, che tocca al genere de' Stati liberi, perchè permettete, che il Principe degli Historici Greci, e si può dire de' Politici ancora, specialmente per quello, che tocca alla libertà, se ne resti così sprenato, senza che alcuno l' abbia pure appena mirato, non che fatti rei sopra alcuna degna fatica, utile alle Repubbliche. Parlo di Tucydide, il quale veramente a me pare un tesoro per il vostro, e per il nostro governo; e per documentare e li vostri, e li nostri Senatori, che vi s' impiegano. O quanto a proposito riuscirebbe l' accompagnarlo con un pieno Commentario politico, e istorico ancora, per l' esposizione specialmente de' modi tenutici all' ora, e per il confronto con le maniere moderne. In somma riuscirebbe questa veramente fatica e fruttuosa, e gloriosa, e se tanti si sono impiegati nella spiegatura della tirannide Tacitesca, perchè un valentissimo uomo de Rep. non doverà impiegare il suo buon talento in vantaggio della libertà? Fatelo Mons. che veramente sarà questa intrapresa degna di voi, ed ogni amatore della libertà ve ci averà obbligo, e vi benedirà in eterno. State sano. Di Venezia il primo Luglio* MDCXXII.

DXV.

PAULUS SERVITA IO. MEURSIO S. P.

Excellentissime Domine!

Gratissimis literis tuis XII. Iunii respondere haud volui, priusquam eruditas, ac pias *Meditationes* tuas degustassem; parum otii nactus, percurri: ea delibatione non sum contentus. Quum amplius otio uti dabitur, perlegam, in ea lectione adhibiturus, ut normam, & amussim, exhomologesin D. N. qui apud Ioannem testatus est, vitam aeternam esse veri Dei, & Christi notitiam, ex Pauli sententia decernentis, non operantis, verum in eum credentis, qui impium iustificat, fidem ad iustitiam reputat, secundum beneplacitum gratiae Dei, ut ne la-

Ann. Chr. MDCXXII.

latum quidem unguem a praeceptis, & exemplo eius discedam, qui omnia detrimentum existimavit praeter excellentem scientiam Christi ad illum, & virtutem resurrectionis eius cognoscendam. Interim tibi maximas habeo gratias, quod me dignum existimaveris, quem eo munere honorares. Beneficio isti, ut impar sum, qui ex sterili ingenii solo nihil unquam progignere valui, quod educatione dignum censere potuerim; ita summis votis opto, ut occasio offeratur, unde comprobare possim, quantum tibi pro ista benevolentia debeam. Deum veneror, Vir excellentissime, ut te diu servet incolumem, & mihi id largiatur, ut sibi servus haud inutilis evadam.

Venetiis XV. Iulii MDCXXII.

Excellentiae tuae devotissimus

PAVLVS SERVITA.

DXVI.

IO. MEVRSIO PETRVS CASTELLANVS S. P. D.

MErito negligentiae me potes accusare, nam literas tuas, & cum iis *Archontes* tuos a sex circiter mensibus accepi, nec respondi. Iam ut pudorem exprimas, iterum scribis, & novo munere oneras: Culpam adgnosco, nec excusationem ostendo. Possum tamen silentii causam imputare gravissimis negotiis, quae me ita exercuerunt, ut menses aliquot a Musis divertendum fuerit. Lis enim mihi fuit *non de tribus*, ut aiunt, *capellis*, sed de lauta hereditate, in qua parentes mei ipsos viginti annos frustra sudarunt. Lampas tandem per illorum mortem, nobis tradita; & quod felix faustumque sit, per mille discrimina

Vicimus, ac dubiam, & magnam pugnavimus pugnam.

Cogita, quid otii habuerim, quum ferrum in igne fuit, & nunc etiam adversarius *Revisionem*, ut vocant, meditatur. Tot tricas inveniunt rabulae ἱμαντελικτάοι, ut qui in foro vexatur, peius pereat, quam si de saxo saliat. Verum licet haec negotia me ita distrinxerint, ut quod debebam, officii mutui testimonium non dederim, velim tamen, id tibi certo persuadeas, amori nihil esse detractum: Vivit viverque in pectore isto, quamdiu spiritus, nam hunc studiorum fructum duco longe maximum, quod talium virorum animos mihi concilient, nec quidquam saepius, atque ardentius voveo, quam ut quod arcana latet fibra, prodere ipsa re, ipsisque factis aliquando queam. *Fortunam Atheniensium*, *Cecropiam*, & *Ludos* cum voluptate summa perlegi, & in iis felicem curiositatem, ac reconditam πολυμαθείαν admiratus fui, mirabunturque mecum quotquot erunt ἐκ ἄμυσοι. Recte etiam factum, quod Latinam interpretationem adieceris; nam & hic tua pluris fierent, si a pluribus caperentur: sed plane id usu venit, quod ad Lectores praefaris. Num opera *Porphyrii* opera tua prodierint, intelligere velim: & si factum, ut eo me munere bees, rogo; atque etiam aliis, si quae ab ingenio tuo, ac diligentia dabuntur. Vale, egregium Graeciae decus, & me amare perge tui amantissimum.

Lovanii ad d. II. Augusti MDCXXII.

DXVII.

HIER. ISBRANDVS IO. MEVRSIO S.

HEsterno vespere domum rediens inveni literas tuas una cum *Cecropia* tua. Ausim adfirmare, gratius nihil mihi accidere potuisse. Miseras iam ante mensem, & quod excurrit, *Fortunam Atticam*, & libellum de *Atheniensium Ludis*. Vtrumque scriptum probe mihi traditum. Necdum tamen mihi licuit testari, quantopere istaec tua me delectarint. Et ut ingenue fatear, ne quidem scripto id facere conatus sum, eo quod iamdiu mihi constitutum, prolixius de eo, & aliis coram agere. Absque extraordinaria hac commissione fuisset, quae me iam mensem integrum ferme, ab ipsis laribus, & coniuge carissima, extra urbem, sed non provinciam, detinet, etiam ante III. septimanas me vidisses. Quod si defungi mihi commisso munere brevi contingat, paucos intra dies inexspectatus advolabo, non publica, sed privata quaedam curaturus. In valetudinem nostram quod inquiris, fraterne facis. Vivimus equidem & valemus, beneficio divino, optime, de te cariss. frater, coniugeque tua, sorore nostra, idem sperantes. Domi si fuissem, & Ancillae vestrae alicubi prodesse potuissem, libentissime id in vestram gratiam fecissem. Nunc excusationem spero, idque eo magis, quod illa coniugi meae nihil aliud dixerit, quam responsum se exspectare, si redire mihi contingeret. Haec raptim ruri scribebam VII. Aug. MDCXXII. Vale cariss. frater cum sorore nostra, uxore vestra, & tota familia.

DXVIII.

DOM. MOLINVS IO. MEVRSIO.

VOi non solo vi mostrate e valoroso, e virtuoso nelle vostre eruditissime opere, ma vi fate conoscere eccellente di cortesia, e gran maestro di gentilezza per natura, perchè la facoltà dell' accarezzare, e dell' onorare altrui, si abbracciano da voi sì prontamente, che vi rendete commendabile, ed abbracciabile altresì da ciascheduno. Tutto ciò Monf. voi mi fate e sapere, e provare così nella dedicatia affissa al vostro libro, nella quale tanto m' onorate, come nell' altre lettere da voi scrittemi, sotto li XVIII. *&* XXV. *del passato mese; onde ben posso con verità dire che abbiate legato il mio affetto, ed il mio cuore con i cortesissimi indissolubili lacci de' vostri favori. Ben vorrei io, che il sciogliere totalmen-*

Ann. Chr. MDCXXII.

te la mia penna nell' espressione di gratitudine, potesse a bastanza mostrarmivi grato; ma perchè io conosco, che per quanto scrivessi, non potrei di gran lunga arrivare a segno, però convengo avidamente attendere qualche occasione, con la quale possa effettivamente mostrarvi il grado in che conservo, e conserverò sempre, nella parte più grata dell' animo l' onore, che mi avete fatto, non dovendo tra tanto già mai stancarmi d' adoperare la lingua nelle vostre ben meritate lodi. Ho già letta una, e due volte la vostra bellissima Cecropia, e veramente si può dire vedersi essa novellamente riedificata nella vostra singolare erudizione, non che magnificata con tutte le cose notabili dell' antica sua famosa nobiltà. Io ben la veggo nel mare de' vostri virtuosissimi sudori più bella, e venerabile assai di ciò, che già si fusse nell' alta rupe della sua vecchia residenza. Ma, Monsi. se voi tanto, e così degnamente vi siete affaticato per l' inanimata rocca d' Athene, perchè vorrete dimostrarvi men pronto, e men cortese nel dar nuovo spirito, e nel ravvivare al mondo un così degno cittadino di quella gran madre di civil libertà? Perchè vorrete essere scarso di quella facoltà pregiatissima, che così favoritamente Dio v' ha dato, verso uomo tanto benemerito di tutti li Stati liberi, mentre pur la materia sua divina v' ha insieme fatta già di nascere, di vivere, e di participare de' comodi, e degli onori d' uno di essi, e de' più gloriosi, che mai per l' addietro siano stati? Perchè non doverete mostrarvi grato verso Tucidide autore, al quale tutti noi altri, che godiamo patria libera, tanto doviamo? e se gli altri hanno in così gran maniera adorni li maestri della tirannide, perchè in grazia doverà un uomo libero mostrarsi scarso verso il precettore della pregiata dolcissima libertà? Perchè voi meno? Che avete impiegati tant' anni di vostra vita nel rendervi con benemerito della Grecia, e dirò così delle cose inanimate d' ella, non vorrete donare qualche mese, o qualche anno di quelli, che la natura lunghi, e felici doverà ancora a voi, al gran merito del padre, e del principe della Civiltà Greca? mentre pur si vede nelle vostre Opere, ch' egli vi ha largamente del suo somministrata materia, e lume per avanzarvi tanto nell' onore immortale, che vi sete guadagnato, onde si può ancoragionevolmente dire, ch' egli, sia di là dove si trova la sua anima, con alta voce vi chiami a rendergliene la dovuta mercede. Fatelo per grazia, Monsi. e colmate con una cotal nobile fatica il gran cumulo de' vostri meriti, e con la letteratura, e con la patria, e con Atene, che pur tanto vi deve, e finalmente con tutti li stati liberi, che per sempre averanno occasione di benedirvi. Contentatevi, che quella cortese intenzione, che voi di ciò mi date nelle vostre lettere de' XXV. diventi formata promessa, e costante assoluta affirmativa. Che ben di ciò v' assicuro dover restar io il più contento uomo del mondo, particolarmente per quello, che da ciò d' onore, e di gloria ne verrà a voi Monsi. tant' amato da me, e per l' utile, che ne riceveranno, e la vostra, e la mia patria, vedendo esplicati li termini proprii di quella politica dottrina, che insegna li veri modi di conservare li Stati liberi, e di accrescerli ancora, e poste in chiaro infinite curiosissime antichità, che stanno sparse in tutta quella nobilissima Istoria. In voi Monsi. si ritrova attitudine perfettissima, per una cotal intrapresa, e in voi pienamente concorre ogni necessario requisito per condurla bentosto a fine. Fate Monsi. che non vi manchi un risoluto, e determinato volere, perchè quando questo si mova, e si ecciti generosamente nel vostro animo, io ben mi prometto la cosa non solo principiata, ma perfezionata, e già ne attendo la buona nova. Tra tanto conservatevi sano, e amatemi al solito. Con il venturo dispazzo v' invierò la nota delle vostre opere, che mi mancano, acciò vi piaccia di favorirmene. Di Venezia li XIX. Agosto MDCXXII.

DXIX.

CORNELIUS VAN DER MYLE IO. MEURSIO S.[a]

Monsieur. Non seulement vos lettres du XXII. mais aussi vos oeuvres, qui les accompaignoyent, m' ont asseuré de la continuation de la souvenance, qu avez de moy, ce que faisant, vous augmentez le petit nombre de ceux, qui sont par de la memoratifs de m' avoir veucydevant. Continuez en ceste bone volonté, sans toutefois de vous mettre en peine pour m' escrire souvent, ce que vous pouroit prejudicier, & ne serviroit à moy de chose quelconque. Ie vous declare de n' avoir jamais douté de vostre integrité, & preudhommie, & vous veux bien confesser ouvertement, que vous avec deux ou trois autres avez durant mes afflictions temoigné, que me cognoissez: ce que sera aussi tousjours reputé à vostre louvange par les gens d' honneur. Vous estés abusé, si jugés, que simples paroles tant plaisantes ou belles quelles puissent estre, sayent de valeur, en mon esgard: non; je les rejette librement, & publiquement, si la sincerité ne les accompagne. Au reste recevez, s'il vous plait, que, graces à Dieu, le temps passé ne m' a jamais trop transporté, & que la presente mauvaise saison ne m' abbatt nullement, & suis le mesme ici, que j' ay esté en Butbequerlant, & a Brederode; comme je demeureray aussi vostre plus affectioné amy pour vous faire plaisir, & servir.

Ie vous remercie affectionnement de vostre su-

(a) *Cornelius Van der Myle* (ille tot Poetarum, oratorum, historicorum Batavorum sui aevi carminibus, epistolis, & elogiis celebris, & Academiae aliquando Leidensis curator) gener erat *Io. Oldenbarneveldii*, atque huius ruina, & supplicium, res illius, ut fit, in casum secum traxerat, quantum ad honores, & munera in Rep. patria, irrogata etiam relegationis poena. Vid. aliàs de eo *Histor. Acad. Leydensis*, inter Curatores. Mortuus est anno 1642. mense Novembri, quod didici ex eleganti illa epistola *Casp. Barlaei* consolatoria ad filium eius *Adrianum Van der Myle*, inter illas *Barlaei* num. 458. nec non inter *Praestantium Virorum Epp. Eccles.* &c. n. IↃLXXX. GRAMMIUS.

Ann. Chr. MDCXXII.

susdit present, & vous asseure, que comme vos leux Grecs m'ont recrée, ainsi vos Archontes, m'ont beaucoup instruit, & Fortuna Attica, & Cecropia m'ont representé l'incertitude des grandeurs humaines. J'ose esperer, quant donnerez au public ipsas Athenas, que j'en auray ma part. Et pouvez estre tres asseuré, que j'auray en touttes occasions memoire de vostre bonne affect, selon son merite.

De Bevervvyck, ce VIII. *de Sept.* MDCXXII.

DXX.

CHRISTOPHORVS SVRIANVS IO. MEVRSIO.

DEvo obbedire a i comandamenti dell' Illustrissimo Sig. Domenico Molino, che mandandomi certo Epigramma, pervenutogli da Roma, vuole, che ne mandi copia a V.S. Eccellentissima. Con queste viene, e sarà accompagnato dal desiderio, che ho di servirla in cosa maggiore, e le bacio le mani. Dall' Haya le XI. *Settembre* MDCXXII.

DE MAXIMILIANO BAVARIAE DVCE
NOVIS Hispanorum pollicitis circumvento.

Insigni pietate Duci promisit Iberus
 Et regna, & titulos, Rex Friderice, tuos.
Papae! quam facilem dedit irrisoribus aurem!
 Quo desiderio fluctuat ambitio!
Proh pudor! Hispanae Germanus nescius artis!
 Proh scelus! in patrios arma ciere lares!
Credula spes fallit. Dux expergiscere: fies
 Plebis ludibrium, fabula nobilium.
Regnis non onerat, titulis non ornat Iberus;
 Exonerat regnis, exonerat titulis.

DXXI.

PETRVS GRVTERVS IO. MEVRSIO S. P.

TAm creber officinarum hospes es Cl. Meursi, ut Inquilinus dici merearis, sed & scripta tua ex facili vena profluentia per manus doctorum iuges periodos habent. Mihi sane hactenus iucundum fuit, utili lectione oculos meos pavisse, quibus internaeniis amor mihi in auctorem crevit, tanto zelo, ut compellandi desideria non compescam. Migrasse enim te in animum nostrum intellige, nullo alio, quam virtutum tuarum mangonio, quare neque vulgari ritu salutationem ordior, ut tibi soli admissionis nostrae pretium imputetur; & tu quoque velut theatrum, patulos aditus habes ostiario tuo claustris minus refractario. Mihi tamen libertate pedum peccare cautela est, cui unicum hoc in votis, vestibulum tantum conclavis occupare, aut si Laconem toleras, admoenire. Nam interiores tribus, melioris notae Quirites perficiunt; quos Romulus civitate donavit, & in penitius Gynaeceum Musae adscripserunt. Me vero numero ad parcimoniam doctis redactum, confarreare tamen candoris antiphaernis non pudet, quem tibi perlucentem probavero, si experimento fidem sumere voles. Albi ergo tui convolvulum, & primam paginam occupare me tolera, donec aliarum etiam virtutum peracta libra argumenta constabunt; an in secretiorem dietam Gruterus aliquando admitti possit? Votorum undequaque modestia est, ut deprecari etiam rusticam aestuationem adgrediar, sine parario, aut mangone ad tam luculentam officinam properantis, in qua eruditionis Latinae, & Graecae myrothecia clausa adservantur. Auguria vero oscines perficient, si literas melioris colloquii prodromos delatas tantum annunciaveris, nam adprobatas sperare, voti in praerupto, & arduo siti audacia est. Neque te pigebit obsequii literarii vices praestare; postquam in vicinum colonia mea traiecis in Bataviae maxima novam fortunae fidem stellarum positu explorans. Vale, Vir Clarissime Meursi, & me Albi tui admissarium, si toleras, bonum factum erit. Amstelodami XV. Kal. Octob. CIↃIↃCXXII.

DXXII.

CHRISTIANVS THOMAEVS IO. MEVRSIO S.

BInas a te literas, Vir humanissime, tres item libros, anno, qui iam currit, recte accepi. In illis si animi propensionem, vel in his eruditionem specto, gratulor mihi de tali amico. Quibus tu omnibus, ego qui me ipsum debuissem, hactenus ne verbum quidem, quo minus nihil potuissem. Mirari te nemo miretur, atque si inoffensa adhuc tam indigno silentio promptitudo tua viget, soli humanitatis tuae constantiae adscribendum. In qua una mihi multum adhuc spei reliquum contra sinistras suspiciones, cum ab iis, sat scio, nemo me liberum iudicet, nisi tu & tales boni. Neque tam audacter facilitatem tuam periclitatus fuissem, si aliter importuna rerum necessitas permisisset. Nosti per te, quam dubium sit otii fatum in aulis, quantum nihil, quantum nullitates agendo consumatur, quantum non considerantibus pereat, quantum nolentibus eripiatur, quamque quis nihil minus, quam se possideat, qui alteri se dedit. Illud solum in causa fuit, quod toties a te compellatus in arena non responderim. Alias dum adhuc a lectione tuarum mens calebat, & ab insperatis tam gratae amicitiae auspiciis animus recentior erat, felicius primos istos motus tibi fortasse repraesentassem. Id enim certo tibi persuasum velim, me literas venerari, & literatos amare, nec hos mihi minus, quam illas mihi in pretio esse. Unde quo loco mihi tuae, & literae, & literaria dona fuerint, ipse aestimaveris, praesertim quum per illa talis, quem melior eruditorum pars, non amore modo, verum & ho-

& honore prosequitur, amari a me adfectet, & amet. Indignus ego cuiusquam amore, nisi te meo dignissimum iudicarem. Quem enim amarem potius, qui amare desideret, & amari mereatur. Tantum in homine scientiae, & benevolentiae quis non amaret? Exoptarem totus, ut quemadmodum initium haec nostra amicitia per te invenit, ita vires a me, robur, & incrementum acquirere posset. Ab aliis laudes, & a posteritate potissimas exspecta, a me amorem omnem, quo omnia dixi. Vale. Regia Fridericiburgensi deproperabam V. Oct. An. MDCXXII. (a)

DXXIII.

Dominicus Molinus Io. Meursio.

HO dato ordine, che dalla Canea, Città del Regno di Candia, vi sia inviato un caratello di moscato, Vi piacerà Monſ. di riceverlo, e goderlo per segno del mio sincero affetto verso di voi, mentre pur bramo avervelo sì da dimostrare in altra cosa di maggior rilevo. State sano, e amatemi. A Venezia li XIV. Ottobre MDCXXII.

DXXIV.

Balthasar Bonifacius Io. Meursio S.

EGone hominem non diligam, quem etiam amari oporteat? solus eum non suspiciam, quem ceteri admirentur? Nunquam patiar, ut invidia mihi rubiginem suam, ac livorem adpingat. Neque propterea quicquam apud te, Vir Clarissime, volo videri meruisse. Quicquid enim docto Viro, & bono, aut amoris, aut laudis tribuitur, id ego puto non praestitum, sed solutum. Tuam igitur benevolentiam non exigo, sed expopto. Quam si abs te impetravero, quod mihi, & tua ipsius sponsio, & Domini mei fideiussio pollicetur, me compotem voti in re longe optatissima factum esse arbitrabor. Vale.

Venetiis Idib. Novemb. MDCXXII.

Tibi devinctissimus

B. Bonifacius.

DXXV.

Dominicus Molinus Io. Meursio.

COn lettere vostre de' due di questo mese ricevo il bellissimo, e curiosissimo vostro libro, De luxu Romanorum, *degno certo, della vostra molta erudizione, e singolar pregio del vostro nobile ingegno. L'ho più tosto avvorato, che letto, e così come le cose vostre Monſ. sempre più mi piacciono, così convengo replicarvi quello, che sò avervi già altre volte scritto, cioè non esser certamente bene il lasciarle così divise, e sparse come sono, con pericolo manifesto, che più d'una di esse resti smarrita, e sepolta; già durando voi stesso fatica ad accozzarle intieramente insieme, ma convenirsi redurle in un corpo, ordinate, o per li tempi, o piuttosto per le materie, come sono quelle di Giusto Lipsio, ed altri, onde abbiano a conservarsi a perpetua vostra gloria, ed a benefizio del mondo. Li libri, che consegnaste già all' Elzevir non ho ancora avuti, per certo impedimento nato dall' esser morto il mercante suo corrispondente, al quale erano indirizzate, onde le botti, nelli quali con altri essi si ritrovano, non si sono per fin' a quest' ora potute cavare dal fontaco, nè aprire, il che però seguirà ben presto. Tra tanto, e di quelli, e di questo ben mille grazie vi rendo Monſ. Attenderò gli altri di mano in mano, e la* Tirannide di Pisistrato *ancora, la quale vi averà data ampia materia d'inserirvi di buoni precetti Politici, e degli avvertimenti civili per servizio della vostra, e nostra Rep. Il frontespizio del libro del Zuccoli, che già v' inviai sarà aggiunto alle presenti, ed un altro Trattato politico ancora capitatomi ultimamente alle mani. Vorrei Monſ. aver alcuna cosa di meglio da inviarvi, ma questa nostra Italia produce al presente assai poco in quantità, ed assai poco di buono in qualità, non già che vi manchino ingegni, ma bensì chi li nudrisca, perchè li nostri gran Prelati Romani tutto si trangugiano, e se un giorno vi contentaste di fare un viaggio in queste nostre parti, e ve ne andaste a Roma, io son ben sicuro, che trovereste materia di formare un libro*, De Luxu Ecclesiasticorum Romanorum, *o pur vogliamo dire* Romanae Curiae, *assai più voluminato di quello, che mi avete mandato, e forse più curioso ancora, e pur questo è curiosissimo veramente, che le cose di questi buoni uomini sono passate ad eccessi incredibili a quelli, che non le vedono attualmente, nè vi è più nè freno, nè meta. Al Signor Pignorio, ed a Monſ. Bonifacio ho fatto sapere quello, che voi Monſ. di loro mi scrivete, di che ambi vi rendono molte grazie, e vi mandano duplicate le salutazioni.*

Di Venezia li XXX. *Dicembre* MDCXXII.

DXXVI.

Integerrimo & Eruditiss. Viro D. Io. Meursio in Acad. Lug. Professori.

Monsieur,

IO comprendo dalle vostre lettere de' XV. *di Dicembre passato, che diverse mie scrittevi questi mesi andati si sieno smarrite; il che assai mi duole, specialmente perchè non vorrei esser caduto presso di voi mio Sig. in concetto di uomo poco ben creato col non aver risposto alle vostre lettere, mentre pur a quante di esse*

(a) D. *Christianus Thomaeus*, e vetusta, & generosa *sestediorum* familia, regni Daniae senator, postea etiam Regis *Christiani IV.* ac filii eius *Friderici III* Cancellarius Magnus, Universitatis Hafniensis Patronus, eximius literatorum fautor, multarumque virtutum laude inclytus Heros. [Obiit Hafniae anno 1657. *Meursius* ei solonem suum dedicavit an. 1632. Grammius.

Ann. Chr. MDCXXIII.

esse mi sono capitate, ho immediate riscritto. Il Sig. Nys mi dice aver di nuovo scritto in Asterdam, perchè si usi nuova diligenza nel procurare la ricuperazione de' libri già da tanto tempo da me mandati per voi, e per quelli altri Signori amici vostri. Alcuni altri pochi se ne verranno con un Vascello, che sta di partenza, e sono quelli, che il Sig. Luz non ha potuti portare. Li libri, che mandai già, erano parecchi, nè veramente mi sovviene quali si fussero particolarmente, tutto, solo mi ricordo dell' Istoria Veneziana del Sig. Andrea Moresini nostro Senatore ultimamente stampatasi quì, che è volume assai grosso. La dedicazione alla Serenissima Repubblica del suo Senato Areopagitico sarà molto propria. Nè dubito, che non siano questi Signori per aggradirla, se voi vorrete farne dono a quelli, che presedono al governo, bisognerà inviarne trenta esemplari. Vn amico mio affezionato alla vostra virtù, o Signore, mi prega a intendere da voi, se abbiate mai perfezionato il Vocabolario o Lessicon Latino-Barbaro, e se siete per darlo alla stampa, mi farete favore ad avvisarmelo, che io frattanto prego Dio ad avervi nella sua santa grazia. Di Venezia li XV. *Gennaio* CIↃIↃCXXIII.

Vostro affezionatiss.

DOM. MOLINO.

DXXVII.

CHRISTOPH. SVRIANVS IO. MEVRSIO.

Doppo Lunedì, che ricevei le lettere di V. S. Ecc. dei 12. *del presente, sono stato attendendo l' ordinario di Venezia, alla speranza che vi fussero lettere per lei. Così è successo, essendomi capitato ieri a sera l' aggiunto pacchetto dell' Ill. Molino per V. S. Ecc. glielo invia, ed in un medesimo tempo la ringrazio del testimonio continuato, che ricevo da lei dell' amor suo, e dell' ottima volontà, che mi porta, cosa da me tanto stimata, quanto si deve a tanto e sì grande onore, che professo ricever dal merito e dalla virtù di V. S. Godo in oltre della lettura del suo Pisistrato, e goderò della memoria insieme, che conserverò appresso di me dell' obligo che le devo. In tanto la ringrazio del presente con vivo affetto. Abbiamo perso il Padre Maestro Paolo, iattura veramente grande particolarmente alla Serenis. Repubblica. Doveva fare un giorno questo passo, e bisogna consolarsi alla ferma credenza, che quell' anima benedetta sia in Cielo. Dio preservi V. S. Ecc. e a me dia modo di poter servirla. Le bacio riverente le mani, con aggiungerle, che Lunedì passato spedii all' Ill. Molino il pacchetto ch' ella m' inviò. Dall' Haya li* XVII. *Febbraio* CIↃIↃCXXIII.

DXXVIII.

DOMINICVS MOLINVS IO. MEVRSIO.

Avanti ieri con le vostre lettere mi capitò il vostro Pisistrato, che tuttavia vo leggendo con mio sommo gusto, voi ce lo rappresentate nudo, e dirò così, in puris naturalibus, *acciò meglio apparisca la maestria, colla quale perfettamente l' avete dilineato: spero che l' abbiate un giorno a far vedere tutto vestito di considerazioni, e discorsi politici, già ch' egli non solo abbondante ne somministra la materia, ma v' invita in gran maniera a farlo. Tra tanto io vi rendo ben mille grazie del favore con il quale avete voluto onorarmi inviandomelo, e vi assicuro che piacer maggiore non mi poteva venir da voi. Ho ammassati diversi libri da inviarvi, che se ne verranno con prima occasione. Vi ricordo la promessa fattami di ravvivare Tucidide, da effettuarsi però con vostro comodo, e vi prego felicità. Di Venezia li* III. *Marzo* CIↃIↃCXXIII.

DXXIX.

GEORG. REMVS IO. MEVRSIO S.

Intermissum scriptionis officium, Vir Cl. Vir Eruditiss. D. Meursi, amice exoptatissime, hac occasione restaurare vel tandem visum est, qua ad vos ex Academia Altorph. Norimb. quinque eximii Iuvenes studiosi LL. commigrant. Eos tibi primum nominabo. Sunt Georg. Henricus Poemerus, & Michael Im Hof, Patricii ordinis, Iacobus Braun, Georg Hieronymus Marstaller. & Io. Martinus Denchardus, Norimbergenses, Themidi operaturi, ac litaturi in vestro Atheneo Lugduno Batavo, toto orbe celebratiss. Eos tu Vir, quem humanitate humaniorem ipsa praedico, pro comitate tua excipies, novos hospites, amanter & consilio, quo opus, iuvabis; beneficio in homines gratos collocabis, quicquid vero feceris, mihi factum deputabis. Memini pol me a te scriptis aliquot tuis donatum superioribus annis; pro queis nullum ad te pervenit ἀντίδωρον. Fiet olim, ut spero. De publicis nil adtingo. Perferuntur ad nos, quae apud Belgas vestros geruntur: quae in Germania vero nostra accidunt, ea ex aliis cognoscis in dies; & hi, quod tibi de meliore commendo nota, iuvenes enunciare poterunt, quae circa Acad. Altorphinam, in qua ante hos XIII. annos floruisti, agantur. Cl. Rittershusius ante decennium obiit: quod ex filiis ipsius te intellexisse opinor. Recens Senatus noster ampliss. Privilegia Vniversitatis apud Imperat. Ferdin. II. Augustum impetravit, creandi Doctores & Poetas laureatos. multo satis auro constat res. Fortunassit Deus hoc quicquid est & vortat bene. Pluribus non morabor tua tempora. Vale, & salve;

Vir

Ann. Chr. MDCXXIII.

Vir magne & mihi obſervande D. Meurſi. Norimb. poſtrid. Kal. April. MDCXXIII.

Tui ſtudioſiſs,

G. REMIVS.

DXXX.

IO. MEVRSIO PETRVS CASTELLANVS S. P. D.

P*Iſiſtratum* tuum recte accepi, & avide perlegi, atque in Tyranno virtutes obſendi, quas merito Reges imitentur. Si diebus aliquot citius veniſſet, locum ſuum obtinuiſſet in Bibliotheca Belgica, quam typis Haſtemanis edit Andreas Valerius Linguae Sanctae Profeſſor. Operam dedi, ne quid operum tuorum ſub nominis tui elogio deſideraretur, ut etiam noſtris hominibus innoteſcerent. Et iam ex ſenatoribus ſanctioris Concilii vir longè doctiſſimus & graecis quoque literis non leviter tinctus (nam eas hic ante me profeſſus fuit) quicquid lucubrationum tuarum habeo, tibi mitti poſtulavit. Iudicium eius exſpecto: nec dubito, quin mirifice ſit probaturus. Archontes tuos ante menſes aliquot accepi, & gratias egi; quod moneo, ne culpa nunciorum negligens iudicer. Vale, & me ama, Lovanii ad d. XX. Ap. CIƆIƆCXXIII.

Tuus

ἐξ ὅλης τῆς καρδίας

P. CASTELLANVS.

DXXXI.

DOM. MOLINVS IO. MEVRSIO.

S*E tardi ſe ne viene a voi la ſeconda parte de' libri laſciati alla Sereniſs. Repubblica dal fu già Cardinale Beſſarione, dovete incolparne mille impedimenti, che ſi ſono attraverſati nella fortuna dell' opera, la qual ben deſidero rieſca altrettanto di voſtra ſodisfazione, quanto è maggiore la buona volontà, con la quale io ne la mando. Con un vaſello partito già alcune ſettimane ſono da codeſte parti per Amſterdam, v' inviai Monſig. alcuni libri curioſi, che non credo ſi ſiano prima coſtì; ſpero che all' arrivo di queſte vi ſaranno pervenuti. Ho avuto il Calcidio ſopra il Timeo di Platone; di lui mi manca l' ultimo foglio* de Commentario, *e per compimento di tutte le voſtre opere il Macrobio, il Panegirico al Re della Gran Bretagna, e l' Apologia d' Apuleio. Il Sig. Adolpho Vorſtio, che ſe ne viene coſtì coll' Ambaſciadore della Sereniſs. Repubblica vi referirà il guſto, che io mi prendo dalla lettura de' voſtri libri, e con qual brama attenda li nuovi parti del voſtro buon ingegno. Vivete Monſig. felice ed amatemi. Di Venezia li* XXVIII. *Aprile* MDCXXIII.

DXXXII.

BALTHAZAR LYDIVS IO. MEVRSIO S.

CLariſſime Vir, en tibi Glycam tuum, qui mihi poſthac γλυκίων erit, poſtquam elicuit tuas prolixas & gratas ab adfectu. Monuerat me Elzevirius, ſed ſerius, Catalogo edito, tamen antequam tuas accepiſſem, eum ſepoſueram. Inter bonos bene agier: quamquam nunc illa tempora ſunt, ut ſi quis quid reddat, magnae habendae ſint gratiae; ſed boni norunt, non praeſcribi mora, iniquae poſſeſſioni, neque illam tempore convaleſcere. Manaſſem promiſeras, ſi recte memini Graecum, an decubuit in ſpongiam? Habes tamen Typographos ſatis faciles. ſed fortaſſis Graeca non leguntur, aut emptores non inveniunt. O tempora! Martinus quidam Roas ſcripſit obſervationum libros [a]: illos video laudari a Ramireſio & aliis: ſed nec invenire, nec reperire hactenus potui. Si tua aut Elzevirii opera eum nanciſci poſſem, magno me mactaretis beneficio; perdite talia ſcripta amo. Non credas, quantum ex his profecerim ad ſacras literas intelligendas, qui miſcellanea ſacra ſcripſerunt. Significa per occaſionem, an Carrio non abſolverit notas in Agellium; habeo exemplar mutilum. Vidi varia exempl. Pariſ. editionis, in quibus prorſus deſiderabantur Carrionis Notae: meum habet in xxv. capita priora Notas, ſed κολοβόκερκον eſt. Carolus Hannibal Anteceſſor Aquiſextienſis [b] ad Tit. *De Paganis & ſacrificiis* pag. 9. promittit nundinis proximis Agellium, ſed numquam vidi illius in Catalogis mentionem. Si plura Iacobi Gothofredi excuſa ſunt, quam ad Leges XII. Tabb. & ad Tit. de paganis, dic Elzevirio, ut ad me mittat. Movit mihi ſalivam, eique factum volo, ut & omnibus, qui de Antiquitate bene merentur, D. Voſſius mihi aliquando extorſit Diatribas Accurſii Mariangeli. Sperabam Gruterum in face Critica eum nobis daturum, ſed votum fuit ἀνεμώλιον. Si in illum incideris, mihi quaeſo emas. Dices, quid Theologo cum his ſtudiis? Reſpondeo patriſſare me, & feſſum ad haec quandoque divertere. Collegi omnium Criticorum ad Varronem notas, quas editioni adiuncturus eram ultimae, ſed Typographus mole libri fuit deterritus. Scripſeram in foliis Sibyllinis, quae magna nunc parte ventus tulit. Laboraveram in reſtituendis Lemmat. eam partem, neſcio, quis terrae filius furtiva manu mihi ſubſtulit. Hoc fatum meum. Scio me vobis prodeſſe non poſſe: ſed adoleſcentibus hanc operam navaram

(a) *Martini a Roa* Singularium locorum ac rerum libri V. editi quidem tunc erant, & in Hiſpania, & Lugduni an. 1504. impreſſi. Sed alter eiuſdem Singularium Tomus diu poſtea in lucem emiſſus, ut notum. GRAMMIVS.

(b) Scil *Fabrotus*. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXXIII.

varam. Nunc iacet infelix Pentheus, semperque iacebit. Vale, Vir Cl., meque amare perge, Dordraci A. CIƆIƆCXXIII. Kal. Iun.

DXXXIII.

HENRICVS DORMALIVS IO. MEVRSIO S. D.

S. P. Vir Clarissime!

Αὐτόματοι δ' ἀγαθοὶ ἀγαθῶν ἐπὶ δαῖτας ἴενται.

NOn erat mihi opus alio ad te scribendi argumento, si aliqua ego fuissem tui similibus comparandus, Vir Cl. Verum quum illud sit longe nedum a me, sed etiam a tota hac plaga solis iniqui, haerebam merito, & pendebam animi. Dubitantem itaque me & nihilominus scripturientem familiariter monuit I. a. Woestenraedel Vir genere & eruditione clarus, & quem solum sic habeo, quasi melioris aevi λείψανον, ille currentem impulit, identidem subiiciendo, αἰδὼς δ' ὄυν ἀγαθὴ κεχρήμενον &c. Condonabis itaque mihi, Vir Cl. si paupertas audax, paupertas, dico, ingenii, doctrinae, librorum. Cogit me vel invitum & plane ἀμύητον pulsare Musarum fores, & rogare quaedam tam super quorumdam librorum editionibus, quam studiis vestris, & Cll. Virorum Danielis Heinsii & Thomae Erpenii. Quod tum demum liberius & pluribus faciam, quum intellexero per vestram humanitatem licere, etiam balbutientibus suadam, & Cimmeriis lucem vestram adorare. nec ero longior, finiamque τὸν λόγον precatus, ut studia vestra bono literario magis magisque fecundet & promoveat. Vive & Vale, Vir Cl. & me, his verbis & D. Woestenraedel Cll. Viris Heinsio & Erpenio salutem plurimam (a).

Leodii V. Iunii MDCXXIII.

Cl. D. T.

Admirator & amator

HENRICVS DORMALIVS.

DXXXIV.

OLIGERVS G. ROSENCRANTZ IO. MEVRSIO S.

QVi cultum purioris amicitiae libenter exerceo, te ante menses aliquot compellare parabam. Itinera vero varia & occupationes pergraves conantem praepedivere. Itaque iam tandem, ubi modica dari videbatur respiratio, te salutatum procedere constitui. Fidum namque amicitiae nostrae foedus, quod tua praecellens eruditio, & singularis humanitas sancivit, firmiterque conservat, huius nulla non hora me commonebat officii, quod tamen innumerae ferme curae, nescio quo Musarum mearum fato, mihi dolenter hucusque praesipiebant; nunc autem geminati septidui vehemens morbus me omni huius conatus facultate ita spoliavit, ut vix ante hanc horam de amicis cogitare licuerit. Pisistratum autem tuum, Vir Cl. quem in larga copia & amicorum & fautorum tuorum, meo nomini inscriptum peculiari amore voluisti, munus illud voluptabile, laeta animi gratulatione suscepi; & animi tui tot argumentis declaratam in me adfectionem gratus agnosco, & amplector: etiam atque etiam adhortans, ut tam felici pede in Graecia inlustranda pergas, & properes, ut quemadmodum celeberrimus ille a virtute Alexander in Macedonia augenda & exornanda, solus sine aemulo clarus, Magni nomen indeptus est, ita tu in Graeciae omni disciplinarum genere olim cultissimae, hactenus vero densissimis tenebris immersae, pristino nitore restituendo, & ampliando strenue laborans, magnus, ut es, toti orbi inclarescas. Mei vero apud te diligentiam vigere novo documento auctus, arrhulam, praesentem, & testimonium grati animi & monitorium amici officii exstare opto, qui tuam fidem in filium meum hactenus sum exspertus, & postmodum comperturum me certo confido. Nec huic postulato opus est longo sermone, quum mea petitio solicitius urgere non debeat, quod tua benignitas libenter pridem promisit. Hoc unum duntaxat addidero, filium meum tua cura prudenter excitet, & animet ad prudentiam in rebus seculi huius, tum ex bonorum conversatione, tum ex proborum auctorum lectione comparandam. Atque ita hic in me meosque amoris securus, te bono litterarum valere iubeo (b).

Datam Otthoniae XIII. Iunii A. MDCXXIII.

aegra & languente manu subscribo, qui te dotesque tuas amo & aestimo.

OLIG. G. ROSENCRANTZ.

Meursii Epist.

(a) *Henricus Dormalius*, Canonicus Eccles. Cathedr. Leodiensis tit. S. Petri, Vir Graecis, Latinis, & Orientalib. literis haud vulgari studio addictus. Nihil vero editum ab eo vidi. Tantummodo Epigramma Graecum, totidem versibus latinis redditum in *Valerii Andreae* Bibliotheca (inter carmina gratulatoria) oculis nostris se obtulit, ubi se nominat *Henricum Dormalium Trudonensem*. GRAMMIVS.

(b) De *Oligero Rosencrantzio*, Heroe eminentis virtutis, & in immortale *Daniae* ornamentum nato, *D. Christiani Thomaei* (cuius nuper epistolas ad *Meursium* vidimus) socero, dubito an opus sit, quis fuerit, quave occasione noster, biennio antequam in Daniam vocaretur, eius sibi amicitiam conciliaverit, lectores docere: cum haec ipse *Meursius* luculenter exsposuerit in epistola, qua *Pisistratum* suum illius nomini inscripsit. Plura tamen subpeditabunt *Io. Mollerus* ad *Albertum Bartholin de Scriptorib. Danicis Hypomne. p.* 363. *seqq. Augustus Buchnerus* Programmate peculiari in *Dissertationum Academicar. Vol. I. num.* 167. ut plurimos alios omittam. Etsi nescio, an quisquam clarius cognoscendum dederit, quantus ille Vir temporis sui *Maecenas* non solum *Danis*, sed & *Germanis* sit habitus, quam *Ianus Gruterus*, cum *Florilegii Magni Tomum secundum* nomini eius inscriberet. *Oligeri* istius, ex filio *Erico*, itidem doctissimo & magnae pietatis Heroe (de quo, admodum tunc adolescente, in epistolis ad *Ger. Io. Vossium*, *num. CCI. & CCII. pag.* 128. fit mentio) nepos est, adhuc superstes, *D. Ivarus Rosencrantz*, *D. de Rosenholm*, *Rygaard* & *Egholm*, S. Reg. Mai. a Consiliis Status intimis, Ordinis *Elephantini* Eques, Cancellariae utriusque Danicae & Germanicae Director, Celsiss. Principis Hereditarii morum studiorumque supremus Inspector, & Vniversitatis Hafniensis Patronus, ob ingentia, in rem publicam, in studia, & litteratam gentem, merita, aeternum celebrandus, omnique laude iam tum cumulatissimus. GRAMMIVS.

DXXXV.

OLIGERVS G. ROSENCRANTZ IO. MEVRSIO

Clarissime Meursi

Ε'ν ἐπουρανίοις verae vitae εὐλογίαν.

SLangendorpius meus iter, quam speraram, ocyus ingredi urgentibus valde nominibus coactus, non quales conceperam animo, & valde volebam, tibi a me adferre potest literas: volui tamen lineolis pauculis hisce, quum ego peroptassem pluribus te adloqui, unice tibi contestatum reddere. Animum vero, qui in te propendet valde, quum ego non tam verbis & literis, ut facto & opere ipso comprobare tibi tuisque desiderem, spero cum Deo bono, Patriam ipsam meam propediem mecum, argumentum te dignum, sua sponte tibi subpeditaturam. Plura adiicere tempore excludor. De reliquo faustissimo initio novum hunc annum, ut felicissime tibi tuisque decurrere iubeat, Deum IeHVeH, communem nostrum ἐν ἐπουρανίοις βιωσόν, religiose venerans. Ex Ioanneo Regio (a) Octoniae ipso Ioanni Opt. Max. sacro die. A. CIƆIƆCXXIII.

DXXXVI.

Amiciss. & Eruditiss. Viro D.
IO. MEVRSIO
In Acad. Lugdunensi Professori.

Monsieur,

Confesso d'aver ricevuta con grave moto di perturbazione, e con vivo affetto di mestizia l'amara novella, che voi Sig. mi date della morte del nostro Sig. Cluverio pur troppo certo intempestiva al mondo tutto, che veramente ha perduto uomo di singolar virtù, e che con le sue dottissime fatiche apportava tant' utile all' universale, e a me in particolare inopportunissima, mentre mi pare di poter ragionevolmente dire in così fatto sinistro accidente, che il nascere della nostra amicizia, e la morte dell' amico sia stata una cosa medesima, e soggiungere insieme, che non ad altro fine pare, che io l' abbia conosciuto sì tardi, che per perderlo sì tosto. Non vorrei già che con la vita di lui si perdessero insieme tante sue belle opere, che già poco fa mi scrisse egli aver abbozzato, e poco mancargli a dar loro l' ultima mano, fra le quali mi significò esservi la descrizione dell' antica Grecia con quella insieme d' altre Provincie ad essa vicine, com' è a dire l' Epiro, la Macedonia, la Tracia, e la Dalmazia; ne io vedo o Sig. a chi possa maggiormente appartenere la perfezione di così gloriosa impresa che a voi già tanto benemerito di quella famosa Provincia, e dell' azioni segnalate di quei valorosissimi, e virtuosissimi uomini, che possono restare in gran parte involti nelle tenebre, se non si da loro il lume tanto necessario d' un esatta Geografica descrizione, e dichiarazione. Io mandai già ad esso Signor Cluverio una tavola impressa molt' anni sono quì in Venezia dell' antica Grecia d' un tal Sofinno, ma parmi, che non molto vaglia; questi giorni appunto me ne è capitata un altra inserita nell' Istorie di Tucidide stampata l' anno 1614. dal Ruusnero in Argentina di Giorgio Acacio, che ha tradotto, e fatte alcune annotazioni sopra quel dignissimo Storico, e pur questa ancora mi pare imperfetta assai. Onde pare o Signore, che voi siate invitato, e chiamato ad una tale gloriosa impresa; ne io desideroso altrettanto della vostra esaltazione, quanto del profitto universale, ho dovuto restare di farvene motto, e d' esortarvene come fo vivamente. Come pure l' aver veduto il già detto Tucidide dell' Acacio, mi ha fatto maggiormente accendere di desiderio d' aver un giorno a vedere quello, che già così cortesemente o Signore m' avete promesso di vostro impiego in esso; Li libri, che vi mandai, già spero vi saranno pervenuti, essendovi avviso, che la nave nominata Scutella di latte, per la quale ve gli inviai, sia arrivata con salvezza in Amsterdam; Piacemi, che il Catalogo delli libri di questa Biblioteca vi sia intero pervenuto, e mi sarebbe caro sapere, quali siano gli Codici, che non siano impressi, e se fra questi vi sia cosa, che vaglia, di che mentre starò attendendo l' avviso, io vi prego Signore ogni vero bene. Di Venezia li IX. Luglio MDCXXIII.

Di VS. Eccell.

Affezionatiss. di cuore
DOM. MOLINO.

DXXXVII.

CL. VIRO IO. MEVRSIO E. PVTEANVS S. D.

HVmanitate iam tua opus, Cl. Vir, ne inhumanus esse videar. Silentium meum, velut flagitium est: maiori dignum poena, quia & post munera duravit. Si hoc satis, confitentem habes reum. Scribere debui, imo potui: sed procrastinatio delictum fecit. Libris interim tuis, & laboribus novis, vereque eruditis animum pavi. Ita me Deus, ex intervallo tibi adesse visus sum, ore, certe animo promere, quidquid committi epistolae solet. Adfectum si metiris, scripsi, quum non scripsi. Ingenium tuum admiratus fui, & hoc amplius erat, quam scribere. Pisistrati lectione non adhuc me satiare potui. Profecto amplius ille tibi debet, quam ab Atheniensibus Harmodio & Aristogitoni tributum est, qui Hipparchum occiderunt. Eius Ε'ρμᾶς admirari soleo: sed nec eas industria tua omisit. Perge, Vir magne, illustrare Graeciam, quia iam tuam: facies incomparabili hac industria,

(a) *Ioanneum Regium* vocat Palatium seu domum Regiam Ottoniensem in Pionia; quia eadem olim fuit Monasterium *S. Ioanni* nuncupatum. GRAMMIVS,

Ann. Chr. MDCXXIII.

ſtria, ut omnium mox futura ſit, a qua omnes fere exulant. Perge, inquam, & vale, imo vive, ut poſſis pergere. Lovanii in Arce VII. Kal. Sextil. MDCXXIII.

DXXXVIII.

IACOBVS SCHICKHARDVS IO. MEVRSIO S.

Clariſſime Praeſtantiſſimeque Vir.

CONſtituit ſtrenuus & nobiliſſ. D. Caſparus ab Eweſſum D. Nienordae, Satrapa Covardiae & Drentiae, filium ſuum natu maiorem, Ianum ab Eweſſum, annum aetatis ſuae XVIII. ingreſſum, ad Academiam veſtram mittere ad uberiorem ingenii cultum capiendum. Deſiderat autem inprimis eum tali hoſpite uti, qui & ſtudiorum dux & moderator, & vitae inſpector ipſi ſit futurus. Iuſſit itaque, ut, quum non ita pridem Haga Comitis Leidam tranſirem, te compellarem, efficeremque, ut praedictus filius ipſius convictu tuo, ſimul & tua inſpectione frui poſſet. Ea de re, te tum temporis Roterodami peregre abſente, locutus ſum uxori tuae lectiſſimae, quae locum ipſi in aedibus futurum adſeruit, Illefeldio & Roſencrantzio reditum in patriam adornantibus. Quo autem eo certiores eſſemus, mandavit praedictus D. meus [cuius ego iam Secretarium ago] ut has ad te exararem, ſummopere rogans, ut prima quaque occaſione literis animum tuum hac de re mihi aperias. Facies D. meo rem gratiſſimam, omnique gratitudinis & officiorum genere demerendum. Bene vale, Vir Cl. Dabam feſtinantiſſ. Groningae a. d. XII. Aug. MDCXXIII. [a]

DXXXIX.

HENRICVS DORMALIVS IO. MEVRSIO S. D.

NOtus pridem eras fama & doctrina, Vir humaniſſime (ſit enim haec veriſſima tui praefatio) ſed candor tuus eſt, ultra utramque, qui etiam me tam familiari reſponſo dignatus ſis. Adamantinus ſim, niſi exoſculer iſtud pectus; ſed ut utar familiaritate, quam tribuis, iam ſcies, ſi quaedam promiſero, quae mihi mandavit Cl. Woeſtenradius, cum quo & quali ἀνθρώπῳ commercium epiſtolare feceris.

Cl. itaque Woeſtenradius, ut ipſius tantum non verbis utar, tibi ſalutem & gratias pro tam honorifica ſui in tuis mentione & amoris ſignificatione, debere ſe multum eo nomine, plus tamen, quod Chalcidium ſibi & Reip. literariae reſtitueris, optare rogareque, ut quod in Chalcidio praeſtitiſti, pergas in diverſis Procli in eumdem Platonem Commentariis facere, promiſiſſe Cl. Heinſium diverſorum Ariſtotelis ac Platonis Interpretum editionem, ſed eſſe iam dudum τῆς καλλίςης ἐπαγγελίας ὑπερήμερον, ne dicat oblitum, hortari, ut ipſe hanc palmam praeripiat, ſibi certe nihil optatius contingere poſſe, quam ſimilium librorum unde unde compotem fieri. Vnum dolere, quod male peregrinando & otiando fecerit, ut mecum nec bonus Graecus ſit, nec Latinus, fuiſſe alioquin iam pridem per literas tibi teſtatam ſuam erga te, & tui ſimiles reverentiam. Haec Woeſtenradius.

Ego ut propius me noſcas, ab ovo me deſcribam: natus ſum in Centronibus, popularis mei *S. Truyd* Galli *Centron* vocant, ingenio non omnino ἀμέσῳ, ſi praeceptorem, vel Maecenatem nactus eſſem, fortuna tenui & ſemper adverſa; literis me dedi, inde Iuriſprudentiae. Subinde togam ſumpſi; hanc etiam ſago mutavi, & nuper e Germania rediens, qua neceſſitate, qua fortunae taedio ſaepius in acie ſteti, ſed me per hoſtes Mercurius celer &c. iamque adeo iuventa praecipiti conor me Muſis reconciliare, ſed invita Minerva, ut ſentio, niſi quis mihi ἀπὸ μηχανῆς Deus adpareat. Auctor mihi eſt Cl. Woeſtenradius, ut in Gallias cogitem. quod tum demum faciam, quum intellexero, quid deſuper tui conſilii. Vt ut ſit, hic non ſubſiſtere certum eſt. Nec enim ſi ver aetatis meae male perdidi, aeſtatem etiam & autumnum volo. Hic ego ſubſiſtam, ubi nec viri amplius ſunt, nec libri? Fuerunt quidem magni aliquando hic viri, ſed fuere quondam ſtrenui Mileſii; at ipſorum filii merae noxae. Eſt etiamnum inſtructa Bibliotheca viri cuiuſdam magni: ſed obtigit filio valde diſſimili & illiberali. Diceres bovi clitellas impoſitas, & quod peius, ipſe eſt canis in praeſepi, quem honoris cauſa non nomino, ſed haec hactenus. Quid facit eruditiſſ. Heinſius, an otiatur? an manum adhibet auctoribus, quos propter cum ipſo expoſtulat Woeſtenradius? an Heſychio medelam parat? an verſus pangit? an nititur Minervam Veneri componere? videor enim audiviſſe ipſum eſſe in tit. ff. vel C. περὶ γάμου; vel forte iam perfecit? licet neget ſilentiarius, poſſe quempiam εἶν ἐνὶ θητεύειν Πάλλαδι, καὶ Παφίῃ; Quidquid ſit, ego velim ipſum eſſe memorem ſuae ad Max. Tyrium praefationis, quae praeſertim Ariſtarchos illos & συλλαβοπευσιλαβήτας tam vere, quam eleganter perſtringit, & pergat nobis auctores Tyrio ſimiles exhibere. Quid Erpenius? num ille eſt in Hebraeis vel Arabicis? ego aliquando Lovanii familiariter uſus ſum Ioſepho Barbato Memphitico, quem ipſe novit (ut ſciat & me Muſas orientales eminus ſalutaſſe, ἐπιπολαίως adtigiſſe) an Adagia illa inſtruit Arabica, quae promittit ad Iſaa. Caſaubonum ſcribens? an nobiſcum luget caſum Bibliothecae Palatinae? ſed quid tandem illa fiet vel factum eſt? illo, inquam, Germaniae ornamento, illo Mu-

(a) *Iacobum Schickhardum*, celebris illius *Wilhelmi* fratrem in familia Principis alicuius e Naſſoviorum, ſtirpe (ni fallor *Erneſti Caſimiri*, Friſiae Gubernatoris) vixiſſe, Secretarii, vel alio quodam functum munere, legi alicubi, ſed locus iam non ſubcurrit. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXXIII.

illo Museo, illo Philadelphio, illo Amaltheo, quam puto innuere Philostratum *Τράπεζαν τὴν ξυγκαλῦσαν τοὺς ἐν πάσῃ τῇ γῇ ἐλλογίμους*. Sed desinam ineptire, Heinsium & Erpenium hortatus & precatus, ut quod iam dudum parturiunt, aliquando edant, ne forte, si diutius morentur nostra desideria, cogamur contra ipsos uti parturientes viros, qui nobis portenta sunt, Deorum aliquem *ἀλεξίκακον*, *ἀποτρόπαιον* vel averruncum invocare.

Incidi ego nuperrime in volumen quoddam Graecum MS. cuius inscriptio superat omnem felicitatem aliorum Graecorum, notatam Plinio 2. in praefat. histor. suae natural. & est haec *ἱερὰ τέχνη ἥπερ ἐστὶ Ἰμανουήλου τοῦ Καππάδοκος γραφεῖσα ἐν τῇ περιβοήτῳ νήσῳ Κρήτῃ* &c.(a) Laudatur inibi, nescio quis, Stephanus Philosophus magna promittens; placebat, quod diceret suam illam divinam artem esse *λύσιν τῆς κακοσχόλου νόσου τῆς πενίας*. quam alibi *ἀνίατον* vocat, alibi vocat artem & inventum suum *τὸ τῆς ψυχῆς ἴαμα καὶ παντὸς μόχθου λυτήριον*, Speciosa haec & praeclara esse quis neget? ego tamen ingenue fateor aquam hic mihi haerere; sive mihi frigidus obstet circum praecordia sanguis, sive infensus semper Plutus. Tu si quid habes, quo iuves, subcurre, nec invideto. nam licet haec materia sit aurea, de semisse tecum paciscar. etiam hoc indica, utrum fando, vel legendo Cappadocem illum didiceris editum fuisse. Lagnaeus certe & plures alii, quos in chrysomania vidi, hunc non norunt. Etiam hoc adde, quomodo haec & similia legas & capias, literaliter, an anagogικῶς? Ego vereor meum iudicium perferre, ne forte obiiciatur mihi illud ex epistola Iudae Apost. *οὗτοι δὲ ὅσα μὲν οὐκ οἴδασι, βλασφημοῦσιν*.

Sed ego iam licentiore & longiore epistola tecum ago, quam par sit, hoc tamen adhuc, & verbum non amplius addam, quid spei & rerum novarum istic? Hic quidem omnia recte, nisi noceret *κακὸς γείτων*. Fama nobis pollicetur inducias annorum 24. quod faxit & probet supremus Irenarches, qui te & Cl. Heinsium & Erpenium bono literario & nobis quam diutissime & felicissime conservet! Leodici Eburonum Prid. Id. Sext. MDCXXIII.

Ad officia omnia devinctissimus
& paratissimus

HENRICVS DORMALIVS.

DXL.

ANDR. SCHOTTVS IO. MEVRSIO *Χαίρειν*.

SIlentium haec nobis tempora indicunt vel invitis. Putavi tamen tacito te nomine compellandum amici nomine N. qui iam edidit, ut ex titulo adparet, Isidori Pelusiotae Epistolas, & quidem Graece tantum, repertas & erutas e Vaticana Bibliotheca sexcentas prope: ad eas quas Billius & Rittershusius ediderunt olim; visas a me, lectasque, dum Romae agerem; Latine autem nondum, etsi verterim, evulgare placuit, quod, ut praefatus sum, interpretatione multorum alimus socordiam & ignaviam, qui Latina forte delibant, Graeca ne digito quidem adtingunt, nisi ut tegant, ut & pulchre tu questus es praefat. in Historiarum mirabilium Auctores Graecos IV. & vera narras. Exemplar mittam volenti tibi, quum erit, cui tuto committam. Sunt & penes me e libris Petri Pantini, quas nunc inspexi accuratius, Epistolae Libanii *ἀνέκδοτοι*, nescio, an eaedem, quas olim in vet. ad te cod. scriptas misi, mittam, si voles principia earum, & personarum nomina. Quam vellem illas diserti hominis epistolas vel Graece proferas in lucem, ut Parisiis Declamationes eius Freder. Morellus; qui & ipse Epistolas eius promisit, & parturit perpetuo, lente parit. Narro tibi, esse & in Ferrariensi prima Libanii aliquot Declamationum edit. in 4. De sua vita rebusque relationem bene longam; utinam exstaret melius excusa. Esset usui in Basilio M. & Chrysostomo. Vterque enim eo usus est familiariter, quod te non fugit. His ego nundinis, nihil abs te typis evulgatum legere memini Graece: & Auctorum pridem Censuras promiseras, fac adpareant. Habeo & Meletu de natura hominis Graece in membranis, antiqua litera, longe a Nemesio eiusdem argumenti diversum: ut a Nisseno etiam de Homine, qui est in eodem cod. & Basilii Magni *ἑξαήμερον*. Aveo scire, an Latina interpretatio Io. Corcyraei reperiri istic possit, quam Venetiis a Gryphio editam testatur Gesneriana Epitome, idque an. 1552. quo ego anno hausi vitalem auram, & miseriae vallem ingressus terram adtigi, & tollere educando parentes voluerunt ad laborem, & dolorem, ac lacrymas. Vale, salvus a Schotto, Antverp. Cal. Octob. CIↃIↃCXXIII.

DXLI.

IACOBVS SCHIKHARDVS IO. MEVRSIO S.

QVid rerum agat Ianus noster ab Ewsum, an monitis tuis audientem & obsequentem, in studiis sedulum, in vita moribusque modestum se praebeat, scire maximopere avemus. Tu, Vir Cl. si ab aliis curis vacabit, de eo literis tuis quaeso nos edoceas. An item Ex-Rector Harlemensis (nominis enim sum ignarus) privatam eius institutionem susceperit, & quibus conditionibus, Proximis diebus literas ad me dedit, quibus monuit de libris aliquibus sibi necessariis. Scripsi ad fratrem meum, qui iam in Academia vestra quoque degit, ut quibus

(a) *Imanuel Cappadox* ipse nescio an aliunde notus. Non occurrit, quantum memini, id nominis in Chymicorum Catalogis, quos alii ediderunt: sicut nec apud *Fabricium* Bibl. Graec. l. VI. c. VIII. (Tom. XII. p. 742. 772.) *Stephanus vero Philosophus*, qui Cappadoci huic laudatur, sat celebris. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXXIII.

quibus tu opus ipsi esse iudicaveris, in usum ipsius coemat. Eumdem fratrem meum, itemque & alterum, qui & ipse Leidae vivit, de meliore, quod aiunt, nota, tibi commendo, rogoque, ut si qua parte eos eorumque studia iuvare possis, id haud gravatim facias. Id confidentius a te peto, expertus in nupero congressu eximiam tuam humanitatem. Vtinam aliquando gratiam aliquam referre possem! Bene vale, Vir Cl. cum universa familia. Salutem adscribi tibi tuaeque iussit D. a Nyenoort eiusque coniunx. Raptim. Dabam Groningae prid. Cal. Novemb. CIƆIƆCXXIII. stylo Iuliano.

DXLII.

DOM. MOLINVS IO. MEVRSIO.

Voi veramente non mi potevate dar avviso di maggior consolazione di quello che m' arrecano le vostre gentilissime lettere dell' ultimo Settemb. passato, cioè, che mi doniate l' onore d' avervi potuto persuadere ad intraprendere fatica propria della virtù, e valor vostro, utile alli Stati liberi, e di vostra eterna gloria. Il perfezionare prima l' altre opere, alle quali avete già posta mano, è molto ben ragionevole, ne io ardirei pregarvi in contrario, anzi tengo che possano esse servirvi assai per ammassare materia da valervi nelli Commentari sopra Tucidide, specialmente quella, De Legibus Atheniensium, *presupponendo massime che voi siate, Monsig., non per portare le nude leggi, ma il tempo, l' occasione, ed il perchè fu ognuna di esse fatta, gli Autori, il fine loro, l' uso, l' abrogazione, l' effetto che partorirono, l' equità, o l' ingiustizia di ciascuna di esse, e mill' altre belle cose, che intorno a materia tanto ampla, e tanto degna possono venire dalla fertilità del vostro eccellentiss. ingegno, e che corrispondano alla gran virtù vostra. Monsig. Bonifacio non solo vi ama, ma nelle vostre opere ammira il vostro valore, e questi giorni appunto mi dice aver con sua molto gusto letta la vostra bellissima istoria, ed averne riportato utile. Le vostre Poesie, Monsig., ed il vostro trattato* de Gloria *m' arrivano desideratissimi, e supremamente cari: li leggerò ben avidamente, e non una sol volta; tra tanto ve ne rendo affettuosissime grazie, com' anco di quelli altri libretti che mi avvisate aver consegnati al vostro Elzevir, acciò di Francofort me l' invii, come pure spero che sia per fare, non avendo di lui avuta nuova alcuna, da che egli partì di costì; il che mi fa star con qualche gelosia di sua salute, per il desiderio che tengo di suo bene, già sapendo quanto sia pericolosa il viaggiare specialmente per l' Alemagna, al presente. Se vi potrà, Monsig., riuscire d' aver quel di più delle vostre nobilissime fatiche, che stanno notate nel foglio, che già v' inviai, riceverò per sommo favore che a parte a parte me l' andiate trasmettendo col mezzo del Sig. Presidente Suriano, desiderando io sommamente che questa mia Biblioteca resti adorna in particolare di tutte le vostre opere, senza che pur una ve ne manchi. Farò che quanto prima vi capiti il Catalogo de' libri Greci, che nella publica Biblioteca si ritrovano, li quali però non sono tutti quelli, che dal Card. Besserione* (a) *furono lasciati alla Serenis. Repub. perocchè molti degli migliori si ritrovano trasportati in Spagna, e riposti nella libreria Regia all' Escuriale, rubati da un scelerato infame Ambasciadore Spagnuolo, nominato Don Diego Fhurtado d' Mendoza, il quale avendo avuta cortese licenza da' Signori, a' quali era raccomandata la cura della Biblioteca, di poter entrare in essa a suo piacere, per leggere e studiare, non essendo da' ministri avvertito* (b)*, perchè non si presupponeva in uomo di sua condizione una bassezza tale, in diverse volte, levando dalle tavole incatenate gli Codici, e riponendovi carta da straccio, si portò il buono, ed il migliore, senza che per allora, e per qualche tempo dopo alcuno se n' avvedesse; ne si sarebbe per avventura creduto il furto fatto da lui, se il fatto stesso non lo palesava, e non lo palesi tuttavia e per adietra* (c)*, e per sempre con eterna sua infamia, mentre si vedono li Codici con il nome, e segno di Bessarione nella libreria dell' Escuriale. Il Padre Maestro Paolo caramente vi risaluta, come io, Monsig. vi prego felicità, e contento. Di Venezia li* III. *Novembre* MDCXXIII. (d)

(a) In edita male *Benevone*. GRAMMIVS.
(b) Edit. *assistito* GRAMMIVS.
(c) *E per adesso*, edit. GRAMMIVS.

(d) Edita haec est epistola a *Petro Burmanno* una cum *Marquardi Gudii* & *Sarravii* illis, pag. 130. seq. GRAMMIVS.

DXLIII.

HIERON. ISEBRANDVS IO. MEVRSIO S.

Carissime frater.

QVi hasce defert *Abelus Moda*, est, Viri optimi filius, nobis amici. Eum parentes studiorum causa Leidam ablegant. Si qua in re consilio tuo opus habeat, quaeso, id illi denegare ne velis. Erit id nobis gratissimum. Apud vos ubi erit, & occasio ita feret, in mores vitamque & studia ipsius interdum ut possis inquirere, nosque de eo certiores facere, aeque gratum erit. Ego uxorque cum familia recte valemus; de te, uxoreque tua, sorore nostra idem sperantes. Novi hic nihil, nisi quod misere a Mansveldico exercitu adfligatur florentissima quondam provincia, Oosbfrisia, nobis vicina. Quos militum insolentia superstites reliquit, fames ferme omnes aut maximam partem, vel pestis consumit. Quid vobis vicinis ab his iisdem hac hyeme metuendum non sit, vix video. Deus Opt. Max. hos vastatores compescat, nosque omnes conservet. Vale, Vir Cl. frater honorande cum tua, quam ex animo salutatam cupit uxor mea. Raptim urgente nostro Moda, quem tibi commendo. Groningae Nonis Novemb. MDCXXIII.

DXLIV.

Ann. Chr. MDCXXIII.

DXLIV.

ANDR. SCHOTTUS IO. MEVRSIO.

EGo vero ac libenter, doctissime Meursi, opera utar tua, in Meletio de hominis structura extcudendo, sive Graece tantum, seu potius Graeco-Lat. ut antecedant Graeca, subsequantur Latina, si forte interpretationem reperies in Lugd. vestra Bibliotheca, vel apud amicum Medicum. Convertit Lat. Nicol. Petreius Corcyraeus, sed vereor, ne non satis κατὰ πόδα, sed ut Trapezuntius, eiusdemque gentis alii liberius solent, nisi si vitiosis mutilisque sint usi Codicibus. Hoc quidem seculum Latina adiungi Graecis efflagitat, quia ignarum, quia ignavum, ut tu diserte in quatuor Admirandorum Auctores praefaris, vereque praedicas. Certe Medicis, & Anatomicis, ac Philosophis in libris de Anima, inprimis edito Meletio gratificaberis. Curavi meo aere a perito describi Librario, atque utinam alibi reperias fidelius auctiusque, exemplar (ἀτελὲς enim nostrum, ut vides) sive in Augustana Bibliotheca, vel alibi. Nam Heidelberg. translata Romam est, & I. Gruterus Tubingae degit, libris exspoliatus, etiam propriis. Edidit tamen Polyanthecae alterum Tomum longe auctius primo, e Philosophia nimirum petens, ut oportet, consolationem. Quam vellem Meletio accuderetur Nemesius interprete Nicasio Ellebodio: nam Plantiniani ne unum quidem venale habent exemplum. In utrumque sint notae tuae, ut in Gregor. Nyssenum eiusdem argumenti, sed qui saepius exstet excusus, Io. Leunclavii sunt Notae. Verum arbitratu haec fiant tuo. Mitto exemplar Epistolarum S. Isidori Pelusiotae. Consule boni, & si qua re spartam hanc augere datur, ne desis. Serimus enim arbores, ait ille, quae alteri prosint seculo. Attica tua adfecta fac aliquando adpareant, bono, ut opto equidem, rei literariae. Adieci & syllabam Epistolarum Libanii Sophistae, quas ἀνεκδότους repperi in libris MSS. Graecis a Pet. Pantino mihi relictis. Vide, quaeso, an sint principia earum Epistolarum, quas olim ad te misi in 4. forma. Sive eaedem erunt, sive aliae eiusdem Epistolae, si edere, ut rogo, placet, mittam ad te. Est enim, ut opt. nosti, ἀττικώτατος Sophista, qui & argumenta Demosthenis addere non dubitavit λόγοις. Scribe itaque ad Schottum, a quo salvebis. Antverpiae XX. Nov. CIↃIↃCXXIII.

DXLV.

CL. VIRO IO. MEVRSIO LUCAS HOLSTENIUS

Χαίρειν καὶ εὐπράττειν.

Clarissime Vir!

QVum iam dudum aliquid literarum ad te pararim, nescio qua mea procrastinatione, aut negligentia verius hactenus id ipsum distulerim, ut verear, ne quid sinistri de meo animo subspiceris. Verum tandem aliquando hanc ad te scribendi necessitatem pietas, quam Cluverio nostro τῷ μακαρίτῃ debeo, mihi imposuit. Quum enim socrus eius cum liberis in extrema paupertate hic vivit amicorum incuria, atque negligentia, ita ut non habeat, unde vitam sustentet, facere non potui, quin eius rogatu tibi significarem, quo miseriae devenerit. Nosti, quocum viatico in Britanniam ablegata fuerit, quod in unum alterumve mensem, praeter molestum & difficile iter, vix subficiebat. Verum Elzevirius discedenti promiserat, se prospecturum, ne quid rerum necessariarum deforet; at ille hactenus nihil quidquam subpeditavit, neque verbum quidem rescripsit ad crebras illius literas, quibus de gravissimis rei familiaris angustiis conquesta est. Mihi neutiquam constat, quomodo Elzevirius cum ea transegerit, sed id scio, & quotidie non sine animi dolore video, in summa eam paupertate hic vivere. Filiola ante aliquot septimanas gravissime aegrotabat, tum cum frigus saeviret maxime, at miserae illi viduae neque ignis neque victus domi erat, qui eam foveret. Dici non potest, quam id fuerit luctuosum spectaculum. Ego interea, prout debui, amicorum opera nonnihil corrogavi, quo ad septimanam unam alteramve se familiamque substentaret. Multa quidem de gentis huius humanitate sibi pollicita est: mirareris, si referre vellem, quid Cl. Viro Patricio Iunio responderit [a], cum meo rogatu pro orphanis intercederet. Neque in litibus illis forensibus, quibus implicita est socrus Cluverii, quidquam auxilii ab eo exspectandum. Alios si adloquar, vix fidem adhibent, Cluverii, viri tantopere de Academia Lugdunensi meriti, liberos tanta hic in egestate vivere: maior, inquiunt, gentis eius benignitas est, quam ut orphanos post parentis obitum ita nudos extrudant. Et sane nisi Senatus Academicus, aut illi, quos Cluverius moriens testamenti curatores constituit, miseris illis in tanta inopia mature subcurrant, profecto non video, qui nam ad mensem victuri sint. Mater D. Cluverii, quae Dantisci vivit, opibus, ut audio, abundat; si publico Academiae nomine illi significetur, quo in loco nepotum res sit, non dubito, quin aliquid in usus eorum sit erogatura. Verum nunc hoc te obnixe orat vidua, ut Elzevirium promissorum admoneas: is enim quum libros caeteraque, quae moriens Cluverius reliquit, auctione publica distraxerit, quamvis curta admodum suppellex fuerit, aliquid tamen argenti confecit, quod in commodum liberorum cedere aequum est. Scripsi super eadem re Cl. Viro Everhardo Vorstio, quo Cluverius amicissimo atque beneficentissimo semper usus est, is iuxta tecum, ut spero, operam dabit, ut misera & adflictissima haec familia aliquo subsidio quam primum sublevetur. Multum tibi debet ob singularem humanitatem, qua tu coniuxque tua optima atque lauda-

(a) Quis responderit? hoc vero non additur in apographo Lundii. Vtrum Rex? an *Archiepiscopus Cantuar.* an *Buckingamius*. GRAMMIUS.

laudatissima Cluverium aegrotantem fovistis, quaque post intempestivum eius obitum orbos eius liberos prosequuti estis, eamque quotidie apud me ceterosque amicos grato animo, non vidua solum, sed & pueruli illi depraedicant; sed plurimum debebit, si nunc in extrema inopia tuo consilio auxilioque sublevaveris. Elzevirium quoque certiorem feci, quanta in miseria hic vivant. Compelle, quaeso, ut quam primum respondeat. Nunc de mearum quoque rerum statu paucis habeto: post meum a vobis discessum Britannia suis deliciis ita me detinuit, ut ad Lotophagos accessisse videar. Delitui ut plurimum in Oxoniensium Bibliothecis, veteres Codices Graecos Latinosque sedulo excutiens, quibus nemo istic locorum negotium facessit. Descripsi nonnulla, quaedam contuli, quibus rem literariam iuvari posse sperabam. Nunc Londini haereo: ubi Regia Bibliotheca Cl. Viri Patricii Iunii beneficio semper mihi patet. Interea animus aut ad vos in Belgium redire, aut in Gallias abire gestit, pertaesus horum locorum: tum quoque ut Syntagma Graecorum Geographorum, quod longo & aerumnabili labore concinnavi, tandem in lucem proferam. Mitto Indicem Auctorum, quos probe ab innumeris mendis expurgavi, atque in Latinam linguam converti, quique Typographum dumtaxat exspectant. Vtinam mihi in Belgio eos in publicum producere liceret, cum propter accuratam operarum industriam, tum quia tabula una aut altera opus exornandum illustrandumque erit. Interea dum id fieri nequit, obnixe rogo, ut non graveris symbolam aliquam conferre, si quidquam vel in tua, vel in publica Academiae Bibliotheca exstet, quo id opus melius aut illustrius fieri posse existimes. Inprimis si Agathemeri ὑποτύπωσις Geographiae integra apud vos reperiatur, aut Dionysii Byzantii ἀνάπλυς Bosphori; haec enim duo opuscula maxime desidero, fuitque utrumque in Palatina Bibliotheca. Vix dubito, quin Geographica quaedam inter Scaligeri aut Vulcanii libros exstent, modo excutere liceret. Statueram & Stephanum & Arriani utrumque περίπλυν adiungere, nisi a Claudio Salmasio iam dudum horum novam editionem exspectaremus. Mihi in eius messem falcem immittere non libet, praesertim cum Maeotidis paludis περίπλυν ἀνέκδοτον eiusdem Arriani penes se habeat. Ad Strabonis emendationes magna accessio fieri posset ex Cluverii Codice; notarat enim plurima in illo auctore, verum nescio quem Dominum post obitum eius liber ille invenerit. Habeo multa alia penes me, quorum Catalogum in schedula notatum habes; si quid eorum usui tibi esse queat, indica solummodo. Bibliothecam tuam Graecam avide docti Viri desiderant. Video quoque te Heraclidis Pontici novam editionem moliri. De hoc auctore necessum est, ut te moneam, exstare hic MS. exemplar inter regios libros, sed alium praeferre titulum, videlicet Ἡρακλείτυ, ἢ τῦ σκοτεινῦ ἀλληγορ. &c. & Heracliti nomen in suo quoque MS. repperit Gesnerus. Heraclidis Pontici opusculum non esse, luculente probat Vir quidam doctus, cuius nomen iam non subcurrit, ex cuius recensione H. Stephanus id edidit una cum Homero; nec dubito, quin visa tibi eius editio. Conferam tamen editum exemplar cum scripto, & variantes lectiones prima occasione ad te mittam. Exstat quoque apud Cl. Virum Patricium Iunium Codini exemplar: inspexi obiter, sed τὰ πάτρια, quae tu olim edidisti, longe auctiora sunt in MSS. Liber de Officiis CP. nihil aut parum variat. Est penes eumdem Palaephati, & Phurnuti exemplar, collatum olim ad Codicem Florentinum a Scringero avo eius, dimidia parte atque amplius edito auctius. Si tibi animus est hosce quoque auctores in lucem revocare, libentissime omnia tecum communicabit; nihil enim illo Viro humanius cogitari potest, & promptius ad literas iuvandas. Nunc si placet, locum unum alterumve cognosce, in Geographis ab Hoeschelio editis.

Apud Marcianum pag. 96. citatur Βοσθαῖος, auctor nuspiam mihi lectus; indica, quaeso, an alibi repereris, an corruptum, quod subspicor, & quomodo emendandum.

In Dicaearcho desperata aliquot loca feliciter persanavi, sed in quibusdam aqua mihi haeret.

Pag. 168. Α'λλ' οἱ τῶν ξένων ἑκάςοις συνοικυμένη, hic legendum videtur ἑκάςυ, aut ἑκάςαις συνοικυμένη. Mox λήθην τῆς ξενιτείας ἐργάζεται, pro δυλείας. Quae sequuntur vix capio: ἔςι δὲ ταῖς μὲν θέαις ὁ π. κ̀ χ. τοῖς δ' ἀνεπαίσθετος λιμὸς λήθην &c. sensum hunc esse credo, ἑλληνισμὸς, ἔςι δὲ πόλις . . . . . ἀνεπαίσθητος λιμός? mihi nihil subcurrit, quo me expediam, quam si legam ἀνεπαίσθητον λιμὸν, κ̀ λήθην ἐμποιῦσα. at vix mihi satisfacit haec coniectura. Illa vero in fine pag. corruptissima sunt, quorum sensum ne per nebulam quidem capio: mutavi in formas varias, sed nullam probabilem lectionem potui exsculpere. Quid enim illud, θαυμαςὸν πληθίνων ζώων ἀνθρώπῳ διδασκάλιον. quid item illud, ἐπὶ τοῖς ἐντυγχανομένοις ἐκβαλόντες τὰς εὐημερίας? Praeter te, in Atheniensium antiquitatibus versatissimum, imo unicum earum promum condum, neminem scio esse, qui persanare haec possit.

Pag. 170. principio τοιῦτο τῶν ξένων (ξένων) τί καλεῖται σκότος. mihi revera Cimmeriae sunt tenebrae. Dispelle, quaeso, & lucem aliquam affunde; neque sat scio, quid moris Athenis fuerit, de quo in praecedentibus versibus Lysippi, ὅταν δὲ τὴν λευκὴν (λεύκην l.) τὶς αὐτῶν πραέως ἀλιακὸν εἶναι &c. & quid τὸ Συράμβυ κλέος pag. 171. in fine. Stephani enim obscura admodum coniectura est. Cetera in hoc auctore puto satis a me restituta. Sed an tu operis de vita Graeciae partem existimas? sic Stephanus & Cl. Vossius existimant. Rittershusius ἐπιταμὴν eius operis esse existimat; mihi neutra sententia vera videtur, & habeo multa, quae

in eam

Ann. Chr. MDCXXIV.

in eam rem suo loco proferentur. De auctore elegantissimae illius περιηγέσεως, quae sub falso Marciani nomine edita est, sedulo solliciteque anquiro, sed nescio, cui tribuenda. Marcianus ille multis seculis posterior est; coaevus Synesii, cuius epistolae ad eum exstant; non enim dubito, senem illum Heracleensem, quem tantopere depraedicat epistola C. & CIII. & CXLIX. nostrum hunc esse, cuius mutilos periplos habemus in Sotionis excerptis c. 35. citatur Φαίθων, corrupto sine dubio nomine. nescio, an Φίλων ex Stephano rectius substituendum v. (Βόσπορος) tu si quid certius habeas, indica, quaeso. Nunc unum, quod te rogem, superest. Exstabant apud D. Cluverium Ephemerides itineris nostri Italici, conscriptae diligentissime in Germanico quodam Calendario maioris formae. Continebantur iis omnes viarum ductus atque locorum distantiae, quae toto illo difficillimo nostro itinere obieramus. Significa mihi, quaeso, verbo unico, nisi incommodum est, in cuius manus illae post obitum eius pervenerint; non enim dubito, quin Elzeviriis ea de re constet, aut quicumque defuncti libros primus excussit. Ego quovis pretio μνημόσυνον illud communis nostri itineris redimere sum paratus: Aut si ipsum Cluverii exemplar a possessore impetrare non liceat, aliud mihi inde describi curarem. Mihi a Cluverio numquam eius transcribendi copia obtingere potuit, credo propter eius occupationes, tum quod quotidie eo uteretur: neque enim aliam caussam fuisse dixerim, cur denegarit. Obtestor te per tuam humanitatem, ne laboriosissimi illius itineris fructu me penitus privari patiaris: quod sane fiet, si illo memoriae subsidio mihi carendum fuerit. Tu, si meam operam ulla in re usui tibi futuram existimaveris, audacter quidvis impera. Faciam ego, ne quid in fide atque diligentia mea desideres. Coniugem tuam & filiolam suavissimam peramanter a me saluta. Vale, & me ama. Londini MDCXXIV. prid. Non. Ian.

T. Observantissimus

LVCAS HOLSTENIVS.

Novarum rerum nihil habeo, quod significem, nisi nuptias incertas admodum esse: durae enim Hispano conditiones praescribuntur. Rex comitia publica edixit ad festum Purificationis B. Virginis. Saluta a me officiosissime Cl. Viros Heinsium, Vossium, Scriverium, Iacchaeum, Heurnium, & Brunckhorstium. Si quid rescribere volueris, inscribito literis tuis: *to inquire at m. Fellerstoons shop in Pauls Churchiard.* D. Hoby numquam mihi videre licuit; pater heredem ex asse eum instituit, in cuius aedibus habitat prope Windsoram. Haec propterea tibi scribo, quia falsa plurima de eo apud vos sparsa fuisse, intelligo. Curtenius nuper eques a Rege creatus est, & quidem praecipui Ordinis (Angli vocant a *Knight Baron*) duxitque uxorem illustri loco natam, Comitis filiam aut neptim. Vides, quid Regina pecunia possit. Vale.

Geographi Graeci minores.

Agathemeri Orthonis ὑποτύπωσις Geographiae. exemplar MS. ex Casaub. Bibliotheca habui; sed in fine mutilum; puto integrum in Galliis exstare.

Hannonis περίπλους Libyae.

Scylacis περίπλους. hoc auctore nullum ego scio unquam vitiosius editum fuisse.

Dicaearchi fragmenta.

Anonymi auctoris περιήγησις, quae Marciano falso adtribuitur.

Marciani Heracleotae περίπλους.

Artemidori Ephesii Epitomes per Marcianum confectae fragmentum.

Isidori Characeni mansiones Parthicae.

Strabonis Epitome.

Gemisti Plethonis excerpta ex X. libro Strabonis.

Eiusdem Descriptio Peloponnesi.

Sotionis ἐκλογαὶ περὶ ὑδάτων.

Anonymus de Incremento Nili.

Pauli Silentiarii Carmen in Thermas Pythias, & aquarum miracula.

Palladius περὶ τῶν τῆς Ἰνδίας ἐθνῶν καὶ τῶν Βραγμάνων. Exstat Latine sub nomine D. Ambrosii in postremis editionibus.

Nicephori Blemmydae Geographia συνοπτική. sed vix puto dignam, quae edatur; est enim παράφρασις Dionysii Afri, neque quidquam continet praeter ea, quae apud Poetam illum exstant.

Adiungam Arrianum, cuius utrumque περίπλουν accurate emendavi, nisi Salmasius editionem paret, quam iam diu promisit, ut & ἐθνικῶν Stephani.

Hisce si Dionysius Afer una cum Eustathii Commentariis adiungeretur, perfectissimum haberemus minorum Geographorum σύνταγμα. Constantini enim θεμάτων libros ipse ante annos paucos edidisti.

Sequentes Auctores seorsim edentur titulo Sacrae Geographiae.

Eusebii Pamphili περὶ τῶν τοπικῶν ὀνομάτων ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ.

MS. exemplar habui ex Casauboni Bibliotheca.

B. Hieronymi liber de locis (haec Latina translatio est operis Eusebiani) ad V. MS. fidem restitutus, multoque auctior, quam antea editus.

Eucherii Episcopi Epistola de situ Iudeae, ex vetustis membranis descripta.

Adamanus de Locis Sanctis.

His adiungam Notitiam Episcopatuum, sive Codicem Provincialem veterem a Miraeo olim editum; tum illam Leonis Imp. quae in corpore Iuris Graeco-Rom. exstat, & Curopalatae, quae in libro officiorum CP. habetur, & spero me in Galliis reperturum Graecum exemplar Notitiae Patriarchatuum Antiocheni & Hierosolymitani, quam Latinam mutilamque. Miraeus edidit. Excute, quaeso,

Ann. Chr. MDCXXIV. quaeso, vestras Bibliothecas, si quid forte istic exstet, quod ad Ecclesiasticam hanc Geographiam faciat, & tunc consilium de omnibus hisce perscribe.

Latinos quoque Geographos Melam, Solinum, Aethicum, Avienum, ceterosque sedulo partim ad vett. codd. partim ingenio emendavi. Priori illi operi praemittam dissertationes aliquot Geographicas, quibus vera Geographiae principia ex antiquis auctoribus sedulo, quantum potero, explicabo.

Subiungam emendationum libros aliquot. quorum duo erunt ad Strabonem, ex VI. MS. Codicibus Italicis, cum quibus Henricus Scrimgerus D. Iunii avus eum auctorem olim contulerat: totidem alii in alios auctores Graecos & Latinos.

Praeter has apud me habeo.

Aristidis Quintiliani Musica, descripta a me Oxonii, & ad alium MS. Codicem diligenter collata.

Theon de locis mathematicis in Timaeo Platonis.

Psellus in *ψυχογονίαν* Platonis.

Porphyrium *περὶ ἀποχῆς τῶν ἐμψύχων*, ad MS. exemplar contuli.

Theonis *προγυμνάσματα* ex MS. Codice variis locis supplevi & emendavi.

Maximi Monachi *λόγον ἀσκητικόν*.

Athanasii Homil. in Nativitatem Christi.

Procli P. CP. Homiliam illam corruptissimam *εἰς τὸ γενέθλιον τοῦ Κυ ἡμῶν* &c. ex vetustissimis membranis insigniter emendavi.

Descripsi Hippolyti Martyris, Procli CP. Antipatri Bostrensis & Georgii Nicomediensis Homilias *εἰς τὰ ἅγια θεοφάνεια*.

Cassiodori librum de septem disciplinis, ex veteri Codice subplevi; deest enim magna pars capitis de Grammatica & Rhetorica.

Tum alia quaedam Rhetorica Graeca Tiberii, Phaebamonis, aliorumque.

Matthaeum Blastarem de Synodis.

Emendavi Calcidium in Timaeum Platonis ad MS. exemplar vetustissimum. vix crederes, quot in illo auctore menda delitescant.

Item Simplicium in Epictetum, & Iamblichum de vita sectaque Pythagorae, cuius emendationes aliquot habui in Codice Regio.

Sed de horum editione post absolutum iter aliquando cogitare licebit.

Ego iam totus sum in conferendo Heraclide Pontico; mittam variantes lectiones prima occasione.

Si Origenis Dialogos contra Marcionem & Eusebii libros V. contra Marcellum graece edere velis, D. Iunius proxima occasione graeca exemplaria ad te mittere paratus: ut & caetera omnia, quae aut in publica Regis, aut privata eius Bibliotheca exstant.

Titulus Heracliti hic est in MS.

Ἡρακλείτου, οὐχὶ τοῦ σκοτεινοῦ, πρὸς τοὺς κατὰ Ὁμήρου βλασφημήσαντας ἀλληγορίαι φυσικαὶ σοφώταται, καὶ ἀναγκαιόταται.

Meursii Epist.

DXLVI.

HENR. DORMALIVS IO. MEVRSIO S. D.

Officium scribendi & rescribendi meum Vir Cl. non voluntate mea, sed qua lue, qua difficultate rerum, & temporum interquievit hactenus, non intercidit. Quamquam lues illa non generaliter, sed saltuatim desaeverit, alia est, quae nos infestat pestilentia, & comune malum vicinus malus: cuius tanta protervia, & ferri licentia est, ut continuo hos versus cum Marone nostro deplorando, nostros potius fecerimus, quam ipsius

Legia vae miseris nimium vicina Brabantis.
Namque adeo vivi pervenimus, advena nostri
Quod numquam veriti sumus, ut possessor agelli
Diceret: haec mea sunt, veteres migrate coloni, &
Quippe ubi fas versum atque nefas, non ullus aratro
Dignus honos, horrent expulsis arva colonis, &c.

Placebat consilium vestrum de Galliis & Lutetia tentanda: sed deterruerunt quae supra lues, annona & gentis ingenium ad motus & bella proclive. Conabor itaque tantisper Regem illum sive sapientem imitari, qui tuto positus loco infra se videt omnia, & sua virtute inclusus, eminus ridet *stultorum regum & populorum aestus*. Interea quia Cl. Woestenradius (quem si fata Virum servant, est, quod aliquando meliora sperem, ego & quidquid hic est literarum amans) per puerum suum monet Tabellarium festinare, finiam haec tumultuaria. Purgat se tibi Woestenradius, quod hactenus non scribat causis supradictis tum etiam valetudine, & iustis parenti suo persolvendis occupatior. Sperat vere novo ad vos excurrere & praesens compellare & dextras coniungere. Et hac spe te & Cl. Viros Heinsium & Herpenium ipsius & meis verbis salvere iubeo & valere; & ignosce libertati stili mei, nam licet ego interstrepam anser olores, sum tamen, si quis alius, virtutis vestrae literariae admirator, & amator: Amare enim liceat, si potiri non licet. Leodici ad III. Idus Ian. MDCXXIV.

Tuus totus & ad officia omnia paratus

HENRICVS DORMALIVS.

DXLVII.

FRANCO BERDENNE IO. MEVRSIO S. P. D.

Ergo, praestantissime Meursi, concolor te avis invenit meus Dormalius; ita enim est per Iovem concolor; nec enim viles huic, aut plebeiae plumae, ut qui Licentiam in Iurisprudentia adsequutus tam bene etiam maritarit Graecam Romanae

Ann. Chr. MDCXXIV.

Linguae, quam sancte ab adytis Hebraeorum, Chaldaeorum, Syriacorum, imo & Arabum purae & enubis veritatis agnitionem quaerit. Nec doctum tantum sibi Pallas hunc habet, sed & innuptum, dum nostratibus. Ceremoniis caelebs titulo divi Petri hic Canonicus vitam castam Musis & magno Deo vovet. Rapuerunt hae me qualitates in Viri illius amorem: amor familiaritati interdedit. Igitur dum nuper literarum tuarum copiam faceret, uti non omnino Meursii nomen & ingenium mihi incognita erant, dum Athenis Grudiis agerem, ita colloquentem agnovi legique perlubenter, &, per Deum, in quam, Dormali, per te mihi accessus erit ad hunc Musarum Sacerdotem. Sic proposui, nec differo hisce litteris te rogare, velis existimare aucturum me numerum cultorum tuorum, quantum severiores Leodicensium Musae permittunt. Tu annue, Vir praestantissime & patere quamvis alterius instituti non cessare me amare politioris literaturae mystas. Vale. Leodii ad diem XX. Februarii A. CIƆIƆCXXIV.

DXLVIII.

Cl. Viro Io. Mevrsio Lvcas Holstenivs S. P. D.

SCripseram nuper adeo, Vir Cl. prolixe ad te de extrema Cluverii liberorum miseria atque egestate, in qua cum avia hic vivunt, neglectu amicorum, illorumque, quibus moriens Cluverius curam tutelamque commendarat, eademque opera alias ad Cl. D. Vorstium adiunxeram, quem pro suo in Cluverium amore liberorum eius causam sedulo iuxta tecum acturum sperabam. Sed hactenus nihil responsi accepi: quocirca non iniquo animo feres, si denuo ea de re te compellem; miserae enim viduae ad incitas res rediit, ne ad restim dicam: ita undique calamitatibus opprimitur, quarum Iliadem perscribere possem. Filiola ante septimanas tres collecto gravissimo frigore, atque inde pulmonum obstructione atque coli intestini doloribus exortis, postquam triduum aegrotasset, vitam cum morte commutavit. Sigismundus iam sextam hebdomadem decumbit; nam & ille saevissimo frigore pertentatus parum absuit a sororis fato; sed frigus deinde in nervos incubuit, utriusque brachii, & superioris thoracis medio inter claviculas loco; inde tam asperis & horrendis doloribus excruciatus fuit, ipsas tres septimanas, ut verbis exprimere nequeam, neque quisquam hominum credere possit, qui non coram oculis triste spectaculum usurparit. Accessit deinde aliud malum, morbillorum scilicet sive ἐξανθημάτων, quibus miser puer adeo confectus est, ut umbram, non hominem, crederes. Saeviebat ita duplex in tenellum corpus malum, utrumque gravissimum. Verum postquam morbilli exhaurissent, frigoris sive humorum copia iam ante commota omnis in sinistrum brachium incubuit, & thoracem superiorem eo loco, quo dixi; tandemque post tormenta & cruciatus multos tumor in subpurationem sive abscessum conversus fuit ante quatriduum, sed vires adeo deficiunt, ut verear, ut sit ferendo futurus. Haec paucis perscripsi, ut videas, quo miserae viduae res redierint, quae puellae elegantissimae morte, & pueruli gravissimo morbo uno eodemque tempore oppressa animum prae luctu & moerore despondet. Quibus accedunt extremae rei familiaris angustiae & inopia, cum nihil omnino subpetat, unde aegrotantem puerum refocillet. Deum testem adpello, nisi a magnis Viris aliquid subsidii ei corrogassem amicorum opera, non habuisset, unde mortuam puellam terrae mandare potuisset. Oro igitur, & per tuam te obtestor humanitatem, ut Amplissimum Senatum Academicum, aut eos, queis liberorum suorum tutelam Cluverius commendavit, officii sui commoneas. Inhumanum enim est, imo barbarum & impium, ita orphanos miseros derelinquere, nec video, quomodo Deo & conscientiae suae satisfacturi sint, quorum neglectu & incuria tanti Viri liberi in summa miseria tam misere pereunt. Avia, quae Dantisci vivit, admoneri potuisset, ut aliquid subsidii ferret. Deinde Amplissimi Academiae Curatores, ut audio, orphanis stipendium paternum in annum proximum concesserant. Miror, cur nihil egentibus inde submittatur. Hinc Venetae Reip. inscripta fuit magna illa Italia, an nihil de tanti ordinis liberalitate exspectandum? Scio ego Cl. & Amplis. Heinsium sedulo porro negotium illud curaturum, qui principio opus illud liberorum heredumque nomine Senatui Veneto inscripsit, si modo admoneatur. Valet enim auctoritate apud Ill. Molinum & universum illum Amplis. Ordinem, si quisquam alius plurimum. Sed de Elzeviriis magis miror, qui maximum ex alieno labore lucrum percipientes tam molesta, ne dicam scelesta, fide cum heredibus Cluverii agunt: An ii nihil pro sexennii integri labore persolvere tenentur? an ex libris ceteraque supellectile nihil pecuniae rediit? aut si rediit, cur non transmittunt? Rogo te, & per Dei hominumque fidem obtestor, effice, ut aliquid pecuniae alicunde submittatur, ne omnes egestate & inopia extinguantur. In te enim solo & tua humanitate omnis illis spes sita est. Age, quaeso, cum Cl. Vorstio aut tutoribus viduae derelictae nomine: Corrogavit & pignori opposuit, quidquid superfuit ex naufragio rei familiaris, nunc praeter animam nihil superest, & vestram benignitatem. Ignosce, quaeso, si liberius scripserim, quam par est, & veniam da pio adfectui, quum scias, quantum Cluverio debeam.

Adiunxissem Heracliti, sive Heraclidae Pontici, emendationes, aut variantes lectiones aliquot; contuli enim cum MS. sed per temporis angustias nunc non licet. Exspectabis eas a me prima occasione, tumque de aliis plenius perscribam. Si quid respondere

Ann. Chr. MDCXXIV. dere volueris, trado literas Cl. Erpenio, qui eas ad fratrem mittet, per quem hae curantur. Vale, & me ama, tuamque coniugem, quam omni observantia colo, filiamque peramanter a me saluta.

Londini MDCXXIV. a. d. XXII. Febr.

Cl. Iacchaeum, Vossium, Scriverium, ceterosque a me, nisi grave est, saluta quam officiosissime.

DIL.

HENR. DORMALIVS IO. MEVRSIO S. D.

ASsentior tibi, Vir Cl., Reip. vastitatem, rerum temporumque difficultatem peccatis nostris imputandam esse. Coelum enim petimus stultitia, neque per nostrum patimur scelus iracunda Iovem ponere fulmina. Moveat nos tristissimus harum aerumnarum conspectus, & sensum ad piam coelestium bonorum meditationem. Videtur enim mihi iam universa mundi natura suis fessa & fracta laboribus & effaecta senio, ac hominum flagitiis velut morbis confecta lethalibus ad suam ἀπολύτρωσιν, si umquam alias, certe nunc inprimis ferri & anhelare. Experimur enim in hoc extremo seculorum agone captum esse iam impetum iustissimae irae divinae, quae vitiis adultis humanos finire properat, & punire furores. Sed quid fama hic narrat, impressiones & excursiones esse factas ab Hispano in vestram usque interiorem Bataviam, verane haec, an falsa, rogo ne graveris verbo indicare. Vt ut est, si quid gravius (fors dicta refutet) vobis, vel studiis vestris metuatis, huc excurrite, amicos inventuri & hospitium. Mittit tibi C. Woestenradius caseos paucos nostrates: noctuas Athenas, ut aiunt, vile munus & ἄδωρον, si ex se aestimetur: sed accedet pretium ex utriusque candore, dico mittentis Woestenradii, & Meursii donatarii. Ego ut insipidius redderetur, adscripsi praecipitatum hoc, & irata Minerva distichon:

Hoc de lacte tibi vicina quod bervia pressit
A Woestenrado, Meursie, munus habe.

Putamus vestra, ut nostra, inter nos esse communia. Si itaque facient ad gustum Cl. Heinsii & Erpenii, tantum indicate; nam & plerumque gratis divitibus viris & locus est & vilibus ovis. Pontifex Romanus nuper electus Vrbanus dicitur esse αὐτοφερώνυμος, nempe humanitatis & literarum amans, utpote qui & versus fecerit. Mittet tibi exemplar alio cursore Woestenradius, & spero me rediturum Romam; nam aditus tentavi per quosdam, Pontifici & mihi notos, non propter fumum & opes strepitumque urbis, neque propter ceteros colles, sed propter Vaticanum, Bibliothecam, inquam, Vaticanam, quam accessione Palatinae subspicor immane auctiorem & instructiorem redditam esse. Vellem te rogatum, nisi grave esset, si prostant apud vos vel alibi in vestra Batavia Lexicon Merceri & opuscula eius Hebr. & Grammatica Petri Martinii, praesentium latori tradere vel indicare; ego continuo hic pretium repraesentabo. Nihil hic rerum novarum, nisi varii rumores de vestra Batavia. Venerabunde te salutat Franco Berdenno Fungrensis Ie. Adolescens nuper mihi Lovanii notus non infelicis ingenii, & cui fatum haud Mezentius esset. Vale, & meis & Woestenradii verbis Cl. Heinsio & Erpenio salutem.

Leodici Eburorum prid. Calend. Martii MDCXXIV.

Tibi additissimus

HENRICVS DORMALIVS

DL.

ANDR. SCHOTTVS IO. MEVRSIO S P.

MEletium de corporis humani structura gratum tibi accidisse gaudeo, praesertim quum editionis spem facias non obscuram. Idcirco autographum e mea mitto Bibliotheca, ut, si vacat, compares, fidemque scribae explores; nam de interprete Latino Nicolao Petreio Corcyreo, si istic apud medicum, vel in Lugdunensi vestra reperies Bibliotheca, senties, nisi quid iudicans fallor, simili usum exemplari, sed paraphrastem potius, quam μεταφράστην egisse. Atque utinam Nemesium adiungas, quem Graece Plantinus excudit Anno MDLXIV. interprete Nicasio Ellebodio Casletario, Viro eruditissimo, sed tu vel Graece apponas, vel utraque lingua. Plantiniani nullum servant exemplum Nemesii venale; si istic non reperies, mittam meum exemplar. Vt & Libanii epistolas MSS. ubi cognovero te meditari serio editionem. Narro enim tibi Fedr. Morellum pridem promisisse Libanii Epistolas quadringentas. Vtinam prodeant tandem aliquando Quirites, ac lentum ne sit nimium negotium, ut Galli fluctuant mobilis ingenii. Vale, & fac me per Elzevirios de re omni certiorem, an acceperis Meletium in membranis descriptum, pervetus, etsi ἀτελές.

Antverp. de Martii stylo novo MDCXXIV.

DLI.

GEORG. REMVS IO. MEVRSIO S. D.

PVlso fores tuas denuo, Vir Cl. Vir Eruditiss. D. Meursi, amice magne: Superiore anno commendaram tibi nostros Norimbergenses quinque studiosos, quos comiter excepisti. Eoque nomine tibi me obstrictum tenes. Humanitas illa tua me iam eo audaciorem effecit, uti iam, qui has adfert, tibi audeam quoque Ioachimum Kleeweinium laudare, a virtute, morum amabilitate, & studio bonarum literarum. Age, excipe itidem ea prothymia hunc adolescentem, qua soles studiosos prose-

qui. Iuva consilio; admitte in colloquium, ubi res exegerit; vicissim is te in oculis feret. Prolixior essem, ubi de tuo candore subdubitarem. De rebus nostris, publicatis Caesareis Privilegiis & proclamatis Doctoribus quinque in nostra Altorphina, audies coram; fungetur enim vicem epistolae prolixioris Kleeweinius. Cum Dardanariis bellum nobis est, qui rerum pretia incendunt spretis legibus & pene ipso magistratu. Pace fruimur, sed incerta. In Pannoniis exardescit bellum. Caesar copias omnes contraxit, quas in Austria, Bohemia, Marcomannis habuit, easque ad fines Pannon. deduci curavit. Dacus auxiliis Turcicis & Tartaricis subnixus, substinebit vim Caesaris. Eo translata belli sede, fortean Germania pacatior erit, sed in belli necessitatem nummi erogandi nobis erunt. Vtinam sit Pax tota Europa. Sed forsan haec minus ad palatum tuum; itaque abrumpo filum. Valere te iubeo in Nelidis secula.

Norimbergae Eid Martiis CIϽIϽCXXIV.

Tuus omni obficio fideque

G. REMVS.

DLII.

PETRVS GRVTERVS IO. MEVRSIO S. P.

IN fratre tuo, Cl. Meursi, tui saepe recordor; in quo ingenii & eruditionis tuae imago relucet. Ad hederam tuam non ascendit, fateor; sed quid altum sapere hodie multis prodest? Internis enim divitiis superbi, laceram vitam trahunt, inter cartas suas a tineis arrosi. Prudenter ergo macilentas Musas macelli causa deseruit, qui perire multos amabili insania animadvertit. Et cur non potioribus lucris insidietur frater tuus? quando totum hominis pretium aurifodinis constat. Seculum hoc aureum est; Musis in procinctu migraturae. Mihi quoque fibrae nausea obpletae, ut evomere tota cum cupediis obsonia gestiam; quae diu emendicando in Apollinis culina adsecutus sum, tibi quantum adpetitus Musarum, tenuis stipendii fomento perduret, facile ex pulvere meo colligo; qui scapulas nostras onerat, & per fauces velut Ichneumon intrat, viscera erodens, non fallaci mortis augurio. Etsi quid pulverulenta vobis in sublimiori cathedra abfingo? Altius vos scalae adtollunt, quam ut ad hunc modum lutulenti abeatis. Sed mihi par gratia est, humilius, an sublimius putrescam. Si enim arroso stipendio magnificentia rasae vestis alenda, tristius etiam vos fata agitant. Nam nobis latere, & pares Sparthae lacinias induere, sacrilegium non est. Haec seculo in convitium; epistolae nostrae in exordium praestruo; ne sine querela te adeam, quem cordolio obpleri scio, dum indignis praemia, dignis nisi vota delegari vides. Theologi melius cum Scipione Africano in cella Iovis sedentes, divinam mentem capiunt. Mundanis enim curis semoti luto splendidiori abundantius gaudent; Plutonis spiritu numquam non fiscis numerante. Eamus ergo & cucullis, ut cuculi fiant, liberos nostros induamus. Nemo enim illis pollucibilius. Exercet vocem per quam vivunt & colunt. Haec tibi solatii causa obverto; qui ipse resti vicinus sum; dum ad Batavos Thessaliam migrasse, & aureos Asinos fieri circumspicio. Nam struma iam decoris nomen est, tam repletis subselliis, ut luxatis machinis moles ruinam meditetur, nisi solidioris ridricae pedamentum substernatur. Atque hoc tibi silentii nostri foenus esto; in foci limine numeratum, ne nugacius in Musaeo diligentia deserveret. Lar certe familiaris, Locustae oculis duris, & in caminis custodiendus. Adeo velut Tippula per summas aquas migrare gestit. Sed patrocinio nostro aras suas non deserturus videtur; postquam in novam stationem se transferri patitur; ubi aestas perbona est, sed non a muscis, domus interius enim multae, non paucae exsterius sensum oneraturae sunt. Quibus avertendis seu Achor, seu Myodes Deus salutandus, quem ubiubi gentium fabulositas indigitat, fistulae plebeiae sunt. Ego in aerario non aeruginosum diverti autumno; Iove efficacius locustis fruges vastantibus seleucides aves mittentur. Sed Novigordiam (Scaligeri Nugardiam) tendere cesso. Tu me ama amantem tui; sed ut eloquio tuo subinde amoris indicia misceantur. Vale. Amsterodami postrid. Id. Mart. CIϽIϽCXXIV.

DLIII.

HENR. DORMALIVS IO. MEVRSIO S. P.

MIsisti nobis Areopagiticum tuum V. C. & repraesentasti nobis veram Diomedis, & Glauci permutationem. Nos semipagani quid tibi exhibeamus, quid reddamus? destituti nempe similibus, nihil praeter gratum, & morem animum. De Woestenradii statu quid scribam? dubites, utrum genere, an virtute sit clarior. Philosophiae sane studio, maxime Platonicae est clarissimus. Olim quidem Gallias, & Italiam peragravit, sed minore fructu, aetatis vitio, & ut ipse ait, nihil praeter titulum Iurisconsulti retulit. Philosophiae tandem αὐτομάτως, & serius, quam vellet, se in tantum dedit, ut si sciret, vel apud indos vere. Platonizantem latere, hodie iter ad eundem adriperet. Chalcidium tuum propterea, & similes quanti faciat, ipse alias commodius narrabit. Nihil hic rerum novarum, sed varii rumores, & incerti de bello ab Anglia, & Galliis. Vale, & salve, Vir Cl. & perge nos similibus donis beare. Cl. Viris Heinsio, & Erpenio Woestenradii, & meis verbis salutem officiosissimam,

Ann. Chr. MDCXXIV. simam. Leodici ad diem XVIII. Apr. Anno CIƆIƆCXXIV.

Cl. D. V. ad obsequia, & officia paratissimus

HENRICVS DORMALIVS.

DLIV.

FRANCO BERDENNE IO. MEVRSIO S. P. D.

Φιλωτησίας tuas, Cl. Meursi, & te in illis exosculatus sum, munus etiam adiunxisti iam non amplius Graecorum, sed tuum, Areopagum ut qui illum suis maceriis, & cineribus sepultum tam vivo reaedifices. Donum certe hoc gratius quod a Professione nostra non omnino sit dissonum. Atque utinam priscam Areopagitae integritatem, gravitatem una cum aedificio ipso orbi reduxisses. Sed ego tecum nunc non latius. Vadimonium indico, aut differo in proximum nuncium. Vale Cl. Vir, & quod facis, perge me redamare. Leodii, raptim XVIII. Aprilis MDCXXIV.

DLV.

V. CL. IO. MEVRSIO LVCAS HOLSTENIVS Χαίρειν, ϗ εὐπράττειν.

Dicere non possum, Cl. Meursi, quam gratae mihi tuae fuerint literae, plenae humanitatis, & pristini illius in me amoris testes. Gaudeo meum hoc studiorum genus tuo iudicio probari, quod spretis lucrosis artibus tuo potissimum hortatu ductuque suscepi, quum Lugduni primum tibi innotuissem: rogoque, ut illum favorem, atque egregiam animi benevolentiam erga me constanter porro serves, nunc prolixe ad omnia responderem, nisi temporis angustiae prohiberent; hac ipsa enim hora mihi ab urbe proficiscendum est. Mater Cluverii, & Sigismundus gratias tibi maximas agunt pro officio: neque enim supererat, unde vitam sustentarent; idque ut tibi significarem, etiam, atque etiam rogarunt, sibi octoginta duntaxat florenos a mercatore, qui literas hasce defert, persolutos esse, ne postea id tibi fraudi sit, quum tu centum mentionem feceris. Da operam, quaeso, ut Venetum illud negotium curetur quam optime, & quam fieri possit celerrime. Perscripseram superioribus de misero statu vitae rebusque eorum adflictissimis, nec necessum est ea nunc a me iterari. Ephemeridas illas exoptatissimas recte accepi, mitto nunc lectiones aliquot ad Heraclidis, sive Heracliti potius libellum, & Theonis προγυμνάσματα, quae sola ad manum sunt; cuperem ego Rhetores antiquos a Cl. Domino Vossio iunctim edi; quo nemo rectius dicendi artem hodie tractat. Sunt hic quam plurima, quibus Hermogenem aliosque longe meliores fieri posse certo scio. Porphyrium περὶ ἀποχῆς Merico Casaubono H. filio reliqui cum Oxonio discederem; ubi recepero, libenter mittam, ut & emendationes aliquot meas ad libellum de Vita Pythagorae. Musicos Graecos cuperem iterum abs te edi: mittam Aristidem, ubi totum descripsero, & forte meam versionem Latinam. Aristoxenum ad scriptum exemplar, quod Christophori Longolii olim fuit, sedulo contuli: mirum dictu, quam vitiosus, & mutilus tuus Codex fuerit, ex quo vulgasti. Oxonium ubi rediero, conferam eundem, ut & Nicomachum, cum Salvianis MSS. Cuperem Ptolemaei Harmonica cum Porphyrii introductione Graece prioribus adiungi. Is enim optime certissimeque omnium de ea scientia scripsit, & exstant hic passim exemplaria; si cui transcribendi otium foret, non dubito, quin Latinam Gogavini versionem videris. Cl. Vir Patricius Iunius misit ad te Indicem librorum MSS. quos penes se habet, per Gordonium Schotum, qui cum Legato Regio in Germaniam nuper profectus est. Mira est Viri illius humanitas, tum eximius in te studiaque adfectus, neque quidquam tibi denegaturus est; adpella eum, nisi grave est, tuis literis; obnixe enim familiaritatem tuam expetit. Richardus Montacutius, Vir eruditissimus, omnia Eusebii opera ad veteres Codd. recensuit, & in Latinum sermonem transtulit, quae primo quoque tempore ad te mittere discupit, si Typographum istic habeas, qui tam luculenti operis editionem adgredi velit. Theonis mathematica, de quibus in posterioribus tuis scribis, imperfecta sunt, quantum ex ipso opusculo, & Catalogis Italicarum Bibliothecarum adparet. Statui ea adiungere Chalcidio in Timaeum Platonis, ut & Pselli opusculum περὶ ψυχογονίας. Chalcidium enim tuum diligentissime ad vetustissimas membranas infinitis locis emendavi: frustra dixerim, quot vitiis ille auctor obsitus sit: tum vero in tua illa editione Typographorum fidem inprimis desidero. Geographos Elzeviriis excudendos traderem, si mihi de eorum animo constaret, quem tu, nisi molestum est, tenta, & explora. Illi, si editionem recusarint, in Gallias mecum deferam, ubi me Typographum inventurum spero. Cl. Scriverius, uti ex Catalogo nundinarum perspexi, novum promittit Apuleium. Contuli philosophica eius opera sedulo cum Platone, unde pleraque omnia transtulit, quae observata mihi sunt; si tanti fuerit, proxime ad vos mittam. Henricus Spelmannus Eques, Vir optimus, & doctissimus, cuius ἀρχαιολογικὸν, sive Glossarium Latino-Barbarum copiosissimum nunc imprimitur, plurimam tibi salutem adscribit. Vir ille dignissimus est tua amicitia, quam sollicite ambit, sed ubi otium erit, prolixius de omnibus tecum agam. Vale, & me ama. Salutat te officiose Cl. Iungius. Lovanii a. d. XIII. Maii CIƆIƆCXXIV.

Tui observantissimus

L. HOLSTENIVS.

DLVI.

DLVI.

AND. SCHOTTUS IO. MEURSIO S. P.

TVas mihi reddidit Brantius noster, & exemplari Areopagi Nonio Medico tradito, gratias ut agerem iussit; seque exspectaturum Meletii editionem libenter; pro cuius exemplo describendo Monachium scripsi Matthaeo Radero nostro. Si quid effecero, accipies. Veneto interea uteris, si missum accipies. Licebit & Nemesium adiungere, interprete Nicasio Ellebodio Belga, ad quem Pauli Manutii sunt epistolae, & Pinello Vincentio Liguri, homini doctiss. abundanti Gr. libris, convictor fuit, ab eo large saepe laudatus. De Homine etiam Greg. Nissenus interprete Io. Leunclaio, cum Notis eruditiss. his adhibe in consilium, & Theophilum περὶ ἀνθρώπυ, sed medice agentem, Graece typis Gul. Morelii vidi. Et de Homine liber est unus inter eos, quos Theodoretus in Therapeuticis collocavit. Sed cui ego haec? nimirum Vlulas Athenas.

Si inter eas Orationes, quas olim ad te misi, Andreae Hierosolymitani, Episc Cretensis, erat, & de Cyclo Paschali libellus, cum minio etiam notatus (habui enim, sat memini (quaeso ad me remitte, vel descriptum, si est operae pretium. Est enim amicus, qui meditetur edere [a], aut si quid in eo genere habes ἀνέκδοτον, communica. Illius Andreae, qui cognominis est, utinam reliquas Graece editas videam Homilias, unam edidit Marcus Hopperus Gr. Lat. Video & in Varrone de Re Rustica, opinor te edidisse. Scito & penes me esse Petri Ciacconii, seculi sui Varronis, Notas in Varronem de Re Rustica post illustrem Virum [b]. Eas si cum tuis denuo luce donare placet, mittam, ne pereant. Iam enim quia seni conclamatum est, mea convaso, μνέμων τῦ θανάτυ, ut senex & morti obnoxius. Nam, & eius Petri in Plinium aurea, quae in manibus olim habui, ut inspectarem, iam furto ablata doleo, dum heres cunctatur, & ipse detrectet edere. Sapiunt itaque, qui vivi videntesque sua extrudunt potius, quam ut heredi parco permittant, qui de ercifcunda aget familia, non de fama. Haec ad te placuit referre. Salvebis a Brantio, & Schotto, & Suertio. Antverpiae XXV. Maii MDCXXIV.

DLVII.

PETRUS GRUTERUS IO. MEURSIO S. P.

AVt morum tuorum Cl. Meursi, iniquus arbiter sum, aut feriae vestrae nobis imponunt. Laxius enim vos circa Pentecostis aditum occupari solere antiquum scitum est; tibi quoque ea calami proclivitas est, ut nemo solemnius Aro Locutio litare soleat, seu officia inter amicos dividenda, seu Musis pomaeria protollenda veniant. Auguria tamen multum scaevi huic ritui interponunt, dum tu Angeronae mysta factus es, tam liberali Vacunae munere, calamum tuum desidere iubens. Libros Sibyllinos adivi, & confusa vaticinia sunt, nam vel morbo te irretitum narrant, instabili corporis temperie, vel occupationes iniquo loco te opprimere, caeco ortu causis enatis. Ceterum extispina solita, cordis tui fibras nihilo mutari adseverat; quin Gruterum parce inter doctos dotatum, abunde adfectu prosequaris. Vel ad primas nostras quanta tibi in occursu humanitas fuit! parvas fateor misisse operae compendium est. Sed quid rubiginosis aliorum scriptis facias? quorum quicquid suum est, scoria onerat; crustam si tollas, metalli parum internenia occupat. Sed ea seculi intemperies est, ut bracteata eloquentia superbire, Oratorum dicatur. Ampullas scilicet sequuntur, & nescio quam stili hydrocephalen [c]. Ranae enim instar bovis magnitudinem inflatis interaneis aequare student; sed disrupta compages in hanc aemulatiunculam follicare negat. Tu vero verba ita tractas, ne quid rerum desit; suada interim nec tricis orrida, neque purpurisso fucata. Dignus ad comitia Dictaturae literariae citari etiam Romulo Aesquineta. Istius autem genii calamum contineri nobis prodigium inculcat; tam sequaci olim manu, ut vota nostra praecurrere studueris, calidis vestigiis literas nostras sequutus. Quaeso, Vir Cl. Meursi, mentis hunc conflictum caduceo tuo compone. Scribe, inquam, quam tibi per ferias has Feronia occupationum fertilis est, & ad ingruentia sanitas persistat. Aestas hyberni frigoris memor, vindictam calore exercere velle videtur: adeo praeludis saeva, ut multos eo ablegarit, ut perpetua hyeme cuncta obrigescunt. Morbi enim & Nilotici pueri instar pedisequa mors grassari audent. Me quoque dum haec scribo, fatalis Nivis pocillator invitat, sed ego quod transire homines non solet, pitissare non amo. Oris vero continentiam diluto alui compensat, numquam cessatura Rhamnusia. More enim antiquo stercus apud nos defertur, quod in Iunio Romanis solenne erat, sed stabulum hoc dum evertitur, Augias effugii latebras meditatur [d]. Tanta enim interaneorum tumultuatio est, ut anima prodromos suos, cursores Numidasque, & multum pulveris ante se agere velle videatur. Sed quid mihi ipse exequias eo? illi lessum canant, qui saepe me vivo sepulchro condunt. Vespillones lingula plures inhumare gnari, quam Achilles machaera. Sed diutius Libitinae immorari non libet. Tu & Musis nostris, & ad Pindum tendenti, aequus esto. Advenae ius missa subinde salute confirmare memento. Ego in omnes cau-

(a) *Petavius* scil. in *Vranologia*, qui etiam in Praefat. adgnoscit se a *P. Andr. Schotto* accepisse. GRAMMIUS.

(b) Sc. *Scaligerum*. GRAMMIUS.

(c) Cui vero magis hoc inest vitium, quam ipsi eius censori *Petro Grutero*, hydrocephalico, ut qui maxime? GRAMMIUS.

(d) *Si cloaca esses, magnus esses*, dixit olim Seneca pater ad Caestium Declamatorem. GRAMMIUS.

Ann. Chr. MDCXXIV. cautelas invigilabo, ut humanitati tuae respondeam. Vale Cl. Meursi. Amsterodami, postrid. Kal. Iunoniis CIↃIↃCXXIV.

DLVIII.

DOMINICVS MOLINVS CORNELIO VANDER MYLIO.

Illustrissimo, ed Eccellentissimo Sig.

IO mi ritrovo in obbligo di rendere humilissime grazie a V. E. Illustriss. com' effettivamente faccio, e delle lettere inviatemi con il dispaccio capitato la presente settimana, e di quelle, che mi pervenne la passata ancora. Queste mi portano le lettere del Sig. Meursio, delle quali ho sommamente goduto, e le altre la copia di quanto le scrive il Sig. Burleo sopra alcune delle curiosità da me costì mandate, di che mi son preso infinito gusto. Il Sig. Vico averà pur ancora dopo avuta qualche altra composizione da comunicarle. Il Sig. Meursio mi dice di aver perfezionate diverse sue nobilissime fatiche, ma che per stamparle attende l'ordine dell' impressore, che vadi a quella parte, cosa, ch' io dubito difficile, e lontana assai. O quanto sarebbe bene il ricuperarlo, e di ritirarlo al mondo più abitato da' galantuomini, e da' suoi pari; ma quando ciò non si potesse per ora così prontamente eseguire, sarà impresa degna della virtuosa generosità dell' Eccellenza V dell' autorità, che tiene presso di lui, e dirò così anco della sua molta pietà verso l' amico, il persuaderlo a mandarle esse opere, che tiene compite, ed il fare, che siano da quei valorosi Stampatori di Leiden impresse, acciò restando esse lungamente alla indiscrezione della fortuna non corrano rischio di perire, come è avvenuto di tant' altre, e specialmente di una gran parte, e forse delle migliori di quelle del fu già valorosissimo Casaubono. L' Eccellenza Vostra s' accinga a così generosa azione, e si renda anco in questa parte, come è pure in tante altre benemerita, e dell amico, e della letteratura. Che le cose di cotesta guerra passino bene quì grandemente si gode, e con voti ben caldi si augura il progresso dell' intiere felicità, come io pure all' Eccellenza Vostra prego ogni vero contento. Di Venezia li VIII. Giugno MDCXXIV.

DLIX.

PETRVS GRVTERVS IO. MEVSIO S. P.

SIlentii fermento obmutuisti Cl. Meursi, dum luculenti doni partum foecundi ingenii ultro enixus es. Areopagum intelligo, Marti opus dedicatum; sed quod tu Veneri quoque succidanium esse voluisti, tot rerum tessellis in coronam nexis, fragrantiam quoque verborum si attendo, tam fungoso naso non sum, quin merum Floriferum haurire videar. Neque vocalius Praeco sum, nisi ut unum etiam voveam, ut saepius silice obtusius sileas, dum in hunc A concentum Archiphonascus evadas. Quamquam quid enervem linguam tibi adprecer? cui hoc satis adscribendum rei est, utiliter desudatas noctes in haec lucubra adtrivisse. Veternosum quidem seculum est, propago saxea, sed tibi in paucorum sinus Cornucopiam tuam effundere solum laboris praemium sit; ego doctorum greges quadrupedantis cruciantis cantherii instar sequor: sed hoc tibi notam primariam velut Alpha Areopagi faciat, nullius aeque B vocalem tubam esse, quam tibi a dextris incentivam dare spondeo, si te ad nostros modulos tali pedare non pigebit. Candida vero prothymia edolatas laudes habebis, rupe Marpesia solidiores. Quibus imbellia tibi expectorabo; & novo respirio vitalitas efflorescet;

Vt vigil adfusa Pallade flamma solet.

Hactenus tamen spes tuas promissis contineo; dum libri tui lectio otio nostro aptatur. Quod raro ad nos nisi Summano litantes venire solet, adeo vestigia in pulvere C hoc gressus fallunt. Interim in calamum surgentes stipulas continere te nolo, menstruas messes da; nos horreis totis inhiamus. Edere sane efficacius propomata tua nequis, nisi ubi calide devorari solent. Foeneralia quoque apud nos parata habes, ubi habendi cupido, & tepor typos deseret. Sed haec vota condimus Ionio, & ad Antipodum iudicia delegamus. Vale, Vir Clarissime Meursi, & maturae eruditionis D Vir, me crudius edoctum amare perge. Amsterod. V. Id. Iunii CIↃIↃCXXIV.

DLX.

REV. IN CHRISTO PATER, PAX CHRISTI.

PRimus hic ex Meletio περὶ ἀνθρώπου φύσεως est ternio, a meo Amanuensi ex Cod. Graeco Ms. exscriptus. Petit ille pro toto opere florenos nostrates XL. non magnum profecto pretium, si viri dignitatem E spectes, qui in nostri Serenifs. Electoris intimo tabulario versatur; & horis extraordinariis in gratiam meam R. V. nomine vobis fervit. Non puto expedire, uti terniones per cursum publicum mittantur. Comitrum erit grave. Totum opus ad nundinas Autumnales mitterem absolutum per Sadeleros cum sarcinis, si potestis ferre moram. Sin alia omnia, renunciate, & F mittite pecuniam. Hunc quaternionem per P. Iacobum Kellerum Serenifs. Alberti Boiorum Principis Confessarium mitto: qui cum eod. huc revertetur, per quem R. V. literas cum responso exspecto. Ego quoque pro amicitia nostra mererer aliquot Caravacanas Cruces pro opera, quam cogor hac ipsa in re Amanuensi meo impendere, quem interim volui omnia mea negligere, ut vobis servire posset. Ego his diebus evulgavi alterum *Bavariae Sanctae* volumen: sed a vobis, nec primum visum arbitror. Salutem RR. Patribus *Carolo Scri-*

ba-

Ann. Chr. MDCXXIV. *banio*, & *Heriberto Rosveido*. Monachio prid. Idus Iunias, MDCXXIV. (a)

R. V. Servus in X.

MATTHAEVS RADERVS.

DLXI.

CL. VIRO IO. MEVRSIO P. PVTEANVS S. D.

A*Reopagum* accepi, pulchrum sane cultissimi ingenii tui opus; quo ita recreatus sum, ut meras delicias has omnes Observationes aestimaverim. Quantum Graecia, & inprimis Athenae tibi debent! Per te restituuntur, & esse pergunt, quae non sunt: deinceps tuae, quae perire amplius non poterunt (b) Saeviant flammae, grassentur atquae, mars, & simul Neptunus in *Palladem* (c) insurgant: eruditio tua aeterna est, & monumenta eruditione structa. Antonio olim (d), qui habitu & comitatu Liberum imitabatur, *Athenienienses adeo adulati sunt, ut Minervam suam ei in matrimonium desponderent* (e). *Absit adulatio. Tibi haec iungenda sit, mi Meursi, tibi mille talenta dotis nomine debeantur, quae ab Atheniensibus ille exegit*. An serio dicam? Vindicasti tibi ingenii gloriam, dignus divitiis, quas nemo adhuc Eruditorum accepit. Ita salve, & me ama, qui a te amari, divitias meas puto. (f)

Lovanii, in Arce, Postrid. Eid. Iunii MDCXXIV.

Clarissimae doctrinae Virum Gerardum Vossium (olim condiscipulum (g)) salvere iubeo.

DLXII.

DOMINICVS MOLINVS IO. MEVRSIO.

L*E lettere vostre degli* XI. *Aprile passato, inviatemi dal Sig. Cornelio Vander Mille, mi pervengono con somma contentezza del mio animo, e con tanto maggior mio gusto, quanto più grande era la brama, in che vivevo di aver buone novelle del vostro stato, come pur queste portate mi hanno. Che la guerra travagliosa di cotesti paesi abbia a voi partorito qualche ozio, e somministrata comodità di poter impiegare la valorosissima vostra penna nel perfezionare le bellissime opere, delle quali vi è piaciuto darmi parte, è veramente stato particolar favore del Sig. Dio, che con l'assistervi della sua santa grazia, ha voluto dal male cavare un gran bene. Ora non resta, che voi Monsf. anco per termine di gratitudine verso la divina beneficenza, per non defraudare a voi stesso, alle vostre meritevoli fatiche, alla gloria del nostro nome, al gusto, ed all'utilità del mondo tutto andiate pensando di prender senza maggior ritardo, risoluto partito, sopra la celere impressione delle opere medesime, per non lasciarle alla indiscrezione della fortuna; che molte volte per li ritardi infrapposti dagli uomini, ha con impensati accidenti resi inutili, e vane le loro grandissime, e nobilissime fatiche, andate a male, ovvero sepolte tenebre di qualche armaro, e riserbate alimento alle tarme, materia agl' incendii, o altra cosa simile. Vn esempio vaglia per tutti, ed è la perdita, che si è fatta delle lunghe, e stentatissime fatiche fatte dal già Monsf. Casaubono sopra Polibio, e sopra alcuni Autori Tattici, le quali mentr' egli da un giorno all'altro, versando nella irresoluzione, ritarda a stampare, sopraggiunto nel fiore di sua età dalla morte, si sono smarrite, nè mai più d' esse si è potuto aver novella; e pur si sa certo, che erano perfezionate, perch' io tengo non una, ma molte lettere di lui, che mi era amorevole amico, nelle quali qualche anno avanti la sua morte mi scriveva averle del tutto compite, e trattare della loro impressione con quelli, che attendono a così fatta mercantile professione. Comprendo anco dalle esercitazioni del medesimo sopra gli Annali del Baronio, aver corsa la medesima fortuna le Opere di Giosefo Scaligero, sopra Giosef Ebreo, tante volte citate da esso Casaubono, nelle suddette sue esercitazioni. Lo aspettare di aver cossì comodità di stampa sono cose lunghe, e difficili. Lo attendere il tempo, che voi possiate portarvi in luogo, ove questa si ritrovi, è incerto, e sottoposto alla varietà di mille accidenti. La più diritta, e la più sicura crederei io fosse il mandarle, ed il raccomandarle al già detto Sig. Cornelio Vandermille, che cortesissimo, e tanto amorevole vostro, quanto si sa bene, si contenterà di acquistarsi il merito, e la gloria di aver levato di mano alla fortuna il modo di poter colpire così fatte nobilissime intraprese. Io a lui già ne ho scritto, ed espressogli il mio senso; il simile ho voluto fare a voi Monsf., che ben mi assicuro lo riceverete in buona parte, mentre io mi muovo a farvi questa rimostranza, bensì per utilità pubblica, ma anco per interesse vostro particolare. Che li libri stampati, ed anco diverse belle curiosità manoscritte, che due volte vi ho inviate, e per la via di Amsterdam, e per quella di Hamburgo, siano andate a male, io ne sento particolar dispiacere, tanto più, quando, che non avevo conservata nota delle cose inviate, e mi riesce impossibile il raccordarmi, quali esse si fossero per mandarle di nuovo; che ben volentieri, e prontamente lo farei. Pure anderò raccogliendo qualche cosa, per vedere, se potessi in qualche maniera rimediare in alcuna parte al disordine. Tra tanto goderete Monsf. l'aggiunta Elegia d' un virtuoso Gentiluo-*

(a) Est haec Epistola *Raderi* ad *P. And. Schottum*. GRAMMIVS.
(b) *Edit.* potuerunt. GRAMMIVS.
(c) *Ed.* in Sapientiae Deam inf. GRAMMIVS.
(d) *Ed. Antonio* olim *Triumviro*. GRAMMIVS.
(e) *In edita haec, & seqq. ita*: Athenienses *Palladem* suam ad se venienti in matrimonium desponderunt. Tua haec conditio fit, tua, mi *Meursi*, Dea. Tibi mille insuper talenta dotis nomine adsignem, quae ab Atheniensib. divinus ille sponsus exegit. An serio dicam? &c. GRAMMIVS.
(f) Legitur evulgata in *Er. Put.* Epist. *P. III. Cent. III. ep.* 60. GRAMMIVS.
(g) *Non est inedita*. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXXIV.

Iuamo amico mio; mi conserverete il grado d'amore, in che mi ha condotto la vostra benignità. Che Dio N. S. conceda a V. S. il colmo d'ogni maggior bene. Di Venezia li XV. Giugno. MDCXXIV.

Vostro cordialissimo, ed affezionatiss. amico.

DOMENICO MOLINO.

DLXIII.

ANDR. SCHOTTVS IO. MEVRSIO S. P.

ACcepi Brantii nostri manu, Andreae Hierosolymitae libellum nostrum de Cyclo Paschali, & Petavio nostro misi, editurienti tales, post Epiphanium a se denuo conversum. Hodie per Batavos, aut Zeelandos Hamburgum abiit, nobis salutatis Frider. Lindenbrogius, eruditissimus sane Vir, cui & Pe. Ciacconii in Pomponium Melam nostrum ἀνέκδοτα Scholia credidi, ut suis adiungat: Tradidi & illi Ciaconii in Varronis libros III. rei rusticae, ut reddat tibi, edasque post tua, quum erit integrum. Si forte oblitus erit, ut saepe fit, cum quid amicis committimus, Lindenbrogius istic vobis tradere, scribe epistolium ad illum Hamburgum, ad te ut Varroniana illa curet. Chabesque in tua Bibliotheca fortasse; quae Romae Fulvius Vrsinus e Cacconii illis schedis integris pro arbitratu descripsit, solemni suo more, an. opinor M.D.LXXXVII Additus & Velius Longus de Orthographia: Haec si libro cum nostro comparabis, & conferes, nae tu malis, ut Ciacconius scripsit, ita evulgare: non enim, etsi dissentiat non raro, convicium ullum in Virum Illustrem ibi reperias. Adde & illi epistolio, vel si praesens hominem compellabis, meis verbis, rogare me, ut cum Bibliothecam Geberhardi Elmenhorstii, nostri nuper amantis, heredes auctione distrahent, ut mihi coram narravit, amicitiae gratia repetendo recipiat Lactantii opera Plantinianae editionis, mea manu notata, quae ut scribebat, moliebatur Elmenhorstius post Apuleium, nisi fata praevertissent, una cum scriptis Variarum Lect. in Lactantio, e Cod. Caesaraugustano (in 8.) Vera narro. Coemat mihi, vel commodato postulet, data cautione, Theodori Studitae Graece ἀσκητικοὺς λόγους, ematque, ne pereant, meo aere, quae habere se perscripsit, notata a Scaligero illustri Viro in Tertullianum; nisi si quis occuparit alias, ut vereor. Erit hoc per mihi gratum utriusque officium vestrum. Vale.

Antverpiae XIX. Iunii, St. N. CIƆIƆCXXIV. Salvebis a σχέτῳ, & Brantio tuo.

DLXIV.

IDEM EIDEM.

ACcepi, Clarissime Meursi, Areopagum tuum recens editum, ἀντίδωρον, ut appellas, pro Meletii duplici exemplari Graece scripto, quod redditum esse gaudeo, & pro munere tuo gratiam, ut debeo, habeo & ago libens. Latinum Meletium mitto, concessum nobis ab amico Lud. Nonio medico; & ut depositum sartum tectum sine operarum lituris, notisve reddi queat, iube transcribi, aut, si id longius futurum existimas, utatur typothetes, ut non dilaceret folia, sed utatur modeste tamen, notis e minio additis, si omnino opus est, quae pane recenti deleri possint. Sic non indignabitur amicus, cui excusum a te exemplum dabimus. Nemesium MS. quoque fasciculo adieci, scriptis Epistolis Libanii, quas typothetes sequatur, praemittesque Libanii characteres Epistolicos, & Anonymi, interprete utriusque Achille Statio, cuius exemplum addidi e mea Bibliothecula. Cetera tu melius in Notis praestabis. Adhibe & Libanii Epist. ad Basilium M. quas in Antverp. Basilii Operum editione nostra videbis, & in volumine Epistolarum ab Aldo maiore editarum Gr. & Graeco-Lat. Lugduni, in folio. Sed quid ego in silvam ligna?

DLXV.

DOM. MOLINVS IO. MEVRSIO.

DVe vostre lettere mi sono capitate nel medesimo tempo degli undici di Febraro, e degli undici di Maggio; la prima mi rese il Gentiluomo Dano, che immediate partì verso Roma, e non mi diede modo, che di passar seco le mie semplici esibizioni, senza poter mettere in opera quegli effetti, che potessero comprobargli la stima, che io faccio Monsig. delle vostre raccomandazioni, come avverrà, se nel ritorno suo mi si lascerà vedere, come l'ho pregato di fare. Del Frobenio mi ha egli data una lettera, ma niente mi ha aggiunto del pensiero di lui intorno alla stampa dell'opere di Ptolomeo da voi accennatami. S'egli si ricondurrà a voi, io gli procurerò la comodità di vedere, e d'incontrare li Codici di quell'Autore, che si ritrovano in questa publica Biblioteca. Se così saprò essere a suo gusto, ne manderò, procurargli anco ogn'altra sodisfazione in tutto quel di più gli potesse occorrere. Se il Lexico-Latino Barbaro *sarà Monsig. da voi perfezionato, e stampato, accrescerà di molto la vostra gloria, e sarà senza dubbio questa fatica, come molto utile, gratamente, e con applauso ricevuta dal mondo. Li vostri libri dell'Areopago non sono ancora comparsi: Io gli attendo, con altri inviatimi dal Elzevir da Francfort, che veramente tardano oltre ogni dovere. Arrivati che siano gli tratterrò presso di me sino che dall'Eccellentiss. Sig Amb. Contarini si facia in sue lettere l'officio ch'io già v'additai Monsig. per vantaggio del negozio, ed allora li farò poi appresentare in publico. Fra tanto vi auguro felicità, e vi prego talora farmi partecipe delle vostre ben virtuose, degne, e a me gustosissime fatiche. Di Venezia li XXV. Giugno MDCXXIV.*

Ann. Chr. MDCXXIV.

DLXVI.

Andr. Schottus Io. Meursio S. D.

IAm accepi hanc epistolam per amicum e Bavaria, Pro librarii manu nimium quantum poscit, quadraginta florenos German. Si tibi placebit conditio, ut reliquum describatur Meletii, mitte pecuniam, ut in proximas nundinas opus accipias. Sin secus, iube epistolio Monachium misso ad Matth. Raderum, cuius haec epistola est, cum quaternione, ne pergat. Tanti non esse. Minoris fortasse Venetiis nancisceris, nam ego septem dumtaxat flor. Brabant. impendi; & Nemesium Nicasii Ellebodii minoris edi posse existimo. Scribe Radero, quasi meo nomine, cuius mutilum sit Meletii exemplar. Et vereor, ne mutuus epistolarum cursus prohibeatur, sitque tacendum (a). Vale.

Antverp. ab amico σχέτλῳ IV. die Quintilis MDCXXIV.

DLXVII.

Dom. Molinus Io. Meursio.

HO tardato a rispondere alle vostre lettere del primo di Giugno, però ho prima voluto far ogni esperienza per vedere pur se mi fusse potuto riuscire d' ottenere il vostro desiderio intorno alli Codici MSS. che in questa pubblica libreria si ritrovano di Milezio, e di Cirillo, ma che tutto mi riesce impossibile, essendo con severissime leggi vietato il levargli da essa, anzi che vi si ritrovano legati a banchi con catene; Quello che io posso fare è di far incontrare li Codici di Cirillo, e mandarvi nota delle diversità, che per avventura in essi si ritrovassero, o pure anco di far aver comodità per far il medesimo incontro ad alcuno, a chi vi piacesse dar questa cura, e si ritrovasse, o fosse per venir a noi. E quanto al Meletio, se mi manderete nota di ciò che manca al vostro, e che in questo si ritrovi il supplemento, io lo farò trascrivere, e ve lo manderò, e se vi piacesse anco, con qualche opportuna occasione inviar di quà il vostro Codice, le farò pure incontrare. In somma io vi offerisco Monsig. ciò ch' è in poter mio, e ciò finalmente mi dirole non essermi permesso l' arrivare compitamente al vostro desiderio, al quale ben vorrei sodisfare, ma incoverando in un insuperabil ostacolo di severissime leggi, mi conviene provar non poca mortificazione nel divieto ch' esse me ne fanno. Appagatevi della mia buona volontà, e conservatevi sano. Li libri che sia tanto tempo l' Elzevir m' inviò da Francfort, non sono ancora comparsi; in essi vi sono anco gli esemplari del vostro Areopago. Di Venezia li XVII. Luio MDCXXIV.

DLXVIII.

Cyr. Herdesianus Io. Meursio S.

DIu est, Vir amplis. quum nihil ad te literarum dedi, quod non tui oblivioni, sed negotiorum publicorum moli, qua premor, adscribes. Nactus vero occasionem ad te scribendi, nolui praesentem iuvenem ad te sine meis accedere, praesertim quum ipsius parens, vicinus, & amicus meus Vir Cl. civitatis huius Syndicus, Ioachimus Bussius me rogavit, ut illum tibi commendarem. Vixit ille hactenus in hac patria, postmodum etiam in Witebergensi, & Ihenensi Academiis, laude pietatis, modestiae, & singularis industriae, quam inposterum cum sit continuaturus in politissimo vestro Lyceo non dubito, quin tibi bonisque omnibus sit satisfacturus; id unice mecum opt. parens rogat, ut illum consilio tuo iuves, & in orbita honestatis, ac vir-

(a) Memini audivisse, aut forte alicubi narratum legisse identidem *Andreae Shotto*, & quidem aliquanto acrius exprobratum fuisse a suis, crebrum illud commercium litterarum, quod cum doctis Viris, haud suae religionis exercebat; illumque his tandem admonitionibus expugnatum, ultimis vitae annis penitus ab eodem cessavisse. Nonne vero hoc ipsum est quod subindicatum vult epistolae huius clausula? praesertim cum nullas postea ad *Meursium* scripserit per integros quatuor annos cum semestri, queis supe fuit. Expertusque ita optimus senex id ipsum, quod de *Meursio* quadriennio ante verebatur, litteris prid Cal Aug 1620. datis, sic incipientibus: *Vereris fortasse* Meursi, *ne meae tuis obsint rebus epistolae. Parcius hinc scribo*, nec non aliis, integro anno antiquioribus: *Erat cur ad te frequentiores darem, mi* Meursi, *sed me temporum deterruere discrimina, ne mea scriptio nomenque periculum crearent, quod nollem*, d. 28. Maii 1619. Credemus ergo, post *prohibitum* illum *mutuum Epistolarum cursum*, ut loquitur, *Schottum* nihil amplius curae habuisse, quid de *Meletio* suo fieret, & *Libanio*, ac praesertim de *Andreae Cretensis* Homiliis, quarum antea tanto studio editionem desiderarat, ac a *Meursio* flagitarat? Huic autem nostro difficile est non succensere, maxime si per ipsum steterit, quo minus isti desiderio satisfactum. Quid enim aequius fuisset, quam officio tali, & quem innoxia ambitione expetebat, dedicationis honore, demereri hominem, tam candidum tamque amicum, cui tot tantaque & *Meursius* debebat ipse, & plures alii eruditi Viri ferebant accepta, atque quo nescio an ullus literatae gentis vixerit, in publicis doctrinarum commodis iuvandis, promovendis, ornandis, meliore animo sincerioreque studio versatus? Qua vero, quaeret aliquis, pervenerunt Codices, & auctores illi, quos non alia lege, quam ut publico impertirentur, noster a *Schotto* acceperat, & de quibus in his epistolis passim mentio, nimirum non solum dictae *Andreae Episcopi Homiliae*, & *Meletius de natura hominis*, sed & *Michaelis Glycae* (sive, ut *Meursius* appellabat, *Theodori Metochitae*) *pars altera*, & *Libanii* ccc. *Epistolae*, & machinarum bellicarum Scriptores, *Athenaeus*, *Bito*, *Hero*, *Apollodorus*, *Iulius Africanus*? Nempe cunctos, (cum pluribus e Bibliotheca sua libris impressis,) *Meursius* paulo ante obitum suum vendidit *Georgio Seefeldio*, Regni Daniae Senatori; postquam dictos Codices MSS. venales ingenti pretio frustra obtulerat Academiae Leidensi, non tamen ut suos, sed quasi ad doctum quemdam Virum in Dania, quem amicissimum haberet, pertinentes, qua de re legatur epistola eius ad *Ger. Io. Vossium* a d XI. Octobr. MDCXXXVII. scripta, *pag.* 169. *edit. Londin.* Ex Seefeldiana Bibliotheca vix dubito quin cum ceteris iidem libri in Sveciam migrarint: ac fallo, nisi Meursianus, vel Schottianus sit Codex ille *Epistolarum Libanii*, quem nuper cum Celeberrimo Viro *Io. Christoforo Wolfio*, Hamburgensium Polyhistore, nunc in Libanianis omnibus epp. edendis laudatissime occupato, communicavit summe Rever. *D. Ericus Benzelius* Episcopus Lincopiensis. Et quod ad *Mechanicos* illos adtinet, ac *Belopoeicos* (*Meursio* olim quadringentis florenis hollandicis aestimatos) eorum apographum ex Cod. Meursiano, manu *Zachariae Lundii* (qui *Geo. Seefeldio* aliquando a Bibliotheca fuerat) descriptum, nos ipsi possedimus, atque anno 1732. cessimus excellenti Viro *D. Io. Alb. Fabricio*, qui ut aliquid hinc ipsi suppeditaretur ad Cestorum *Iulii Africani* editionem, quam moliebatur, me rogaverat. De quo Codice ἀπογράφῳ, variis lectionibus, & coniecturis *Schotti*, *Meursii &c.* insignito, plura volentem cognoscere, ablegamus ad *Commentarium de Vita, & scriptis Io. Alb. Fabricii*, a genero eius *Herm Sam. Reimaro* V. Cl. recens editum, *pag.* 262. *f.* GRAMMIUS.

Ann. Chr. MDCXXIV. virtutum currenti calcar urgeas; cognoscemus magni beneficii id loco; et tibi vicissim meam opellam quovis tempore promptissimus defero. Novi, quod scribam, nihil occurrit, quam quod Annonae caritas indies ingravescat, & novus metus armorum gliscat. Pelargi Theologi celeberr. filius maior natu, Professor itidem Medicinae hisce diebus dysenteria absumtus obiit, & seni parenti novos luctus peperit. Reliqua ad Academiae huius (a) statum spectantia cognosces ex latore huius, tum & aliis studiosis, qui paucos ante menses hinc Lugdunum vestrum adierunt, non sine meis literis. Quas subinde exspectabis uberiores, ubi meas tibi gratas intellexero. Vale, Vir Cl. & me ama redamantem. E Musaeo, Kal. XIII. Aug. MDCXXIV.

DLXIX.

LVDOVICVS CONTARENVS LEGATVS VENETVS IO. MEVRSIO.

Molto Illustre Sig.

Con le lettere di VS. dei 25. del passato ricevo il libro di cui si è compiaciuta favorirmi, e le aggiunte per l'Ill. Molino, al quale saranno capitate sicure. Come rappresentante la Serenis. Rep. io devo sommamente commendare la stima che VS. si compiace far di lei, ed il testimonio della mia buona disposizione espresso chiaramente nella dedicazione del medesimo libro: in conformità di che, del suo desiderio con l'ultimo dispaccio de' 5. del corrente, ho scritto nell'Eccellentis. Senato, onde potrà ella a suo piacere dare quegli ordini, che le parerà. Nel resto io la ringrazio con ogni affetto del favore, che s'è compiaciuta di farmi: e mentre l'assicuro d'ogni prontezza verso le sue sodisfazioni, la prego di porgermi occasione, ove possi farla apparire. E le bacio le mani. Dall'Haya a' VII. *Agosto* MDCXXIV.

DLXX.

HENR. DORMALIVS IO. MEVRSIO S. D.

INtermissae hactenus scriptionis meae causa fuit, quod Cl. Woestenradius toto vere etiam praecipiti, statuisset ad te excurrere: intellectis vero subinde aliis ex aliis nascentibus rerum, & temporum difficultatibus, etiam intestinis de religione dissentionibus, & belli rumoribus variis, substitit. Rogat interim, ne grave tibi sit interdum respicere ad horum librorum Catalogum, si forte Leidae in auctionibus publicis bibliopoliis, vel aliter prostabunt, digneris eosdem mittere, & praesens pecunia repraesentabitur. Exspectamus Poemata Grotii, quae edidit, sive consarcinavit ex Stobaeo. Nihil hic praeterea novi, nisi rumores incerti bellici. Vale, Vir Cl. & Cl. Heinsio, & Erpenio verbis meis salutem. Leodici Eburonum ad d. XI. Sext. CIↃ IↃ CXXIV.

Cl. D. T.

ad officia, & obsequia paratissimus

HENR. DORMALIVS.

Eusebii de Praeparatione Evangelica, ac de demonstratione, Graece, editionis Stephani, vel Sylburgii.
Item Historiae Ecclesiasticae eiusdem.
Iustinus Martyr ex editione Sylburgii.
Eustathius in Homerum.
Hesiodus cum antiquis Commentariis.
Aristotelis de Anima, cum Paraphrasi Themistii, & Graecorum Commentariis.
Eiusdem Themistii Paraphrasis in Libros de Demonstratione, cum Simplicii, vel Alexandri, in eosdem Commentariis.
Eustratius in Ethica Aristotelis.
Historiae Byzantinae Scriptores Graece, vel Graeco-Lat. vel separatos, vel unitos, probae editionis.
Procli in Timaeum, vel Parmenidem, vel Alcibiadem, vel si quid aliud reperiri possit.
Arriani Dissertationes, Epicteti cum Enchiridio Graeco-Lat. per Canterum 8.
Si quid reperiri possit Iamblichi, vel Porphyrii.
Basilii opera probae editionis.

Quacumque forma reperiri possint, sive ii sint compacti, sive soluti, dignetur significare, idque vel omnes, vel aliqua pars eorum.

DLXXI.

I. A WOESTENRAEDT IO. MEVRSIO S.

Vir Clarissime!

NE ad te hactenus scriberem, etsi, vel quam maxime volentem, retinuit pudor quidam (nec enim verum fateri pudebit) & conscientia infantiae meae, quod & ex Dormalii nostri literis, quae tua est prudentia, satis, ut spero, tibi constitit. Vt autem nunc scribam, idem me adfectus, sed vehementior, vel reluctantem impulit. Vicit scilicet pudorem pudor, & qui hactenus minus Latinus, ut elegans verebar audire, in ἀγροικίας, imo inhumanitatis, periculum incidi. Puduit itaque, vel humanissimis officiosissimisque literis tuis castigatus, quae sunt hominis non tandem praestare, licet quae elegantis, minus possem. Ergo prout debeo, gratias primum ei, quae vocem mihi largita est profusissimae humanitati tuae, quae cum nullis meis meritis, (nisi literas, & literatos amare meritum est) ita sese undique effuderit, argu-

(a) Academiae Francofurtensis ad Oderanos, in qua Cyriacus hic Herdesianus fuit Professor Historiarum, deinde & Iuris, anno 1631. fato functus: Christophorus vero Pelargus, Theologiae Professor: De iis copiose egit Io. Christoph. Becmannus in Notitia Academiae Francof. GRAMMIVS.

gumentum mihi dedit certissimum, generosae, & μεγαλοψύχυ, indolis tuae. Sed quod non contentus tanta humanitatis demonstratione, beneficium insuper adiunxisti, idque vel quovis pretio mihi magis aestimandum; quod autem, & cum proprio tuo incommodo, indiculum librorum propria manu conficere non gravatus, id vero superat omnem humanitatis modum. Reliquum ergo mihi video dandam quamlibet operam, ut qui a te in omni officiorum ratione hactenus victus sum, in gratia reddenda vel primas teneam, in quo nulla a me occasio praetermittetur. Sed ut de libris nunc aliquid superat gratiam omnem, quod ea in parte officium mihi praestare non es gravatus, atque ita me Deus, thesaurum mihi per te oblatum iudicavi, Academiamque vestram, atque in ea degentes literatos, merito tantis ad bonam mentem instructos opportunitatibus, felices: incusavique me ipsum, vel potius fortunam, quae propositum meum huc usque tot obiectis aliis super alia obstaculis remorata est. Sed vix puto rem deinceps posse intervenire tantam, quae me amplius propositum differre cogat, tamque grato mihique exoptatissimo spectaculo privet. Tunc & vos, doctissime Meursi, dabitur complecti, caeterosque Musarum συμμύςας oculosque, sed magis animum tot instructissimarum Bibliothecarum spectaculo reficere, iam diu famelicum, & languentem, sed & comparandi, credo, fiet potestas dato pretio, quod probata merce nunquam improbum iudicabo. Atque hac spe ulteriorem de iisdem mentionem in id tempus reservo, nisi si quid humanitus propositum meum, vel differret, vel interrumperet, quo casu, de re omni vos faciam certiores. Hanc enim mihi libertatem tua illa fecit ἐπιείκεια, quam iure merito exosculor, & ut illam erga me, vehementissimum eius in omni vita amatorem, conservet, per illum suum eius fontem obtestor. Salutat vos, & merito amat Dormalius noster, vicemque hanc ob patefactum mihi per literas suas ad amicitiam vestram aditum iure rependi postulat. Bene Vale, Meursi doctissime, Leodici XV. Augusti MDCXXIV.

DLXXII.

IDEM EIDEM.

IL Gentiluomo di Dania, che mi scrivete venirsene a questa volta, accompagnato da vostre lettere per me, non è ancora comparso; s'io lo vedrò, procurerò che provi in effetto il buon conto, in che io tengo le vostre raccomandazioni, e qual stima io mi faccia della vostra singolar virtù. Così piacesse a Dio che io maggiormente valessi per farvene provar, Monsig. li frutti, che voi certamente non avereste che desiderare. Il vostro Areopago, capitatomi la settimana passata, è così bene posto, e con tanto giudizio, e diligenza connesso, che non si può desiderare di vantaggio. L'epistola dedicatoria è espressa con concetti degni, e propri. Quando arrivino gli esemplari da voi inviati per la via di Francfort, io ve ne darò avviso. Tra tanto dovendo capitare all'Haya il Sig. Luigi Contarini novo Ambasciadore della Serenis. Repubblica, per il quale io vi manderò lettere da introdurvi nella sua conoscenza. Sarà bene che voi Monsig. dando a lui uno di questi libri, lo preghiate di rappresentare in esso la vostra devozione alla Serenis. Repubblica, perchè io poi allora farò dare a sua Serenità e a questi Signori del Governo gli esemplari, che mi saranno pervenuti. E così portata la cosa con il dovuto decoro, e con proprio vantaggio, vi si procurerà quell'onore, che una così bell'opera molto ben merita, e ricerca. Amatemi, Monsig. al solito, che io vivo desideratissimo d'incontrare le vostre sodisfazioni. Finalmente la nave, sopra la quale se ne vengono quei Pacchetti, che già tanto tempo consegnai al Sig. Daniel Nys per voi Monsig. e per questi altri Signori miei amici, partirà questa settimana, piaccia Dio che ce ne venga salva.

Di Venezia li XVI. *Agosto* MDCXXIV.

DLXXIII.

SERENISSIME, & POTENTISSIME REX, (a)

LIteras Regiae Maiestatis vestrae, datas ex arce Regia Hafniensi, ad diem XV. Iulii, recte accepi Kalendis Septembris. In iis Regia Maiestas vestra munus mihi Professoris Historiarum, & Politices, cum stipendio, Professioni ei constituto, clementissime demandat, & ut suum in me favorem propensissimum magis declaret, addit alterum Regii Historiographi, cum stipendio sexcentorum uncialium annuorum. Ego vero utrumque munus, eo magis honorificum, quod a tanto mihi Rege demandatum, qua debeo animi demissione in me recipio, & sedulo omnem operam dabo, ne R. M. vestram suae in me benignitatis poenitere unquam possit. Verum unum R. M. Vestram admodum demisse oro, quandoquidem mihi sunt negotia quaedam domestica, quae non possim ante hanc hiemem expedire, ita ut nisi vere proximo R. Maiestatis vestrae iussa capessere mihi liceat, ut indulgere clementissime moram mihi illam velit. Ego istud beneficium prompto obsequio, diligentiaque, ac fide, in utroque munere deinde obeundo, compensabo.

Serenissime, ac Potentissime Rex, Deum Op. Max. Regem Regum, supplex veneror, ut R. Maiestatem vestram, divina benedictione sua cumulatum, diutissime incolumem servet; ac felicissime etiam porro regnare velit, ad nominis sui sanctissimi gloriam. R. Maiestatis vestrae aeternum honorem, & subditorum utilitatem. Lugdu-

(a) Exscript. ex autographo. GRAMMIUS.

Ann. Chr. MDCXXIV. duni Batavorum, ad diem X. Septembris CIϽIϽCXXIV.

Regiae Maiestatis Vestrae

humillime devotus, ac subditus

IOANNES MEVRSIVS.

Inscriptio.

Serenissimo, ac Potentissimo Regi CHRISTIANO IV. D. G. Daniae, Norvegiae, Vandalorum, Gothorumque Regi, Duci Slesvici, Holsatiae, Stormanae, & Dithmarsiae, Comiti Oldenburgi, & Delmenhorsti: Regi, & Domino meo clementissimo.

DLXXIV.

BALTHASAR BONIFACIVS IO. MEVRSIO S. D.

CEcropia tua, quamvis nullo aetatis machinamento, nulla temporis obsidione expugnabilis, non videbatur sibi satis munita, nisi *Areopagi* freta suppetiis. Quem profecto librum Serenissima Venetorum Respublica suspicit, Italia tota admiratur. Hunc tu Reipublicae sapientissimae, bono consilio, prospero eventu, donasti. Italiae toti, permissu tuo propediem donabit Vir in utraque lingua disertissimus Ioannes Franciscus Corneanius, matruelis meus, pulcherrime inter tuos Areopagitas, ac Decem-Viros nostros collationem facturus. Laudamus vehementer ingenium tuum, praesertim ab inventione, qua cum primis excellis. At nos timidi imitatores, vel potius ignavi exscriptores, literariam scenam collatitiis, & ad dominos redituris apparatibus adornamus. Gratulor tibi summos honores, quibus te Respublica optime de se meritum adfecit: nobile quoque gratulor ἀντίδωρον, quo te Senatus remuneravit, egregium sane cum virtutis tuae, tum publicae liberalitatis monumentum. Amo te plurimum de libro, quo curtae admodum supellectilis Bibliothecam, pro tua singulari humanitate, locupletasti. Ac ut ne videar, aut ἀσύμβολος, aut ἀχάριςος, quum de meo nequeam, tibi solvam ab alio. Mitto igitur *Commentarium Feudale*, quem patruus meus, Ioannes Bonifacius, Adsessor Principis, nuper a se confectum, Senatui transcripsit. Illum autem accipias ab hero meo Dominico Molino, tui studiosissimo. Vale.

Tarvisio IV. Kal. Nov. MDCXXVI.

DLXXV.

PATRICIVS IVNIVS IOANNI MEVRSIO S. D.

INter innumera alia, Vir Cl. quae Lucam Holsteinium, communem nostrum amicum, carum valde, & acceptum mihi reddiderunt, non minimum esse duco, quod notitiae nostrae proxeneta fuerit, & per literas ad amicitiam vestram aditum mihi patefecerit, quam ego non minus avide amplector, quam, ex quo primum in medium te protulit ingenii vigor, & scriptorum elegantia, ardenti desiderio ambiisse me semper, ingenue praemefero. Pro singulari hoc beneficio gratias illi agere non desinam, & ne facti ipsum aliquando poeniteat, sed ut perennis tecum sanciatur, & inviolata maneat, fidei, & amoris constantia (praesertim quum par voluntas, & studia non dissimilia, animos nostros in iucundam hanc societatem trahant) omni cultu, & observantia diligenter curabo. Grammaticos, quos a me postulas, lubens transmitto, & ex Codice Henrici Scrimgeri magni avunculi mei excerpta quaedam Διονυσίῳ ἀττικιςῇ adiungo, quae cum reliquis, si ita tibi visum fuerit, non inepte prodire possunt. Plures ad te hoc tempore volebam, ne singulos mittendo exspectationem tuam macerarem, & desiderium diutius suspenderem, sed nepoti meo, qui has ad te perfert, molestius hoc erat, & tu contrarium ipse exigis, aliaque prae manibus habes, quae pluribus simul vacare non patiuntur. Postea per occasiones, quaecunque in deliciis habeo maximis, in te libens transfundam, nec sinam ut inclusa apud me in sinu lateant, quae tibi, & publico prodesse poterunt; memor illius apud Senecam:

Nullius boni sine socio iucunda possessio.

Tu transmissis, & quae subinde transmittentur, utere quaeso liberrime, & aeternitatem cogitans, prout alios recte mones; in itinere feliciter instituto perge indefesso pede, victurique nominis famam, tuis aliorumque scriptis, quos e tenebris & silentio indies in lucem profers, prorogare nitere. Extenderem literas, & pro tarditate in rescribendo nostra pluribus a te veniam peterem; sed τῦ διακομίζοντος festinatio, & tua humanitas hoc non finit, quae mihi hanc noxam facile condonabit scio, quum intellexerit suas apud Bibliopolam diu latuisse, mihique, qui urbe hac aestate aberam, serius & simul redditas fuisse. Vale, Vir Cl. & nuper adscriptum in amicorum tuorum numerum, quo soles alios, amore, & benevolentia, complectere. Spelmannus, & Montacutius, quos salvere iussisti, quam officiosissime te resalutant, & notitia tua, cuius in intimam usque familiaritatem capacissimi sunt, nihil magis desiderant.

Londini, prid. Kal. Nov. MDCXXIV.

Tuus ἐξ ὁλοκλήρυ

PA. IVNIVS.

DLXXVI.

PETRVS GRVTERVS IO. MEVRSIO S. D.

DIu nil scribimus, Cl. Meursi, seu quod otium ad seria transferre libet, seu quod amicitiam fermento suo tradimus. Tu sane Areopagi tui dono indelebilem notam menti meae impressisti, ego quid memoriae

Ann. Chr. MDCXXIV.

riae tuae contulerim, excussis suffragiis non decerno. Epistolico enim adparatu te adivi, in quo omnia requiras, praeter simplicem, & sine striis humanitatem, quam tibi amoris Arrham si statuis, non est, quod Lyci tegetes commingas. Vivam enim indelebili sigillo apud te, cui candor quoque albi frontem occupare solet. Sed quid interno sensu sodalitatem semper pascimus? in nervum enim erumpere diu congesta prothymia debet; hoc seculo, quo nulli minus, quam de vita certi est, quippe severa sententia nos Rhamnusia adoritur; tam non de fortunis sollicita, ut de capite vadimonia dicat. In seriem vero hactenus grassata, quasi delectum hominum fecit; sed fata si adspicio, tumultuario tandem nos vocatura. Capitecensis autem causa nulla efficax erit, ne proletariis quidem venia dividua. Frui ergo humanis commerciis adeo nefas non est, ut fugacis vitae ludibria officiis praevenire deceat; sollicitudo certe facit, ut amicorum diaria evolvens peregrinorum subinde sortilegia disponas. Nam praesentium rebus animo fatiscente subinde interesse cogor: adeo saeva ubique grassatio est. Tu autem quam salvus vitae signa sequeris, inter commilitones reliquos, qui mediis stragibus immerguntur? nam urbs vestra velut ostracismum pati dicitur, raptis hinc inde virorum pretiis. At Praetoria cohors, & Musis dedicata militia, quam valenter stationes suas obit? Professores, inquam, & Pindi aquilas sectans Adolescentia? Ad Iacchaeum nuper scripsi, sanitatis testes literulas vicissim ab eo exspectans. At ille in silentum loca decessisse videtur; si non libitinae colonus, saltem pertinacis calami professor. Nam morbo eum irretiri, ne fando quidem ab iis accepi, qui pergulas vestras sturnatim, & graculatim deseruerunt. Pesti enim ludos facere arbitrantur, dum aeris versura sequacissimum malum evadere tentant, sed iuvenculorum sortes alii dispungant: tu mihi nobilioris Tribus arbiter ea enoda, quae perpetuis melliniis vitam luxuriare iubent. Scribe, inquam, qua tum cum valetudine in gratiam iveris; iis non neglectis, quos tu albi nostri adscriptitios esse nosti. Si sanos omnes nunciaveris, id mihi vitae praemium statuetur. Vale, Cl. Meursi, & me ama, Amsterod. postrid. Nonas Novembr. CIƆ IƆ CXXIV.

Vorstium fuisse narrant, in defuncti vero functionem quis subrogabitur? hoc indicare memento, ut videam, an in Testibus Professorum usquequaque Dictatores subnascantur.

DLXXVII.

LAVRENTIVS REALIVS IO. MEVRSIO S. (a)

AVenti mihi, Vir Cl., Danorum res gestas, politicumque rerum dicam, an regni statum cognoscere, commode innotuit historiae eius scribendae munus tibi a potentissimo Rege impositum; atque adeo neminem me potuisse consultius adire, statim apud animum meum statui. Rogo te itaque quam possum amantissime, ut auctores mihi quosdam praescribere velis, quibus legendis summariam rerum gestarum historiam, sed si fieri possit, civilis regiminis accuratam cognitionem possim percipere, quantum saltem politico Viro, & in externa regna peregrinanti, decori est adgnoscere. Quod etiamsi iam ignoto, ne dicam immerito, praestare videaris, fortassis non ingrato operam impendisse quondam experieris. Vale, Vir Cl. imo have ab eo, cuius forsan nomen etiam aures tuas adtigit, pridem rerum Indicarum in Oriente nomine Generalium Ordinum praefecto Generali. Amsterodamo II. Novemb. stili Gregoriani MDCXXIV.

Tui observantissimo

LAVRENTIO REAEL.

DLXXVIII.

LETTRE DE MONSIEVR DV MAVRIER.

MOnsieur, c'est pour vous remercier tres affectueusement du temoignage de vostre souvenir, que m'avez temoigné iusques icy, tant par vostre lettre, que par le livre de vostre façon, qu'il vous a pleu m'envoyer, qui ressent, comme tout ce, qui part de vostre mainune playne erudition. Ie n'eusse tant differé a vous en rendre graces, sans une indisposition, qui m'a travaillé prez de trois mois, dont je suis quitté Dieu mercy, joint que je n'ay tenu ce que m'envoyez que depuis quelques semaynes. Ie le garderay cherement avec ce que vous m'avez autre fois departy de mesme estoffe, & cependant vous prieray recevoir mes humbles recommendations a vos bonnes graces, & me croire tousjours vostre humble amy a vous servir. Du Maurier ce V. *Ianvier de l'an* MDCXXV.

(a) Iste *Laurentius Reael*, rerum Indicarum ad Orientem, nomine Generalium Ordinum, Praefectus, postea Legatus ad Regem Daniae Christianum IV. anno 1628. missus est. In reditu autem, quum navi veheretur, tempestate ad littus Cimbriae borealis eiectus, a Caesarianis, tunc Cimbriam tenentibus, captus est, atque Viennam Austriae ad Caesarem deportatus: ex qua captivitate demum post aliquot menses liberatur, de quo *Aitzema* in Historia Belgica narrat. Habentur in *Casp. Barlaei* Poematibus cum Epigramma in effigiem eius (e Dania post naufragium reducis) tum Epithalamium heroico carmine in nuptias eius, quo *Equitis Virique generosissimi, fortissimi, & doctissimi* elogiis ornatur, Ac denique Epitaphium ab eodem Poeta ei scriptum, (*Elegiar. lib* 3. *p.* 221.) quo, praeter alias laudes, etiam eruditionis illa, & poeseos excultae exornatur his verbis

Mercurium Phoebumque rudes transmisit ad Indos,
Illius auspiciis vendidit, hoc sapuit.
Ivit Musa comes bellis, interque sarissas
Nobile bellatrix dextera scripsit epos.
Quin superis coelique plagis astrisque vacavit,
Sideraque ingenio vidit amica suo, &c. &c.

Ann. Chr. MDCXXV.

DLXXIX.

IO. MEVRSIO V. CL. E. PVTEANVS S. D.

HVmanitatem tuam, Optime *Meursi*, satis amare non possum, doctrinam, & industriam non satis suspicere. Scripsisti *Athenas*, & vere praecipuas sapientissimae Vrbis Antiquitates complexus es: ad me misisti, & pulcherrimo munere condidissimum adfectum testatus es. Non adhuc percurri universum opus, morbo impeditus, qui diutius iam me tenuit, & adflixit. Sed cogito superesse delicias, quibus mox totum me impleam: quibus praesentem te habeam, longius etiam abiturum. Bonis avibus, mi *Meursi*, cape praemia famae tuae debita, sed adhuc ingenio inferiora. Illustrabis, & calefacies Septentrionis illud latus: ubi tu loqueris, & scribes, suos Apollo radios explicabit. Nos hic magis magisque premunt frigora, quasi longa literarum hyeme obsessos. Pergam ego bonam mentem colere, & te amare, imo suspicere, Clarissime *Meursi*, qui tuo me adfectu non desinis dignum censere. Vale.

Lovanii in Arce, VI. Eid. Ianuarii CIↃIↃCXXV. Exemplar *Castellano* datum.

DLXXX.

OLIGER G. ROSENCRANTZ IO. MEVRSIO S.

Vir Clarissime.

AMice singularis *Meursi*, quod literis tuis ante menses aliquot ad me datis iam primum quando postremae aliae tuae ante octiduum circiter mihi offeruntur, respondeam, ne suspiceris, velim, aliam ullam esse potuisse caussam, quam violentiam eiusmodi, quae mihi ipsius mei usuram praeripuerit tantum non omnino. Quando etenim priores tuae, mox a Comitiis regni nostri novissimis Hafniam adferrentur, iam ego cum morte verius, quam morbo, qui me habuit, proxime conflictabar, unde vix, ac ne vix quidem eluctatus sum, quando filia puerpera, in absentia mariti, generi mei *Christiani Thomaei* periculosa adeo adfectione per septimanas bene multas prostrata penitus est, ut indies interea singulos animam agere omnibus nobis iudicata sit. Denique mox ut vires utrinque recolligere datum est, atque itineri nos iam committimus, domum tandem post semestre integrum, quo Hafniae tot adversitatibus distinemur, properantes, insperata alia nos excipit adflictio. Nata namque nuperrime filiae meae filiola, primo statim die itineris nostri in hospitio, quo diverteramus, vita hac excessit, novis nos moeroribus relinquens, quibus iuxta superandis, sola Divina virtus gratiose collata subficere poterat. Hic vero ego continuis tot excruciatus adflictionibus, viribus etiam tum corporis, tum animi, a morbo diuturno, atque necdum omnino profligato, aegre, ac tarde admodum redeuntibus, quod languide, ac negligenter nimis officium, quod tibi debebam, praestiterim, cum sponte profiteor, tum perque amice deprecor. Interim literas sacrae Reg. Maiest. destinatas, extemplo per secretarium Regium exhibitas esse te scire velim, ex quo etiam S. ipsius Maiest. excusationem tuam clementer admodum admisisse, iam pridem intellexi. Professioni vero in Illustri Sorana nostra, cui obeundae desideraris ἀριστεῖον designatum iam pridem esse, quingentos nummos, singulo exaequante marcas duas, quas nominant Lubecenses cum dimidia, nostrates *Courant Daler* dicunt, id quidem ex literis vocationis tuae te percepisse arbitrabar. Nihil iam restat itaque, nisi ut Deum supercoelestem nostrum βιοςσῶον tecum religiose venerer, dignetur ipse Sanctorum suorum nunciorum comitatu te salvum, & incolumem cum universa tua familia nobis adducere, operis, & conatibus tuis omnibus porro in supercoelestibus benedicere, atque in multos annos denique te, & Academiae novae nostrae, & nobili etiam nostrae iuventuti sospitem servare, & superstitem. In quo voto finio, teque aeternum valere iubeo. Ex Ottoniano Regio, XXVI. Ian. CIↃIↃCXXV.

Qui te amo, & aestimo

OLIGERVS G. ROSENCRANTZ.

DLXXXI.

PETRVS GRVTERVS IO. MEVRSIO S.

DIu hactenus fluctuavi, Cl. Meursi, cui terrae senectutis meae primitias dedicarem. Quinquagenarius enim veteri scito militiae eripiendus videbar; de urna, atque ad Antipodes expeditione sollicitus; in contrarias vero cogitationes parum compositi Lares me trahebant, in Patria semper retro ferri soliti; novercari enim Hyades Belgi volunt, privilegio gaudent, ne tibi privigno fortunae, querelarum poculum vendices. Comitiis autem cordolii peractis Vertumno manus dedi, sequuturus quocumque me alea vocabit. Tibi vero in Daniae loca tendenti prodromi partes delegari gaudeo; ut videas quam commoda nobis in tuis vestigiis sequela futura sit. Florere tibi stipendium, adeo nobis ad spem bonam vota laxat, ut tua auctoritate tenuitatem nostram adipisci posse persuadear. Ire modo te faustis avibus contingat, nobis oscines prospera vaticinari audent, & quae ansa me Danis adplicabilem offert, in breviario cape. Medicinae me usque in abditis rusponem intelligo, manu quoque salutarem, si canis nostris exercitio albicantibus aliquid accredis. Amoena me quoque delectant; rei litterariae seminiis fundo nostro bene consito. Summates me aequare non iacto, atque eam tibi palmam praecida-

daneam do. Ceterum repenti plebeculae accensus, in mediis transtris haerere gaudeo. Ventosa tamen haec aulicis deliciis si videbuntur, en in quo etiam pica laborantes satietatem inveniant. Linguas vernaculas volubili ore tractare novi; calamo quoque versatili, ut non unius regni Incolis adsuescere liceat. Gallica, Hispanica, Italica, Maternam linguam provocant; uti Alemannica ad usum sequax esse gaudet. De Romulea, & Graeca iampridem dicto commento silentium sit. Non enim Chimaerae saltanti purpura induenda. Si tamen haec quoque verborum pretia rusticitati Danicae nauteam redolebunt, en quo lusciniis satisfieri queat. Musicae enim delinimenta nactus sum, vario ligno loquaci, & argutae manus energia non indocta: Quid? quod perfrictam fontem magis etiam sulcare audeo; paucis ad eam artis summam penetrare datum esse, si longo situ nervos effatuatos perfricare, atque novali usu emollire occoepto. Rides, scio, ridicula agentem, cui Stoa frontem rugare solebat. At mihi severitati nuncium remittere libet, vel ut caudam traham; dummodo domi nostrae hospitantem Irum evadere liceat [a]. Quid enim diutius verborum propolis inhaeream, variae aptitudinis Vir, ut Proteo controversiam facere liceat? Revocandus semel gradus ex Criticorum quisquiliis, & quae ex verris ipsius redolent, medicorum foriis, si ea fatalitas sequitur, ut semper laciniosus esse cogar. Sed haec tua pace dicta sunto, ut invidia etiam crepet, & quibus ob minutias literarias follicare triumphus est. Sed quid si aphonus esse, & psalteriis minuritiones legare merear? En me Mercurio non ineptum, cui cautelas mercatorias a cunis usque haurire datum est, patre futurae angustiae provido. Huc ergo quoque colonia fiat, dummodo fertilis commodi merito evocari contingat. Navem nostram gemina prora in alveo fossae compresso commodam vides. Hanc conto impellere digneris, sicubi adverso amne obnitendum nobis est. Sponsionis benignae promus fuisti, quum coram haec causa ageretur. Tu modo memoriae tuae nupera, scriniis oppessulatis, necessitates nostras conservare; me, inquam, Corbitae tuae adnexam Lyburnicam patere, & quae tibi fastidita, nobis in sarcinam aptare digneris; non inglorium tibi aevum fluet, si civica corona ob servatum sodalem induaris. Ego tibi ad Hyperboreas, & alterius climatis Lychnobios non periturae famae carmen canam fatidicum, & posteritati tuae stellas disponens non vavellorum consutis nugis plenum. Sed audax sponsor stipulando evagor. Claudo epistolam, quam tibi subinde divaricare libeat, ut memoriae vivacitate mens renovetur. Vale, Clarissime Meursi, & meliori coelo digne, quam hoc Bataviae, Locustarum multitudine solem obfuscare solito: calumniatoribus, inquam, ficu Indica praegnantiori. Amstelodami postrid. Kal. Mart CIↃIↃCXXV.

(a) *Omnia novit Graeculus esuriens*. GRAMMIUS.

DLXXXII.

V. CL. GERARDO VOSSIO.

NOn dubito, Vir Cl., quin literas a me desideres; ego vero & dare eas ad te volui; verum tempus mihi exspectandum erat, dum ad locum destinatum pervenirem, & res meas ordinarem. Primum itaque Oxoniam veni, foelicissime, Deo gratias, ad Oligerum Rosaecrantium, Virum ut nobilitatis antiquissimae, sic virtutibus longe maximis exornatum, & imprimis mihi addictum. Is me mensem totum tenuit, benignissimeque habuit; nec dimisit nisi donis oneratum. Inde Soram me recepi, eoque veni ad diem XXIV. Iunii Gregoriani, quum supplex mea amnis pridie adducta esset. Deo meo gratias ago, qui in universo itinere tam benigne mihi adfuit. Locus multo est amoenissimus; sylva, lacu, & segetibus undique cinctus: itaque ambulationes praebet iucundissimas. Certe nullum domicilium Nobilitati regni sui instituendae convenientius, gratiusque Rex eligere potuisset. Postridie quam advenissem, Duces Fridericus, & Vlricus, Regis Filii, qui hic studiorum causa commorantur, ad prandium me invitarunt; & eumdem item honorem ex eo tempore saepe mihi habuerunt. Quin & Princeps postero die Fridericiburgo adveniens, ad mensam adhibuit, & colloquium; idque etiam hodie fecit, Anderschovia huc excurrens, ut cum fratribus pranderet. Adfuit mihi ante paucos aliquot dies eius Concionator Aulicus, narravitque ipsum perquam honorifice de me locutum, quum hinc primum a colloquio nostro primo rediisset, & amari me aliquo modo, inde certe coniecturam facere non incertam licet, quod quum iterum, huc venerit iterum ad mensam suam, & colloquium adhibere voluerit. Retulit quoque is, quem dixi, Concionator, ipsum Regem, antequam ad castra abiret, aliquoties verba de me habuisse quae insignem benevolentiam testarentur. Et praeterea, supra stipendium, destinatum mihi etiam Canonicatum, quem vacare primum acciderit. Item a Proceribus Regni, penes quos, absente Rege, summa rerum est potestas, magna benevolentiae signa accepi; ita ut poenitere non debeat, quod Novercam tam iniquam, neque mei quidquam amantem, cum benigna adeo matre commutaverim. Quis sit rerum duarum status, quid vocatione Anglica factum, aut futurum, & an recusaveris illam, aut acceperis, scire aveo; &, si manes, quidnam tibi ad stipendium prius accesserit: tum, qui Vorstio, Herpenio, mihi substituti, & si quid in Academia novi acciderit. Vale, Vir amicissime, cum omnibus tuis. Vxor mea te tuamque salutat plurimum. Dabam Sorae, ad diem XV. Iulii Iuliani CIↃIↃCXXV. Salutant plurimum DD. Iaccheus, Snellius, & Vorstius.

Tuus ex animo quem nosti

IO. MEURSIUS.

DLXXXIII.

Ann. Chr. MDCXXV.

DLXXXIII.

GEORG. LVDOVICVS FROBENIVS IO. MEVRSIO S. P. (a)

Clarissime Domine Meursi,

FAsciculum, quem vides cum litteris illi adiunctis, hesterna vespera Venetiis accepi. Ab Illustrissimo Dominico Molino Senatore Veneto utrumque venire ex manu scriptoris, & sigillo adparet. Binas enim antehac ab eodem accepi eodem charactere scriptas, quibus de Indicibus in utriusque Senecae opera ad imitationem Penu nostri Tulliani conficiendis ad me perscripsit. Eius voluntati satisfacturus memorabilia quaecumque iamdiu excerpsi, ex quibus facile erit Indices undecim colligere, si patronus dabitur, qui novam Operum illorum editionem in se suscipiat. Sed quia nullus, quamvis a me anxie, & Antverpiae, & Lugd. Bat. addo & Parisiis quaesitus, sese offert, labor ille cessat. Literae tuae superiori mense ad me adlatae, Coloniam statim missae sunt. Si quid porro fuerit, ad quod opera mea commode uti poteris, ea semper paratissima erit, modo illud observetur, ut Internuncio Danico pro opera tua abs te subinde satisfiat. Vale, Vir Cl. & me amare perge. Hamburgi V. Kal. Septembr. A. C. CIƆIƆCXXV.

DLXXXIV.

OLIG. G. ROSENCRANTZ IO. MEVRSIO S.

Vir, & amice optime Meursi!

REmitto ad vos filium meum Georgium, pignus, me Christe, meae in vos, Patres, ita censeo ego, patriae huius nostrae conscriptos, amoris: cuius studiis ἐργοδιώκτην adiungo M. Lampertum Alardum, optimi parentis, haud degenerem, cum Deo bono, filium. In aliis voti mei pars princeps est, accessum utrique ut facilis patefacias liberum, ad amplissimum sapientiae tuae fastigium, quod & venerari iam pridem norunt, & suo magno bono observare, & usurpare sibi perque desiderant. Nullus dubito autem quin parti huic animae meae haud postremae, tribuere tantum haud detrectes, quantum me tibi tuisque bene & cupere, & velle saltim, ut ultra non sufficiam, indubius quod spero, tibi polliceris. Faxo vicissim ipsa re deprehendas, nihil in me esse, quod non insolidum tuis usibus volentissimus sacrarim, promptissimus mactarim. Vale cum lectissima tua coniuge, liberis ac familia universa ipsi τῷ βιοδότῃ nostro religiose commendatus, tum a mea, tum a me. Ex Ottoniano Regio Id. Sept. CIƆIƆCXXV.

Tuissimo

OLIGERO ROSENCRANTZ.

Ann. Chr. MDCXXV.

DLXXXV.

LAMPERTVS ALARDVS IO. MEVRSIO S. P. (b)

GAudeo Musas meas tibi probari, Excellentissime Vir, cuius nuperae tuae indicium fecerunt. In Harpocratione adhuc versor, ut & Valerio Flacco, quem hactenus comsi, quantum per negotia officii licuit. Iam quia Professione Theologica exclusus, Hamburgi haereo, spero me hac hieme utibilem sumpturum operam. Cecropiam tuae Excellentiae non possideo, nec de Populis Atticae; reliqua fere omnia huius generis iam dudum manu tero. Nihil magis mihi in votis, quam ut publico foetum hunc sistam, inque eo, quanti te faciam, seculo huic significem. Cluverus vester hactenus nobis adfuit per aliquot dies, qui tuum in me meaque adfectum prolixe aperuit. Vtinam te proxeneta vacanti apud vos provinciae destinari possem, cuius ille mentionem fecit. Vagor equidem laris, & officii vacuus, nec quo iam navem propellam, satis certo scio. Iam Lipsiam cogito, iam Belgium, iam Soram, sed quum nullibi spes promotionis me evocet certa, Hamburgi subsisto, donec vel Lipsia responsum accipiam, vel Sora a Cluvero, quem hoc nomine per praesentem Tabellionem salutavi. Te vero rogo, ut & apud D. Praesidem, & D. Oligerum me commendando, & ornando promovere digneris. D. Cluverus scio coniunctam sumet operam; nec dubito, quin proficuam hanc sumseritis, si quidem serio hoc agere velitis. Ego studio & observantia mea spero, id consequar, ut non indignum hoc quicquid est beneficii collocasse videri possitis. De Libanio quid fiat, responsum ad superiores meas, ut & ad has per praesentem a te mihi spondeo. Vale, Vir Cl. & me, quod hactenus facis, ama. Ego te παντὶ σθένει, ϗ παντὶ θυμῷ. Dab. Hamburgi XIV. Sept. MDCXXV.

DLXXXVI.

HENRICVS HVDEMANNVS IO. MEVRSIO S.

LIcet ego praecipue divinis studiis animum adplicem, non tamen relinquo Musas, sed, eas mecum velut ad utiliorem mercatum circumduco. Ita partior tempora, ut ad Theologiam etiam Poetices studium adiungam, semper denique cum severioribus necto humaniores literas, & ad aliena castra transire soleo, non tamquam transfuga, sed tam-

Meursii Epist. E e

(a) *Geo. Ludovicus Frobenius*, Typographus Hamburgensis, non indoctus, cuius cura & sumptibus *Cicero Gailielmii*, *&* *Gruteri*, *Procli* Theologia Platonica, & Varia alia in lucem publicam prodierunt GRAMMIVS.

(b) De *Lamperto Alardo*, *Wilhelmi* filio, Crempis in Holsatia nato, & eadem in urbe postea Pastore, ex Poematibus, & scriptis Philologicis, (in quibus *Valerii Flacci* editio, magna Notarum congerie inutiliter instructa) nonnullam famam adepta, vid. *Mollerus Hypomnem. ad Alb. Barthol. de Scriptis Danor.* GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXXV.

tamquam explorator. Nunc quidem oppressi sumus opinionibus, non modo vulgi, sed etiam hominum leviter eruditorum, qui negant varietatem literarum convenire ei, qui certae scientiae addictum se fateatur; nolunt in diversis disciplinis eumdem versari. Ephesi natos diceres, ubi memini licuit excellere. Qui Theologiam amplexus sit, eum una pene voce repellunt a studiorum amoenitate, excludunt ab omni doctrina, aliarumque rerum scientia, & tantum in templa, & conciones detrudunt, ac compingunt. Sed horum sordes, & errorem sequi putidum semper, & me prorsus indignum existimavi, ut cui mos iste stolidissimus multum displicuerit, mihique etiam nunc pastoritia fistula, si quis alius, dignissimus videatur. Vnde & factum est, ut gravium cogitationum nubila Poeticis delinimentis abstersurus, saepissime ego ad audaciam Carminum provectus fuerim. Testari hoc poterunt *Divitiae meae Poeticae*; quas e scriniis meis publicavi. Haec si tibi tantopere imposuerint, ut amatorem inveniant, erit, quod lucro adponere, mihique de praestantissimi Viri amicitia gratulari possim. In quo omine desino, & Te bono rei literariae omni prosperitate florentem, mihique faventem quam diutissime terris interesse adprecor. Dabam Wevelsfleti, a. d. XXIII. Septemb. Iuliani MDCXXV. (a)

DLXXXVII.

D. MOLINVS IO. MEVRSIO.

Oggi per via di Norimberga mi sono capitate le vostre lettere di 27. Agosto passato, le quali mi anno riempito di contento, così per l' avviso, che mi portano del vostro buono stato di salute, e di quello di tutta la vostra famiglia, dopo un così lungo, e difficile viaggio, come anco per comprendere la sodisfazione compita in che vi ritrovate della risoluzione da voi presa nel portarvi in coteste parti, avendo incontrati effetti di tanta umanità, cortesia, e munificenza nella Maestà del Re, ne PP. figliuoli, ed in quella nobiltà, ne è meraviglia, perchè da' Signori di tanta qualità non si doveva, nè si poteva attender altro verso uomo di così eminente virtù qual sete voi. Piaccia a Dio accrescervi Mons. le prosperità, perchè voi ben lo meritate, e ne siete degno. Io tra tanto vi ringrazio dell' amorevol memoria, che in così lunga distanza di paese vi piace conservare di me, e dirò, che l' affezione singolare, che io vi porto, e la gran stima, che faccio del vostro valore ben meritano questa ricompensa, e se tal volta mi consolerete con le vostre da me desideratissime lettere, vi resterò grandemente obbligato. Il modo di farmele avere, facendole per la via d' Hamburgo capitare a Norimberga al Sig. Federigo Bergh, ovvero alli Sigg. Imeurio gentiluomini di quella città, comici miei, che me le faranno sempre avere, come pure mi anno fatta capitare la presente. Io vi ho scritte alcune mie, e vi ho anco inviato un grosso pacchetto di libri, con lettere pure similmente di Mons. Baldassar Bonifacio; spero che il tutto finalmente vi sarà capitato. Una mia lettera fu pur anco per voi consegnata al Sig. Lorenzo Frobenio, che promesse di mandarvela; non sò mà se vi sarà pervenuta. Il Sig. Gio. Francesco Corniani ha già portato nel nostro idioma Italiano il vostro eruditissimo Areopago, e mi promette di darlo alla stampa. Io lo sollecito, e spero ben tosto d' ottenerne l' intento. Quando sia fatto, procurerò di farvene capitare un esemplare, come pur farei di qualche curiosità di queste parti, se sapessi come superar la difficoltà; pure mi anderò ingegnando. Vi prego non vi scordare del Tucidide. L' Athenae Batavae *mi capitò, ma imperfetta. L' Eccellentissimo Sig. Ambr. Contarini mi ha promesso di mandarmi li fogli che mancano; quando siano stampati, li attendo con desiderio. Il Sig. Pignoria ha publicate le sue Origini di Padoa, e l' Antenore, Opere molto erudite. Gli è però stata promessa una difficoltà d' alcuno de' suoi Cittadini sopra quello, che da lui nel libro delle Origini suddetto si è posto in dubbio, cioè che Giolio Paolo famoso Iureconsulto sia Padoano; sono però passati alla pubblicazione di scritture mordaci contro di lui, ed egli si difende alla gagliarda, come pure molti altri vi sono, ch' anno tolta la pugna per lui, nè li suoi avversarii sono certamente bastanti a fronte. Tutta questa contesa vi manderò Mons. se troverò la strada di farlo. Tra tanto amatemi al solito, che vi prego felicità. di Venezia li* XXIII. *Settembre* MDCXXV.

DLXXXVIII.

GERARDVS VOSSIVS IO. MEVRSIO S.

Duplici nomine gaudeo, maxime Vir, atque amice eximie: primum quod ut florentissimum Daniae regnum maiori luce vesties; atque eruditionem nobilissimae Iuventutis augebis; ita futurum video, ut ipse etiam maiora, & honoris, & emolumentorum capias incrementa. Deinde autem illud plurimum me recreat, ac reficit, quod si bene animum tuum novi, quanto magis in pretio eris, tanto magis amare studia literarum, deque hoc seculo, & posteritate insimul, praeclare perges mereri. Vnum illud doleo, quod a te, tanto & Viro, & amico, tam longe separer intervallo. Sed nunquam tam mei fuero studiosus, atque amans, ut non gloriae, ac commodis tuis, tuis vero? imo Reip. literariae longissime posthabeam utilitatem, licet multo

(a) De hoc Viro, quem in Holsatia (ubi *Wevvelsfleth* pagus est) sacerdotem fuisse epistolae loquuntur, nihil antea sciebam. Neque ex hisce plus aliquid lector didicerit, praeterquam hoc unum, *Meursio*, ad alias magnas virtutes, miram adfuisse comitatem, & officiorum curam, quae nullius, quantumvis inepti hominis adlocutionem sperneret: quo ipso non potuit fieri, quin eamdem sibi molestiam saepius arcesseret, secundum illud: *priorem ferendo, invitas novam*, GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXXV.

to maximam, quam ex suavissima conversatione tua capiebam. Quod ad rerum mearum statum adtinet, magna quidem mei expectatio apud Serenifs. Angliae Regem, & regni proceres concitata erat, ut his diebus ex nobilibus Britannis intellexi: sed non multo post abitum tuum, uxor in gravissimum iterum morbum incidit: qui tres pene menses duravit; ac ne nunc quidem corpore est satis firma. Ea res effecit, ut mihi divinitus compedes iniectas arbitrarer. Plane enim vitae eius metuebam: nec ut viduus eo me conferrem, ex re fuisset mea, aut meorum; praesertim quum rei familiaris parum sim intelligens; quemadmodum nosti. Nec propterea hilo per abitum tuum auctior sum: nisi quod Amplissimi huius Academiae Curatores a me petierunt, ut ne penitus iaceret studium linguae Graecae, diebus Mercurii, ac Sabbathi, extra ordinem illud horam unam profiteri vellem: uti a me sedulo [a] fit, sed stipendio plane incerto. Propterea auctores nonnulli fuere, ut ne ea conditione provinciam reciperem. Sed nosti quam soleam πᾶσιν συμπεριφέρεσθαι, ac tanto minus id Curatoribus denegandum putavi, quod benevolentia mei ductos, utcumque causas non satis perspicerem, hoc consilii cepisse eos arbitrarer. In opere meo de Historicis Latinis iam ad Iustiniani tempora perveni; fore video, ut non multo ante natalem Domini absolvatur: Vsque adeo lentae sunt operae. Superiori hebdomada ab Senatu Academico Rector magnificus, Polyander, Svaneburgius [b], & ego homullus missi fuimus Hagam, ad Illustrifs. Principem Henricum, quo ei gratularemur novam dignitatem, atque Academiae nostrae statum eidem commendaremus. Respondit humanissime, etsi valde infirmus usque adeo, ut eo die neminem praeter nos admiserit. Pridie misere fuerat conflictatus cum morbo colico quem esu mororum, melonum, fungorumque contraxisse ferebatur. At talium tragematum πᾶν ἀπόλοιτο γένος: potius sane, quam per ea male sit optimo principi, cui vel de meis Deus annos superaddat. Sane improborum aliquod gaudium tum erat, sed bene est, quod nunc valetudini restitutus videtur. Golius hactenus Arabice docet: sed poposcit a Curatoribus, ut sibi potestas daretur cum Witsio, designato Consule Aleppensi, in Syriam suis sumptibus proficiscendi: atque impetravit. Post trimestre, aut circiter se itineri adcinget. Quaeres, quis Deus hanc ei mentem inspirarit? Nempe non alio compellitur, quam quod multa adeo in Arabica lingua supersint; quae nec illi, nec cuiquam in orbe Christiano cognita sint. Quaecumque Arabica Lexica subpetunt, mutila videntur. Quid dico videntur? imo si de iis quidem loquamur, quae scripta sunt ab hominibus Christianis, desunt verba pene infinita, ita ut qui interpretari quid velit, saepe ad fallaces coniecturas recurrere cogatur. Ea autem, quae lingua sua Arabes condiderunt, multo quidem sunt perfectiora; sed quia gentis suae hominibus scripsere, ita breviter succincteque cuncta interpretantur, ut a Christianis hominibus non intelligantur; praesertim ubi ritus Arabum adtinguntur nostris ignoti, aut ubi ad Poetarum Arabum loca adluditur, quos iidem saepe ne per transennam quidem videre. Sperat itaque Golius noster, si annum unum Damasci, & vicinis locis cum doctissimis Arabum, atque aliarum Asiae gentium colloqui familiarius detur, posse se plus uno proficere die, quam vicenis, si suo omnia labore hic rusperur. Certe iuvenis est, praeclarus, magnumque aliquando Virum dabit, si Deus ei valetudinem, & vitam, quod ex animo voveo, cum Bataviae, tum praecipue studiorum causa. Multa enim ex Arabum monumentis erui possunt, quae ab nostris sciantur iuxta, ac ab ignarissimis. Schrevelius, [c] quo hactenus Haga medico usa fuit, honore eo a Curatoribus auctus est, ut inter Professores medicos familiam duceret. Et iam orationem habuit inauguralem. Sed de principe loco sponte maluit cedere adfini suo Heurnio, qui tot annos iam medicinam in Academia hac fuerit professus. Hac tamen conditione loci gratiam fecit, ut ne adfinis primarii medici titulum sibi adrogaret. Spero eam rem aliquid ponderis habituram ad Concordiam. Sane modestiam prudentiamque Screvelii hac parte omnes commendant. Multorum sententia erat, ut Screvelio etiam botanica functio mandaretur: Et maluisset ipse, atque item amici eius, cum ob alia, tum horti Academici amoenitatem. Sed Vorstius noster in ea opinione erat, fore eam rem sibi ignominiae, si cedere illa domo nunc ipse, mater familiaque cogerentur, ubi hactenus ὁ μακαρίτης Vorstius egisset ([d] tum autem magnam se aetatis partem botanicae rei impendisse, ut haud alteri, alia magis sectato, postponendus videatur.) Vtcumque hoc est, amicus ille noster Vorstius Curatoribus persuasit, adiuvante in primis Cunaeo. Itaque & ordinarius is Medicinae nunc Professor est, & idem doctor botanicus: quae felicitas nescio an cuiquam ea aetate in Academia hac contigerit. Screvelio, quum in totum parenti Vorstii succedere non posset, loco botanicae professionis trecenti, vel amplius floreni annui decreti sunt. Amplissimus Rutgersius menses multos lecto adfixus fuit: deque valetudine eius prope conclamatum esse, Screvelius medicus iudicabat. Sed hesterna die cognovi ex Heinsio, Valentium, medicum Delphensem, pro certo habere, laborare eum Scelotyrbe: ac se eum intra octiduum, vel praeter propter valetudini restituere posse. Quod Deus faxit. Sin, quod Deus avertat, naturae concesserit, sedulo apud Serenifs. Sveciae Regem opera dabitur, ut in honore eo Heinsius pos-

(a) *In edit.* scrio. GRAMMIVS.
(b) *Ita rectius quam in edit.* Sualemburgius. Erat sc. *Cornelius Svvanenburg* Iuris Professor Leydensis. GRAMMIVS.
(c) *Evvaldus Schrevelius*. GRAMMIVS.
(d) Haec uncinulis inclusa, praetermissa in edita. GRAMMIVS.

possit succedere. Et multi fore arbitrantur, ut compos eius voti fiat. Nec tamen in Bataviae proceribus desunt, qui suorum alicui decus hoc conferri praeoptent, atque etiam in hoc sint elaboraturi. Vides, mi amice, hominum certamina. Nos vero interea dulcia Musarum studia colamus, atque amore potius inter nos, imo & cum aliis, benemerendo de bonis literis, certemus. Hesterno die a Screvelio Gymnasiarcha vocatus fui ad nuptiale convivium (mercatori cuipiam Harlemensi filiarum eius una nupsit) ei intererant praeter alios Cunaeus, & Barlaeus: qui impense postularunt, ut suo te nomine salutarem. Vxor quoque mea, plurima te salute impertit. Vtriusque etiam nostri nomine multum salutem dicito lectissimae, atque optimae uxori tuae. Lugd. Bat. CIↃIↃCXXV. Kal. Octob. [a]

Ὁ σὸς

Ἀλοτήκιος.

[b] Illustribus Heroibus Vleveldio [c] ac Rosecrantzio salutem a me plurimam dici exoptem, sed non satis scio, utrum nomen meum tantillum ad eorum aures pertigerit. Quicquid erit, gaudeo Daniam tantos habere literarum nostrarum Mecenates. It. Vale.

DLXXXIX.

D. HEINSIVS IO. MEVRSIO,

Vir Clarissime, Vir amicissime!

POstquam alter alterum cum lacrymis dimisimus, duas a te, alteras Groeninga, alteras ex Dania accepi. Eas dico, quas cum praestantissimo adfine D. Rutgersio communes nobis esse voluisti. Ad quas, quod imprimis aegre, & mihi est, & tibi fore nullus dubito, nunc soli respondendum est, quamquam, ut communi nomine id fieret, ipse a me petiit. Incidit communis ille amicus noster, mea certe anima, ante hoc semestre, in longissimum, ac vere gravem morbum, de quo nihil certi respondere, aut praestare nobis medicus, quo usus est, tum potuit. Ipsi cum maximo cum malo nostro sceleturben esse postea edocti sumus, quae familiaris huic coelo, quod & Plinius testatur, ut principia plerumque leviora esse solent, facile initio curatur, inveterata, si quod malum aliud, remedia plerumque ac curam aversatur. Huic, & ex fonte eodem pertinax melancholia, & quae ex utroque oritur, debilitas accessit, ita nunc adfixus lecto, inter vitae confinia, ac mortis positus, ipsa morte graviorem ducit vitam: homo, quem ad omnes elegantias, lepores, atque imprimis iocos factum esse nosti. Metuo, ne fuisse nobis magnum, ac illustre hoc ingenium, ex proximis intelligas. Vxor mea menses aliquot ad lectum adsidet; ego quoque, quantum potui, id dedi operam, ut aegro saepe adessem; nam & feriarum magnam ibi partem egi, & nunc quoque ultro saepe, ac citro proficiscor. Evenisse ex animo, non iter modo tibi, sed conditionem quoque, ac locum [d] placuisse, quem a situ, & amoenitate commendari audio, cum summa voluptate accepimus. Me, ne aliud nunc cogitem, & morbus optimi adfinis, & domestica nonnulla tenent, quibus si me expedire prius potuissem, Regi nostro [e] in Livonia haud dubio haererem: ut & belli rationem locorumque situm, sine quibus vix historia procedit, perlustrarem, & Monarchae tanto omnia officia deferrem. Illustrissimum, ac generosum Virum regni vestri Cancellarium adfinis nomine hic salutavi. Gratum nobis fuit, inter Reges tantos sola nunc humanitate, & officiis certari. Quod ex usu Christiani orbis esse, qui non sentit, Christiani nomine indignus est. Principem defunctum [f] ex autoritate publica, laudatione funebri nuperrime hic celebravi. Quam occasione prima, si id Deus Optimus, & Maximus permittat (vides enim quam incerta res mortalium, tum per se, tum his annis proximis hic fuerint) ut habeas, curabo. Textus quoque Nonni iam ad finem est perductus. Vxori tuae a me osculum, & commendationem. Idem mea, & adfinis petit. Clarissime, atque amicissime Virorum Vale. Lugduni Batavorum, postridie Kal. Octob. MDCXXV.

DXC.

GEORGIVS LVDOVICVS FROBENIVS IO. MEVRSIO S. P.

FAsciculum equidem abs te transmissum Clarissime, atque Praestantissime Domine Meursi, recte accepi, & sua ad loca literas illi inclusas curavi; Tabellario autem non satisfeci. Culpam adscribes fragilitati humanae, ac praesertim calamitati huius temporis, quae & hanc urbem ob noxam nostram multiplicem vexat. Nosti hominem esse ἐφήμερον, & si quid nummulorum in illo negotio literario erogatur, ob exilitatem sui, aut oblivioni celeriter tradi, aut ob locorum intercapedinem difficulter recuperari. Ita res ista cum damno praesenti coniuncta est. Quare rectissime feceris, si Taleros aliquot ad me miseris, unde sumtus illi deinceps fieri possint; rationes expensarum exactas a me subinde exspectans, ac de voluntate fideque mea certus. De Pe-

(a) Exstat inter *Ger. Io. Vossii* epistolas num. LII pag. 94. edit. Londin. & quae *Meursius* ad eam rescripserit, habentur in eod. Volum. p. II num 68. pag. 41. Literae Meursianae datae sunt Sorae a. d. VII. Decembr. MDCXXV. GRAMMIVS.

(b) Haec etiam appendicula deest in edita. GRAMMIVS.

(c) *Iacobum Vlefeldium* intelligit, regni Daniae Senatorem, & Cancellarium, cuius & exstat ad *Meursium* epistola, a filio *Meursii* edita, in lib de *Coronis*. *Rosencrantzius* ante est *Oligerus*, de quo alibi. GRAMMIVS.

(d) Soram in Dania. GRAMMIVS.

(e) *Gustavo Adolpho* Svecorum Regi: cuius a consiliis, & scribenda Historia *D. Heinsius* erat. GRAMMIVS.

(f) *Mauritium* Princ. Arausionensem. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXXV.

Penu Annaeo nihil fieri a me potest, quum patrono destituar, qui editionem Operum Senecae utriusque in se recipere, & laboribus meis praemium dignum largiri volet. Et quis penu aliquod absque sumtu instruat? Excerpta quidem omnia iam habeo, quae memoratu digna visa sunt, sic ut in Classes suas facile digeri possint, & numeri paginarum ipsis adscribi, dum scripta ipsa excudantur. Belgis vestris Antverpiensibus, Lugdunensibus, Amstelodamensibus lucrum obtuli, ex illa editione sperandum; sed nemo illorum est, cui istud cordi sit. Quare ex hac causa resp. literaria, cui laborem illum me debere quidem adgnosco, sed non nisi cum bono aliquo meo coniunctum, me sibi excusabit. Vale, Vir excellentiss. ac me amare perge. Hamburgi prid. Kal. Oct. A. C. CIↃIↃCXXV.

DCXI.

Balthasar Bonifacius Io. Meursio S. D.

Mirabor profecto, si tam diu silentium servares, dum tuis ipse Areopagitis taciturnior viderere; quum mihi abs te dicta salus officiosissime, atque ostensae a Domino meo luculentissimae literae, quibus illum de tuo felici in Daniam adventu certiorem facis; & pro tua cunctis iam spectata, eloquentia, Regis virtutem, procerum munificentiam, civium humanitatem, aeris temperiem, regionis opportunitates, ultra epistolae modum, & pene concionabundus extollis. Vera quidem illa sunt, vera, optime Meursi; nam cultissima in praesens Dania, Viris, opibusque, ac inprimis armis, ad finitimorum invidiam excellit. Quis enim fortissimi, atque inter priscos Heroas verissime recensendi, res gestas, quis bellicosissimae Nationis, quam prope solam illa orbis domitrix Roma non domuit, militarem gloriam; quis lectissimorum adolescentum, Cimbricae iuventutis merito principum, indolem generosam, & plane Regiam non suspiciat? Si tamen eminentissimus ille Graecorum sapientum apex (nihil enim prohibet, quin ab eo nos quoque exemplum petamus, a quo nemo non sumpsit) petras Ithacae Phaeacum deliciis praeponendas putavit; quumque ei cecidisset alea, ut immortalis esse apud Calypsonem posset, maluit in nidulo suo consenescere, & genialibus auris, unde illum hauserat, ingentem spiritum reddere: quis in Germanica Italia, hoc est in Batavia, natus, optimae constitutae Reipublicae administrationem, ingeniorum docilitatem, incolarum industriam, morum elegantiam, loci amoenitatem, coeli clementiam, terrae ubertatem, maris divitias, adde & corporum dignitatem non septingentis Septentrionibus anteponat? Haec ideo dixi, non ut Patriae tibi desiderium iniicerem, & quasi subiectis follibus inflammarem: sed, ubi per istas provincias doctrinae, & probitatis tuae famam satis, superque videberis propagasse, ut tibi, tuisque te tandem restituas. Non enim emansor ad finem usque esse voles, nisi me valde fallit tua mihi bene perspecta pietas, & charitas in Patriam, & populares, quos omnibus officiis, atque obsequiis constantissime coluisti. Solicitus hactenus fui de tua istac peregrinatione, atque in remotissimas Europae nostrae oras profectione: Putabam enim (quod plerique nostratium solent) te ad compendium, & commoditatem itineris, navigationem suscepturum. Tu vero Pittaci consilio usus, infidum mare, fidelem terram iudicasti, nec male cessit: salvus quippe cum uxore, & liberis, quo tendebas, pervenisti; meque susceptorum pro te votorum damnasti. Corneanius, matruelis meus, porcum sacrum Laribus debet, auctus prole mascula; recipitque se huc Medritinalibus propinquis adfuturum, ubi pro tua salute, atque incolumitate Soteria Syndipna hilarissime celebrabimus; tuosque Areopagitas non modo Graece, & Latine, verum etiam Italice loquentes audiemus. Vale. Tarvisio Postridie Nonarum Novembrium MDCXXV.

DXCII.

Viro Clarissimo Gerardo Vossio.

Literas tuas, Vir Cl. & amicorum praestantissime, prolixas illas, & adfectum mihi tuum referentes, recte accepi. De Vxoris tuae morbo, quem hae nuntiant, ex animo doleo; verum istud recreavit quod iam iterum meliuscule haberet; spero iam convaluisse. Ita opto, & Deum precor. Ego cum uxore, ac liberis, & familia universa, recte valeo per benigni Dei gratiam: quem supplex veneror, ut hoc mihi beneficium diuturnum esse velit. Quod nuperis meis indicaveram, nunc tibi adfirmare habeo; summam me humanitatem, & in me benignitatem in hac parte experiri, apud summos, infimosque, & medioxumos. Quin & nuper Duces Illustrissimi mei invisere in aedibus meis sunt dignati. Ipse Princeps Serenissimus, ut adfirmant, qui sunt intimae apud illum admissionis, summa me benevolentia est complexus, & adfectus certe clarum esse testimonium puto, quod hactenus hic nunquam venerit, quin ad mensem advocaret. Et postremum quum hic esset, interesse etiam Lectioni voluit. Misso quodam e Nobilibus, semhiora ante eum qui hoc ipsum decrevisse nuntiaret. Non possum satis magnas gratias agere Deo, cuius ego manifestam benedictionem adgnosco: qua ut me quam diutissime frui velit, in nominis sui sanctissimi timore preces continenter fundo. Quod Professionem meam in dies extraordinarios tibi demandatam scribis; quo consilio illud fiat, equidem non possum capere, neque te sic accepturum existimaram; potius professionem istam totam cum stipendio quoque toto, aut certe dimidiato, in te transferendam esse. Sed eventum ex-

expectabo; de quo ut me aliquando certiorem facere velis, etiam te, atque etiam rogo. De Schrevelio, in locum Vorstii τοῦ μακαρίτου substituto, libens sane intellexi: & inprimis de modestia tam insigni, quam non possum sat laudare. Gratulor ipsi, ut & Academiae nostrae. Etiam communi amico Adolpho, Vorstio, & profecto est ut scribis; nemini felicitas ista, ea aetate, in hac nostra Academia unquam obtigit. Sed meretur virtus Viri, & doctrina: ac favemus illi ex animo; ut meriti causa, sic & amicitiae nostrae tum memoriae parentis tribuendum aliquid fuit, quem fuisse non exiguum Academiae ornamentum, nemo temere inficias ibit? Quae de Golio; laudo Iuvenis praestantissimi generosum institutum; & profecto, modo etiam Deus illi largiatur, Virum patriae aliquando magnum dabit. De Rutgersii vero morbo tristis audio; verum illud me solatur, quod non desperare medicum item nunties: imo fore, ut non difficulter illi valetudo restituatur. Hoc ex animo ipsi praecor; patriaeque, & amicorum multum interesse puto, ut praeclarum adeo ingenium diurnare Deus velit. In hoc desino; & salvere te, cum tua, liberisque ex animo iubeo. Idem uxor mea facit. Salutem quoque plurimam nuntio Viris Clarissimis, & amicissimis, Petro Cunaeo, Theobaldo Schrevelio, Gilberto Iachaeo, Caspari Barlaeo, Theodoro Schrevelio, & Guilielmo Noomsio vestro; cuius indolem tam praeclaram, ac ad studia honestissima literarum humaniorum magno nisu adsurgentem certe exosculor.

Scribebam Raptim Sorae, ad diem VII. Decembris Iuliani an. MDCXXV.

Tuus, quem nosti

IO. MEVRSIVS.

DXCIII.

DOM. MOLINVS IO. MEVRSIO.

L'Opera vostra dell'Areopago è ragionevolmente stata inalzata dalla Serenis. Repub. con dimostrazione d'onore, e con applauso di lode, perchè si è anco ricevuta con gusto, e con giovamento, esprimendo essa l'idea di un ben formato Magistrato, e dando forma a un ben composto giudicio. L'elezione che ha fatta la Maestà del Re di Dania della vostra persona, non poteva esser nè più propria, nè più giudiciosa per onorare, e dar riputazione alla sua nuova Accademia, e per dare una molto giovevole Etiche e generosa instruzione a quella Nobiltà de' suoi Regni. Io ne godo per l'avvantaggio d'onore, e di comodi, che voi verrete a riceverne, e ben mi duole, che maggiormente siate per allontanarvi da noi. Spero però, che voi pur come mi scrivete, non lascerete di amarmi, nè permettere, che sotto quel freddo clima nè si raffreddi, nè pur s'intepidisca il vostro cortese affetto verso la persona mia, mentre il mio continuerà sempre verso di voi con accrescimento di calore, perchè così ricerca la vostra virtù. La lettera, che voi avete scritta a Sua Ser. e a questo Eccellentiss. Senato, è riuscita grata, come per la sua eleganza, e per la convenienza prudente de' concetti, è singolarmente piaciuta. Quello, che voi Monsig. mi scrivete di aver anco in considerazione delle mie rimostranze statuito di fare sopra l'Istoria di Tucidide, grandemente mi ha consolato, perchè son sicuro di dover vedere fatica esquisitissima, e che sia per apportar giovamento universale al mondo, ma particolarmente alli Stati liberi, verso i quali ben so che sempre presterà la medesima la vostra disposizione, non ostante, che debbiate per ora condurvi sotto un stato Monarchico, benchè mi venga anco idea siano quei Regni, o per dir meglio, il Governo d'essi forse più vicini alla forma Aristocratica, che Monarchica. Nè voglio con quest'occasione restar di dirvi, convenir io aver qualche affezione a quei paesi, poichè da essi anticamente sortì la nostra famiglia, che fu una delle Normande, come voi molto ben potrete vedere nella raccolta degl' Istorici antichi di quella valorosa nazione, stampata pochi anni sono in Parigi, avendovi anco quello, che ha fatta la fatica di mettergli insieme, e di farli stampare, apposti nel fine gli alberi delle più principali famiglie, che di quella gente sono discese, fra quali vi è anco quello della nostra (a). Di essa pure ne resta la discendenza in Francia; e questo ramo nostro di Venezia viene da quello, che passò con gli altri Principi la prima volta alla conquista di Terra Santa, dove nella divisione gli toccarono in parte diversi nobili feudi, specialmente nelle Signorie di Acri, e del Sur, di che si vede memoria nel libro dalle Assisi o Leggi del Regno di Gerusalem; ed avendo poi convenuto sortir di la, quando prevalsero l'armi degl' infedeli, e scaccciarono li Cristiani da quelle parti, capitati in questa Città per ritornarsene in Francia là verso il 1196., invitate dalla Rep. a fermarsi in questa Città, e a godere di questa libertà con participazione del Governo accettarono il partito, e vi piantarono il loro nido, ritenendo pure le medesime insegne, che tutta via intendo usino quelli di Francia, e per cimiere il Leone coronato con le cinque Croci di Gerusalemme. Questo tanto ho, Monsig., voluto dirvi, perchè dovendo andar voi in quei paesi non vi spiacerà forse averlo saputo. State sano.

Di Venezia li VI. *Dicemb.* MDCXXV.

DXCIV.

D. HEINSIVS IO. MEVRSIO.

POst aliquot a febri paroxysmos haec scribo, quo facilius, ut spero, brevitatis impetrabo veniam, qui excusatione sola

(a) Indicat *Historiae Normannorum Scriptores antiquos*, quos edidit *Andreas De Chesne* Parisiis 1619. in fol. ubi ad calcem, & quidem & pag. 1104. seu ultima, exstat Genealogia *Dominorum de Molinis* & *Bonmolinis*. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXXVI.

sola poteram defungi. Id quod proxime, ut nosti, tantopere & me, & bonos omnes metuere scribebam, omnibus evenit. Vt ereptus nobis sit Rutgersius, e cuius obitu vix dici potest, quantum cum suavissima uxore luctum ac moerorem hauserim. adfirmare possum longe quam praeceperam, maiorem esse. Munus, quo superstes fungebatur, Camerarius, qui paulo post defuncti obitum ad Regem serenissimum profectus est, ambire dicitur. In quo neque me neque alium rivalem habet. Quod, nisi aliquem ex Regni proceribus Legati nomine, quod quidam subspicantur, serenissima Maiestas eius Hagam destinavit, facile obtinebit, quod petit. Nemo omnium eorum, qui me vere amant, auctor mihi fuit, ut deserta coniuge, desertis liberis, ambirem munus illud, quod a coelibe vix commode administrari potest. Nihil enim stabile aut certum habet. De adeunda tamen Svecia & Rege vere magno nondum cogitare desino, & hoc res familiaris nostra flagitat. Heredem omnium ex asse uxorem meam μακαρίτης scripsit, qui, ut nosti ipse, in aere alieno numquam fuit; nihil enim magis dabat operam, quam ut honeste, ac nemini obstrictus viveret; quod post obitum illius maxime experti sumus. Facultates ergo honestissimas reliquit, e quibus pars aliqua in Svecia adhuc relicta est. De quo ante obitum non raro mecum egerat, numquam tamen de suprema voluntate sua, nisi forte per ambages, & ut saepe alias solebat, ludibundus. Orationem funebrem, quam publice heroi nostro diximus, hic habes. Vale noster amor, & uxori tuae nos ex animo commenda. Lugd. Bat. A. MDCXXVI.

Accepi nuper literas, cum Poematis Graecis praestantissimi Viri vestratis (a), qui humanissime ad me scripsit. Quaeso te, ut morbum excuses, gratiasque illi summas meo nomine agas. Vbi ad te rediero, ipse illi gratias acturus sum. Iterum vale eximium huius seculi decus.

DXCV.

DOMIN. MOLINVS IO. MEVRSIO.

Ricevo con infinito mio gusto le lettere vostre de' XIV. Ottob. passato, e con particolare sentimento di consolazione mi pervengono in esse le novelle del vostro buono stato, che piaccia a Dio d' accrescere sempre, Monsignore, a misura del vostro singolare merito. Godo che da cotesta Maestà, oltre gli altri virtuosi impieghi, vi sia stato con il solito del suo finissimo giudicio, incaricato quello di scrivere l' Istorie di cotesti nobilissimi Regni, de' suoi gloriosi progenitori, e quello che sopra tutto rileva, di raccomandare alla notizia della posterità le magnanime, e veramente eroiche azioni di lui medesimo, che lo faranno celebrare per sempre, come il più generoso Principe de' presenti secoli, uguale a' più famosi degli antepassati; e dovete voi, Monsig., aver grand' obbligo alla fortuna, che con comoda occasione somministri alla vostra valorosa penna d' adoperarsi. A Monsig. Baltassar Bonifacio feci subito capitare le vostre lettere, alle quali fu egli risposta con l' aggiunte sue, e vi manda il più l' alligato libretto, che oltre il resto, contiene un Panegirico composto da lui per l' occasione che vedrete, molto bello. Il Sig. Gio. Franc. Corniani ci ha portato nella nostra Lingua Italiana il vostro Areopago. E' di nascimento Cittadino Veneziano, che vuol dire del secondo ordine nella nostra Repubblica, nella quale il primo è quello de' Patrizi, detto da noi Nobili, o Gentiluomini; il secondo de' Cittadini; il terzo di Popolari; e per essere ammesso nell' ordine de' Cittadini, bisogna che provino avanti il Magistrato deputato a ciò, oltre l' abitazione propria, e de' suoi progenitori in questa Città per il corso di certa quantità assai lunga d' anni, e l' aver pagato il censo, come abitanti; che nè loro, nè li loro antenati per quattro generazioni almeno abbiano esercitata alcun' arte meccanica. Questi poi sono impiegati nelli ministeri di Segretari, di Notari, ed altre così fatte cariche, che riescono dalla Serenis. Repubblica, per mano de' suoi consesti, e Magistrati. Ora il Sig. Francesco tiene uno de' principali Ministeri, soliti darsi a quelli del suo ordine, ed è quello di Notaro primario del Magistrato delli Signori Strougadori il comune, della quale fa menzione il Cardinale Gaspare Contarini. Intenderò volentieri che costì si sia rizzata la Stamperia già disegnatasi, acciò con il mezzo di essa possiamo spesso godere gli frutti suavissimi della vostra singolar virtù. Tra tanto, Monsig., io vi resto pregando salute. Di Venezia li VIII. Gen. MDCXXVI.

DXCVI.

ANDREAS RIVETVS IO. MEVRSIO S.

Cl. & Doctiss. Vir, nuper Collega & amice semper colende!

REddiderunt mihi Elzeviriani literas tuas, datas Sorae ad III. Decemb. Iuliani CIƆIƆCXXV. Quae certe ita me adfecerunt, ut a multis annis non meminerim quid mihi accidisse gratum magis & exoptatum. Quod enim dignatus es profectionis tuae initia, progressus & terminum ita mihi sigillatim describere, & Dei in te & familiam tuam beneficia, curam & providentiam singularem, quam in variis casibus expertus es; id certe accepi tamquam testimonium omni exceptione maius sincerae tuae erga me benevolentiae & amicitiae non fucatae; qui iudicasti, & id quidem vere, bona tua & mala, mihi perinde tecum

(a) Erat ille *Bertilus Canutius Aquilonius*, olim Scholae Malmogianae Rector, postea Pastor ac Praepositus in Provincia Scaniae, qui *Epigrammatum Graecorum* libros VI. hoc anno (1626.) edidit, multorum praeter ea opusculorum auctor. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXXVI.

cum esse cordi, vel ut congauderem, vel ut condolerem. Sed Deo Opt. Max. tecum gratias ago, quod si quid mihi accidit, non fuit immedicabile, & post aliquot pericula, quibus tamen mox exemit, tandem portum vidistis exoptatum, & in frigidissimis regionibus, igneos spiritus, & inflammata erga virtutem corda experti estis. Id quidem ut tibi & tuis voveram, ita exspectaveram, nec dubitabam, quin virtus & eruditio tua, iam fama & scriptis nota, apud Musarum consectaneos, qui iam ibi plures sunt, eum quem meretur locum obtineret; atque ita post varias agitationes, quibus in patria tua, mens tua saepe perturbata, & adflicta fuit, solamen malorum, in tuta statione nancisceris. Itaque gratulor tibi & tuis, quantum ex animo possum, & felicem adventum, & favorem principum, & procerum, & studiosae nobilitatis adplausum; nec dubito, quin studia bonarum literarum ibi promovendo, hoc etiam in votis semper habeas, ut regni Dei incrementum pro virili promoveas; pietatem veram & solidam & commendes & exerceas, & iis, quibus innotesces in regno illo, Theologis Christianae pacis & concordiae studium instilles, ut tandem omnes, qui unum Christum profitemur, unum Antichristum detestemur, eodem pede ambulantes, a maledictis & suspicionibus, a falsis etiam criminationibus caveamus, &, si fieri possit, in unum corpus, non lacerum, membra reformati orbis coalescant. Videmus omnes & experimur, quid moliantur οἱ ἐξ ἐναντίας, qui nullum non lapidem movent, ut nos omnes, etiam alioqui dissidentes, obruant & perdant. Qui certe nisi serio terga iungentes, obvertamus capita & cornua, in praedam cedimus. Gallia nostra pro more titubat, & ibi nostri spemque metumque inter, potius tamen metuunt, quam sperant, Rupella pene obpressa, & Vaticanis ventis Regem & aulae proceres incitantibus ad extremam nostrorum subversionem, vix possunt meticulosae vicinorum intercessiones, fervorem illum & impetum continere. D. Aerssenius nomine illustrium Ordinum, quantum potest, conatur Regis animum emollire. Sed hactenus verbis parum adfectum est, postquam facto ipso imprudentes animum addidimus. Ab uno Deo pendet liberatio eorum, de quibus tamquam profligatis ubique triumphant hostes. Hic omnia sunt adhuc eo loco, quo ea reliquisti. Parantur utrimque arma & viri, nec dubitandum, quin vere proximo, aut forte citius adversi coeant exercitus. Intelligimus Serenis. Regi Daniae nuper cessisse feliciter conflictum cum hostibus, ipsique deinceps faustos progressus adprecamur. De Academia nostra nihil habeo, quod dicam, quia in eodem statu hactenus manet, necdum vacantes Professiones sunt repletae. Decretum videtur factum nuper apud Ill. Ordines de commutandis Curatoribus singulis trienniis, ita ut unus loco cedat singulis annis. Bibliotheca Erpeniana linguarum Orientalium, quam & existimaveramus Academicae Bibliothecae accessuram, prout decretum fuerat nimia iniecta mora, & durioribus conditionibus viduae propositis, cessit Academiae Oxoniensi, empta a Duce Bukingamo. Noster Golius Alepum cum bona DD. Curatorum venia profectus est, ut vivam ibi Orientalem Bibliothecam nobis comparet, rediturus post sesquiannum, si Deus vota eius & nostra secundare dignetur. Plura iam non habeo, quae cartis consignem. Hoc tantum repeto, me tibi & tuis gratulari omnia prospera, eorumdem augmentum & progressum deinceps tibi a Deo petiturum, & ab humanitate tua, & amicitiae tuae, quam magni facio, continuationem, & eiusdem subinde pro otii tui ratione gratissimam significationem, exspectaturum. Nec etiam pro mea parte passurum, ut aliquid in me desideres in omnibus amicitiae officiis, quibus me parem esse senties & iudicabis. Collegae omnes nostri salutem tibi reddunt, ego prae omnibus cum uxore mea tibi & tuae uxori lectissimae. Deumque precor, ut vos benedictionibus suis magis ac magis cumulet. Vale. Lugd. Bat. IV. Cal. Febr. Styl. Gregor. MDCXXVI.

Tui ad omnia paratissimus

A. RIVETVS.

Rogaveram, ut inter nobiles Danos inquireres, an esset, qui aliquid audivisset de *Clemencello* Gallo, filio Pastoris Pictaviensis, qui ex his regionibus in Daniam erat profectus. Si aliquid rescias, rogo ut me certum facias, quia parens eius de eo valde sollicitus est.

DXCVII.

DOMINICVS MOLINVS IO. MEVRSIO.

FRa li libri manoscritti della fu già Biblioteca Palatina questi ultimi anni mandata dal Sig. Duca di Baviera a Roma in dono al Pontefice come spoglia acquistata nelle sue fortunate vittorie, ed al presente aggiunta alla Vaticana, se n' è ritrovato uno che contiene alcune epistole di Temistocle, che con la versione Latina, fatta da un Cretense familiare del Papa, hanno fatte stampare. Non però sino a quest' ora hanno lasciati uscire vendibili gli esemplari di così fatto libro, ma essendo a me riuscito pur d' averne uno, ho stimato di non poter meglio impiegarlo, che facendolo capitare nelle mani di voi, Monsig., tanto benemerito dell' Attica Antichità, con speranza che un giorno stiate per ridonarselo meglio trattato di Latina versione di ciò che abbia fatto il Cariofilo, mentre molti luoghi si osservano nella sua, che non si può arrivare ad intendere ciò che si vogliano dire, come pure mi prometto anco abbiate a correggere il testo greco, nel quale si avverti-

Ann. Chr. MDCXXVI. *vertiscono diversi errori, forse di chi anticamente lo trascrisse; e finalmente che possiate aggiungervi una mano di annotazioni istoriche e politiche, giacchè l'opuscolo per se stesso bellissima occasione ne porge. Con questo libro vi saranno anco alcune altre bagattelle, che mi sono venute alla mano, che vi serviranno per continuato testimonio del mio amore; che Dio N. S. vi doni, Monsig. ogni vero contento. Di Venezia li XXXI. Gennaro MDCXXVI.*

DXCVIII.

DOMINICVS MOLINVS IO. MEVRSIO.

MI capitarono già alcune settimane sono vostre lettere per Monsig. Baltassar Bonifaccio, ed avendogliele io inviate a Trevigi, dove egli dimora, ne è avvenuto che chi le portava, l'abbia sgraziatamente smarrite con grande sue dispiacere, e con somma mia mortificazione, tanto più quanto che già mai per l'addietro ci è incontrata cosa simile; ma la trascuraggine di un vil sciaurato averà questa volta privo il Sig. Baltasar di un singolar gusto, e apportato a me molestissima discontentezza, la quale tanto è stata maggiore, quanto più lungo è il tempo che di voi, Monsig., e dello stato vostro non mi compariscono novelle, da me però aspettatissime, per desiderio d' intendere che vi trovate bene del corpo, e con sodisfazione compita d'animo, come pure avidamente bramo sapere alcuna cosa de' vostri studi, e del progresso di quelle nobilissime fatiche, le quali sogliono con tanto applauso essere abbracciate dal mondo, in modo che quando compare il Catalogo della fiera di Francofort senza vedervi che in esso alcuna di queste nova sia comparsa, pare che egli resti manchevole del suo maggior lustro. Ora mentre io sto attendendo quanto vi ho sopradetto, ho voluto salutarvi con le presenti, le quali accompagno con due pacchetti di diverse stampe curiose, che se averanno buona fortuna di capitarvi alle mani, vi faranno passare qualche ora con il pensiere volto a noi. State sano, Monsig., e amatemi. Di Venezia li XXII. Marzo MDCXXVI.

DIC.

PETRVS GRVTERVS IO. MEVRSIO S. P.

SIlendo tibi officia perire, Cl. Meursi, ex quo Daniam intrasti, prodigiosum non est, qui in Leidensi Stoa vocalis non eras, confinio licet calamum tuum evocante. Credo utrinque occupationum vallo inclusum, respirio locum non invenisse, Museo & Academia negotiosis. Sed tibi fors, prout libeat, diligentiam disponat; mihi ad tuum exemplum morum regula non desudat, qui eruditorum fata ex longinquo venerari soleo, calamo officiosus, atque Hospitalis Iovis iura prosequi non ignarus. Nunc autem vulgaris argumenti caementum pertaesus, in Prytanaeo causam dico, salutis nostrae longo patrocinio, & scholae quidem imaginem tibi adumbratam puta; quam canis illius instar, fugitivam dum capto, melioris ostae iacturam patior. Tu vero Recuperatoris auctoritatem nobis coram spondebas, si quid in Sorae confiniis nasceretur, quo lapianti rei occurri posset. Inventiones autem tuas longa indagine delassari facile hariolor, quod Academiae vestrae incunabula ignaviori fabrica gliscant; uti sterilitas eruditorum in aviis, raro melioris pretii curiosa est. Sed quousque me Claudii instar pertuso fritillo ludere iubes? quippe spe inani vitalitatem exhaurio, dum desponsatae nobis rei adventum exspecto. Non enim inscius es, te apud nos datae fidei aram fixisse, ex quo scripturientem te diceres, si nostro iudicio mens tibi revivisceret. Quaeso, Cl. Meursi, humanitati promptae alas ne intervelle, & qua patula occasio est, schedula rem gero. Felicitatis enim nostrae summa, quibus elementis apud vos crescat, scire non frigide laboro. Si istic quoque nauteam redolebo, nasis alienis molestiam non exhibebo, sed ad melioris sensus Oeconomos me transferam. Amomum spirare non praesumo, sed neque olebo spurcus sum, qua mediocritate alibi dignum patella operculum inveniam. Vale, Cl. Meursi, & me ama. Amsterodami, rapiente manu, cum in abitus punctistitio Tabellarius cursum meditaretur. VIII. Cal. April. MDCXXVI.

DC.

Ad Virum Clariss. & Sapientiss. IOANNEM MEVRSIVM. Serenissimi Daniae Regis Historicum & Consiliarium.

MAximus est sapiens Dominus iam nomine dictus,
Maximus at sapiens re fuit ille prius.
Illud enim meret a Venetis audire Molinus,
A te quod meruit Scipio, Roma, tuus;
Ille sapit solus, volitant alii velut umbrae;
Nec tamen hoc aliis dedecus esse puto.
Tot tumidus vibrante Noto vix Adria fluctus,
Quot claras animas enumerare potest.
Cetera sed virtus tenuem vanescit in umbram
Tam magni meritis aequiparanda Viri.
Cecropidum tellus censebat lumina septem,
Octavum Veneto fulget in orbe iubar.
Sique Molinaeam gnomen, praeclare Meursi,
Egregiam sane, discere forte cupis,
Hoc simul & dictum & factum sapientis habeto,
Erige doctrinas, ingeniisque fave.
Haec tibi sic breviter; si quidem tua litera nostris
Materiam numeris subpeditare nequit.
Illa tot emensis spatiis terraeque, marisque,
Visa quidem Domino, non mihi visa tamen,

Naufragium in portu faciens, in calce re-
sistens,
Nescio quo casu, fraudeve, capta, perit.
De me pauca loquar, ne plurima dicere
cogar,
Cogit enim vehemens ira tacenda loqui.
Immeritas hominum, Diris devotus, iniquo
Do poenas, melius quas daret ille mihi.
Ast animum purum execratio consecrat ipsa,
Fitque anadema meis hoc anathema co-
mis. (a)

Tarvisio. Postridie Iduum April. MDCXXVI.

BALTHASAR BONIFACIVS.

DCI.

HENRICVS HVDEMANNVS IO. MEVRSIO S.

ADplaudo fortunae meae benignitati, quae tam comiter mihi se dederit, ut te amicum, thesaurum profecto quantivis pretii, literis & Poematiis invenerim: accepi enim tuam epistolam, benevolentiae & doctrinae notis insignem, & liquido perspexi, Ruarum & Holstenium, ocellos meos, haud mihi imposuisse, cum praeclaram tuam eruditionem cum pari humanitate coniunctam saepius depraedicarint. Buccones & durioris supercilii homines, licet politiori litteratura non leviter tinctos, nihil moror; qui quum amicitiam suam ambire sentiunt, supercilium tollere amant, & suam dignitatem deteri existimant, si ad inferiorum amicitias sese adplicent. Candor tuus singularis in literis, speculo velut fulgidissimo, nimirum elucet, & eum mihi de te polliceri audeo, donec oculis his meis usurpavero γλυκερὸν φάος ἠελίοιο. Vide, Cl. Vir, quam tecum liberius agam, adeo ut etiam ad nuptias, quas cum Caecilia Woltera, virgine pudicissima, adparo, te Epodis meis vocare non dubitarim. Tu libertatem meam aequi bonique facies, & Wevelsfleti in Holsatia tempore praestituto, quod amoenitas & fragrantia aestatis oppido, quantum spero, & auguror, tibi commendabit, animumque tuum delicatissima ruris eximii suavitate perfundet, libenter comparere, nuptialibus epulis perfrui non detrectabis. Quod si feceris, nae ego mihi de spectatissimo gratissimoque conviva gratulari potero. De studiis meis subsecivis significo, me iam parare editionem Emblematum, Teutonica lingua scriptorum; quibus reformo Imperatores, Principes, Consiliarios, Iudices, Graphiarios, Advocatos, Milites, Politicos, Theologos, Sacerdotes, Medicos, Philosophos, Poetas, Musicos, & ita Poesim ad vetus argumentum, id est, apicem divinae humanaeque scientiae transferre conor. In quo Orpheus, Linus ac Homerus, tota denique illa prima sapientiae familia aut invenit eam, aut constituit; nisi quod Christianis altius sit adscendendum. Quod ego antea praestare volui, dum Musas meas solicitavi, ut rhythmos mihi addicerent, quibus Ionas & suavius legeretur, & commodius perciperetur; nam castigandi libertatem & depravatos hominum mores corrigendi felicitatem auctori resigno, non mihi vendico. Quas tamen virtutes adumbrare enitor in Emblematis, quae vernaculo nostro sermone conscribuntur. Satyricon laborem nostrum vocare poteris; & nisi ipse mihi subsenus sim, propter linguae, qua scripsi, insolentiam, aut raritatem reique novitatem perlustrabis. Coniunxi cum hoc fasciculo sex septem Emblemata; quae salivam tibi forte movebunt, ut defaecata mente ad reliqua percensenda accingaris. Vtinam fieret! & tu epigrammatio ausibus meis praeluderes, quod in limine, aut libelli fine Lectori studium nostrum commendaret. De Epithalamio etiam rogarem, si volenti tibi esset, ut nos Germanos condignos censeres, qui de versibus tuis iudicium ferrent. Manliano edicto concludam; Aut versus, aut praesentiam in nuptiis tuam mihi promitto; & si pateris, impero. Vale, Vir Cl. Academiae novae lumen novum; quod utinam liceat coram intueri! Licet, si tibi libet. Wevelsfleti a. d. XV. Aprilis, anno Christiano MDCXXVI.

O quam beatum est insolubili duos
Tori ligari vinculo!
O quanta secum coniugalis commoda
Adportat illa caritas!
Huc vita nostra tendit; hoc coagulo
Natura constat, & suam
Vim rite tutari potest; hinc atque homo
Pronascitur, qui per maris
Terraeque tractus currit, & decentius
Considerat pulcerrimum
Orbem, potenti quem creavit dextera
Supremus omnium arbiter
Deus; nec absque vinculo hoc diutius
Hic mundus incolas bonos,
Dignosque habebit. Olim & hos Paulus Cilix,
Christi ille Cancellarius,
Scriptisque publicaque voce serio
Laudabat auditoribus
Suis amores. Sed quid adtinet modo
Apostolorum principem
Ad testimonium citare? maximus
Noster Magister mutui
Amoris illibata, & arcta foedera, &
Fori iugalis copulam
Praesentia adprobavit optatissima,
Felicibusque initiis
Miraculorum consecravit. Hinc ego
Perculsus oestro spiritus
Sancti monentis, & moventis adpuli,
Vtrin-

(a) Est mihi volumen (in forma ottava) *Balthasaris Bonifacii Poematum*, impressum Venetiis 1646. & quod Auctor *Iuliano Spinulae*, Principis Genuensium filio, brevi Epistola, prid. Cal. Oct. 1645. dedicavit. Distribuuntur ibi Poemata (elegiae tantum sunt & epigrammata) in *Musarum libros decem*, atque implent paginas 479 sed ne unum quidem in eis carmen ad *Io. Meursium* nostrum, vel de eo: cuius omissionis caussam, praesertim cum operam ipse Auctor colligendi Musas suas sumserit, fateor me non capere: nisi forsan servavit sequentibus tomis, cum se *triginta* eiusmodi libros Musarum paratos habuisse iam anno 1637. scripserit ad *Meursium*, epistola inferius adferenda. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXXVI.

Vtrinque conspirantibus
Parentium suffragiis, mentem meam
Ad virginem Caecilliam
De gente Woltera, Ioannis filiam;
Et hanc domum, quod dixerim
Deo favente, & advocato, sum meam
Ducturus ipse tertia
Iuli die; nos tempus hoc addiximus
Laetum scatensque uberrimi
Ruris venusto, & delicato munere
Nostris agendis nuptiis.
His ut, colende Vir, libenter cum tua
Vxore, cumque liberis
Adesse; tum nobiscum & adprecarier
Deum, deinde quod cibi
Potusque collocabitur, consumere,
Lubentiaeque, & Gratiis
Per triduum velis litare suaviter,
Meis Epodis sedulo
Paciscor; hocce luculentum qui genus
Favoris optatissimi
Ero paratus indies rependere,
Quousque vivax halitus
Blandum suo reciproco spiramine
Artus meos commoverit.

Vale, Vir Clarissime, & ades. Wevelsfleti a. d. XV. April. CIƆIƆCXXVI.

Tuus omni studio ac fide

HENRICVS HVDEMANNVS.

DCII.

DOMIN. MOLINVS IO. MEVRSIO.

Il Sig. Baltassar Bonifacio mi ricerca di farvi capitare l aggiunta sua epistola; ed io abbraccio ben volentieri l' occasione di salutarvi, e d' inviarvi anco l' aggiunto libretto d' un amico mio, che versa intorno il soggetto d' altro già mandatovi. Aspetto con molto desiderio novelle del vostro buono stato; e tra tanto, Monsig., vi prego felcità. Di Venezia il primo di Maggio MDCXXVI.

DCIII.

LAMPERTVS ALARDVS IO. MEVRSIO S. P.

SI amicitiae veteris memoria perseverat, nec ulla oblivione tenuata est, credo quod literas meas libenter accipias, quas fiducia mutui amoris emisi, multum relaturus gratiae, si officio meo vicissitudo respondebit. Abunde tuae claritati gratias ago ob ingentia beneficia, quibus me domus tua praesentem complexa est. Quum primis quod Museum tuum in intimam admissionem me suscepit. Taceo nunc divitias, quibus me ex eodem participasti. Non tam aureos suos montes Pici custodiunt, ut ego hunc thesaurum. De Libanio autem. quod saepe volui, adhuc persto, ut si aequo pretio a te impetrari possit, eius copiam mihi facias. Tua publicatio sublimitati famae, qua emines, parum adiumenti, mea autem obscuritati nominis, qua hactenus involvor, multum lucis adferet. Promove quaeso iuvenantis ingenii impetum, si nascenti famae meae, ut saepius ostendisti, faves. Tuum in eo studium, ex abundantia ingenii tui natum, meum ex raritate contentionis a me profectum iudicaretur. Quaeso ergo, ut si qua apud te memoria veterum adfectuum residet, rem tibi factu facilem, mihi vero iucundam atque honoratissimam promptissima beneficentia digneris adnuere. Dedi una cum his literis ad Magn. D. Rosentcrantium, & Dom. Praesidem vestrum, quibus illos ad Nuptias invito, quas mihi Iuno parabit III. Eidus Iunias; si optata nostra favor divinus adiuverit. Idem officium a tua domo peto, & adventum vestrum circa id tempus exspecto, ut solemnitatem illam praesentia vestra cohonestetis. Quaeso si amoenitas anni ad peregrinationem vos invitat, & magnam Alardo gratiam gratificari vultis, nunc omnem adfectum toti adfinitati & sponsae meae testamini. Multum beneficii huius impetratio in tuam gloriam, in meam commendationem promovebit. Ego vero large itineris taedium mea prothymia sublevabo. Dabis etiam amori in me tuo, & carmine aliquo votivo solemnitatem Nuptiarum ornabis. Interest enim serenissimorum temporum gloriae, ut sicut omnibus in hac vita positis ac locatis communis est coeli spiritus, lux diei, ita adfectum clarorum virorum in honorum solemnitatibus sentiant vota & facta cunctorum. Exspecto etiam nonnulla a Professoribus Lipsiensibus, quae una cum aliis Hamburgi typis exscribentur, quorum curam tibi esse non ambigo. Ingenium enim tuum necessum est similium virorum coniunctione gaudere. Fac igitur, ut meo & meorum voto impetratio promta respondeat, & patere, ut pro amicitia in me tua hoc a te flagitem, cum cetera rogem. Nam de adventu tuo (si plane praestari nequeat) excusationem admittam: de gratulatione nullam. Neque vero desuetudo venae hic quicquam potest, quum ingenium illud vegetum satis nondum exaruerit. Scias ergo in tuae Eminentiae iure esse, an me hoc officii honore digneris, at in meo cultus & observantiae iure esse, ut ἰσόῤῥοπος impetrem. Vale, Vir Cl. & Eminentiss. & si me amas, de Libanio responsum, de Nuptiis autem gratulationem propera. Si nihil ultra, distichon unum sufficiet, quod facile tua Excell. expectorabit. Literae D Cluvero tradi possunt. Vale etiam atque etiam cum tuis omnibus, quos honorifice saluto. Dab Crempis patriis, Calendas Maias. A. CIƆIƆCXXVI.

Ann. Chr. MDCXXVI.

DCIV.

V. CL. IO. MEVRSIO IO. BODECHERVS BENNINGIVS S. P. D.

INhumanus certe, ne dicam, improbus, Meursi Cl. videri possem, quod quum a te illud mihi favoris dari postularem, ut quandoque literis, etsi balbutientibus te convenirem, mitterem tamen nullas. Detinuit me hucusque subrusticus quidam pudor, & ut verum eloquar, ingenii mei non obscura tenuitas. Sed humanitatis tuae, qua me abiens amplectebaris, memor, tandem frontem ita posui, ut barbarie mea te, fulgens Bataviae nostrae lumen, a Romanorum, Graecorumque eloquentia & literarum mearum cruditate ab opiparis antiquorum epulis avocare sim ausus. Quod pro tua, quam satis clare intelligere potui benevolentia patieris; accipiesque meas Exercitationes. Habuisses citius, si qui perferre potuisset, commode invenissem. Misimus has in lucem, aut potius praemisimus ad incerta itinerum exploranda. Plura spero daturi, si Deus & vitam & otium nobis concesserit. Tentanda via est, qua me quoque possim Tollere humo, victorque virum volitare per ora. Et sane illa famae cupido, nescio an morbum vocare liceat, generosioribus plerumque adhaeret animis. Saepe tamen, ut ingenue fatear, cohiberet me fere malevorum copia & seculi fatuitas. Nihil enim nunc, imo quamvis a Viris profectum praestantissimis, aestimatur; sed si non capiatur, carpitur. At haec omnia qui contemnere & Stoico concoquere potest stomacho, non deterrebitur. Deinde etiamsi ingenio non sit adeo elaboratum, cogitandum quandoque furendum cum furentibus; scribendi cacoethes imperitos tenet quam plurimos (ex rustica Macedonum sunt gente, qui non verentur τὰ σῦκα σῦκα, τὴν σκάφην σκάφην λέγειν) quare in Iuvene praesertim errores sunt ignoscendi: quod mihi, spero, fiet: quo in omine desino. Vale, Vir Cl. a me & parente, qui te cum uxore tuaque familia salute impertit plurima. Felix ero, si vel literam a te extorquere possim. Iterum vale.

DCV.

IO. BODECHERVS IO. MEVRSIO S. P. D.

AMorem erga me tuum, Meursi Cl. amplector avide. Quid optatius mihi, quid gratius accidere potuit, quam tanti Viri frui benevolentia? quae, sic confido, sine labe, sine fuco. Non merui, fateor: gaudeo tamen, quod tibi meruisse videar. Vtinam, utinam maior mihi in Batavia tecum consuetudo? Colebam te, ut dignus, sed pudor vetuit. Nunc te absentem veneror; eruditionem summam pari cum humanitate coniunctam, admiror. Perseverabo, dum spiritus hos regit artus. Exercitationes meas quod laudes, non adprobo: quia me illud fastigium scio non adtingere; gratus tamen tuus, qui in eo me collocat, adfectus Calcar mihi addit ad reliquum decurrendum viae; quod adimunt saepe iudicia quorumdam, vera fortasse, sed haud aequa. Iam paro practica & in Plethonem de Virtutibus, ac Aristotelem de Nobilitate Commentaria: quae brevi, ut spero, mittam. Interim vale, me ama. Raptim Lugd. Bat. II. Kal. Iun. MDCXXVI. (a)

DCVI.

BALTH. BONIFACIVS IO. MEVRSIO S. D.

QVi bonos libros convertunt, & a secretioribus illis iamque intermortuis in vulgares, ac vivas transferunt linguas, ii mihi videntur rem facere hominum generi valde opportunam; id enim, si non adsequuntur, saltem conantur, ut pueri statim a primis annis tristes paedagogorum iras, & perplexos Grammaticae anfractus praetervecti, in apertam disciplinarum planitiem possint evadere, totumque primaevae iuventutis curriculum, quod in illo infelici literarum tyrocinio, seu potius, ut ita dicam, tempori ludio, miserrime conterunt, in dulci ac frugifera studiorum amoenitate, & solida rerum contemplatione collocare. Non me latet huiuscemodi viros censos interdum fuisse cum propolis, mercimonia coempta divendentibus, quos merito Aegyptii diro carmine devovebant. Sed profecto beatissimas eruditionis divitias, magna animi industria quaesitas, & summo ingenii labore comparatas, benigna in vulgus largitione profundere, utrum id sit propolia, vel monopolia facere, viderint ipsi, qui contumeliis accipiunt, quos laudibus prosequi, gratiarumque actionibus oportebat. Inter hos certe profiteri non puduit Ioannem Franciscum Corneanium, Virum egregie de literis meritum, qui nuper *Areopagum* tuum, quem ipse Athenis Romam transtuleras, per totam Italiam circumduxit, non quidem obstentatione doctrinae, aut gloriae cupiditate, sed singulari sua in te benevolentia, prolixaque in Dominum observantia. Restat, ut qualemcumque copiatum eius boni consulas, eamdemque ipse des operam Thucydidae, quam tibi matruelis hic meus, imo, ut amoris potius vocabulo, quam necessitudinis utar, germanus geminus, commodavit. Poscit id, atque adeo iure suo exigit herus Molinus, qui quotidie studia nostra disquirit, memoriam convenit, ac depositum repetit. Vide, quaeso, ne spem eius, atque exspectationem, hactenus subspensam, non dicam, fefelleris, aut eluseris, sed, quae verecundior est querimonia, distuleris. Vale.

Tarvisio, VI. Idus Quintil. CIↃIↃCXXVI.

DCVII.

(a) De hoc *Iano Bodechero Benningio*, Professore postea in Acad. Lugduno Batava vid. *Valer. Andreae* Biblioth. Belgica p. 436. GRAMM. VI.

Ann. Chr. MDCXXVI.

DCVII.

DOMIN. MOLINUS IO. MEURSIO.

ECcovi il vostro Areopago in abito di moderno Italiano, come io vi diedi intenzione di farvelo rappresentare col mezzo di amico mio grande amatore della vostra singolar virtù, stretto parente di Monsig. Baltassar Bonifacio, che accompagna questo presente con due sue eleganti epistole, una scritta a voi, l'altra a me, per l'occasione che in essa resterà spiegata. Desidero che il tutto con salvezza vi capiti, acciò possiate ricevere insieme questi testimoni della nostra affezione, e della molta stima che di voi facciamo. E' gran pezzo che niuna novella mi perviene dello stato vostro, che desidero sia consolato, e felice. Diverse lettere vi ho scritte, e con esse vi ho pur anco inviate talora alcune stampe curiose, nè mi comparendo alcun avviso da voi, resto dubbioso del loro recapito. Li Cataloghi della fiera di Francfort vengono a noi privi dell' ornamento del vostro nome, che li faceva tanto risplendere. Io non voglio già credere, che la vostra penna sotto cotesto così freddo clima si sia aggiacciata, e insterilita, ma bensì che le guerre non permettano il passare verso queste nostre parti quei dilicatissimi, e gustosissimi frutti che prodotti da lei, ci solevano ogni sei mesi pervenire. Vi prego, Monsig., ritrovar modo, onde non abbiamo a starne più lungamente digiuni; che Dio nostro Signore vi conceda ogni pienezza di felicità. Di Venezia li XIII. Luglio MDCXXVI.

DCVIII.

DOMINICO MOLINO hero suo S. D.
BALTHASAR BONIFACIUS.

EPistolam meam, quam ad Virum doctissimum, Ioannem Meursium in Daniam ablegaveram, vixdum limine egressam, pedem retro ad me referentem, varie adfectus excepi, inter spem timoremque anceps animi, ac pendens. Hinc enim verebar, ne qua mihi sphalmata scribenti excidissent, quae in tuos, Domine, plusquam lynceos oculos incurrissent; inde vero augurabar fore, ut eius epistolae recognoscendae, atque ad incudem revocandae occasionem mihi salutaris quaedam animadversio praeberet. Cognovi tandem, perlectis literis tuis, nullam fuisse morandi caussam, sed, quod aiunt, portam itineri longissimam esse: nihil enim tale accidit, uti ego subspicabar, sed aliud quippiam, quod plane eiusmodi sit, fateor me nondum potuisse intelligere. Utrumne aliud exemplar, fortasse apud te servandum, requiras, an chartam non etiam retrorsum scriptam repudies, & aliam poscas utrinque exaratam, mihi profecto non liquet. Quod igitur dubiis in rebus commodissimum iudicamus, utrumque facio, binaque eiusdem epistolae exemplaria tibi, ecce, mitto, alterum opistographum, alterum adversa duntaxat papyro, non etiam aversa, legendum, quod syngraphum Alexander, nescio, quo fretus auctore, adpellavit, ut prudentiae tuae integrum sit, utrum malueris in Daniam remittere. Sciens ego & volens uno latere chartam notavi: nam praeterquam quod tenuis & bibula transmittens literas metum liturae aversis paginis adferebat; videbar mihi observasse id moris fuisse apud veteres, ut anteriorem tantum chartae superficiem, non etiam posticam inscriberent, nisi forte palinpsestus esset, aut liturarium, aut graphis, aut adversaria, quae fere opistographa scribere consueverunt, cum ut chartae, alias periturae, compendium facerent, tum ne grandioribus, quam opus esset, autographis Bibliothecas suas impedirent. Videtur ad hoc ita scribendi institutum salse, ut solet, adlusisse Martialis;

> *Scribit in adversa Picens epigrammata charta,*
> *Et dolet averso quod facit illa Deo.*

perquam argute significans, nihil mirum esse, Apollinem non adspirare scriptori, qui utramque faciem exarans vel ipsa charta praepostere ac perverse uteretur. Huc quoque respexisse videtur Iuvenalis, quum stomachatus odiosam inepti poematis prolixitatem, non putavit esse ferendum, ut impune dies totos consumeret

> *——— plena iam margine libri*
> *Scriptus, & in tergo, nec dum finitus Orestes.*

Sed & Plinius Coecilius de superiore Plinio loquens, Electorum Commentarios, inquit, opistographos 160. mihi reliquit, minutissimis scriptos, qua ratione multiplicatur hic numerus. Quod perinde est, ac si diceret, eos Commentarios duplo maiores futuros, cum ex opistographis essent in syngraphos referendi. Denique statuit Ulpianus peti posse bonorum possessionem, etiamsi in opistographo quis testatus fuisset. Unde coniecturam facimus, potuisse de hoc aliquatenus dubitari, ne vulgare, ac usitatum fuisse, sed privatum, & insolens in opistographo testamentum perscribere. A me stetisse videri possunt ex Iuvenalis Interpretibus Merula & Valla, ex nostris Iurisprudentibus Alciatus, & Cotta. Stetit autem diserte Alexander Alexandraeus, Genialium dierum libro secundo, sectione tricesima. Quorum ego sententiae subscribo, veterum, quos proxime testes laudavi, auctoritate munitus; ductus etiam exemplo V. C. Marci Antonii Businelli, unius ex vestris Secretariis, qui una unius paginae facie contentus, raro admodum opistographa scribit. Quamquam video, non omnibus Criticis hanc opinionem, sive, ut ipsi dicunt, divinationem probari. Vale.

Tarvisio Prid. I. Quint. CIƆIƆCXXVI.

DCIX.

Ad Evmdem de Io. Mevrsio.

NOn renuit dicto Samii parere Sophistae
Moribus Vrsa ferox, at regione cicur.
Solus Hyperboream lenire Meursius Vrsam,
Nomine quam praefert, magne Moline, potest.
Pythagora melior, Phoeboque potentior, aufert
A gelido glaciem barbariemque polo.
Denique Cecropias Soram transportat Athenas,
Regibus adiungens Attica regna Danis.

DCX.

Nicolavs Vismarvs Io. Mevrsio S.

SIngularis humanitas, summae iuncta eruditioni, Vir Cl. quam oppido nuper mihi probabas, & te & tua tenerius deperire, Soranumque adeo Bibliopolium, ut ut cum Academia adhuc saltem vagiens, invisentem, ac aliquot inibi industriae tuae monumenta reperientem, alterum atque alterum locum mihi sumere, inque usus commodos coemere, adigebat, & haud reluctantem impellebat. Ecce autem dum Fridericiburgi sum, & Phlegontem tuum animi caussa perlustro; mox Mirabil. cap. XVII. simpulum iniicit ἐπιτύμβιον istoc:

Τέθαμμ', ὁ Μακρόσειρις ἐν νήσῳ μακρᾷ
Ἔτη βιώσας πεντάκις τὰ χίλια.

Disputo autem hic ipse mecum: ergone ὁ Μακρόσειρος annos explevit quinquies mille, annorum transegit quinque millia? an potius pro βιώσας legendum βιώσων; ut sensus sit, innui abs demortuo cum firmum, quo praeditus fuisset, cuiusque intuitu vel longissimam producere vitam potuisset, modo per fata licuisset, corporis robur; tum famam, diu duraturam? Forte speciatim ad ipsam insulam sit respectus, putatque inibi sepultos; illa longum manente, se quoque quasi immortalem futurum: aut omnino retinendum βιώσας, statuendumque sermonem de annis non Solaribus, sed Lunaribus: nam ita Plinius excusat (excusandi certe occasionem praebet) Xenophontem, Regi maritimorum sexcentos, eiusdemque filio octingentos annos tribuentem. Porro cap. XXX. & XXXI. occurrit Euryopa, nisi filia, scribiturque haec Aegypto cuidam quinquaginta filios tum Danao totidem peperisse filias. Itane una eademque mulier, ex binis maritis numerosam adeo subscepit sobolem! Vere ferax foemina! Vtrobique quid sentiendum concludendumve, quaeso te, Vir eximie, paucis indica. Tum, si placet, de Rege, quem maritimorum, ex Plinio iam dicebam, dispice; sitne (pro, ut Pintiano videtur visum) Latinorum ille, cui Valerius Maximus annos aetatis adsignat ipsos octingentos? Denique quoniam in Tacito explanando hoc temporis occupatus es. Tacitus autem Senonum semel & iterum mentionem facit, si quid certi de his habes, ad me, quaeso, perscribe. Altum namque de Senonibus silentium, etiam apud industrios commendatores, Alciatum Rhenanum, Ferettum, Vertranium, Mercerum, &c. Gallos fuisse, aut Gallis saltem contra Romanos quondam se iunxisse, ex Lucano patere potest, sic canente:

Nos primi Senonum motus, Cimbrumque furentem
Vidimus, & Martem Libyae, cursumque furoris
Teutonici.

Marchici mei Sehusium, veteris Marchiae oppidulum, ad Albim situm, antiquam vocitant Senonum sedem, at absque argumento. Vale, & garrulitati meae, quippe quae eminus, quam cominus mavult sese exserere, maxime ubi bonorum amicitiam Virorum exquirit, ignosce. Scribeb. Nycopiae Falstriorum. proprid. Kal. Sextil. MDCXXVI.

Ecquid tibi constat de Historia Regum Norwegicorum a Theodorico Monacho, itemque de Historia profectionis Procerum Daniae in Terram Sanctam, scripta ab Anonymo quodam [a], denique de Catalogo Episcoporum Norwegiae, & maxime, quo tempore vixerit Augustinus Nidrosiae Archiepiscopus [b]?

(a) De ipsis opusculis vid. infra in epistolis *Io. Kirchmanni* ad *Meursium* GRAMMIVS.

(b) *Nicolaus Vismarus*, Theologus natione germanus, fuit Reginae Daniae, Sophiae Megalopolitanae, Regis Christiani IV. matri, a sacris; postque eius mortem Pastor Gryphiswaldensis in Pomerania, ac tandem Superintendens Ecclesiarum Comitatus Oldenburgici, obiit an. 1651. GRAMMIVS.

DCXI.

Petrvs Grvtervs Io. Mevrsio S.P.

TEstudineo gradu literae tuae ad me venerunt, Cl. Meursi, sed balista efficacius adfectum tuum imprimentes. Ex longinquo enim adlatae, ipsis spatiis robur auxerunt; tamquam se ad saltum colligere solent, qui retrorsum vestigia subducunt, & quid adeo iis tam valentis spiritus inest? Meursium bene habitum, bene conciliatum apud Danos vitam emereri, felicitatis nostrae augurium reputo, quippe qui pio voto nobis studiosus es, facile persuades, factis verba sancienda esse, ubi tractari sese occasio patietur. Academiae quidem desideriis completo doctorum numero satisfactum narras; sed novo exordio alibi necessitatem pullulare posse, nihil est, quod vetat. Addo inventione polydaedala rebus nostris prospici posse, si quantum genii nostri manubrium est, apud exsteros adplicare tibi libeat. Interim exoticam fortunam diducto supercilio tibi adridere, id nobis spiritus eventilat. Nam qui in Patria res tuas exarescere narrabas, in peregrino Territorio translatitium revirescere, multum ad futuram messem pertinet. Perge modo fatis patriae obluctari, Athleta tandem superior evades subplantata mali moris fortuna. Ego infelicis Horoscopi cetera, nusquam sortilegia magis aversa

Ann. Chr. MDCXXVI.

aversa sentio, quam intra Belgas & divini thesauri buccones, quos tu quum evasisti, in raras felicitates alea iacta est; humanitatem vero tibi in peregrinis diffusam nasci, Annona sese abtemperante, id tibi rebus superesse dabit. Sanitatem quoque (quod ex silente intelligo) perpetuo comitatu adhaerere facit, ut te in exotico Sole indelibatum praestare auguror. & cur non antiquum habitum serves? quando Iuvenale teste.

——— Optima Sorae
Aut Fabrateriae domus, aut Fusinone paratur.

Neque enim aerem tibi male stagnare, fama refert. Vti neque honor tibi in ambiguo fluctuat, dum in angulo deficientis naturae eloquentiae trophaea erigere tentas. Quippe iam olim Iovi Elicio votis factis Musae tractari se passae sunt, ut rostra sua desererent, in Daniae pulpitis adscensu dato. Si tamen tu primus

Es Lugdunensem Rhetor dicturus ad aram

pallere utique non debes, quum mitius tibi Leges adrident, neque in dubium eventum eloquentia defungitur. Stipendio enim & regii coetus auditoribus superbiens, facile feres, si horridior alibi stella Laribus tuis illucescet, ut iam merito & talibus expleto elogio dicere fas sit

De conducendo loquitur iam Rhetore Thule.

quando in Cornucopiam omnia consentiunt, Meursio versurae suae indormiente, & Batavis plorare iussis. Sed quid pedissequus fortunae tuae pulveres ante te moveo? In meis fatis est, quod in perpetua specula me esse iubet. Sed attentis excubiis hactenus nihilo extricatior evado. Quippe rivalitas ubique praefabricat, dum nepotum causa praesidia disponi solent. Intra paucos tamen dies, quisquilias Prisciani deserturus videor, ad Medicinam orbita electa. Neque in divortio difficultas erit; quando hereditatis alibi portiuncula futuram annonam solari spondet, dum intra medicos longo syrmate vestem traham, & splendebit

——— Adamas notissimus, & Berenices
In digito factus pretiosior ———

Neque enim ullius gentis calidior in pompam aestuatio est, quam Medica, quippe

——— convenit illi
Et strepitu, & facie maioris vivere census.

Hinc in decoro modus non est, quando cuiuscumque monetae viri vestitu eruditionem ementiuntur

Cum pars Niliacae plebis, cum verna Canopi
Crispinus, Tyrias humero revocante lacernas
Ventilat aestivum digitis sudantibus aurum.

Legis vero Oppiae nulla efficacia est, ubi Hortensia intercedit; & bardi eruditis tamquam legumina in acervum miscentur, si tamen

Et de mensura ius dicere, vasa minora
Frangere pannosus vacuis Aedilis Vlubris,

occoeptat, Tribunalis se umbra defendunt, & ius in privilegiis inveniunt. Neque aegroti veteris vox est; quippe clamant dispessulato rictu

——— ut Stentora vincere possint
Vel potius quantum Gradivus Homericus;

scilicet longa experimentorum tabula est; & de fatis alienis

Grande aliquid, quod pulmo animae praelargus anhelet

personare audent,

——— liquido cum plasmate guttur
Mobile colluerint.

Hic enim fractum crus Aesculapio obligavit; ille Vulcanum de coelo praecipitem unguentis excepit, alter ne unius terrae eversor esse videatur, Ptolemeum se praestat, imo Herculem, mundum percurrendo, atque ut periculo quoque doctior videatur

——— picta se tempestate tuetur.

Quid? quod infamia etiam illi prodest, qui Achillis instar multos in Orcum misit.

Inde fides arti sonuit si dextera ferro
Laevaque si longo castrorum in carcere mansit.

Denique frustra ad Fastos eum cogas, qui Medici filius non est.

——— prior inquit, ego sum
Cur timeam, dubitemve locum defendere? quamvis
Natus ad Euphratem, molles quod in aure fenestrae
Arguerint licet, ipse negem.

Alius unius familiae indigena nuncupari fastidit, qui

——— omnem Titanida pugnam
Inter maiores, ipsumque Promethea ponit,
De quocunque voles, proavum sibi sumere libro

audebit; neque sanguinis ullum stillicidium genas tinget; tanta coloris fullones spernentis praestantia est,

Ingenium velox, audacia perdita, sermo
Promtus & Isaeo torrentior; ede. quid illum
Esse putes? quemvis hominem secum adtulit ad nos.
Grammaticus, Rhetor, Geometres, Pictor, Aliptes,
Augur, Schoenobates, Medicus, Magus; omnia novit.

sed haec odiosa prolixitate evagantur. Ad te redeo, Cl. Meursi, qui persona inscitiam non tegis; sed domi forisque idem diceres; neque enim,

——— Andromachen a fronte videbis
Post minor est ———

Dignus in Daniam usque extendi; quando tibi ad laudis materiam Belgium non sufficit. Vale, Cl. Meursi, & futuri silentii foenus in antecessum cape. Amsterodami, Cal. Sextil. CIↃIↃCXXVI.

DCXII.

CORNELIVS VAN DER MYLE IO. MEVRSIO S.

MOnsieur. J'ay eu un singulier contentement appercevant par la vostre de l'onzieme de Iuillet dernier, que vous ne m'avez pas mis en oubli mais bien marri, que mes precedentes ayent esté neuf mois entiers devant que de parvenir entre vos mains, terme au bout duquel on pourroit d'ici commodament

dement adresser de lettres jusques aux Indes Occidentales: La vostre susdite a pris la poste en comparaison de la dite mienne, ayant abevè son voyage au bout de deux mois. Je participe de l'ennuy qui avez receu par l'affliction de vostre fils, & maladie de vostre bone compagne, mais me resjouis aussi avec vous de ce que nostre bon Dieu leur aye ottroye quelque soulagement comme aussi des faveurs & honneurs que recevez par de la [a], *priant sa Divine Majesté de vous eslargir l'augmentation tant de l'un, que de l'autre, vous asseurant que j'auray tousjours a grand plaisir, quand prendrez la peine de m'en donner des advis. Quant aux miens, graces a l'eternel, ils se portent bien, mesme ma belle mere* [b]; *mon fils aisné, ayant fait le tour du Roiaume de France, est de retour a Paris s'apprestant pour le voyage d'Italie, le puisne est depuis peu a Leiden pour y estre institue en la langue latine. mes nepueux de Marquette se sont entierement addonnes a la profession des armes; L'aisné portant une Cornette d'une Compagnie de Cavallerie, et le Cadet, estant depuis la mort de son pere, advenu le 18. du Mars desnier a Vtrecht, Capitaine de la Compagnie d'Infanterie du defunct. Ie vous prie de croire, que n'aves en ce quartier personne, qui vous aime et estime plus que moy, et qui plus volontiers le tegmoignera reellement aux occasions. Et sur ce vous saliiant tres cordialement, comme aussi vostre chere compagne, ce que font semblablement ma belle mere, ma femme, et tous les miens, je supplie Dieu, Monsieur, vous conserver avec les vostres en longue prosperité. De la Haye ce X. de Sept. MDCXXVI.*

DCXIII.

BILDERBECCIVS IO. MEVRSIO S. P.

Binas post discessum tuum a te accepisse me fateor, ad quarum priores respondi; responsum vero ad te non perlatum miror & doleo, tanto magis, quod Mercatori ad vos, ut aiebat, iter habenti, dederam. Nunc ea via utor, quam prioribus indicasti, & si quid scripsero, ut & has ipsas ad Librarium Frobenium curabo. De valetudine tua tuorumque vehementer gaudeo: ego cum tribus meis filiabus & Matre per Dei gratiam recte itidem adhuc valemus. Privata quidem sic satis recte habent. De publicis praesertim post tantam cladem a Rege acceptam, quid sperandum sit, tu ipse vides. Iam iam servitutis iugum Germaniae collo impositum video: sperabimus tamen, Deoque confidemus: quem animitus precor, ut te tuosque incolumes & florentes diutissime conservet. Mei te tuosque ex cordis penetralibus salutant. Vale, mi frater & prospere age. Dabam Coloniae, XXIII. Septemb. CIƆIƆCXXVI.

DCXIV.

HENR. HVDEMANNVS IO. MEVRSIO S. P.

Quum Poematum meorum Teutonicorum specimen tibi tantopere impofuerim, ut ea prolixo verborum honore adfeceris, quae tibi inspicienda submiseram, faciendum mihi putavi, ut syntagma totum adspectui, censuraeque tuae exponerem. Operam vero in Emblematis iis dedi, ut Poesim, praecipue Germanicam contra Buccones & tristis supercilii homines adsererem, ita neglectu, an contemptu? quantum possem, decenter vindicarem; quod nulla ratione melius & felicius fieri posse existimavi, quam si Poesis ad argumentum suum, hoc est, apicem divinae ac humanae sapientiae transferretur. In quo Orpheus, Pythagoras, Theognis, tota denique illa prima sapientiae familia aut invenit eam, aut constituit; nisi quod Christianis sit altius adscendendum. Quod non ita pridem praestare volui, dum Musas meas sollicitavi, ut Rhythmos mihi abdicerent, quibus Ionas Propheta felicissimus, & suavius, praefiscine dixerim, legeretur, & commodius perciperetur, nam castigandi libertatem & depravatos hominum mores corrigendi dexteritatem auctori resigno, non mihi vendico. Eas tamen virtutes omnes nunc connectere & adumbrare amavi in Emblematis, quibus orbis incolae deteriores ad perennem supremi Numinis cultum, illibatamque morum & adfectuum castitatem deducuntur. Vt enim omnia facilius delicatis eorum auribus illabantur, adsperae veritatis morsum delenificae Poeseos temperamento mollire, versuumque dulcedinem adhibere connitor; quo nimirum gratiora subeant animos hominum praecepta virtutis, a quibus, si velut meraca propinarentur, quam plurimi propter vitiositatem infirmitatemque suam abhorrerent. Non igitur sufficit mihi, quod te ad promulsidem delitandam commoverim, sed etiam a te simul impetrare cupio, ut defaecata mente ad Emblemata mea percensenda porro accingaris. Tu enim, quid distent aera lupinis, cum perpaucis novisti, & ex ea natione oriundus es, quae de Germanica Poesi bene sperandum quasi signum substulit. Quis enim Heinsii & Catzii mele Belgica non summa cum voluptate legit? quis non libentissime profiteatur, Heroas illos lenissimo Belgici idiomatis usu, & nitidissimorum verborum structura effecisse, ut vel Graeciae, vel Ausoniae minus delicatissimos suos Poetas invideamus? Horum vestigia lego, & quantum possum, adlaboro, ut singuli versus commodis & sonoris Rhythmis legantur. Non placet enim quicquam occurrere, quod defecatas aures radere possit; quod tamen Itali & Galli saepius insuper habent, qui voces aut syllabas pene diversas, & disparis soni cogunt, & ut lubet suorum Lectorum securi detorquent; mihi non libuit esse tam diserto, qui malo in eam partem peccare, ut minus interdum

(a) En Danemarc. GRAMMIVS.

(b) La Veuve de Barneveld. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXXVI.

terdum sim elegans, quam nimis asper, & ineptus; sed nolo prolixiore stilo sinceritatem iudicii tui turbare, qui facile iudicabis, an aliquid operae pretium laboribus meis effecerim. Porro & petitionem ad te adfero: nimirum hanc mihi gratiam facias, & fasciculum nostrum literarum ad Sereniss. Christianum V. Danicae iuventutis Principem perferri cures. Habes forte in aula ipsius amicum tibi & Musis faventem, qui tradendi ministerio defungatur. Hoc etiam ex te scire discupio, an unquam in manus Illustris Rosencrantzii divitias meas, quibus praeclarissimum ipsius nomen, seu τηλαυγὲς πρόσωπον adfixi, pervenisse existimes? Submisi quidem per haud subleſtae fidei homines thesaurum non magni pretii, qui tamen mihi Patronum & Maecenatem parare posset, si homo lectioni libelli manum & oculos admoliretur; nec aurum, ut miser ardelio, venor, eius non adpetens, nec nimium, Deo sit laus perpetua, egens. Interim tamen Homerum non adspernor, qui pater Musicorum hominum praescribit, haud negligenda esse,

—— Θεῶν ἐρικυδέα δῶρα.

sed extra sermonis ambitum, apud Heroa istum me in favore pone; & nisi grave est, olim expiscare de munere nostro literario; quod ipsi Musegetae proximo debebatur. Nec hic sermonis mei finis erit, nam & alia in re opera tua nobis utilis esse potest, unde frontem perfricabo, teque admonebo. Frater meus per quinquennium Gymnasii Hamburgensis alumnus Rostochium quasi ad uberiorem studiorum suorum mercatum non ita pridem se contulit; unde proxima aestate in Daniam transfretaturus videtur, eo videlicet omine, quo in Academia vestra vivere, studiisque cuiusdam literati Nobilis praefici possit. Est politioris literaturae, & Gallicae linguae non omnino ignarus, quam Gallo magistro, viro satis polito, Hamburgi discere coepit, unde facilius ipse conditionem, te Amplissimo parario & proxeneta fortassis invenire poterit. Peto igitur a te, Cl. & humanissime Meursi, huius adolescentis honestam conditionem, uti vocant, prehensantis, memor esse digneris. Tibi satis prolixum tibi nobis gratificandi adhuc subpetit, & tu eiusmodi hominem videbis, qui munere demandato commode perfungi, tibique obsequi & possit & velit. De publicis mantissae vicem adiicerem, sed ea forte certis rumoribus aut literis ad vos perferuntur; & vos ex vicina aula habetis, unde sermocinationi litare potestis. Finiam ergo post uberrimum effatum, & te meis precibus Deo opt. max. commendare nunquam non perseverabo. Vale, mi Cl. Meursi, hallucinationesque nostras aequi bonique consule. Dabam Wevelsfleti Holsatorum, a. d. XXVII. Octobris CIƆIƆCXXVI.

DCXV.

GERHARDVS VOSSIVS IO. MEVRSIO S.

Cl. Vir atque amicissime,

Etsi fieri aliter non possit, quin permolestum sit, quod carere te cogar: tamen facilius absentiam tui ferrem, nisi mortes quorumdam, quos valde amavi, non mediocriter augerent desiderium tui. De consanguineis & adfinibus, quos hoc sesquianno amisi, nihil nunc dicam. Ecce superiori hebdomada ereptus Academiae nostrae egregium eius lumen Willebrordus Snellius, Vir utriusque nostri amantissimus, dum fata Deusque sinebant. Parentavit ei ex ordine nostro Gilbertus Iacchaeus. Ab Golio iam ante hebdomadas complures literae in Bataviam perlatae, ex quibus salvum in Syriam advenisse cognoscimus. Intra octo menses, aut circiter redibit ad professionem Arabicam. Et pene est, ut suspicer, modo sospes in patriam pertingat, etiam Hebraicae linguae Professorem fore. Nam hanc ei professionem a DD. Curatoribus destinatam esse ex eo coniecto, quod hactenus nullus est constitutus. Nec verisimile est, Golium post tam longinqui itineris molestias linguarum Orientalium causa susceptas, pusillo unius professionis Arabicae stipendio contentum fore. Dedelius inter ordinarios Iuris Professores nunc agit. Conrector Doreslaer adfectat professionem Poeseos in hac Academia. Quid futurum sit, melius sciemus proximo conventu DD. Curatorum Academiae: qui nunc sunt, exlegatus Arsenius, Praeses Curiae Cromhoutius & Syndicus Pauwius. Vorstius uxorem duxit filiam D. R. Vander Meulen, magnificis aedibus e regione aulae hic habitantis. Semel iterumque literas accepi a Iano Grutero, quibus petit, ut plurimam tibi salutem dicam suo nomine. Video ei necdum constare de discessu tuo. Gener eius Brettae deiectus est de munere, quod Romanae Ecclesiae nomen dare nollet. Itaque pene animus ei Groningam se conferre, ubi amicos habet, & aer non displicet (a). Fervet praelum Notis Heinsianis in Nonnum. Theologi Academiae nostrae edidere opus adversus Confessionem Remonstrantium. Vti & Walsaeus (qui etiamnum Rector est Magnificus.) volumen quoddam emisit adversus Io. Arnoldi Corvinum. Rivetus Genevae Criticum suum sacrum recudi curavit. Aliquanto is auctior est editione prima. Burgersdicius edidit Institutiones Logicas, quae non displicent. Prodiit apud nos Theo & Aphthonius. Vtriusque tralationem Heinsius recensuit, & interpolavit. Vtinam hic fuisses, qui nobis Graecum textum meliorem dare potuisses, ex optimo Codice, de quo aliquando te mihi referre quaedam memini. Sed nihil impedit, quo minus Vir Cl. editionem nobis aliam procures; quod impen-

(a) Obtulerunt quidem Groningenses Grutero Professionem Vbbonis Emmii morte tunc vacantem. Is vero excusavit senium & valetudinem suam. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXXVI.

impense velim. Nec minus desidero alia ingenii & eximiae tuae eruditionis monumenta, quae hic habebas, partim adfecta, partim confecta. Omnino & literarum & literatorum interest, ut tam praeclarae observationes tuae, quas frustra ab alio quopiam exspectemus, quamprimum videant lucem. Scio tamen te neutiquam otiari: sed scio elaborare in Historia Danica. Eo que impensius opto, ut Academiae vestrae brevi ab Typographo prospici possit, ne, cum tu extra omnem sis culpam, depoluisse iam videaris Reip. literariae & posteritatis amorem. Hoc ne Deus sinat, quod tantopere inimici tui optent. Opus meum de Historicis Latinis ad menses aliquot intermittere sum coactus, propterea quod auctoritate Illustrium DD. Ordinum commissum mihi fuit, ut novam adornarem Grammaticen Latinam & Graecam: sed ita ut in illa Lithotomi, in hac Clenardi inprimis praeceptis atque exemplis insisteretur. Videbam esse inglorium laborem & difficilem satis. Detrectare tamen nolui, amore Scholarum. Gaudeo intra quatriduum me operam eam ad finem perducere posse. Quod ubi erit, quae in Historicis Latinis supersunt, pertexam. Nosse te arbitror ante mensem pronunciatam a iudicibus delegatis sententiam esse in praefectos rei maritimae peculatus reos. Ex quibus Berkius fiscalis damnas est florenorum nostratium 74800. Idem perpetuo mancipatus carceri. ac iam in arcem Lovesteiniam deportatus. Vander Mast Delphensis triennio carceris incola futurus; multatus flor. 26667. Nicolaus Zelandus triennium exsulabit; solvet flor. 29182. Segwaert Dordracenus totidem annis exul erit, multatus flor. 19892. (a) Vander Heul Brielanus perpetuo carceri destinatus. Solvet flor. 13669. Duyfhuysen multatus flor. 14765. Nob. D. a Cronenburg ut intellexit se multatum octo mill. flor. in morbum incidit, ac paucis post diebus exspiravit. Dom. a Raephorst (b), eiusdem criminis reus, iure contendet. Ceteros mitto. Vltra nunc nihil occurrit. Plurimam salutem dicito lectissimae coniugi nomini meo. Vxor etiam mea utrique vestri salutem adscribi iussit. Vale, Non. Novemb. CIↃIↃCXXVI. (c)

DCXVI.

D. HEINSIVS IO. MEVRSIO.

Vir Clarissime!

Oppressit me Henricus vester, postquam septimanas aliquot in patria versatus esset, eo tempore, quo minime ad scribendum paratus eram. Visum nuper Ordinibus fuit, ut auctores certi, certe novaeque artes, & ubique eaedem, in Scholis urbium praelegerentur. Qui bis recensendis inter caeteros delectus sum. Quae quisquiliae semestre nobis fere integrum eripuerunt. Bibliothecam felicis memoriae Rutgersii, statim a funere illius, arcis hic inclusam, signatamque Regi serenissimo, cum quo agere defunctus coeperat, honoris causa obtuli; qui ex eo tempore continuis distractus bellis, Sveciam vix vidit aliquo cum damno nostro, quum non parvam patrimonii partem ibi deposuerit ὁ μακαρίτης. mihi autem omnis hactenus ad Regem via interclusa fuerit. De Graecorum Liturgiis me vide; quamquam nihil ex Lussio post illud tempus intellexerim, qui amplius semestre in Brabantia moratur; dabo tamen operam, ut voto tuo satisfiat. Abrahamus enim Elzevirius, iter, ut ex eo aliquoties audivi, in Italiam parat, a quo petam, ut exemplar ab Illustrissimo Molino ad me missum inquirat (me enim, ne id facerem, pudor hactenus repressit) aut meo sumtu aliud huc mittat. Tibi certe hac in parte ut prospiciatur, operam daturus sum. Illustres serenissimi nostri Regis victorias audisse te non dubito. Iam Dantisco incubat. qua si potitur, quid Polono sit futurum, ipse vides. Sane & spe regni eius excidit, & de suo periclitatur. Vale, Cl. Vir, & nos ama. Vxor mea mecum officiose se commendat tuae. Lugd. Bat. CIↃIↃCXXVI. VII. Novemb.

Quid de Bibliotheca adfinis, e qua MSS. & alia pauca seorsim servo, futurum sit, fac iam, ut cognoscas ex meis, ubi responsum accepero. Doleo me obstrictum teneri, quia ea de re ad Serenissimum Regem scripsi, & nec mihi ipsi, nec aliis gratificari posse.

DCXVII.

BALTH. BONIFACIVS IO. MEVRSIO S. D.

Officiosissimas literas tuas, insignis cuiusdam, tibique peculiaris humanitatis plenas, reddidit mihi ante aliquot dies herus meus Dominicus Molinus. Quo de Viro, aut Heroe potius, merito dici posse Pindaricum illud existimas, quod, summitates ex singulis virtutibus decerpens, immortalis gloriae sertum sibi contexat. Ego vero illud quoque addiderim, quod a Scaligero vestro fertur in Caesarem pronunciatum. *Non posse de eo quicquam dici, quin de omnium Heroum laudibus optima quaeque detrahantur*. Duae sunt tamen, quae in eo virtutes exstant maxime, ac eminent. Incredibilis quaedam in omnes doctos benignitas, & mirus totius eruditionis amor, & sapientiae studium, atque admiratio. Praecipue vero sincerissima in Patriam charitas, divitiarum atque honorum contemtus, Italicae libertatis & salutis tutela, summaque in Reipublicae administratione vigilantia. Quam ego nixu quidem & conatu vehementi, sed tenui tamen, ut araneolus, opella, ad hunc maxime modum versibus exornare sum adgressus, cum ei nuper a me con-

(a) *In edit.* 19842. GRAMMIVS.
(b) *Male in edit.* Ralphost. GRAMMIVS.

(c) In editis *Vossiani* haec est LVII. pag. 99 seq. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXXVI. me confictum poematium, *De Amoris insomnia*, dedicarem; quam, volente Deo, cum meis omnibus Musis, postea videbis. Vale.

Tarvisio, Prid. Cal. Dec. MDCXXVI.

Regulus a Poenis fertur vigilando necatus,
Supplicio simili me quoque damnat Amor,
Noctibus ut vernis nunquam non cantat aedon,
Insomnis tota sic ego nocte cano.
At tibi, Magne Heros, Insomnia nostra dicatur,
Quod semper vigilem te quoque reddit amor.
Mirus amor semper Patriae vigilare saluti
Cogit, & insomnem nocte dieque facit.
Det tua securos nobis vigilantia somnos,
Hoc erit officium, Magne Moline, tuum.
Virginis Adriacae statuit te Iupiter Argum,
Quem vafer haud unquam fallat Athlantiades.

DCXVIII.

BALTH. BONIFACIVS IO. MEVRSIO S. D.

Ann. Chr. MDCXXVII. AMo te multum, Vir summe, quin etiam colo, & longe plura me tibi debere fateor, quam praestando, aut sim modo, aut videar olim futurus. Quis porro non exosculetur istam indolem, quae tantum praeseferat humanitatis, ut quamvis a gravissimis studiis nunquam vacet, quibus se totum iam pridem addixerit, non tam gloriae suae, quam utilitati nostrae prospiciens, subfuretur nihilominus tantum otii, ut nobis etiam suavissimas literas semel, atque iterum dederit? Vtrasque recte ad me perlatas legi, & laudavi, & magnam ex illis tum voluptatem, tum fructum coepi. Iucundum, & gratum nobis est, quod industriam tuam omnem ponas in bellicosae Danorum gentis clarissimis rebus gestis conscribendis: praesertim quum fortissimi istius Regis praeclara facinora uberrimam tibi materiam subpeditent: Thucydidemque interim praemitti aequo animo patimur, & fidem tuam liberamus. Nos plusquam viginti millia versuum triginta Musarum libris complectimur. Sed has nostras lucubrationes, aut nugamenta potius, interpellavit Panegyricus Quirinaeus, quem a nobis properanter, atque invita etiam Minerva compositum, non sine rubore ad te mittimus, Romanorum Historicorum Elogia propediem missuri. Vale, & nos ama, Vir omnium amore dignissime. Tarvisio. Nonis Ianuarii CIↃIↃCXXVII. Natali meo XLII.

DCXIX.

NICOLAVS VISMARVS IO. MEVRSIO S.

FElix novi anni auspicium! Brevis epistola tua, at impendio grata, Vir Clarissime. Nam & ego ἔτυχε ἔτυχε scripsi, materia unde unde adrepta. Existimo tamen non plane itum contra ianuam. Quod si igitur vacat, age, capra festum, ut est in proverbio, accedat, deque illis, quae silentio nuper involvebas, sententia tua commodum mihi pateat, effice. Mitto exemplar conciuncularum mearum funebrium. Id strenulae loco habeas. Vale, & ama constantissime. Scribebam Nycopiae Falstriorum. XIV. Kalend. Febr. MDCXXVII. Ann. Chr. MDCXXVII.

DCXX.

LAMPERTVS ALARDVS IO. MEVRSIO S. P.

Εὖ πράττειν, καὶ εὖ διάγειν.

Clarissime Meursi.

VEre, & ex animo gratulor huic pectori, literas meas tantum apud te invenisse pondus, ut manum chartae admoveres, & responso Gratiarum manibus exarato me dignareris. Non opus, multis depraedicem, quam gratum mihi hoc officium, praesertim in significatione pristini amoris, quo me constans complecteris. Doleo equidem tam diu me siluisse, reciprocamque adfectus promptitudinem inhibuisse. Sed si probe te novi, facile pro candore tuo concatenatis hoc ignosces negotiis, quae me ita subinde circumvallant, ut me totum mihi eripiant. Nosti interea, quam te suspiciam, & toto pectore amem. Raro dies, vel hora abit, qua me recordatione tuae consuetudinis, & doctrinae non reficiam. Et sine figura, tantus voluptatis fomes sensus meos titillat, cum solus triumpho, me inter cultores tuos numerari, ut maximam beatitudinis meae portionem in eo adgnoscam. Ideoque scito me exultare, quum te, ut ait Horatius, animae dimidium meae, salvum, & sospitem cognosco. De uxore, & familia tua idem mihi polliceor, atque utinam laetum illud nuncium aures meas percelleret! Nihil enim mihi gratius accidere potest, quam si intelligam, tibi tuisque bene esse, a quibus mihi non unum benevoli adfectus indicium. Valde me commovit, quod scribis de eius invaletudine, quae tibi maxima rei domesticae sollicitudo. Sed bene: quod revaluit, & vires iterum collegit. Interim novi, te eo animo praeditum, quo omnem fortunae nimbum contemnere possis, & eo ingenio, quo quamvis laetitiae iacturam farcire poteris. Quicquid tamen huius est, scito me & doloris tui, & querelarum socium, ac participem esse, ut quantum voluptatis ex integris rebus tuis capturus fuerim, tantum acerbitatis ex isto vulnere fortunarum tuarum capiam. De Heinsio amo te, quod tanti Viri amicitiam mihi conciliasti. Redditae mihi ab illo literae, quas ego non aliter servo, quam Pici suas divitias, qui aureos montes colunt. Perbenigne illustris Vir sentit de transmissis meis Atticis, quanquam ea vix digna censeam, quae politissimas aures vestras feriant. Sed nosti, etiam in

Ann. Chr. MDCXXVII.

in secundis tertiisque aliquam laudis, & gloriae portionem residere. Ideoque quod vestris illa subiicio oculis, est, ut id me tentare sciatis, quod vos ad miraculum potestis. Quae adeo causa est, quod nuper etiam Latina mea solis adspectui sistere volui Lipsiae excusa. Tradideram ista olim tuae censurae, Sorae adhuc agens, & memini non usque adeo displicuisse. Nunc per otium velim studiosius evolvas, lacunis, & lituris quibus tunc scatebant liberata, ut liquido testimonium ferre possis. Etenim nihil magis in votis mihi, quam ut uni, vel alteri Eruditiorum haec qualiacumque placeant, inter quos hoc seculo tecum vel unicus est Heinsius. Vobis si placebunt, in spem erigor haud dubiam, fore ut & aliis cordatioribus placeant, imo ut vel ipsis Zoilis, ceu noctuis splendore oculos praestringant; quamquam, quod mireris, hae literae odium, & invidiam mihi conciliarunt. Miseret me fatui, & inficeti huius seculi. Sed illa spicula me tangunt quidem, taceo, ut vulnus infligant. Ego per medium hoc agmen calumniarum incedo tectus virtutis, & candoris scuto. Sed quum tu solus, tum mihi, tum aliis, ut verba dicam τὰ πάντα, submisse rogo, ne fastidias hunc foetum; sed serena fronte intra tuum conclave admittas, ut Musas tuas propitias habeat, & favorem non omnino ignorasse videatur. Libanium etiam si iusto pretio a te impetrare liceat, fac, ad me cures. Non quidem nescius ego, quantus sit thesaurus, & bonorum auctorum delicium ex liquido fateor, vix pretio adaequari posse, benevolentiam tuam in cedendo, nedum iustitiam in vendendo: sed si pro XXX. Imperialibus, vel ad summum C. marcis Lubecensibus relinqui a te possit, est cur mihi gaudeam, & impendio gratuler. Meminerit tua Excellentia non esse cur eo famam quaerere velit, quum iam dudum eam habeat possessam. Quicquid olim hac hereditate obvenict, tibi unico acceptum feram. Nam alioquin aeterna haec gratia futura est, quae nunquam emori poterit, nisi quum ultima necessitas debitum fatis spiritum efflagitarit. Vides, quam licentiam mihi dederit humanitas tua, qua me nimis audacter abuti facile intelligo: sed nisi me animus fallit, male te novit, qui facilitatem tuam ignorat; proinde liberiori stylo ignosces. Ego quantum in me est, gratias ago adfectui in me tuo, quod tam prolixe ad me rescribere voluisti; & serio obtestor, ne, in poenam talionis, diuturno me silentio torquere sustineas. Ego serio testabor, me te efflictim amare, & vere memoriam tuam ut charissimi mihi capitis in deliciis habere. Vale, mi Meursi, colendum mihi nomen. Dab. Crempis Regiis, XXII. Martii. Anno MDCXXVII.

(a) *Christophorus Bulaeus*, tunc, quum has literulas scriberet, iuvenis XXIV annorum, postea Poeseos Professor in Acad. Lipsiensi, ubi notulas in *Valerium Flaccum*, & poemata scripsit; tandem ecclesiastarum ordini insertus, per varios gradus, Superintendens Ecclesiarum Dresdensium, & vicinarum, & Electori Sax. a Consiliis sacris fuit, mortuus an. MDCLXXVII. GRAMMIUS.

DCXXI.

GEORGIUS LUDOVICUS FROBENIUS IO. MEURSIO S. P.

Ecce fasciculum literarum satis ponderosum, Clarissime, atque Excellentiss. Domine Meursi, Venetiis a communi Musarum patrono Dominico Molino huc missum. Pro eo ad te adsportando satisfacies exhibitori, quod aequum videbitur. Equidem nihil in ipsum viatici erogavi, sed in alios tres, quos Nov. 17. Ian. 18. Feb. 19. abs te accepi, Venetias, Amstelodamum, Coloniam a me missos, internunciis vestratibus numeravi. Talerum imperialem cum octante. Hosce nummulos ad me commode curabis. In conficiundo penu Annaeo, numerisque paginarum, ac linearum ad edit. Parisiensem anni MDCXIX. accomodandis totus iam sum; speroque cum aestatis huius exitu ad exitum eius me perventurum, nisi vitae exitus rationes meas turbaverit. Id ipsum per literas nuper D. Molino significavi, ad quem si in literis tuis itidem meminisse voles, pergratum mihi erit. Vale, Vir Cl. & me amare perge.

Hamburgi Non. April. A. C. MDCXXVII.

DCXXII.

CHRISTOPHORUS BULAEUS IO. MEURSIO S. (a)

Non miraberis Cl. & immortalis Meursi, quod ego, homo obscurus, ineptitudine tibi mea obstrepo. Famae enim celebritate, qua hunc omnem mundum diu comples, tum scientiarum, quibus in solus palmam tenes, stupenda raritate adlectus, pecco. Dabis ergo hanc veniam tuae potius divinitati, quam audaciae meae; quippe quum nemini unquam crimini fuerit, colere numina. Ne vero sine munere tuas salutem aras, animum libo, virtutum Meursianarum perpetuum dignumque (praefiscine) admiratorem. Didici enim, si nihil aliud, saltem suspicere, & adorare ingentes animas, pingui solo exemptas. Testimonium ei rei statuo Graecos versiculos, triennio abhinc lusos ab adolescente valde. Eos si probari exactissimo tuo iudicio comperirer, esset ut exultarem: etiam ut alia hoc in genere forte aliquantulum limatiora foras producerem. Nam in istis primitiis quid peccarim, dies studiumque nos docent. Quin gaudebo ea obelisco iugulari a tanto heroe, & dictatore his Musis unico, potius quam ementite laudari ab aliquo bardo. Eram in Musaeo, illo Gratiarum pullo, & nascebatur nobis nescio quid Commentarii, iamque luci, & vestri nominis gloriae destinaram: sed, ecce, antevortit Pareus nepos: cuius curas ad vos adpulisse credo. Conor aliquid in Anacreontem.

Quam

Ann. Chr. MDCXXVII.

Quam hic esse velim Meursius. Maxime Virorum, per ego te manes, & ebriulas vatis lepidissimi umbras obtestor, moneas, quae sine tua ope reperturum scis mortalium neminem. Si quid litterarum dare velis, Crempas ad Alardum, amicum meum mittas: inde Lipsiam commode transferentur. Diu vale, & me ama, o unice litterarum Hercules, alter Musarum Apollo. Scribebam Lipsiae a. d. XXVIII. April. A. CIↃIↃCXXVII.

Excellentiae tuae ab humili cultu

C. BVLAEVS.

DCXXIII.

PETRVS GRVTERVS IO. MEVRSIO S. P.

VElut in specula responsum tuum exspectabam, Cl. Meursi, cum novo etiam labore ad scribendum adigor. Nobilissimi enim Oelveldii operam nactus, desidiam a sacris nostris amovi, quando hac tractabilitate Dii viales raro adlubescunt. Et quid novi staminis ordior? Salutem, non eam epistolarum adseclam, sed hanc pia adprecatione plenam, e Belgio auspicii boni nunciam, recenti tuae in Dania Coloniae, studiosam. Ego vero valetudini non impar vivo, si modo vivere est, semper animum obnubilatum gerere. Nullius enim Spartae (ut ita dicam) aurora nobis illucescit, quando rivalium, in quibus tanquam Locustarum urbe, solem obduci video. Vni mihi hoc in fatis an sit, tu non in superficie calles; qui maligno sidere adflatus, vix libere in Belgio spiritum traxisti. Cave vere dilatatus angustias nostras negligere pergas; qui fidem nobis sanctam non semel dedisti, si quando tractari se antiis non incommoda fortuna pateretur. Tardi quidem magnae rei progressus sunt, sed multum gnava indagantis manus cursui adiicere potest. Taedia vero lente exorientis felicitatis, sagaci oculo excutere tibi datur, qui in meliori coetu admissiones nactus es. Experiri modo tibi vires tuas libeat, tam non inexorabilem Spartam iudico, ut ultro ad iudicium tuum proruere hariolor. Sed quid haec praemandendi ritu Meursio? ad Leges tuas sapere perge, & boni Viri nomen in Diariis nostris invenies. Occasione autem subinde frui te si consenties, literis tuis refocillari me gaudebo. Vale Clarissime Meursi. Amstelod. pridie Nonar. Iunii CIↃIↃCXXVII.

DCXXIV.

VINCENTIVS MARINERIVS VALENTINVS IO. MEVRSIO S. P. D.

NOstra in te semper cogitatio, tanquam in summum, & doctissimum Virum, festinantibus amoris alis defertur, & assiduo, & praecipiti cursu in te prorumpit. Nam tua varia, & cultissima opera mihi quasi quandam magnetis administrant vim, qua ad te totus trahor, sed non invitus; nam ingenua liberalium artium natura cogi non patitur. His annis praeteritis delectatus fui in interpretandis quibusdam Auctoribus Graecis: sed quia in Hispania typographiae maxima inopia est, excudi non potuerunt. Tu felix, qui in Batavicis degis campis, qui te immortalem tanta Typorum segete reddiderunt. Sunt mihi inediti Graeci auctores MSS. hi, quos utinam ad te possem emittere:

Theodorus Prodromus in Psalmos.
Epistolae Phocionis 46. praeter eas 85. ex Bibliotheca Augustana sunt erutae.
Alexius Comnenus de re militari.
Ioannes Tzetzes in Homerum.
Theophylactus in Epistolas Canonicas.
Prologus S. Apollinarii in Psalmos.
Eumolpus in Orationes D. Gregorii Nazianzeni.
Anonymus in Homerum.
Orationes 8. *D. Ioh Chrysostomi ineditae*
Ὀγίων Lexicographus, cuius meminit Suidas & alii.
Palladius in Hippocratem.
Scholia in Panathenaica Aristidis.
Oratio una Aristidis de Legatione ad Achillem inedita.
Isidori Pelusiotae de Salvatoris nostri resurrectione ad Theognostum Presbyterum.
Pachimeras in Aristotelem.
Demetrius Cidonius. Disputationes inter Graecos, & Latinos, de Spiritu Sancto.

Sunt & mihi nonnulla alia Schediasmata, in quae laborem puto impendere meum, si Deus annuerit nobis. Quae tu non in haec opera fecisses? Nulla enim (tu scis) datur facultas, qua ad te aliqua ex his fortasse mitterem; nam inter Hispanos, & Hollandos, bella intestina inhorrescunt, nec commercii locus datur ullus. Tu tamen recte (a) ad me rescribe, & quae his superioribus annis excudisti, aut modo excudis, mihi nuncia. Ego autem Peruani Imperii historiam, cuiusdam Principis iussu, sum adgressus sermone Latino absolvere (b), quam puto & tibi, & doctis placituram. Quae si tuarum Musarum excurreret auspiciis, felicior quidem in lucem ederetur. Vale, me semper amare perge. D. Heinsium meis verbis saluta.

Madriti V. Kal. Iulii MDCXXVII.

DCXXV.

(a) *Fortassis* tecte. GRAMMIVS.
(b) Absolvisse etiam, neque multi temporis labore; ut erat ex iis minime *Marineriis*, qui lente parturiunt, testis est *Antonius de Leon Pinello* in *Biblioth. Indiae Occidentalis*, impressa biennio post hanc epistolam. Huius verba abducit *Nicolaus Anton.* in *Biblioth. Hisp. P. II. pag.* 263. ubi etiam plura legas de *Marinerii* istius incredibili diligentia, nec minore instantia, hominis non tam solliciti de utilitate Scriptorum suorum, quam de fama πολυγραφίας, & quomodo permultos *chartae papyraceae scapos*, & infinita *folia* scribendo impleret. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXXVIII.

DCXXV.

CASPARUS HOFMAND, IO. MEURSIO SAL. ET OBSERV. (a)

FIducia amoris, quem ante hos decem annos praesens praesenti visus es ostendere, Vir Cl. Domine observande, ausus sum his te compellare literis. Qua in re, si quid pecco, adscribes id non fronti meae, sed ingenti desiderio, quo flagro iuvandi studia nostra. Quod tanto cum fervore cum agis tu, spes est fore te mitiorem erga hominem ὁμότιμον, ut sic dicam. Laboro iam annos plus minus quinque in libris Gal. de usu partium Commentariis perpetuis illustrandis, sed praecipue ex Aristotele, cui ille tamen parum amicus, propter certamen gloriae, ut mihi persuadeo. In his quum subinde se obferant mendae plurimae, Qua in Graecis, qua in Latinis, quas eadem opera elutas velim; & vero desint exemplaria fida, quorum auxilio firmem coniecturas meas; cogor amicorum fores pulsare, si forte inde mihi aliquid auxilii. Intellexi de V. Cl. D. Petro Saxone, Mathematico, & Collega, & Consortaneo meo carissimo, esse apud vos Galeni Graeci exemplar, manu Gerhardi Falkenburgii multis locis emendatum. Simile quid cum praestiterit Ianus Cornarius, quod indies exspecto Wratislavia ab amicissimo DD. Kirstenio: coepi cogitare, si possim vestratis hominis laborem conferre cum huius, & videre, quid ad Correctionem Galeni mei faciat, quid non? Haec adeo causa mihi fuit adeundi te, & per communia studia rogandi, obsecrandi, obtestandi, significes mihi duobus verbis, quantum Falkenburgii opera in dictis Galeni libris praestiterit? & an ullo modo habere possim? Quod si forte esset exemplar aliquod Ms. Graecum, de eo vel inprimis solicitus essem. Si etiam Arabicum, non minus. Quem vero laudavi, DD. Kirstenius benigne promittit, se ex Arabico me adiuturum si posset habere librum Arabicum. Quid autem? An non apud vos est, aut scis forte, ubi lateat, versio, seu translatio Galeni vetus, quam saepe laudat summus Medicus, Alex. Massaria, & quem ex Arabico factam esse patior mihi persuaderi? Vides Cl. Meursi audaciam meam, quam ut ne moleste feras, iterum rogo propter communia studia, quorum iuvandorum tanta tibi est cupido, quantus est orbis, instituto nunquam satis laudando. Sin impetrare hoc nomine non licet, age, accipe Cl. D. Piccartum, & in hunc verte iram tuam. Hic vero nutantem me horsum impulit. Bene Vale, Vir Cl. Domine observande, & si per alia negotia fieri potest dignare nos maturo responso, ut ante Francofurtenses proximas dispicere possim, quid porro faciendum sit. Facies autem per D. Ioan. Calandinum, cuius filius Amsterodami est, & curabis ad nos, si quid velis.

Scrib. VIII. Ian. MDCXXVIII.

Ann. Chr. MDCXXVIII.

DCXXVI.

IOANNES A LESTICH IO. MEURSIO S.

Amplissime Domine!

QUod ad T. A. scribere adgredior, imputabit audaciae meae, scio: sed si eam ipsam a tua benevolentia omnium sermonibus celebrata vinci credat, rogo, ut culpare desinat. Tum etiam ipsam scribendi causam spero aliquam sibi veniam inventuram: quae cum de re studiorum agatur, licet inter diversas Professiones, saltem in veritatis indagine communionem inter se non adspernantur. Quinquennium est, & quod excurrit, quod mihi a Rege nostro obtigerit lectio publica in Universitate nostra: eaque operis istius Decretorum per Gratianum collecti. Ceteris omissis, multa in eo scitu digna adeoque praeclara, quod antiqua: & imaginem saltem veteris Reip. Christianae referant. Ceterum nobis argumento serviendum, nemo non novit; ut tamen delectet quandoque rerum aliquarum veritatem penitius indagare, quod defectu librorum, a quibus arcemur, non obtingit. Habemus Baronium, sed & causam suam agit, uti satis in aliquibus Is. Casaubonus ostendit. Malim per A. T. mihi suggeri auctorem, qui Ecclesiasticas Antiquitates sine ira, aut studio, omnes verissime pertractet. Existimo Centuriatores Magdeburgenses hoc praestare: verum quum mihi solo nomine sint cogniti, optarem penitius de iis instrui. Quot volumina sint; ubi impressa; quanti pretii? tum mihi cum nuncio res erit, cui de illis mandabo, nisi alium auctorem indicaverit. Insuper a T. A. omnino scire desidero, num illic exstent Canones Conciliorum per Zonaram collecti; Itemque Commentarii Th. Balsamonis in eosdem: quem librum etiam comparare vellem, si mihi perspectior esset, & ubinam impressus, constaret, quae omnia frustra hic inquiro. Est Io. Quintinus Haeduus, Doctor Parisiensis, qui Comment. ad Synodum Gangrensem effudit. Is in Praefatione ad Cann. Apostolorum, quos subdit Historiae Zonarae, impr. Francof. Anno M. D. LXXXVII. citat istud, de quo inquiro opus Conciliorum Zonarae sub nomine Cod. Hilariani, confertque cum libro eodem Bibliothecae Regiae. Verum de Comment. Balsamonis omnino tacet. Baronius noster non uno loco mentionem ingerit, ac Comment. Balsamonis saepe exagitat: maximeque ad Synodum VI. repetitam, ad A. C. 692. cui Synodo subscripsisse, vel interfuisse Legatos Apostolicos contra eum pernegat: quum tamen ipse Damasus, aut po-

(a) *Casp. Hofmannus*, celebris Medicus, & Professor Altorfinus, quid in *Galeno* praestiterit, vel molitus sit, longo multorum annorum studio, vid. in *Fabricii Biblioth. Graeca*, cap. de *Galeno*, nec non in Bayeri Vitis Professorum Medicinae Altorfinorum, ubi fuse de illius meritis scriptisque agitur. GRAMMIUS.

Ann. Chr. MDCXXVIII.

potius, ut aiunt, Anastasius Bibliothecarius subscripsisse, sed deceptos fateatur. Quod etiam de hac Synodo sit vestrum ibi iudicium, averem cognoscere, nisi obtundere nimium vererer, & ex libro, qui huiusmodi res ex veritate tractet, per A. T. mihi suggerendo hausurum, sperarem. Valere A. T. Dom. & Amplissimum Virum D. Heinsium, si, ut spero, supervivat, a me salute, omnibusque faustis votis prosequi non gravetur. Valete.

IOAN. VAN LESTICH
Iur. V. D. Decretorum Pr. Regius.

Collegii Donatiani Pr. Lovanii XXII. Februarii MDCXXVIII.

Post operam mensium aliquot quaerendo insumptam, promittitur mihi Codex Comment. Balsamonis Parisiis advehendus: quod si voto respondeat, de libro inquirendo remitto; iudicium vestrum de re tota exspecto. Vale A. V.

DCXXVII.

GERARDO VOSSIO.

Amicorum Opt. Max.

NVncium tam certum nactus, mercatorem Slagelosiensem, amicum meum, quique intra septimanam unam, aut alteram ad nos revertitur, committendum non putavi, quin ad te quoque, quamquam magna temporis angustia circumscripta, literas darem. Tu vicissim da hoc amicitiae nostrae, ut occasione putaris: & responsum quidquid cupias, illud ad Hermannum Pisium mitti cures, qui ad me curabit recte. Aliquantum sane temporis est elapsum, ex quo nihil ad te scripsi: Sed nec fere ad alium quemquam, nisi ad quem necessarium scribendum erat. Id tu sic interpretaveris, tamquam publica, & tempestas, quae in nostrum orbem saeviit, amicitia hoc officium impedierit. Certe amor in te meus, quem virtute ista tua singulari in animo meo accendisti, ardebitque porro igne semper inextincto, atque ut id facere possit, satis scio, tu non desines illum alere. Opto quantum possim maxime de rebus tuis sigillatim, publicisque Academiae, adeoque universae Reipub. certior fieri. Nos hic, per benigni Dei immensam gratiam, substinemus nos egregie; quaeque pridem, militum nostrorum ignavia, ac proditione foeda, de eo ob peccata nostra nobis graviter irato, hostis coepit, nunc paulatim recuperamus. Serenissimus Rex noster cum sexaginta, aut septuaginta aliquot navibus, bellicis nempe, & triremibus, aliisque e minoribus, Fimbriam insulam, vulgo Femerem adpellatur, in potestatem suam redegit, & ex ea in Holsatiam obiacentem facto impetu, urbes duas Chilonium, & Ekelsfortum, expugnavit; inde porro sine dubio obvia quaeque invasurus: Quamquam de Chilonio quidem, qui Hafnia ad nos veniunt, tentatum potius illud dicunt, quam occupatum. Istud tamen ii adfirmant, & Rensburgum oppugnatum, adeo ut Hamburgum usque tota Holsatia regi pateat. Quidam aiunt; sed incertum, Atsiam quoque, itidem insulam occupatam. Ditmarsii caeso ad internecionem usque praesidio hostili, sese Regi reddidere; & ut deinceps contra hostem melius se tueri possint cum aggeribus perforatis, tum apertis emissariis, aquam undique in agros suos, quamquam cum insigni sane detrimento admisere. Sveciae Rex nostro sese arctissimo foedere obligavit. Miserat autumno proximo huc Legatos, & in illis generosum Baronem, Carolum Bannyrum, quaem Leidae novimus, studiorum illic causa commorantem; is me Sorae perbenigne est complexus. Vix abierant, quum Rex noster etiam suos in Sveciam mittit, Cancellarium, & unum e Senatoribus Regni. Qui excepti praeter solitum permagnifice, novum foedus pertractarunt, & nunc iterum ab eo Legati Hafniae adsunt. Lubecensibus qui in Caesarem propendebant, interdixit, ne hostile quidquam in nos cogitare umquam ausint, quod si facerent, se illorum, & commercio, quae in Svecia frequentissima exercere ipsi soleant, perditurum; & pecunias quae ibidem ingentes illis debeantur, in fiscum redacturum esse. Quibus minis id effecit, ut nunc nuper Legatis Caesaris, & Hispaniarum Regis, navale auxilium exigentibus, constanter illud pernegaverint: adfirmantes nullo modo se praestare istoc posse, nisi se, urbemque suam, plane perditum ire velint. Itaque ab iis nihil nobis metuendum; quamquam sane etiam alias portum obstruere, navibus quibusdam immersis, Regi nostro facile esset: qui id item ipsis comminatus fuit. Habet porro etiam Svecus sedecim armatorum millia, in ipsis finibus, prope urbem Gottenburgum; quae Rex noster suis navibus traiecturus in adversam Cimbriam dicitur. Cuius incolae adeo in Regem sunt adfecti, ut, si alibi impressionem aliquam faciat, statim omnes arma sua sint iuncturi; idque nobis certo nuntiant, qui huc veniunt. Idem animorum adfectus in Holsatia est: ita ut non dubitemus quin, benignitate Dei adiuvante, brevi ingentem aliquam mutationem istic habituri simus. Et prodigia praecessere hosti, ut speramus, tristia. In Holsatia, in Bredenbergensi arce sanguis quodam aerae loco copiosus emanavit, nec restingui a Praefecto quanquam iniecta arena, potuit. Hadersleviae item in arce, equi in stabulo consistentes, reperti sudore defluentes, ac spumantes, & in adiacente Cimbria, in Vrbe Ripensi; in Praefecti eius mensa orbes sanguine maduerunt, ac remissi, ut purgarentur, & relati ac vix adpositi iterum tantundem sanguinis, omnibus conviviis illud adspectantibus, & horrentibus, habuerunt. Et haec certo evenerunt, ac referri, tanquam vera abs te possunt. Illud quoque memoratur, & pro ve-

vero adfirmatur: ad Oldburgum itidem Cimbriae nostrae urbem, Praefectum eius aliquando, quum ad ambulationem prodiisset, puerum in via nudum humi positum, invenisse, quem cum tollere statim pueros praecepisset, neque id illi, quamquam post conatum multum potuissent, tum loquutum, ac dixisse; quam nunc, quamquam summis Viribus id adnisi, puerum se humo tollere ullo modo valuissent, ita quoque Daniam sibi subiugare plane impossibile fore. Faxit id benignus, ac misericors Deus, & infestam a nobis manum tandem avertat. In Scania in aere, visum acre praelium navale; & tonitrua tormentorum explosorum in terra audita adspectantibus, qui scintillas quoque ignis decidentes conspexere, & profecto quin aestate imminente, aliquo navali, nam id solum post haec restat, decertare debeamus, nullo modo dubitamus. Sed in Deo, & iis armis, quae hic nobis est largitus, spem praepositam habemus. Instruit Rex noster Classem octoginta amplius navium bellicarum, ac triremium ad haec Svecus quatuordecim suas addet, idem Angli, Batavique ut speramus, sunt facturi; sed inprimis, ut precamur, & confidimus, hosti se opponet Deus: ac nunc eius quoque peccata respicere incipiet. In hoc voto, & fiducia finem epistolae, quam hic satis longam habes, ad silentii anteacti iustam compensationem, faciendum mihi existimo. Deum oro, ut misereatur nostri, & optatam pacem reddat, ac te mihi, longe amicissimum Caput, diutissime conservet, cum uxore, liberisque, vale, ac salve, a me, ac me ama. Sorae ad diem VI. Aprilis Iuliani MDCXXVIII. Raptim.

Tuus prisca fide

IO. MEVRSIVS.

Si quid edidisti, potes hac occasione ad me mittere; idem Heinsium nostrum rogo, ad quem ante paucos menses literas prolixas dedi. Nunc salutem prolixissimam illi nuntio, & ut aliquid rescribat, ac suas quoque lucubrationes mittat, quando commoda est occasio, etiam atque etiam rogo. Saluto ex animo omnes veteres Collegas, quotquot sunt, nullo excepto. Amo omnes, ut solebam: etiam magis, ut solemus in absentia. Quod si Deus pacem reddat, & securum iter praestet, cum uxore, liberisque, tum aetatis vigor sinit, ad vos excurram, ut semel adhuc cara capita coram complectar. O si votum hoc mihi repraesentet Deus! & repraesentabit, spero, ac confido. Iterum vale, amicissime. Vorstius, ut video, plane nostri obliviscitur; non hoc merebatur noster in ipsum, & defunctum Patrem, amor: neque ab eo exspectaveram. Tertium, vale.

DCXXVIII.

HENRICVS SPELMANNVS CL. DOCTISSIMOQVE VIRO IOANNI MEVRSIO S. P.

ACcersitus dudum notionis causa ab Illustrissimo Regis Daniae Legato, non potui tanti Viri benignitatem humillime non complecti. Audiens vero intellexi te (Vir optime) apud suos agere, & non valere solum (quo gaudebam maxime) at Soranam Academiam radiis (quod non dubitavi) illustrari. Modum insuper opportunum, quo te literis compellarem, & quam sitivi diutissime, amicitiam tuam tandem adtentare, & expetere. Laetabar in oblata ansa, adreptamque mordicus tenens; gratias primum ago cumulatius ob insigne tuum Glossarium Graeco-barbarum, quo Phoebeam aulam, atque omnes rei antiquae studiosos novis mercibus e latibulo petitis obscuritatis, ditas: sed nostrae praesertim tenuitatis molimina passim expedis, & absolvis. Sequitur, ut singularem tuam benevolentiam erga me ignotum adgnoscam recolens: quam cum ab aliis (qui falsam, spero, apud me inire gratiam noluerunt) intellexerim, tum ex litteris tuis ad Patricium Iunium (nos *Younge* adpellamus) datis: Virum equidem inter primos eruditum, & qui vestrae Eminentiae totus studet; cogitare tamen non potuit, qua nostrae ad te literae traderentur. Iam vero data est fortuito via. Cura nempe humanissimi Iuvenis Dom. Ioh. Schirt e comitatu Dom. Legati, ante biduum Daniam profecturi. Accipies (non dubito) eiusdem ministerio incompactos nostri operis, vestrum rite metuentis intuitum, sed quod rei antiquae candidatis non inutile videatur. Eos quum vestra receperit mansuetudo, gratissimum mihi fecerit ante omnia, si carbone haec liberrime notaverit, quibus (praeterquam a Typographo, quae infinita sunt & turpia,) vel erratum fuerit, vel claudicatum. Summi enim facio iudicium vestrum, eodemque confirmatus, id quod reliquum est, adgredior forsan aliquando. Piget autem Typographorum, & Bibliopolarum nostrorum morositatis. Quum enim iustum aliquando volumen vix Latine ediderint; nostrum hoc nec suis sumtibus imprimere, nec impressum nostris, aut venditioni domi exponent, aut foris distrahendum deportabunt. Quoad deportationem vero excusatos habeo, quum Erynnis ita omnia foris occludat, ut tutus nusquam exitus. Nos interea multorum aureorum in bonum publicum iacturam fecimus, prohibetque rei familiaris cura, ne quid ulterius effundamus inutiliter. Vides quam aperte tecum ago in amicitiae nostrae limine: Manum nobis de tabula (ut novit tabellarius) aufert aegritudo. Vos in seculi, & nepotum nostrorum beneficium florete diutissime, & valete. Londini XII. Calend. April. An. D. M. D. CXXVIII. Sty. vet.

DCXXIX.

Ann. Chr. MDCXXVIII

DCXXIX.

CORNELIVS VAN DER MYLIVS IO. MEVRSIO S.

Monsieur, il y a huit ou neuf jours passés, que la vostre du 28. de Novembre me fust delivrée, mais celle du 6. du mois passé a eu plus favorable addresse, m'ayant esté apportée hier. L'une, & l'autre m'a esté bien aggreable tant pour ce qu'elles m'ont asseuré de vostre santé, & des vostres, que par l'information, que si particulierement elles me donnent de l'estat des affaires du Serenissime Roy de Dannemark, esperant avec vous, que l'Eternel benira de plus les genereux, & heroiques desseins de sa Maiesté a fin de pouvoir reduire en bref soubs son obeissance ce qui en est distrait. Le S. Gunther Secretaire de la chambre de sa dite Maiesté, & le S. Martin Van der Meden, Chancelier de Verden, sontici, & partiront bientost, & contants de leur negociation. Le premier ayant obtenu une bonne somme des subsides que c'est Estat fait a sa Maiesté pour l'employer selon sa commission, & l'autre du mesme pour l'asseurance de l'Elbe, de Gluckstadt, & Krempe. Au reste nous roulons ici à l'accoustume, & somes avec tout le monde en attente de ce, que sera entrepris par l'Empereur avec tant de gens, qu'il a, & de levées, qu'il fait encores journellement. Le Marquis Spinola est en Espagne, & n'y a pas de nouvelles asseurées de son retour mais bien apparence, qu'il est sur le point de revenir. Le Roy de France est retourné vers la Rochelle, l'estat de la quelle est estimé d'aucunes estre sans perte, & par d'autres tres dangereux. Les plus sages, & sans passion jugent, qu'à parler humainement, leur delivrance depend principalement de l'armée navale d'Angleterre, la quelle le S. Ambassadeur d'Angleterre Carleton m'a dit estre desja partie, il y a plus de quinze jours, mais autres en doutent. Le dit S. Carleton est sur le point de retourner, n'attendant que le vent. Hier arriva a Delft le Comte de Carlisse, nomme cy devant S. Robert Car, & depuis encores Mylord Hay, Ambassadeur Extraordinaire du Serenissime Roy de la grande Bretagne, viendra ce jourdhuy en ce lieu, mais selon ce qu'on dit ne s'y arrestera guerres, mais passera par le Brabant en Lorraine, & Savoye. L'Ambassadeur du Roy Treschrestien le S. D'Espesses partira aussi dedans peu des jours vers Paris ou sont nos Ambassadeurs Extraordinaires, n'avançants pas trop leurs besoignes, à cause de l'absence du Roy, & du Cardinal de Richelieu, & pour le mal entendu d'une alleance, & contract fait par N. N. la quelle Monsieur, les Estats desadvoüent, comme en quoy le dit N. N. avoit surpassé sa charge, & les Deputez de sa Majesté veullent bien y apporter quelque modification, mais le conclurre promtement, que d'admettre, les nostres a aucunne intercession de pacification entre ses deux Roys de France, & de la grande Bretagne. Le S. Romtueyl, & Pensionier Parv d'Amsterdam qui est maintenant en la place du feu S. Cramblardt sont Ambassadeurs Extraordinaires en Angleterre, & n'y sont non plus, car toute ceste besoigne depend du succes de la Rochelle. Le parlement d'Angleterre ayant accordé au Roy six millions de florins, les ont restroint a certaines conditions entre autres aussi, qu'ils temoignent, qu'ils voudroyent bien, que les mille chevaux &c. Vous aurez sceu d'allieurs la malheureuse mort du Comte d'Embden, arrivée en son pais d'Oslfrise en sa maison de Birum. Le Tresorier de Bye mourut, il y a deux ou trois semaines. Le Greffier de l'assemblée des Messieurs les Estats generaulx. Gais à eu sa place, & quod mireris, le Secretaire de Rotterdam Mus, beaufrere du Commissaire N N. la sienne. Ie croy, que par mes precedentes aurez appris le deces de Monsieur Kenenbourg, car il ya an & jours, que cela est arrivé. Quant à ma famille, nous sommes, graces a Dieu, assez bien, mesmes ma belle mere, au regard de son age, mon fils aisné revint, au commencement de cest année de son voyage d'Italie, & me semble, qu'il incline a accompagner Monseigneur le Prince es armées. Moy, ma femme, & tous les miens, vous saluons, & Madame vostre femme bien affect, comme fait specialement ma dite belle mere. Et sur ce priant Dieu, qu'il vous conserve avec les vostres en longue prosperité. je me soubsigneray vostre plus affectionné amy pour vous servir.

Vous aurez entendu la mort de ma niepce de Veenhuysen, estant devenue malade de petites Veroles, il y a aussi plus d'un an. Mais je doute, si aurez sceu, que ma niepce de Groenevelt s'est marié il y a environ quatre mois avec Monsieur de Nactvvyck. De la Haye ce IX. de May MDCXXVIII.

L'Illustriss. S. Dom. Molino me fist il n'a pas long temps fort bonorable mention de vous en ses lettres, s'en questant de vostre estat, & santé, je luy feray part des nouvelles, qui m'avez communiqué. Vale, & nos ama, qui te semper.

DCXXX.

D. HEINSIVS IO. MEVRSIO.

Literas, quas ad me humanissimas dedisti, quamquam eas multis post mensibus accepi, non mihi tantum, sed & cum collegis legi. Inter quos nemo est, qui non summas tibi agat gratias, qui non aeque de salute tua, atque sua suorumque fuerit solicitus. Et profecto, si rem, ut oportet, cupimus, salus omnium nunc agitur. Commune hoc bellum est. Cuius victoria hoc agitur, ut una Domus (a) imperet, non unus aliquis, sed omnes serviant. Quemadmodum igitur vobiscum laboramus, ita bene de salute vestra omniumque nostra sperare incepimus, ex quo duos Reges potentissimos (b) coniunctis viribus negotium commune hoc subscepisse intelleximus. Quod

(a) Austriaca domus. GRAMMIVS.

(b) Reges Daniae & Sveciae contra Imperatorem Rom. GRAMM.

Ann. Chr. MDCXXVIII.

Quod ut Deus Optimus, & Maximus fortunet, omnes votis communibus optamus. Tibi si quid aliter eveniat, (quis enim in hac publica calamitate non timere non potest?) domum apud me paratam habes, in quam tamquam propriam, receptum, & hospitium habebis. Verum Deus immortalis melius. Sin autem, habes animum, & tui studiosum, & ad omnia officia sine ullo, aut colore, aut fuco paratissimum. Multis tecum agere parabam, quum Iacobi Marci famulus, iam ad docendum pene instructum, protinus scribendum esse monet. Navem enim soluturam. *Aristarchum* nostrum, hoc est, partem eius, quam *Exercitationes sacras* diximus, hic habes. Cui & *Orationum* ultimam editionem iunximus. Multa alia parata sunt. Inter cetera in Novum Testamentum, & difficiles illius locos notae. Et *Horatius* iam parte altera, aut amplius, quam pridem auctior, hac septimana prelo subiicitur. Germano isti iuveni, cuius scriptum anno fere post accepi, gratias, ut verbis meis agas, a te peto. Non enim, ubi nunc versetur, scio, &, ut dixi, tempore excludor. De rebus meis, Svecicis praesertim, fuse, quum licebit, ad te scribam. Interim Curatores nostri, quibus ordines in ea liberalitate subsidium tulerunt, sponte nobis Illustrissimi *Scaligeri* stipendium non ita pridem adsignarunt. Cui titulus historici adcessit. Id duorum millium, & quadringentorum florenorum est. Ea tamen lege, ut cetera, quae extra ordinem accedunt, relinquantur: quae sexcentos circiter conficiunt. In qua liberalitate nihil magis specto, quam quod sponte a Viris nostri amicissimis oblata est. Matronae lectissimae, uxori tuae, me meamque, rogo, ut commendes. Plura volebam, sed iam vocor. Amplissime Clarissimeque Vir vale. Lugd. Batav. XV. Maii MDCXXVIII.

Pudet me chartae, quam nunc demum parum tersam esse video. Amiciss. Collega noster D. Iacchaeus vitam nuper cum morte commutavit. Familiam reliquit, ut nosti, miserrimam.

DCXXXI.

CORNELIVS VAN DER MYLIVS IO. MEVRSIO S.

MOnsieur. *Ce mot ne sera que pour vous adviser, que je vous ay escrit amplement le 9. de ce mois, avec aßeurance, que j' avoy bien receu les vostres, tant du 28. de Novembre de l' an passé, que du 6. du mois precedant. Le Sieur Secretaire Gunther m' ayant offert la commodité pour faire ceste repetition par un son amy, s' en allant a Coppenhagen, j' ay bien voulu vous envoier ces poemes du S. Barleus, et aussi vous tegmoigner, que j' ay desjà respondu. I' ay receu bier lettres de l' Ill. S. D. Molino, me demandant derechef de vos nouvelles, faisant en outre paroistre le grand estime, qu' il fait de vostre personne. Ie seray bien aise d' entendre, quand il vous plaira, ce qu' avez es mains pour le public, et s' il y a par de la aucune commodité pour l' imprimer. M. le Comte de Carlisle est encores ici, on tient, qu' il partira de ceste semaine vers le Brabant, et de là par la Savoye, Piedmont, jusques à Venise. De la sortie de la Flotte d' Angleterre au secours de la Rochelle il n' y a pas encore ici de certitude. Le Roy Treschrestien est forte animé contre la dite ville, & si la Flotte n' arrivera de bonne heure, cela la mestroit en peine. Le Duc de Nevers et de Mantoüe se trouve aussi bien en peine pour jouir de sa succession. Le Duc de Savoye empretant sur le Montferat, et le Comte Iean de Nassau venant comme Commissaire de l' Empereur Mantoüe et la France . . . . contre la Rochelle, & abandonner tout le reste, non obstant que le Pape tegmoigne desire le contraire. Le dit Duc de Savoye s' est veu avec le G. de Milan, et on tient avec l' Espagne. A Gennes s' est descouvert une grande menée contre la ville et Republique; aucunes veulent, que cela viendroit des Espagnols autres du Savojard; mais les plus moderés et moins passionés disent, que c' est une faction plebis contra Nobilitatem. La prochaine semaine en aura y plus de particularitez. Nous vous salüons tous, et toujiours vostre plus affectionne amy et serviteur. De la Haye ce* XV. *de May* MDCXXVIII. *en baste.*

DCXXXII.

GERARDVS VOSSIVS IO. MEVRSIO S.

Vir Clarissime, & amicissime.

NOn exiguum mihi dolorem adtulit, quod tanto temporis intervallo nihil a te acceperim literarum. Nam solatium hoc amicitia habet, quod eorum legere literas possumus, quos videre non possumus; tantoque magis dolebam, quod metuerem, ne silentium hoc proficisceretur a moerore antiquo, quem privatim etiam vobis adflictae res Daniae adtulissent. Nunc & valere vos intelligo, & meliora in posterum de regno vestro augurari. Equidem non praedicabo ambitiose, quam mihi gratum fuerit ea cognoscere, praesertim ex te ipso. Facile enim hoc cogitare potes, ut cui non ignotus sit amor erga te meus. Neque de eo quicquam detrahere debet, quod rarius & ipse scribam. Vere enim dicere possim, hactenus me non satis scisse, quo pacto literas optime possem procurare. Atque aliter ut foret, non eo minus arserit amoris nostri ignis. Silere enim diutissime possum; sed non amare Meursium non possum, nisi simul, & virtutis amorem, & doctrinae deponam. An te amorem non exuam; sed tuus semper ero, tuus plane, praestantissime, & carissime Meursi. Tanto impensius frui etiam cupio presenti: cuius quod spem facis, beas profecto. Sed tamen beatior mihi videbor, ubi

co-

coram complectar. Nunc; ut amantes meticulosi esse solent, male formido, ne ita aestate proxima infestet vias Caesareus miles, ut spes nostra decollet: nec nisi anno post, atque utinam vel tum, conspicere vos liceat. Vbi veneris, post Snellium (cuius & coniux decessit,) desiderabis quoque communem amicum Iacchaeum (a), qui paralysi obiit die eo Martis qui paschales ferias proxime antecessit. Defunctum laudavit Vorstius. Huius in scribendo ad te incuriam serio increpui. Et culpam fatetur; sed emendaturum recipit. Mitto ad te opus nostrum de Historicis Latinis. Sed (si ita placet) conditione ea, ut rescire possim, quid probes, quid improbes. Nec enim nosse id minus laboro, quam si editum id nondum foret. Quippe recudi poterit; ut in Partitionibus Oratoriis factum ante paucos menses. Barlaeus carmine multum sibi gloriae parat. Prodiere eius Poemata mense superiori. Quum prima haec editio sit, tamen non video, quem praeferam (b), praesertim in carmine epico. At quorundam etiam benignius est iudicium. Quid futurum, si saepius saepiusque limata prodierint! Vxor mea ternis mensibus gravissime aegrotavit. Nunc pene convaluisse videtur. Salutat vos plurimum. Plura volebam: sed Haga iam tantum redux haec pauca potui, quod festinato opus esset, si cum ceterorum literis meas quoque hoc tempore deferri ad te vellem. Quae & causa est, cur opus nostrum, praeter morem meum, miserim incompactum. Vir amicissime, vive, vale cum familia tota, ut valere ipse melius possim, & quod caput est, ut diutissime Reip. literariae prosis. Lugd. Bat. CIↃIↃCXXVIII. Id. Maiis (c).

DCXXXIII.

CORNELIVS VAN DER MYLIVS IO. MEVRSIO S.

M*Onsieur, ayant fait part de la vostre du* VI. *d' Auvril all' Illustrissimo Sig. Molino, il me mande la dessus, ce que vous apprendrez par l'extrait de sa lettre, qui trouverez cy joint, & en cas que trouvés bon de luy faire avoir de vos nouvelles, & de me les envoyer, j'auray soin que le tout recoive prompte, & seure addresse. Mes precedentes ont esté du IX. & XVI. du May les dernieres estants accompagnées d'un livret du S. Barlaeus. Depuis rien n'est survenu de grande importance, si non que Monseigneur le Prince fait faire des ouvrages pour plus grande asseurance de la ville de Bergues sur le Zoom, & aussi principalement pour rendre inutiles les desseins, que l' ennemi proiette par ses fortifications à Santvliet. La Rochelle tient encores, & tire à grande furie sur la Dyghe, attendants pour la seconde fois, que l'armé navale d' Angleterre les viendra secourir, la quelle on dit estre desia sortie. Le temps vous en faira voir le succes. Le Marquis Spinola est attendu a Bruxelles; mais on ne parle encores du temps, quand il viendra. Ici tout est prest, & en bon ordre. Il y a trois ou quatre jours, quae Mons. le Marechal de Chastillon revient en ce lieu avec plusieurs Capitaines François. M. le Marquis de Courtomer le doit suivre bientost, comme on entend aussi de Londres, que Monsieur le General Cecil viendra bientost. Monsieur Veer y a esté tout l'hyver. Les Ambassadeurs de ces pays demeurent encores tant a Paris, qu' a Londres sans beaucoup avancer, l' issué du siege de la ville tenant toutes affaires en surseance. Dieu veville le tout faire reussir à la gloire de son saint nom, & soulagement des gens de bien; je le prie aussi apres vous avoir salüé bien cordialement, comme pareillement Madame vostre femme, ce qui fons de mesme tous les miens, de vous maintenir, Mons. en bonne prosperité, & longue vie. De la Haye ce* VI. *de Iuillet* MDCXXVIII.

Il faut que je vous die, qu on a descouvert, que ceste abstinence de manger d' une fille a Moeurs nommée Ysshen n' a esté qu' une fourberie. Ceste escrite, j' apprends qu' on reçoit des advertences, qu' à Londres on auroit fait des feux de joye, pour ce, que les besoignes entre le Roy, & le Parlement d' Angleterre estoyent si bien succedes, & conclus au reciproque contentement, qu' un Medecin du Duc de Buchingam avoit esté presque assommé parmi les rues de la susdite ville, & qu' on avoit accordé le relaschement des navires des marchants de la compagnie des Indes Occidentales, qu' on y avoit arresté depuis quelque temps.

DCXXXIV.

WILHELMVS ALARDVS IO. MEVRSIO S.

SI quid in me esset, quod gratum se tibi probaret, pro literarum ad Cl. D. Vossium, quas dederas mihi, benignitate, heu! quam id exprimerem! Verum hoc meae dabis imbecillitati, quae tanta est, ut obmutescere cogar in harum primordio, gratiis digne retribuendis quod adtinet: uberem alias benevolentiae Vossianae decantandae materiem adfero, quam ipsam mente memori ni circumferrem, indignus essem, qui vel intromitti saltim ad Virum optimum debuissem: ecce enim, Vir excellentiss. ut ut aegre ex pedibus laborans, incedebat, integram tamen horam ferme dabat obambulationi, quo certior de eius in me animo redderer (d). Liberius aditum ad se quoties vellem, pararem, rogarem,

 mo-

(a) *Gilbertum Iacchaeum, Phil. Professorem. Perperam in edita scribitur Iacchausum.* GRAMMIVS.

(b) praeferat, *edita, haud recte.* GRAMMIVS.

(c) Edita inter Vossianas n. LXXXV. pag 118. & responsio est ad illam *Meursii*, quae legitur ibid. P. II n. CXV. p. 59 seq. GRAMM.

(d) Etiam permagnum hoc fuisse favoris signum credent facile, qui noverint, quam parcus temporis sui dispensator fuerit *Vossius*, & quam aegre pateretur eiusmodi adloquiis studia sua interturbari. Vnde, qui *Christophori Schraderi* Prof. Helmstadiensis laudes post fata Viri condiderunt, inter alia celebrant, quod cum Amstelodami *Vossium* inviseret, & extracto ad horam sermone, necdum dimitteretur, *Vossium*, digito ad *Clepsidram* intento, ipsi dixisse: *Vide quantum temporis tibi tribuerim.* GRAMMIVS.

morem quodque adeo vellem iniungerem, aiebat, nunquam se commissurum, ut sentirem, amicissimi sui Meursii, non plurimum obtinuisse literas apud se ponderis; quo nomine etiam, atque etiam mihi gratulabar, humilesque, quantum poteram, grates pro tanto, quem ostenderat, adfectu persolvebam; quumque etiam ultra vires protracta deambulatio fuisset, tranquillitati se reddere iubebatur: multum autem dolebat, quod, nescio cuius incuria, Cl. D. Laurembergium sine suis ad Excellentiam tuam vacuum literis passus fuisset; quas si etiamnum exarare ex virium, quae nescio, an restitutae, pridiana infirmitate animatus est, cras urgebo, ut quod neglectum antea dolebat, hac vice sarciat. Alias, Vir Excellentiss tua plurimum possem iuvari opera, & ceu donari coelo, si liceret esse tam impudenti, & novam ad D. *Matthiam Overbecquium* (a) de stipendio, quod facile hac ratione, & via auferrem, dando mihi commendationem expetere ab Excellentia tua auderem. Quod amori, qui inter eam, & Reverend. D. D. Cluverum intercedit aliquid dari si possit, quamque ego minime mereor, isto interveniente reportarem, petitionem scilicet ad magnum *Overbecquium*? Ah felicitati meae quantum accederet, te, incomparabilis Vir, benigno, & ut nuper in commendando Cl. D. Vossio! Facundum ni faciat amor Cluverianus, nullo ero; nec certe expetere tuto ausim, quod molestus iam ante fuerim, sed memori tamen pectore si iuvare, plurimum eo me posse non erubescerem fateri; & quod tua dignum virtute munus, Virum ponam a fortuna instructiorem paulo, exhiberet? non id video. Nunc ergo, Vir Excellentissime qui multos iam annos laudatissimo exemplo, publicum promoves commodum, publico maturescentes conatus etiamnum promovere, nec nimis hanc impudentiam meam, quae ex necessitate nascitur, sinistre interpretare, adfectu, quod facto nequeo, abunde compensabo. In qua sententia finio, teque cum universa domo tutelae, & protectioni divinae etiam, atque etiam commendo. Vale. Dabam Lugd. Bat. Anno MDCXXVIII. d. X. Augusti.

DCXXXV.

IO. KIRCHMANNVS IO. MEVRSIO S. P.

Cl. Vir, Domine & Amice honorande.

ETsi quidem nullam hactenus amicitiam tecum per literas colui, cuius ineundae non animus, sed proxeneta & pararius mihi defuit: ex quo tamen ingenii tui monumenta, docta Iupiter! & laboriosa vidi & legi, non solum amare mirum in modum coepi; sed etiam magnifacere, & merito tuo inter eos recensere, quorum insigni & multiplici eruditione orbis literatus velut humeris quibusdam substinetur. Neque vero de tua erga me benevolentia dubito; cuius etsi nulla in Remp. literariam merita exstant; ut tamen studia mea tibi tuique similibus probarem, unice operam dedi. Quam voti mei summam si adsecutus sum

(a) De *Overbequii* nomine, tam insignis praesertim Viri, ut *stipendia* etiam, quae vocant, litterarum studiosis ad doctorum Virorum commendationem dederit, *magnusque* iis meruerit adpellari, haud inconveniens duco nonnulla hic adnotare; eo magis, quia ab aliis id factum esse, nondum mihi compertum. Erat *Matthias Overbequius* patria Belga, domo Antwerpiensis, ex familia negociatorum admodum locuplete ortus, quae ob religionem, ut videtur, patrium solum mutavit. Certum enim, *Matthiam* sacris Augustanae Confessionis, quae lutherana adpellant, fuisse addictum, inque iis constanter perseverasse. Venit circa initium seculi XVII. tunc iuvenis, in Academiam *Iuliam Germaniae*, (h.e. Helmstadiensem, a *Iulio Brunsvicensium* Duce erectam) hospitioque usus est *Cornelii Martini* Profess. Log. civis sui, quippe qui & Antwerpia oriundus. Eius, & aliorum ductu Divinae humanaeque sapientiae se dedit, ita tamen, ut haud omnem remitteret nuncium mercaturae, licet praecipuam eius curam fratribus suis deferret, dum ipse studiis, & eruditorum consuetudini daret operam. Florebat per ea tempora dicta Academia insignibus Viris, *Io. Caselio*, magno illo Germaniae ornamento, *Corn Martini*, *Io. Fruchtio* Theologo, *Rodulpho Diepholdo* Gr. L. *Nic. Granio* Sveco, Philos. Prof. nec non *Geo. Calixto*, adhuc iuvene, sed postea Professore celebratissimo. Cum his frequens *Overbequius*, & fere adsiduus erat. Edebat etiam tum exempla liberalitatis istius, quam deinceps per totum vitae tempus continuatam, in Viros doctos, in studiosos iuvenes, in exules omneque egenorum genus dividebat. Anno 160). discedere *Helmstadio* parantem, *Io Caselius* prosecutus est eleganti illa epistola, (ut sunt omnes eius Viri,) quae Διάσκεψις inscribitur, *de nobilium negociatorum dignitate, & studiis liberalibus*; edita primum 1609. in 4. ac postea inter *Epistolas Caselii* a *Iusto* a *Dransfeld* collectas (an. 1687. in 8.) recusa. Hinc anno 1610. *Georgio Calixto* comite peregrinationis adscito, ad ceteras Germaniae Academias, & celebres urbes se contulit, & seqq. annis, Belgium, Angliam, Galliam peragravit: In Italiam vero iturus, *Calixtum*, a se dimisit, hortatu cognatorum, qui verebantur scilicet, *ne a publicatis iampridem Helmstadii in Pontificios a Calixto scriptis fulmen aliquod una Overbequium afflaret*: ita enim scribitur in Vita *G. Calixti*. In Foederato Belgio, aut Amsterodamensi urbe quo tempore sedem fixerit, ignoro. Id invenio, iam anno 1624. atque antea, ut videtur, frequentes inter eum, & *Bartholdum Nibusium* litteras commeasse, quarum argumentum erat theologicum, de capitibus inter Romano-Catholicos, & Reformatos controversis: cum *Nibusius*, olim in Academia Helmstadiensi, munificentia *Overbequii*, sublevatus, (Vid. *Geo. Calixt Digress de Arte nova pag.* 131.) postea vero ad Romanensium ecclesiam transgressus, & Coloniae degens, nihil non tentaret, quo veterem patronum ad Lutheranorum haeresin (ut vocabat) eiurandam pelliceret. Huic deinde *Overbequius* alium opposuit disputatorem, nempe *Casparum Barlaeum*, inter quem & *Niusium* ipsa per haud longum tempus religiosa ducebatur serra, epistolis aliquot, inter *Praestantium Virorum Eccles. & Theologicas* illas occurrentibus, *a pag* 702. *ad* 717 [*edit in fol.*] Anno 1627. *Calixtus* ei librum suum dedicavit *de immortalitate animae & resurrectione carnis*, adpellans nostrum [quemadmodum & saepius] *studiorum pietatis & sapientiae cultorem & patronum eximium; qui toto pectore in eam curam incumberet, & opum, quarum dispensationem Deus ipsi credidit, haud parum impenderet &c.* Consolatus deinde eum de obitu fratris *Petri Overbequii*, cui magnificae ibidem laudes adseribuntur, *pietatis in Deum*; *caritatis in proximum*, *zeli religionis*, *studii iustitiae*, *benignitatis erga pauperes &c* iniecta ultimum mentione alterius fratris *Iusti Overbequii*, adhuc superstitis. Memini praeterea in historia vitae *Christoph. Schraderi* Prof. Helmpstad legisse, ipsum in iuventute per integros novem annos subsidia vitae & studiorum ab *Overbequio* accepisse; qui & hoc multis aliis cum in Germania tum in Belgio praestiterit, *Barlaeus*, nuper laudatus, quanti eum fecerit, videri potest non solum ex Poematib eius [*Heroicor lib III. pag.* 424. *& Elegiar. lib. II. p.* 85] sed & epistolis [*pag* 198. *epist* 63. & alibi] Ex quibus haud possum praeterire, quod ad studium geniumque viri amplius cognoscendum facit, ac in eiusdem Barlaei epistola ad Episcopium *pag.* 275. legitur [nec non in *Praestantium Viror.* illis *p.* 738. (*Est hic vir quidam egregius Matthias Overbequius, quem Croesus aliquis aut Attalus heredem scripserit oportet; apud hunc hebdomadalibus disputationibus Bellarminum & Gretserum membratim imo articulatim resecamus. Ego orthodoxorum partes, alius quidam artium magister acutus satis disputator, Catholicos vulgo sic dictos defendit.* Fato functum esse subspicor anno 1648. aut circiter; inductus ad hoc credendum ex Catalogo librorum eius, qui anno 1649. d. 31 Martii in publica auctione Lugd. Batav. venum fuerunt expositi. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXXVIII.

sum, non spero tibi ingratas fore hasce meas literas, quibus & observantiam atque amorem erga te meum indicare, & simul commendare tibi volui honestissimum hunc adolescentem Gregorium Masium Crempensem, veterem disciplinae meae alumnum. Is quidem ea est doctrina & virtute praeditus, ut ipse sibi facile doctorum hominum favorem conciliare possit: sed tamen cum permagni sua interesse arbitraretur, si nostra commendatione sibi via ad notitiam tuam muniretur, morem adolescenti gerendum putavi. Quare te rogo, ut Masium hunc in eorum numero recipias, quos tua benevolentia dignos esse statuis; ipse vicissim operam dabit sedulo, ne in pertusum dolium congessisse videris beneficia quae in ipsum es collaturus. Vale, Vir Cl. Dabam Lubecae X. Aug. A. MDCXXVIII.

DCXXXVI.

CORNELIVS VAN DER MYLIVS IO. MEVRSIO S.

Monsieur, je suis marri d'avoir appris par la vostre du XVI. d'Aoust passé, a moy delivrée le XXV. de Sept. dernier, que les miennes du XVI. de May avec les poemes du S. Barlaeus n'estoyent alors parvenus jusques a vous. J'en ay fait parler au S. Secretaire Gunther, qui m'avoit fait la courtoisie d'en prendre le soin pour l'addresse, à fin d'en estre esclairei, mais il esperoit, que depuis le pacquet vous seroit encores donné. ce que j'attends d'ouir avec vos premieres. J'ay bien addressé les vostres à l'Ill. Sig. Molin, duquel j'ay eu des lettres, desquelles trouverez cy joint un extraict & une Satyre, qu'il vous mande avec req. qu'avec occasion luy fasiez le plaisir de luy en mander librement, et sincerement vostre jugement; chose qu'il a desiré & obtenu d'aucunes de nos amis a Leiden Vous aurez sceu la riche prise qu'ont fait les navires de ceux de la compagnie des Indes Occidentales montant à un million et six cents mille florins de ceste monnoye. Comme aussi que cinquante cavaliers del garnison de Grave avec 50. musquettantes ont batu deux compagnies des ennemis, qui conduisoyent le bagage du Prince de Modene de Bruxelles, vers Cologne, ayant tout pris, le tout estant estimé a 150. mille escus. L'armée navale d'Angleterre soubs la conduite du Milord est arrivée environ de la Rochelle du succes. Le Duc de Buckingham a esté enseveli a Londres au soir avec deux cents flambeaux. Felton, qui l'avoit tué n'estoit encores executé par les denuiers advis. A Lyon on traite ceux de la Religion assez mal, et ici les Theologins n'y leur auditeurs, pour la plus grande part, ne s'entre aiment pas encores, c'est ce que j'ay pour le present, concluant avec les recommandations ord.res & demeurant tousjours vostre plus affectionné amy pour vous servir. De la Haye ce XIV. d'Octobre MDCXXVIII.

DCXXXVII.

IDEM EIDEM.

Le lettere vostre de' XVII. Agosto passato cortesemente inviatemi dal gentilissimo Sig. Cornelio Vander Mylle mi sono riuscite di consolatione tanto maggiore, quanto più grand'era la gelosia, in che io vivevo di vostra buona salute, e del vostro buon stato in tanta lunghezza di tempo, e che niuna novella di voi m'era capitata, e una così travegliosa sovversione di cose, quant' è quella che in coteili paesi e stati è occorsa. Ringrazio Dio Monsig. che li mali effetti di così gran borasca non siano pervenuti nel luogo dove vi ritrovate, e ben umilmente lo prego di tenerli anco all'avvenire lontani, anzi di risospingersi sopra la parte di dove essi vengono, e che causa tanta turbatione nella Cristianità tutta. Mi duole sopra modo ch'un gran fagetto di stampe molto curiose ch'havevo raccolto, e inviatovi per la via d'Amsterdam non vi sia capitato, come manco diverse mie lettere indrizzatevi per quella di Hamburgo pur con altre virtuose citarelle che vi sarebbono certamente riuscite di gusto. Qualche cosa pur ho mandata al Sig. Vander Mylle, che spero nel' haverà fatta tenere, e all'avvenire mi valerò della benignità di quell' humanissimo Cavaliere per farvi partecipe d'alcune delle cose nostre litterarie. Monsig. Balthassar Bonifacio si ritrova in stato assai debole e diffettoso di salute. Piaccia a Dio di rendergliela compita, perchè veramente alla singolar virtù ch'è in lui, accompagna una essemplare bontà. Gli farò capitare le vostre salutationi, mentre io vi prego Monsig. il colmo d'ogni vero bene. Di Venetia li XIX. Ottob. MDCXXVIII.

DCXXXVIII.

SIXTVS AMAMA IO. MEVRSIO S.

Cl. & Celeberrime Vir,

Iampridem rogatus sum ab eo, qui has literas tuae Exc. repraesentat, ut se tuae Excellent. commendarem. Pruriebant mihi digiti, & iam saepius adripui calamum. Sed verecundia praepotuit. Quis enim ego sum, qui tuae Exc. aures inficeta mea scriptione radere praesumerem? Sed interim urfit is, quem dixi. Filius est non indecoris Patriae, aut degeneris Daniae incolae, Ioannis Canuti, postquam Bremae fundamenta melioris literaturae iacuit, in nostrum Athenaeum concessit, in quo Latinis, Graecis, & Ebraeis Musis non indiligenter litavit. Vixit in meo contubernio duos annos, & ultra. Vixit inculpate & honeste. Quod si omnes, qui studiis consecrati sunt, ad eumdem modum vitam suam componerent, aequabilius & constantius se res nostrae tam in Politia, quam Ecclesia haberent. Si qua in re honestos eius conatus iuvare poterit T. E non conferet beneficium in ingratum indignumve.

ve.

Ann. Chr. MDCXXVIII. ve. Ego quoque vicissim, si qui T. E. συστατικαῖς ornati ad nos venerint, re ipsa ostendam, quanti T. E. commendationem aestimem. Vale eximium Daniae decus, & diurne bono Reip. literariae & Regiae Academiae. V. Nov. MDCXXVIII. Franckerae Frisiorum.

DCXXXIX.

CASP. ERAS. BROCHMANDVS IO. MEVRSIO S.

Ann. Chr. MDCXXIX. Libros rerum Danicarum, quos Illustris Regiae Mai. Cancellario commisisti legendos, mea opera tibi remitti voluit. Immane quantum placeat & concinnior dictio, & compendio descripta Historia Danica. Subveretur tamen Illustris ipsius Magnificentia, ne Sveci alicubi paulo mordaciore dictionis sale perfricentur. Quaedam etiam pressius adlata, fusius diducta cuperet. Quae tamen omnia tuae prudentiae aestimanda relinquit. Vale, Vir Cl. & bono Reip. Literariae diurna. Hafn. IV. Ian. MDCXXIX.

DCXXXX.

CASPAR BARTHOLINVS IO. MEVRSIO S.

Quoties, Cl. Vir, mentem mihi tangit tui memoria, tangit autem saepius, toties conversationem candidi pectoris tui desidero, quam aliquoties expertus sum longe iucundissimam. Tanto autem magis nunc doleo, quod eatenus privari illa debeam, quatenus hospitio, ut soleo, te meo excipere hoc anno non possim, ob exulum amicorum quorumdam meorum bona nuper ad me missa, angulis aedium omnibus occupatis. Ea quamprimum amici & cognati a me repetierint, certiorem te faciam, ut pristina tua conversatione frui mihi liceat: interim tibi tuisque etiam in alio, quod electurus es, diversorio, inservire paratissimo. Animum etenim tibi studiose gratificandi atque inserviendi minime mihi deesse, re atque opere porro magis, quam verbo ostendam. Vale, & uxorem atque prolem utramque a me, meaque, meisque saluta. Dabam Hafniae MDCXXIX. III. Febr.

DCXLI.

CHRISTIANVS THOMAEVS IO. MEVRSIO S.

Commendari tibi, Vir humaniss. a me petiit mihi multis nominibus carus *Hannibal Sehsted* (a); quod feci perlubens, non tantum quia te plurimi facio, sed etiam, quia ipsi optime cupio. Si quid petere a te licet, quod hactenus fieri non contigit, rogo, monstrare in iuvene velis, quantum a tali praeceptore liberalis spei discipulus discere possit, & quantum apud te amici commendatio valeat. Non spero me ita victurum ingratum, quin testandi aliquando mihi nascatur occasio, quanti tale beneficium aestimem, nec mihi alia lege carus in posterum Sehstedius erit, nisi pro lege consilia tua habuerit, & quantum tua opera & consilio profecerit, tantum in tuo aere se esse grata & tenaci memoria profiteatur. Vale cum uxore & familia. Academiam ornare, meque amare perge. Hafnia V. Febr. MDCXXIX.

(a) Hic ille est, de quo peculiarem articulum inseruit P. *Bayle* in Lexic. Hist. Crit. (Tom. 3. inter *Schillerum* & *Schillingium*) vocans eum *Schestedt*: vid. etiam Dictionar. *Morerii*. Erat autem *Hannibal Sehstedius* ipse propinquitate coniunctus D. *Christiano Thomaeo*. GRAMMIVS.

DCXLII.

LAMPERTVS ALARDVS IO. MEVRSIO S. P.

Postquam literae ad Mag. D. Praesidem vestrum dandae essent, Vir Excellentiss. Amice Colendiss. has ad te adiungere libuit, non solum, ut stricturas favoris & amoris tui hac ratione resuscitem, verum etiam ut Graeciam meam, seu Lexicon novum tuo iudicio sistam, quidque de labore hoc statuas, explorem. Misi illam ad D. Cluverum adfinem meum, a quo porro ad te perventuram existimavi. Tantillum ergo otii aliis sublimibus laboribus subfurare, quod evolvendo huic foetui impendas. Tuo arbitratu stabit, cadet. Quod si aequo oculo & testimonio illum beaveris, gratum erit; sin minus gratum, nihilominus, quod a tam forti manu deiiciatur. Nam ut in bello, non gloriosum solum fortiter pugnasse, sed fortuna ita volente, etiam a sublimi & excellenti manu deici: pari ratione fortunam huius mei laboris habebo. Valerius meus iam Lipsiae sub praelo sudat, qui, ut spero, brevi prodibit, futurus ad salivam tuam & omnium praestantium Criticorum. Tempestas bellica in causa fuit, quo minus citius eum absolverim. Harpocrationem resumsi cum cura, quae propediem sequetur, si Deus vitam & tranquilliorem vitae conditionem indulserit: te qua Magn. Praesidem Soranum prolixius solicitavi. Quaeso, iuva hoc desiderium, & cum D. Cluvero hoc milita bellum in meae spem gratiae. Promotio est ad opimum pastoratum (si tempora meliora fiant) de quo D. Cluverus uberiora. De Libanio, quod decreveris, significabis. Valerius meus a tua Excell. exornari cupit carmine praeliminari, quod ego serio & peto & flagito. Fecit Cl. Heinsius & Lindenbrogius, uterque in his literis ad miraculum conspicuus. Tuum si accedat, absolutam Flaccus habebit hanc trigam Charitum. Vale, & quidquid ad me destinaveris, D. Cluveri literis adiunge. Dabam praepropere Crempis VI. Cal. Martii, quo aureus pacis nuncius Lubeca nos exhilaravit, anno quo . . . . Aureae Iohova Donet Munera pacis universis.

DCXLIII.

Ann. Chr. MDCXXIX.

DCXLIII.

GERARD. VOSSIVS IO. MEVRSIO.

QVamquam nihil magnopere haberem, quod in praesens ipse scribere, aut tu scire etiam cuperes, tamen bonam occasionem non putavi negligendam; ac vel saltem hoc testandum, vivere nos ac valere per benigni Dei gratiam; ac de vobis eadem item sperare. De Republica huius regni, nihil habeo; nisi quod legati utriusque partis sedulo de pace agant, quam speramus brevi nos, volente Deo, habituros: siquidem conditiones, quas initio iniquissimas adversarii proponebant, cum viderent plane a nostris magno animo recusari, miserunt; aliasque magis gratas, obtulerunt. Videbimus quid bonus Deus, quem quotidie praecamur, & in quo fiduciam nostram collocamus, nobis mox sit concessurus. De studiis meis istud habe, ut me videas, etiamsi a Typographo destitutum, non ignaviae tamen ideo mancipatum desedisse. Paratos itaque habeo, *Historiae Danicae libros III.* quorum prior res Christiani I. alter Ioannis, eius filii; tertius vero, Nepotis Christiani II. comprehendit. Est & Solon, sive de eius vita legibusque liber singularis. *Denarius Pythagoricus*; sive de numerorum usque ad Denarium, qualitate ac nominibus ex Pythagorae Doctrina, Liber singularis. Gorgiae Leontini Antisthenis & Alcidamantis Orationes, quae supersunt; & de eorum Vita, atque scriptis, liber singularis. *Regnum Atticum*, sive de rebus Atticae libri tres, ac seorsim Theseus, sive de eius Vita, ac rebus gestis, liber singularis. Et nunc *Bibliothecam Graecam*, tanto tempore intermissam; Opus sane operosum arduumque, serio urgeo. Habes mea; nunc tu tua mihi redde; tum de statu Academiae, publicoque item patriae, cui, quamquam minus bene de me meritae, tamen fausta omnia precor. Vale, & salve ex animo, a me meaque, cum tua, omnibusque tuis. Guilielmus Noomsius tuus, quid agit, & ubi agit? Amo certe illum iuvenem ad virtutem ac doctrinam, vera via magno impetu contendentem, quum Lugduni vestrae agerem. An non etiam perseverat? Spero, & opto. Si etiamnum in tuis aedibus commoratur, salutem, quaeso, meis verbis plurimam dicito. Ad D. Heinsium scripsi ante paucos menses; quaere, sodes an acceperit: ac salutem item dicito. Iterum vale. Raptim. Sorae ad diem XII. Aprilis CIƆIƆCXXIX.

Tuus

IO. MEVRSIVS.

(a) Erat is *Ioannes Georgii f. Mulenius*, qui iuvenis in familia Rosenkrantziana vixit, eiusque filio *Erico* a studiis fuit, eiusdem quoque in peregrinatione comes. Idem *Mulenius* postea Communitatis Regiae in Academia Hafniensi oeconomiae praefectus fuit, atque ut erat insigniter eruditus, Bibliothecam selectissimorum librorum instruxit, quam moriens Academiae legavit Catalogus etiam Bibliothecae publicis typis impressus, fidem facit, quanta fuerit in his mercibus colligendis peritia. Exstat editus eius de *Numismatibus Danorum* liber, adiungi solitus Orationi parentali, quam *Thomas Bartholinus* anno 1669. honori & memoriae eius dedicavit. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXXIX.

DCXLIV.

OLIGERVS ROSENCRANTZIVS IO. MEVRSIO S. In Iesu Christo vere vivere.

BInas semestri proximo ad te dedi literas, utrasque satis infeliciter. Prioribus te preveni, posterioribus provocanti tibi respondi; perierunt plane istae; has reddidit post mensem integ um, nescio quae cuiusdam importunitas dicam, an impudentia? Praesentium argumentum coram referre animus mihi erat; sed incidunt inopinato ante biduum nonnulla, quae me ad vos iturientem impediverunt. Siquidem vero intra pauculos tamen dies, me vobis adfuturum cum Deo propitio mihi pollicear, & Mulenium (a) meum interea in Angliam post octiduum geminatum ablegandum, Parentes salutatum modo ad aliquot dies a me dimiserim, qui tibi etiam in via valedicere atque servitia sua deferre constituit, nolui committere, ut absque meis te conveniret. Ingenti autem tui conveniendi desiderio iam per menses bene multos teneri me, id unum est, quod inprimis tertiis hisce meis te praecipere velim, priusquam me exceperis. Praeterquam etenim, quod ἀπροσηγορίας violentioris culpam, quaecumque mihi adtribui possit, coram partim excusare, partim deprecari, atque praesentia mea ipse praestare, quod aliorum negligentia commissum est, summa animi contentione desiderarim. Insuper etiam, quando filium Ottonem, Academiae vestrae committere iamdiu cogito, incidunt omnino interea, quae non nisi tuo consilio definire, consultum fore arbitratus sum. Alia, quae sunt, praesens salutatio mox subpeditabit: Interea vale, mi Meursi, cum uxore lectissima ac liberis desideratissimis, supercoelestis nostri βιοσόου omni benedictioni commendatissimus: quam salutem uxor cum genero & filia mea, pari adfectu etiam suo nomine denunciari volunt. Helsinburgi arce XIX. Iunii MDCXXIX.

DCXLV.

IOANNES KIRCHMANNVS IO. MEVRSIO S. D.

LItteras tuas, Vir Cl., recte mihi Masius tradidit, quem in istis commendabas. Volui saepe respondere, sed mittendi certa occasio minime erat: nunc quum iter ad vos caperet Simon Pauli, eius operam nullo modo negligendam existimavi: Quin acceptae mihi literae tuae fuerint, non est tibi dubitandum; quippe cuius nomen dudum uti novi, sic amavi, tam praeclarae eruditionis ergo. Et qui possem non amare hominem tam mei amantem, & amorem in me suum in scriptis hactenus publicatis

catis satis clare ostendentem? Perge, quaeso; & adfectum istum serva, paria in te facturo. Quid prae manibus nunc habeas, scire aveo: mihi quaedam elucubrata, dum hic ago, praeter ista, quae in Batavis Athenis memoravi; verum, quia necdum nobis de Typographo est prospectum, premere cogor. Et nidiculum si cupis, ecce tibi. *Gorgiae Leontini; Alcidamantis, & Antisthenis, quae supersunt, Orationes: cum Diatriba de eorum vita, legibusque, liber singularis; Denarius Pythagoricus; sive de numerorum, usque ad denarium, qualitate, ac nominibus secundum Pythagoricos. Regnum Atticum; sive de Regibus Atheniensium, libri III. Theseus; sive de eius vita, rebusque gestis, liber singularis; Historiae Danicae libri III.* in quibus res gestae Christiani I. eius filii, Ioannis; ac nepotis, Christiani II. Indicavi tibi mea, ut vicissim tua elicerem. Quod si possum, gratum erit. Vale, Vir Cl.; meque, tui amantissimum, porro ama. Sorae Danorum, Kal. Iuliis CIↃIↃCXXIX.

DCXLVI.

NICOLAVS VISMARVS IO. MEVRSIO S.

Vir Clarissime.

FOemina abs te mihi commendata, ut fuerit subscepta, ut habita, ut Serenissimae demum Reginae nostrae recommendata, ipsamet dubio omni procul aut viva voce, aut calamo saltem literisve suis significabit. Impetravit utique non omnino nihil, obtentis ad Comitem Nassaviensem literis, quibus in memoriam ipse revocat Serenissima, hereditatem Brunsvicensem, ea pridem fini Hamburgo in Hollandiam invectam, ut Illustrissimi Ducis Christiani creditoribus inde satisfieret. Quae de pestis contagio refers, non sine gravi dolore lego, calidis devoti animi votis serio exoptans, Deus illud benigne mitiget, teque ac tuos ab eadem tueatur, quo non frustra dictum esse experiamini: *Non accedet ad te malum, nec adpropinquabit tabernaculo tuo: in tribulatione tecum sum, ut eripiam te: longitudine dierum replebo te, & ostendam tibi salutem meam.* Ψ. 91. Enimvero meae infortunium domunculae nolim te lateat. V. namque Non. Quintil. h. e. postrid. Visitat. Mariae, Maria coniux unice mihi cara, ex febri, quam vocant hecticam, plurium symptomatum, maxime vero solutae plus aequo alvi, malo adaucta, ut praematura, sic inopinata morte obiit, hincque discessit. Nec addo verbulum; nisi quod te quum tuis salvere ac valere iterum iubeam, cum me salvum & sanum esse fati inclementia haud sinat. Nycopia prid. Bartholomaei MDCXXIX.

DCXLVII.

LAMPERTVS ALARDVS IO. MEVRSIO S. P.

OFficium, quod Excell. tua, Vir Cl., per Masium in meae spem gratiae praestare voluit, pro beneficio habeo, paria gratissima reciprocatione facturus, ubi occasio iusserit. Successum ex labore harum adgnoscet, qui & ipse, ut spero, Masius vester est futurus iam Pastor designatus Ecclesiae Suderovianae. Fortuna harum rerum & res publica apud nos mire adhuc currit, tranquilliorem statum nobis datura, ubi supremum Numen clementer adspiraverit. Comitia provincialia nuper Itzehoae celebrata sunt, Serenifs. Rege interim Crempis commorante, ad quem multi opinione nostra citius confluxerunt praedicantes, habita sua coram Rege concione promoti. Serenifs. enim Regi δωροφαγίαν & Simoniam hac ratione restinguere propositum. Confluunt etiam, quod mihi in hoc negotio mirum plures ex tractu Bremensi suas parochias deserentes, & alias apud nos prensantes felici successu; hac sola ratione, quod lupum videant venientem. Deus nobis omnibus veram largiatur poenitentiam, quam eiusmodi *Currentes* nondum praeseferunt. Morbi alias grassantur Epidemici, febres pestilentiales, quibus ante biduum sublatus Cancellarius Levinus Mareschallus, item Commissarius a Buchwald. Ecquid nobis eiusmodi mutatio officiorum & officiariorum inposterum portentura sit, illud veterum formula θεῶν ἐν γούνασι κεῖται. Certum enim est, quando Deus eiusmodi columina & Reip. fulcimina e conspectu nostro rapit, nimbum adhuc nobis imminere. Sed haec publica sunt. Ad mea ut veniam, tranquilla ea sunt, nisi quod perpetua mitioris fortunae spe adhuc aestuo, qua misere iam fere per quadriennium agitor, tandem me ultimis fatis compositura. Deus ter Opt. Max. nolit imputare illis, qui me Lipsia e medio studiorum cursu revocatum, in has angustias praecipitarunt. In studiis, a quibus mihi unica curarum remissio solet esse, pene reus fio, in aequali praemiorum distributione adtonitus, & tantum non stupefactus. Valerius meus Lipsiae sub praelo sudat, post bimestre tempus proditurus, qui non potuit, quin tuae Excell. gratulatione & D. Cluveri Carmine exornaretur. Addunt enim talia, ut scis, obsecro homini nonnihil luminis. In Theologicis hodie maxima mea cura, ut quae a me tempore belli habitae homiliae admonitoriae & consolatoriae ad populum luci sistantur. De Libanio accipio conditionem, quem mihi reservari pro significato praetio velim. Quia tamen in numeroto statim non est ea vis pecuniae, obfero tuae Eccell. Historias Nordalbingicas MSS. quas si suis studiis Historiarum aliquid conducere arbitrabitur, in partem aliquam solutionis recipiet, quantique velit, significabit. Reliquum pecuniae Masius vel D. Cluverus (queis tamen clam haec

Ann. Chr. MDCXXIX

haec res habenda esset) meo nomine exponet. Numerabunt autem XXX. Imperiales. Libellus si tuae Excell. non placet, sisto ei Harpocrationem eiusdem pretii, quo accepi, si mutare substinebit. Sed haec omnia tuae Excell. relinquo arbitrio, & quod impudens forsan expostulo, deprecor. Quodcumque in hac re tua Excell. decreverit, mihi gratum erit: quam ego cum tota familia protectioni Divinae commendo, meque ut amare pergat, serio precor. Vale Dab. Crempis Non. Sept. A. MDCXXIX.

Historiae Nordalbingicae continent Historias in Holsatia gestas, a Caroli Magni usque nostra haec tempora, nemini adhuc visas.

DCXLVIII.

CORNELIUS VAN DER MYLE IO. MEURSIO S.

Monsieur, je suis tres aise d' apprendre par les vostres du 22. de Septembre, que mes precedentes avec tout ce qui j' y avoys adjoint, vous soit a la fin bien delivré. J' ay en suite de ce que desiriez fait parler a Elzevir, lequel a respondu ce que les lettres adjointes du S. Barlaeus vous apporteront. Neantmois quand quelque temps sera escoulé et que ce pretexte cessera, je lui en feray faire une nouvelle et serieuse instance, et luy faisant comprendre le tort, qu' il a en negligeant une chose tant utile au publici, et à son particulier. Ie suis marry que la maladie vous a fait desloger, esperant, que Dieu vous preservira gracieusement de tout mal, avec les vostres, ainsi que je l' en prie de tout mon coeur. Vos lettres à l Ill. S. Molin et S. Robertin ont esté incontinent recommandées aux respectives depêches des Sieurs Amb. de Venise et de Suede, le dernier estant le S. Camerarius, qui escrit souvent vers Paris à Monf. Zobel (a) *depuis les victoires, qu' il a pleu à Dieu de donner à cest Estat, et à Monseigneur le Prince, les Espagnols ont fait offre à Mon. les Estats d' une tresue sur les vieilles conditions, sur quoy il y a divers sentimens dedans les Provinces. Dieu veuille le tout faire reussir à sa gloire, et bien de nostre patrie. Mon. les Estats d' Hollande s' assembleront de ceste semaine sur ce point, les Deputez des autres provinces sont desja ici, exceptés ceux de Zelande, qui doivent arriver demain, ou apres demain; on verra bientost, vers ou on inclinera. Plusieurs ministres en Zelande et Frise invectivent contre tout ce la, et ici le S. Rosens a fait de mesme, de quoy la Cour d' Hollande la admonesté et censure. Le S. Barlaeus vous envoye ce qu' il a composé sur la prise de Bois le Duc, et je feray fort aise, quand je sçauroy, qu' aurez le tout bien receu, & que vous portiez bien avec tous les vostres. Les miens, graces a Dieu, se portent bien, et vous saluent affectionnement avec Mad. vostre Compagne. Mon fils aisnè ayant suivi son Ex. et s' estant entierement dedie aux armes, et en estant este aux functions tout l' este passee a este honore de sa dite Ex. d' une Compagnie d' Infanterie le plus jeune est a Leyden avec le Barlaeus. Ie me recommande à vos bonnes graces, et celles, de vostre dite compagne, et attendray avec vostre commoditè de vos nouvelles, demeurant à jamais vostre plus affectionne à vous servir. De la Haye, ce XXVII. de Novembre MDCXXIX.*

(a) Envoyé du Roy de Danemarc en France, autresfois où Syndic ou Bourgemaitre de la ville de Bremen. GRAMMIUS.

DCIL.

GERHARDUS VOSSIUS IO. MEURSIO S.

Ob diuturnum adeo silentium difficilis mihi causae dictio apud eos foret, qui me naevo potius aliquo norint, quam integrum, uti tu facis, Vir Cl. Cui, ut puto, facile persuadebo, tamdiu me nihil scripsisse, non quia minus amem te absentem, quam soleo praesentem: sed partim ob occupationes ἐγκυκλίους, & invaletudinem meorum, ex quibus maximus natu filius, Collegii Iesu socius apud Cantabrigienses plus minus mense oculis captus fuit, partim etiam quia te ipsum exspectaremus, ut spem tui feceras nobis ante sesquiannum vel praeterpropter. Primis quidem mensibus, ex quo eas literas acceperam, irritum fore hoc promissum facile providebam. Sed foedere inito inter Caesarem & Serenifs. Regem vestrum, omnia visa liquidiora. Itaque proximo quidem autumno avide te exspectavi. Nunc nihil sperare ausim ante ver medium, vel etiam adultum. O beatum illum diem, quo te amplectar! Quam de multis tum loqui licebit στόμα πρὸς στόμα, quae non tuto satis literis committantur. Sed dum te caremus, nefas sit non adripere occasionem scribendi bellam, eunte ad vos optimo, doctissimo, amicissimo Stephano Stephanio. Iucundum quidem mihi semper est te salutare; sed multo iucundius erit id agere per amicum hoc caput, ex quo ea etiam cognosces, quae non scribo. Iam mensis est, ex quo me Lugdunum iterum habet. Bimestre impensum itineri Britannico. Sane non facile dixerim, quantum mihi honoris habitum sit a viris genere, dignitate, doctrina illustribus: ipso etiam Serenifs. Rege, nulli nostri temporis Regum secundo: cui coram gratias egi pro collata mihi dignitate Canonicatus Cantuariensis, & ita collata, ut frui eius emolumentis etiam in transmarinis partibus possim. Equidem nescio, nec valde scire laboro, utrum oculi propterea doleant amicorum meorum fucatissimo, de cuius fucosissima amicitia scio etiam te non semel apud me graviter conquestum (b). Nempe tales sic omnia componunt, quasi sibi non esset bene, nisi aliis sit male, praesertim illis, qui studia tractant non

(b) *Daniel Heinsius* hic indicatur. Et consentit huic iudicio noster *Colomesius*, ad oram Epistolae Meursianae, P. II. pag. 70. b. Confer & *Vossii* Epist. ad *Grotium*, Postrid. Non. April. 1630. num. CV. GRAMMIUS.

Ann. Chr. MDCXXX.

non adeo diversa, ut facile comprobent illud vetus, quo solent ὁμοτέχνους ἀντιτέχνους vocitare. Sed meliora tamen de illis speremus, ne videamur amorem omnem exuisse, quum aliud sane ob egregias quasdam virtutes mereantur. Praesertim quum tales saepe cum obesse volunt, magis prosint. Vt non de nihilo dixerit Gregorius Theologus multa esse, in quibus καὶ ἀδικεῖσθαι δοκοῦντες εὖ πάσχουσι, καὶ καλῶς πάσχοντες, ἀδικοῦνται. Curator Academiae Arsenius, Somelsdicensis Dominus in eo strenue adlaborat, ut in Academia hac Clariss. Salmasius eo esse loco possit, quo Scaliger olim fuit. Est qui manibus pedibusque obnixe agat omnia, ut huic proposito incommodet. Parum id fore ex honore suo arbitratur. De quo ego non disputo; qui multum honoris huic viro ex viri eius praesentia Academiae nostrae accedere posse existimo. Vtinam tantum etiam Amplissimus Grotius, tuque, Cl. Meursi, eodem, vel non dissimili apud nos loco essetis. Sane ubicumque nunc vel Cimmeriae esse tenebrae videntur, vobis lucentibus, facile hae pellerentur, nec praeter vestri ingenii ac doctrinae facem nocturna illa lumina quaereremus; imo Titania vestri lampade alius in hoc, alius alio in studii genere diem ipsum reduceretis. Sed multum metuo, ne unquam vobis tam beatis esse liceat. Interea pro te mihi erunt scripta tua, quae omnes amant praeter ὀφθαλμοὺς πονηροὺς animique livore tinctos. Sane apud Britannos, qui quidem Graecarum Antiquitatum studio tenentur, tuos labores mire praedicant. Inter eos doctissimus Crito, Graecae linguae apud Cantabrigienses Professor: ex cuius ore lubentissime audivi, quae & illo & te digna erant, ac eo solum nomine a me reticentur, quia moris mihi magis est, ista apud alios, etiam in aemulorum praesentia referre, quam quempiam in os laudare. Vt videas, quantopere scripta tua peregrinentur, superioribus annis etiam Athenae tuae Athenis ipsis fuerunt. Eo secum illas detulerat Pittaeus, Anglus longe doctissimus, quem Illustriss. Arundeliae Comes, Vir natus iuvandis literis, in Orientem miserat, ut inde antiquos lapides, aliaque monumenta in Britanniam referret. Vix dici possit, quam multa praeclara inde reportarit. Quae paulatim iuris faciet publici. Atque idem inter alia etiam Athenas, ubi diutissime vixit, describere parat: credo ad formam eam, qua Byzantium Gillius descripsit. Vir est, ut humanissimus, ita mihi amicissimus, ac tuo etiam dignissimus amore. Nam quod dicebam antea, ὁμοτέχνους ἀντιτέχνους esse solere, id in neutro nostri locum habere debet: qui cum studiis semper coniunximus animi candorem. Puto fore, ut propediem hic edantur literae Casauboni ad Scaligerum, Heinsium, Rutgersium, alios. In iis non tam multa, quam vellem, sed nec rara tamen fit mentio tui. Αὐτόγραφα enim vidi; nec dubito, quin futurum sit, ut omnia fide bona edantur; quippe praeerit editioni doctissimus ac tui etiam amantissimus Rivetus. Itaque non displiceat, si eas huc mittas, quas magnus ille Vir ad te olim scripsit. Fuerit id puto, ex honore tuo, cui impense faveo. Quod si quid in iis sit, quod divulgari non debeat, poterit a te deleri. In Scaligeri epistolis, quae, ut scis ante triennium hic excusae, quaedam relicta sunt, quae resecari longe satius fuisset. In iis quiddam etiam est acerbe ac nequiter de te dictum, sed pro nomine tuo asteriscus positus, ut te signari pauci intelligant, praeter eos, qui Scaligero fuere familiares. Socerum quoque meum non uno loco sugillat: eaque res mihi praefationem magna ex parte expressit, quam historiae meae de Historicis Latinis praemisi. Seldeni opus de Diis Syris hac aestate, vel paulo ante, longe auctius hic recusum, & Heinsio nostro dicatum est. Auctor ipse, quum esset inter patronos Minoris domus Britannicae atque se vehementius gereret adversus Regem Serenits. (seditiose multa loquutus dicitur, de quo ego iudicium ferre non possim, quia & patronos suos habet) in turri custodiae traditus est. De vita tamen periclitari negant illi, qui norunt clementiam Regis, atque amorem erga literas & literatos. Imo iam dies sunt pauci, ex quo aliquis mihi significavit, cunctos, qui se Regi tantopere obposuissent, ab Rege esse e custodia libere dimissos. Sed de isto certiora propediem intelligam. Si vera narrarint, quamprimum Seldeno literis meis gratulabor. Nam inter nos non ita magnum, culpa mea, sed aliquod tamen commercium est literarum. In Alardo, quem mihi penultimis literis commendaras, feci, quod potui; nec inutilis illi fuit opera haec mea. Quidquid feci, feci adolescentis causa, feci & tua: feci etiam ob parentem eius, qui & mihi per literas gratias egit. Video Virum esse bene eruditum. Si quid in eo amplius possim, vel quocumque alio, faciam id lubentissimo animo, uti amicitiam nostram decet. Sum quidem satis negligens in scribendo, praesertim ubi nihil est, quod urgeat. Sed numquam patior operam meam desiderari iis in rebus, unde boni aliquid ad alterum redundet. Bertium ante tres menses abiisse, iam, ut puto, intellexeris. Golius ante quatuor menses rediit e Syria, Vir sane ut doctissimus, ita longe optimus, & candidissimus, ut verum Batavum decet. Geminam obit professionem, inque Mathesi Snellianas, in Arabicis Erpenianas partes sustinet [a], non sine gloria. Grotius Grollae obsidionem descripsit, quae iam excusa. Heinsius Ordinum est Historiographus. Hoc nomine ei tributum stipendium annuum flor. DCC. Occupatur in scribendis iis, quae hoc anno feliciter Batavis successere: imo putat intra mensem unum alterum se historiam hanc praelo subiicere posse. Non abhor-

(a) *Recte: nam male edita*, subscipit. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXXX

abhorrebat ab iis pangendis Grotius: sed videtur eum subflaminasse, quod duo vel tres hanc sibi provinciam elegissent, qui certius omnia nosse possent, ut qui obsidioni Sylvae ducensi interfuerant. Ex his esse creditur Huygenius, Principi nostro a secretis. Barlaeus victoriam hanc carmine victuro celebravit. Etiam nomine Illustrissimae Ameliae ingeniosam & elegantem elegiam fecit ad maritum suum, Principem nostrum, ad modum earum, quas sub Heroidum nominibus Ovidius ac Sabinus condiderunt. Eam epistolam non ineleganter Belgicis versibus in gratiam Dominae Principis Scriverius expressit. Institutiones meae Oratoriae intra bimestre erunt recusae, multo limatiores, & altera parte auctiores illis, quae secundo prodiere anno MDCIX. Vale, Vir maxime, & amicissime, & plurimum meo nomine saluta optimam uxorem, Cl. Laurenbergium, & Collegas item alios. Uxor etiam plurimam tibi atque uxori salutem adscribi iussit; etiam filiae filia. Nempe aequum est etiam liberos paternae esse amicitiae participes ac heredes. Lugd. Bat. MDCXXX. Idib. Ianuarii. [a]

Tuus totus

GER. IO. VOSSIUS.

DCL.

CL. VIRO IO. MEURSIO S. D. D. FRANCISCUS MARIA DEL MONACO.

QUi sim, neque noveris, si nomen dedero, Vir Cl. Meursi, dabo symbolam, amabis statim. Siculus ego, & addictissimus Illustriss. & Excellentiss. Molini Cliens, cui purpura in literarum decus, cui Maiestas honorque ad studiorum felicitatem. Post haec Cluverii, Heinsii, tuique ad animi stuporem etiam admirator. Scribo haec, ut quos tanta terrarum interstitia disterminant, unus una epistola amor adliget: scribo ut rogem, qui plurimi impetrent, qui Italiam incolimus, nempe ut quae hactenus tuo illo calamo doctissima monimenta prodiere, ne dissectis voluminibus veluti magnae mentis analecta amplius divisa patiaris. Subspiciat integris, magnisque Codicibus, Orbis quae a te etiam discit; taedet tot rivulis ingentis ingenii venas exsugere, libet integro flumine semel proexultare, quae usque lectitemus. Interim quoque oro te, ut vel mittas, si tantum voles, vel saltem effice, ut auro dentur venum, quae nullis aequarim gemmis, opuscula tua illa tria, *De Funere*, *De Gloria*, *De Puerperio*. Opto illa, & si libet ad Excellentiss. Molinum mittito: ab eo bis dona haec amabo; modo etiam me ames, Doctissime Meursi, & vale. Patavii pridie Kal. Martii MDCXXX. [b]

DCLI.

ARN. BUCHELLIUS IO. MEURSIO S. P.

Vir Cl. Doctissimeque.

QUum Passaeus noster iam Daniam (ubi serenior post nubila & tempestates lucere Phoebus denuo incepit) cogitaret, & ad vos propediem profecturus esset, atque is aliquoties tum vestri, tum τῦ μακαρίτυ *Forberi* [c] Med. mentionem iniecisset, non potui me continere, quin ad vos, etiamsi non adeo familiaris, adfectu tamen, ob singularem illam tuam eruditionem & humanitatem, quam coram olim expertus fui, nimium nimiumque semper pronus, has meas darem: quibus ante omnia vobis gratularer, quod iam ad portum honoris ac quietis cum nominis tui luculenta fama, ut ex tuismet ad nepotem meum D. Vorstium, literis cognovi, & insuper ex Simone Passaeo intelligere potui. Patria quidem terra nobis gratior esse solet; sed nescio quomodo fiat, ut plerumque acceptiores sint peregrini, quam cives, quod insignibus exemplis multarum gentium, & inprimis Batavorum nostrorum demonstrare possem, nisi tu vel me melius popularium tuorum mores cognosceres. Verum iis, quibus iam mens supra vulgum est,

Omne solum forti patria est, ut piscibus aequor.

nec se tam angustis limitibus adstringi sinunt,

Quorum nempe fama per orbem volitat
Ii mundani cives, quovis in loco inveniunt patriam.

Socratis & Senecae effata tenes: quorum ille se *mundi civem* esse arbitrabatur: hic *patriam suam esse, ubicumque bene esset*, dicere solebat. At hic supersedeo, ne limites epistolares transgrediar, quum nec tu, Vir Cl. mea admonitione, rerum humanarum gnarus, indigeas. Scriptionis quoque huius causa est, quod, quum praeter patriae Antiquitates, in manibus haberem *Bibliothecam Batavicam*, in qua compendio vitam eorum, quorum scripta iam lucem vident [d], inter quos tu inprimis, Vir Doctiss. sive eruditionem multiiugam, sive diligentiam infinitam inspiciamus, familiam ducis, dare constituerim, ut non dubitem, quin plura literato orbi in hac praesertim quiete & otio literarum, ingenii monumenta da-

(a) In editis est CIX. p. 144. Huic rescripsit *Meursius*, illa, quae habetur Parte II. num. CIX. pag [illegible]o. GRAMMIUS.

(b) De hoc viro legatur Epistola *Dominici Molini* ad *Meursium* d. d XII. Decemb. 1630 GRAMMIUS.

(c) Ἴσως. *Bursori* non potest *Burserus* esse, qui ad an. XXXIX. vixit. Literae a. hae datae sunt anno XXX An igitur *Fureni*? NB. Haec in margine erant adscripta in nostro Codice, manu Zach Lunedii exarato Estque *Lundii* coniectura de nomine isto proprio; cum nullus in Dania Medicus vixerit, qui *Porberus* vocaretur. Recte vero subspicatus est de *Puirenio*. Nam *Georgius Puirenius* Medicinae Doctor & Practicus Hafniensis (pater insignium Virorum *Henrici* & *Thomae de Puiren*) e vivis excesserat an. 1628. d. 25. Novemb. & multis apud exteros Medicis, in Belgio, Italia, Gallia, ob doctrinam & rariora naturae colligendi studium notus atque percarus fuerat. GRAMMIUS.

(d) Haud credo istud opus lucem publicam vidisse. Neque inter cetera viri scripta eius fit mentio a *Valerio Andr.* aliisque. GRAMMIUS.

Ann. Chr. MDCXXX.

ta daturus sis, eius etiam a te certior fieri percuperem. Quare doctiss. humanissimeque Domine, quando per otium licebit, de rebus vestris, libris etiam edendis, vel post discessum hinc vestrum, editis doceri pervelim; eritque id mihi quam gratissimum. Et si vicissim mea opera uti volueris, omnino ad amicitiae officia promtum & volentem invenies. Vale virorum doctiss. & Bataviae nostrae ornamentum, ac iterum salve ab eo, qui te propter ingenii eximias dotes suspicit omnino & veneratur. Traiecti in Batavis XVI. Kal. April. postrid. Natalis mei LXV. A. Christiano MDCXXX.

DCLII.

Oligerus Rosencrantzius Io. Meursio S.

VIcisti, mi Meursi, Vir magno merito clarissime, me inquam, vicisti iam pridem, non amore certe, quo te inferior numquam futurus sum, sed amoris desideratissimis internunciis, adloquio literario abunde adeo adnumeratis, ut difficultatibus molestissimis equidem interea iactatus & districtus, respondere neutiquam sufecerim. Palmarium ecce tribuo sponte, ipsum me debitorem, nominibus iis omnibus perpetuo tibi devinctissimum & promtissimum, quibus peculio tuo adscribi me posse intelligere unquam liceat. Praesentem autem meum hunc Soram vestram transire iussi, ut debito eiusmodi, non omni quidem me exsolverem, quo me foenore perpetuo obstringi sponte desidero; verum ea, saltem aliqua ex parte, levarem, qua ἀπροσηγορίας crimine, multa adeo nomina diu adeo apud te reliqui, ne seu inficiari, seu negligere eadem, me videri contingeret. Essent quidem, quibus praesens hoc desideratissimum tecum colloquium, uberius amplificarem, quando iam circa nonnulla occupor, quae Heinsius vestras satis infeliciter, ultra crepidas censoriae suae virgulae subiicere nuper ausus est, intolerabili profecto προφητείας ὑγιαινόντων λόγων Domini nostri I. Ch. obscuratione. Quippe, διδάξεως Sancti Sp. iisdem peculiaris, nuspiam memor, fortean etiam undique ignarissimus, quando non nisi ex consuetudine Hellenistica per Orientem usitata, dictiones pariter omnes Spiritus Dei, διδάξει peculiari usurpatas, dilute nimis, ne quid gravius dicam, Aristarchus minime sacer, censet & aestimat. Quas tamen, sicut non nisi singulari (ipsius videl. Sp. Dei φορᾶς 2. Pet. 1. u.) συγκρίσει ἀλλαῦσι prolatas: ita etiam non nisi singulari πνευματικῇ ἀνακρίσει, δέχεσθαι quemquam posse, ipse Apostolus articulate nos condocefacit Cor. 2. 13. 14 Nescit forte aut non attendit vir alioquin γελοίοις καινοφωνίαις, Nonnio nimis frequentibus, censendis Aristarchus satis idoneus, minus licet sacer; nescit, inquam, aut non attendit θεοπνεύστου Scripturae Graecae universae dictiones omnes, quibus quidem mysteria Sapientiae Dei abscondita, ipsius Dei videl. τὰ βάθη unice docemur, quae nemo nisi ipse Dei Spiritus, qui solus eadem scrutatur ἀποκαλύπτειν novit 1. Cor. 2. 7. 10. 11. Eas, inquam, omnes, etiam propriissima sua λέξει, nunquam & nusquam inflexo eo usu, maximam partem diluto ac tenui plusquam nimis, ad docendum a Spiritu Dei adhiberi, quo seculi huius sapientibus, non nisi ἀνθρωπίνως σόφοις, singulis pro re sibi subiecta, atque pro eiusdem arctiore longe, quam Sapientiae Dei mysteria se habent, conditione, aliter & aliter restrictius in usum venisse comperiuntur. Ω'δὲ ἡ σοφία. Verum quum integram atque iustae prolixitatis deductionem haec requirant, quam nec praesens epistola, nec negotiorum, quae praesenti latori alias commissa sunt, praecipitata festinatio admittunt, equidem in proximam obportunitatem argumentum istud reservabo. De quo sublime ac exquisitum tuum iudicium, Hellenisticam eam linguam quod adtinet, quam sacros bibliorum interpretes auctores habere Heinsius fingit, exaudire adprime desidero. Linguam etenim eam, quam in se ipsa a Graeca ipsa diversam, nusquam equidem deprehendo, ideo quod ex rerum, quibus docendis singulariter adhibetur, divinissima subtilitate, sententia longe eminentiore & uberiore prae ἀνθρωπίνῃ σοφίᾳ (Apostoli verb.) docere adgnoscenda veniat; ideo, inquam, eo nomine notare, & quidem ea ipsa sententia, quomodo non nisi odio in operis sanctissimi Auctores pariter & Amatores prorsus Satanico, a Iudaeis virulentioribus confictum est, haud video, qua religione, qua conscientia, admitti aut probari possit. Atqui hic in praesens sisto, Deumque supercoelestem nostrum communem Patrem veneror, te tuamque costam lectissimam cum prole utraque desideratissima in multos annos salute omni beare numquam desinat. Ex Rosenholmiano meo XVII. Martii A. CIↃIↃCXXX.

DCLIII.

Gerhardus Vossius Io. Meursio S.

EQuidem summe Vir & amice, tam diu me siluisse, ac scribis non putabam: ac plane metuo, ne literae aliquae interciderint. Gaudeo interim, constantem adeo esse amorem tuum, ut cessatio haec nihil de eo detriverit: imo simul ac literas meas acceperas, ne conquirendum quidem de diuturno hoc silentio putaris. Nempe, ut Symmachus ait: *Amicitia cito sanatur officio*, Sed quae divina haec bonitas tua, ut hunc cessatorem, seu triconem aut bovinatorem (impone nominis quidquid velis) literario munere, eoque auro magis aureo, mactes? Cum Nausistrata dixero, *Vir viro quid praestat!* Alterum urit, si aliqui credamur: tu nomen nostrum praedicare non cessas & seculo huic & posteris. Quas tibi ego, quas liberi mei pro beneficio hoc grates rependent? Sane omnes plurimum nos debere tibi fatemur: ac si quid mihi opinione amicorum

Ann. Chr. MDCXXX.

eorum celerius contigerit, quod animum testari, ut vellem, non sinat; id compensabit pietas liberorum. Ex quibus iam quartus Dionysius meus, totus est in Reidani Historia Latine vertenda, & quibusdam Arabum monumentis itidem Latiali lingua transferendis. Natu secundus, Franciscus, in humanitatis ac sapientiae studiis perseverat: etsi est supremam in iure lauream apud vos adeptus, Hagae simul vacet, si non tricis, at tetricis saltem advocatorum contentionibus audiendis. Nempe scis, vix aliam esse ad honores hic viam, nisi forte aliquem favor amicorum magis, vel opum gratia extollat, quam rerum peritia aut virtus. Tertius eorum Matthaeus satis se mihi in omnigena historia probat. Natu omnium maximus Ioannes, Collegii Iesu socius est apud Cantabrigenses. Qui quod visum receperit, & mihi gaudeo, & illi gratulor, & Deo, quantas possum, gratias ago. In filiis duobus natu minimis, Isaaco, & Gerardo, sumtibus non parco. Itaque domi iis praefeci adolescentem: sed quem, quia non ad modum eruditus est, ex praescripto meo omnia agere velim; ne mei dediscenda discant. Quippe malim ego nihil eos a magistro haurire, quam male imbui: quandoquidem sic gemino mihi esset labore opus in eluendo vitio, & instillando vero rectoque. Vt non possim reprehendere Timotheum Musicum, duplicem qui mercedem exigebat, alio si qui magistro usi forent. Quid mutis opus? Hactenus non infeliciter mihi in liberis negotium processit. Quo nomine Deo gratias debeo, si quisquam. Vtinam misericors ille pater beneficium hoc suum mihi diuturnum esse patiatur. Quod equidem eo magis exopto, quia video, quam haec rara sit res in multitudinem liberorum. Vel summum Virum & tui amantissimum Rivetum vide. Noras duos eius filios natu maximos, quum apud nos viverent. Eorum alter, Vir optimus, Ecclesiastico munere apud Gallos fungens, vita sua functus est. Vrit hic dolor parentem, ut cogitare potes; at magis macerat, quod alter, qui Duci Tremulio a secretis erat, Domini sui exemplo ad Pontificios defecit. De meis in hoc vitae humanae incerto meliora non possum mihi spondere: sed tamen sperare optima licet. In quo si non eludar, habebis semper summos nominis tui cultores, ut amicitiam nostram decet; cuius liberos heredes esse convenit. Quod eo dico, ut videas, non meum modo, sed meorum etiam me adfectum spondere. Mitto ad te Oratorias Institutiones meas tertium editas, usque adeo castigatas & auctas, ut mihi ipsi, licet parenti huius foetus, subinde novum opus dedisse, quam prius illud videar reddidisse. In quo committere non potui quin solemne meum obtinerem, ut debeo: nempe ut testatum facerem posteris, quid de tuis sentirem. Primo utique libro p. 115. ubi de Atheniensium foris loquor. Et tamen omnia sunt infra merita tua. Verum quod hic desideret quisquam, alibi compensabitur. Proxime quid editurus sim, nequeo dicere. Sed puto illud aut commentarios, fore linguae Latinae, aut opuscula quaedam e miscellaneis nostris. Nam de iis, quae ad Ecclesiae historiam veterem pertinent, spissius, ni fallor, negotium procedet. De libris, quos ex Rutgersiana petieras Bibliotheca, semel iterumque compellavi heredem. Prius ille, nec adnuere, nec omnino negare, sed poscere, ut postridie, vel, ubi occasio daretur, item de eo loqueremur. At cum denuo compellarem, dicere, ut cum Bonaventura hac de re loquutus esset, qui negaret, id sine certo auctionis dispendio fieri posse. Fore enim, ut multi ob rariores libros huc confluant: qui si ea iam divendita cognorint, quamprimum semel iterumque elusos, eo ituros, unde venerant. Potuisse hoc fieri, si Catalogus necdum editus foret: nunc serum nimis esse [a]. Et cum obgererem, vix auctionem esse ullam, in qua non pauculi saltem libri prius sint divenditi, quam publica illa venditio instituatur; respondere ille, complures etiam alios esse, qui similiter sibi quaedam poposcerint, ut aut nulli, aut pluribus magno cum dispendio suo gratificari cogeretur. Et sane ipse (quod plane illud verisimile facit) ex Anglia literas accepi, quibus simile quid poscunt. Quod tamen nostro significandum minime putavi: ne, quem satis aversum viderem, redderem difficiliorem. Multa interim obgessi, de amicitia veteri, occasione mittendi, qua nulla deinceps melior se esset oblatura, & similibus. Sed tamen intelligo ex eo, sic libros (quod facile credo) disiectos esse, ut intra paucos dies reperiri non possint, quos postulares. At is, per quem mihi hoc oporteret, intra biduum parabit abitum. Quum nec plane deesset, quo his occurrerem, dixit quiddam, ut Collegam veterem deceret, puto non alium, quam te, hos libros habiturum. Si quis alius in auctione pretium promitteret, se aucturum, & me idem facere oportere. Quod si eo pacto pretium nimis excresceret, velle se illud in tui gratiam postmodum remittere: ac si liber sex solum florenorum sit, & XV. aut XX. sit divenditus, te tamen non amplius, quam denos soluturum. Petii, ut sententiam suam de eo perscriberet. Facturum se promisit: sed nunc occupatiorem esse: at prima tamen occasione illud scripturum esse. Denarium Pythagoricum tuum Lamerius est editurus: sed quia praelum multis destinetur, negat id ante sex hebdomadas fieri posse. Curabitur, ut emendate prodeat. Forma erit folii in quaterna complicati. Significabis per quem exemplaria, & quam multa transmitti voles. Minimum tibi XXIV. cedent. Sed quae hic amicis donari voles, ea tuo nomine donabuntur. Imo & exteris, si ita visum: uti Puteano atque aliis. Schottum adderem, nisi ille ad superos iam concessisset, ut te scire arbitror. Puto, non displiceat de Critone, & Pitteo in Anglia

Grotio

(a) *Rectius sic, quam edita*: nec serum nimis esset. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXXX.

Grotio & Salmasio in Gallia. Tu quos praterea voles, significabis. Operam dabo, ut supra numerum, quem dixi, aliqua accedant exemplaria, ut liberalioribus esse liceat. Quod mea etiam interesse facile intelligis. Scire aves, qua occasione contigerit, ut Serenifs. magnae Britanniae Regi innotescerem, atque ab eo luculenta adeo Cantuariensis Canonicatus dignitate ornarer. Nempe iam ante annos decem in florentissimo hoc regno aliquot magni Viri aestimare coeperunt scripta mea: praesertim historiam nostram de Controversiis Pelagianis. Scis autem, si uspiam terrarum, in Britannia sane esse longe plurimos Ecclesiasticae Antiquitatis amantes. Itaque & Oxonienses, me ignaro, recudere disputationes eas, quas in Collegio habui. Iam octennium est, quum Honterus ad Carolum Hornes, Baronem Svecum, scriberet, se ex uno Regiorum Secretariorum audisse, ita in aula ferri, si ab illustribus Ordinibus ob factionem illorum temporum, quae multos perdebat, porro negligerer, fore ut mei Serenifs. Rex haberet rationem. Nec multo adeo post actum mecum de professione historiae & prudentiae civilis in Academia Cantabrigensi. Postmodo etiam maioribus promissis tentatus fuit animus meus. Sed uxoris valetudo & alia quaedam hic detinebant. Amici Angli dicere, sic quoque mei rationem habitum iri, & si adfectum praestare non possent praesenti, quem vellent, praestituros absenti. Ego haec habere pro adfectus magni indiciis: sed quum me pede meo metirer, fore non putabam, ut praeter laudem & honestum de nobis iudicium perciperem quidquam. Sed haec ipsa tanti mihi visa, ut cogitarem de opere aliquo dicando Academiae Cantabrigensi, ad quam vocatus essem. Amici Auctores esse, potius inscriberem Illustrifs. Duci Buckingamio, Academiae huius Cancellario. Ita enim me, Illustrifs. Duci, magno Maecenati literatorum & simul Academiae, cui ille praeesset, rem facturum gratissimam. Placuit consilium. Exemplar, ut ad Ducem, ita ad Serenifs. Regem Karolum transmisi. Quemadmodum & tertium dedi Serenifs. Bohemiae Regi. Etiam misi ad Archiepisc. Cantuariensem, & quosdam alios ex Ecclesiastico ordine. Ita auctores erant amici: nec videbam quorsum haec tenderent. Aliquanto post inopinato nuncium accipio de Canonicatu ab Serenifs. Rege Karolo mihi inter Cantuarienses collato. Multum debeo Britanniae, & plus quam exsolvere possim. Ante omnes Serenissimo Regi: hinc Illustrissimo Duci, item Episcopo tum Bathonriensi & Wellensi, nunc Londinensi; Etiam Legato tum Carletono, nunc Secretario Regis & Vicecomiti Dorcestrensi. Sed omnes commemorare non adtinet. Meum erit publicis etiam scriptis erga eos gratum animum testari. Si hebdomadibus paucis Illustrissimus Dux superfuisset, etiam de suo mire liberalis fuisset. Iam per amicum suum, Virum magnum, id mihi scribi iusserat. Audio decrevisse tria florenorum nostratium millia. Iam de eo colloquutus erat cum suis. Sed immani scelere nefarii parricidae fortuna hac excidi. Et sane sic quoque aeternum obstrictus ero Duci & magnatum tot aliis in praeclara hac gente. Venio ad alia. Heinsius Ordinum Generalium Historicus est. Putat se intra mensem unum & alterum posse divulgare Acta superioris anni, in quibus praecipue erit obsidio ac victoria sylvae ducensis. In epistolis Scaligeri ab eo editis locus, qui te spectet, est epistola CCCLV. ad Carolum Labbaeum, p. 670. v. 2. Vbi nomen tuum diserte in αὐτογράφῳ exprimitur. Exteri, quis signetur, nescient, quia nunc pro nomine tuo positus asteriscus. Sed de civibus tuis nescio an idem promittere liceat. Quippe nuper quidam, qui αὐτόγραφον non viderat, referre mihi hunc locum, nec dubitare se, quin tu potissimum signareris. Causam, unde coniecturam hanc caperet, addebat. Sane dolet, quod quidam tam stultas opiniones aut Viro maximo inseruerint aut saltem aluerint. Nihil tamen haec malignitas nocere tibi poterit, qui iamdiu supra invidiam es. Multa adhuc alia, quae scribam, occurrunt. Sed inter scribendum decies sum avocatus: & iam tertio sororis tuae filius Latius literas urget; quia tempus instat, quo nautae Amstelodamum solvunt. Scribam de ceteris brevi: etiam de quibusdam, quae ad statum publicum pertinent. Vxorem tuam mea salutat, filia filiam ἀντασπάζεται, filii vos omnes. Rivetus etiam, Barlaeus, Vorstius, alii, plurimam salutem adscribi iusserunt. Raptim CIƆIƆCXXX. Postrid. Kal. Maias. Salutabis & V. Cl. Laurenbergium & alios Collegas. πάλιν ἔρρωσο (a).

Tuus aeternum

G. I. VOSSIVS.

DCLIV.

IOANNI MEVRSIO S. P.

NOn soli vivunt Gomarus & Meursius, qui Danaei aliorumque exemplo Lugdunensem Scholam alia commutarint; nam iis ille ego Vossius tuus accessi, qui Amstelodamum commigravi, atque ibi haec nunc scribo. Miraris scio. Nec sane id ego unquam fore ante hac credidissem. Nimirum multa homini inopinato obtingere videmus, occasionem, scio, & causam consilii eius aves cognoscere. Iamdiu est, quod Amstelodamenses vident quanto cum periculo se liberosque suos exponant, dum carissima pignora, priusquam vitae modum sciant, mittunt Lugdunum, ubi licentia indies liscit. Sane paucis ab hinc annis plures commissae caedes, quam multo plurimis antehac. Vlceri huic Chironio non aliter medicinam se facere posse, iudicarunt,

(a) Est num. CXIV. in edit. pag. 150. seqq. rescribit *Meursius*, P. II. pag. 74. num. CXIV. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXXX

runt, quam si professores aliquot alerent publice. Atque ego & Barlaeus idonei visi sumus, a quibus professionis primordia ducerentur. Idem labor ac onus mihi in il lustri hac schola futurus, ac Lugduni; sed stipendium prope altera parte maius. Praeterquam enim, quod luculentam domum adsignarunt, annuos numerabunt bis mille florenos, & quingentos. Ad haec me meosque spe non una impulerunt. Nec fallent, scio, qui iam adfectum exherere caeperunt erga filium meum Franciscum, urbis suae advocatum. Sed Leidenses magnopere huic instituto refragrantur. Contendunt hoc adversarii urbis suae privilegiis. Quin & Illustrium Ordinum consensu comminati fuere, si Amstelodamenses persistant in proposito, nolle se quidquam inposterum ad bellum conferre. Tandem inter proceres harum urbium convenit, ut Curia utraque Hagensis, rebus expensis, intra mensem statuat de mente verborum, quibus Leidense Privilegium concipitur. Interea Amstelodami a publicis Lectionibus abstinebitur. Nihil pericli est, ne adversus eos sententia feratur, qui hactenus vocati. De Iurisprudentia vero & Medicina, ac inprimis Theologia, operiosior fuerit disquisitio. Sed negant Amstelodamenses de eo disputari debere, priusquam aliquos ad eas profitendas vocarint: Prodiit tandem Denarius tuus Pythagoricus; ac decem eius exemplaria mitto, idque ex XXV. quot aegerrime exsculpere potuit ab Euclione illo, qui edidit, ex residuis duo mihi reservavi. Vnum Venetias misi ad Molinum: alterum Lovanium ad Puteanum. Praeterea exemplar, uti iusseras, dedi Mylio, Riveto, Cunaeo, Vorstio, Heinsio, Barlaeo, Scriverio, Buchelio, & praeterea tribus aut quatuor aliis in dignitate constitutis. Sed tamen plura si exposces, non sinam ea a te requiri. Mitto & Epistolas quatuor Canonicas Siryace ab Elzevirio excusas venustissimis typis, una cum interpretatione & notis doctissimi Pocockii Angli, qui hocce anno in Syriam profectus. Cur noluerim te hoc opusculo carere, nihil aeque in causa est, quam quod mihi fuerit dicatum. Pro Historia tua Danica gratias ago summas; uti & pro Aebnoto Monaco. Scis, quam mihi illa omnia sint accepta, quae ad historiam novissimae etiam antiquitatis pertinent. Quanto magis iucunda sint, si tuo prodeunt beneficio & cura? Attamen magis Historia me Danica oblectavit; tanto nempe magis, quanto illa plus tibi debet. Dictio mire placet; candida est & tersa, penitusque Romana. Ad haec perspicua plane, quod ego in magna laude pono. Vellem ab hac parte tam felix esset Heinsius in sua Sylva-Ducis. Opus est quidem elaboratum, & in quo multa sint ingenii lumina, ac doctrinae: sed dum Tacitum se aemulari putat, ac τῦ πολιτικῦ nomen adfectat, dictio eius saepe nativum illud deperdit, inque obscuritatem tantam incidit, ut crebro nec a sagacissimis & prudentissimis viris intelligatur. Quibus tamen Tacitus & veterum alii, satis sint plani & aperti. Haec non mei unius, sententia est, sed pene omnium, qui non palpum ei obtrudunt. Quod familiariter ad te scribere non dubitavi, pro necessitudine amicitiae nostrae. Idque eo lubentius, ut scias, occasione hac a multis praedicari, quae de Auriaco Principe, atque induciis scripsisti. Et scio magis esse praedicaturos, ubi Danicam tuam historiam legerint, quae paucissimis adhuc visa est. In Heinsiano illo commentario, quem dixi, quaedam etiam Generales Ordines & alios in dignitate constitutos, obsenderunt. Itaque absque Beaumontio fuisset, bis etiam cum quaedam iussisset recudi, privilegium ab Ordinibus fuisset consequutus. Omnino multum & sudandum fuit, & tamen ne sic quidem satisfecit: iure ne an iniuria non disputo. Tu vero hanc partem literarum cum legeris, litura una obduces: vel totam epistolam conscindes. Nihil enim adtinet alios posthaec scire, quae scriptitamus libere inter nos. Nondum dicere possim quando futurum sit, ut Rutgersii τῦ μακαριτοῦ Bibliotheca auctione distrahatur. Promiserat Heinsius id fore ante paschales ferias. Sed illae iam elapsae, nec certi ex eo quidquam potui adhuc cognoscere. Interim spopondit, non alteri cessuros libros, quos petiisti, ne quidem si iusto maius pretium obferatur. Suaneburgio nemo hactenus in professione subrogatus. Ambiunt id munus Hupertius advocatus, Bronchortius, Vorstius iunior, Vinnius & Cancellarius, Iurisconsultus vestras, quem mihi per literas commendaras, longe mihi tua causa & ob eximiam probitatem gratissimus fuit. Vtinam vero etiam adfectum obstendere liceret erga filium incomparabilis Erois Oliveri Rosencrantzii: sed de eius adventu nihil hactenus intellexi. Nec eas videre literas contigit, quas per eum misisse te scribis. Subspicor in aliam prius Academiam conferre se voluisse, priusquam ad Batavos proficisceretur. Vbi venerit, non sinam te quidquam in me desiderare. Omnino propter magnitudinem Herois omnia officia eius filio praestabo; simul etiam propter commendationem tuam. Alterutrum horum subficeret; nunc ea concurrunt, quorum singula per se satis ponderis haberent. Solonem tuum videre habeo. Quaeso quomodocumque potius tua ede, quam ut diutius ea cum blattis & tineis rixentur. Nihil aeque mihi dolet, quam quod non te solum carere cogar, sed tamdiu etiam careamus tot aureis monumentis tuis. Cognoscere desidero, an non brevi vel anno saltem hoc decreveris invisere tuos in Batavia. Iam biennium est quod sic receperas; sed hactenus spe vana lactasti. Vbi Amstelodamum adcesseris, apud quem divertere cum tuis debeas, frustra scribam. Ea enim est amicitia nostra, ut liquido illa tibi satis praescribat. Salutat tuam uxorem uxor mea, filiam filia, imo omnes nos vos omnes.

Ann. Chr. MDCXXX. omnes. Etiam Clarissimis Collegiis tuis, praecipue Laurenbergio & Stephanio, plurimam meo nomine salutem dicito.

Amstelodami CIↃIↃCXXX. IV. Id. Maias.

Tuus ex asse

G. I. VOSSIVS.

DLXIV.

Io. KIRCKMANNVS Io. MEVRSIO S. P.

EGo vero, Vir Cl. quo nomine me tibi de diuturniore silentio excusem, nescio. Sed veniam dabis, quae tua est humanitas, quotidianis & catenatis meis laboribus, qui saepe non sinunt me fungi literario hoc officio, quum occasio mittendi est. De communicato mecum Indiculo eorum, quae tibi in Dania elucubrata sunt, habeo gratiam: quid vero illi reponam, non habeo. Neque enim muneris, quo fungor, difficultas patitur, ut hac aetate ad ea, quae forte in scriniis nostris latent, limanda & publicanda, animum adplicare possim. In quaerendo studioso, cuius fidei filium tuum informandum commendes, hactenus frustra laboravi, Rostochium hoc nomine scribere non fui ausus, quum intelligerem, non posse rem ullam moram ferre & te aliquem conducturum fuisse, si quis interea se obtulisset. Quod si nondum idoneum paedagogum es nactus, facies, ut sciam; & omnem dabo operam, ut aliquem Rostochio accersam, qui honestissimam hanc conditionem accipiat. Si tibi non foret molestum, rogo, ut mihi describendum cures Catalogum omnium tuorum operum editorum; quum enim pleraque habeam, id ago, ut cetera quoque omnia mihi comparare possim. De statu Germaniae nostrae cognosces ex D. Cluvero. Vale, Vir Cl. cum tuis, & me, quod facis, amare perge.

Dabam Lubecae XXIII. Maii A. MDCXXX.

Tui studiosissimus

Io. KIRCHMANNVS.

DCLVI.

Io. LOCCENIVS Ic. Io. MEVRSIO S. P.

CL. & Excellentiss. Vir D. & amice honerande. Iter ad vos parabat Sebastianus Lilie, D. Ioannis Laurembergii communis nostri amici gener. Non itaque potui committere, quin per illam occasionem ad te meas darem. Quum enim in Academia Leidensi te Praeceptore fidelissimo & amico maximo usus fuerim, nefas esse duxi, illius beneficii memoriam (quamvis animo numquam excidat) literarum officio amorisque adfectu, quum aliter non possim, subinde non recolere & integram servare. Certe si non privato, tamen publico Reip. literariae cuius me partem quamvis indignam esse velim, nomine tibi ante devinctus essem. Tam praeclare enim de illustratione Antiquitatum Graeciae meritus es, ut per te iam Athenarum Archontes imperare ac Remp. administrare, per te Graecorum Festa denuo celebrari, ludi exerceri, ritus ac mores gentis florere vigereque videantur. Et ne quid auribus tuis dare videar, citabo in testimonium publicam Famam, cuius albis quadrigis dudum per orbem terrarum, ut victor barbariei per Turciam vim in Graeciam introductae, nunc veheris ad Aeternitatis aedem. Quaeso, si me amas, mihi paucis significare ne graveris, quid tuae Musae, quas numquam steriles, sed foecundissimas esse scio, nunc pariant. Si de Musis, imo potius nugis meis aliquid scire cupis, confectum iam habeo librum de summorum Imperiorum incrementi & decrementi caussis, adfectum vero scriptum de Babylone, Ninive, Tyro, Carthagine, Thebis, Rhodo. Simul ac prodierint in lucem, tecum communicabo, quamvis tanti non sint. Quaeso, nisi grave est, mihi vestri Gymnasii statum perscribere ne graveris. Fruor hic quidem honesta conditione, ab invidiae tamen ac aemulationis procellis non plane liber. De bonis, absit, ut conquerar; non enim invident, qui tales sunt. Numquam tamen, ut ut se res habeat, recte facere, quantum in me est, cessabo, & Spartam iuvante Deo ornare. Vtinam daretur facultas tecum aliquando coram colloquendi & calidum meum erga vos adfectum promendi. Certe animus unice ad vos inclinat, si pacatiora tempora & obportunitates huiusmodi darentur, quibus liceret interiorem vestram consuetudinem propius recolere; sed haec in Dei manu posita sunt: illi te tuosque diligenter commendo. B. V. Vpsaliae. a. d. XXIII. Maii MDCXXX.

De corporibus non licet propius coniungi (ut paulo ante adtigi) quaeso, animorum praesentia id pensemus: quod certe de me polliceor, de te spero. Illud vero, si placet, etiam literario adloquio firmemus, quam saepissimae. Hisce me tuo favori insinuari, te vero feliciter valere volo precorque.

Tibi addictus

Io. LOCCENIVS IC. Hist. & Eloq. P. P.

DCLVII.

GERARDVS VOSSIVS Io. MEVRSIO S. P.

CErtior factus in Daniam ire praestantissimum Virum Davidem Guilielmum, nefas putavi negligere bellam adeo ad te scribendi occasionem. Et tamen nihil magnopere erat, quod literis committerem. Attamen ubi semel calamum in carta posuero, facile amor aliquid dictabit. Quale illud primo, iam diem esse tertium, quod

apud

apud nos Ernstius agit. Semel iterumque adfuit mihi, etiam in coena. Quo minus semper mecum fuerit, quod ab eo petieram, nescio, utrum modestia eius in causa sit, an quod nobiles quidam Dani id non permiserint. Sed quod hactenus feci, ut ostenderem, quanti apud me esset commendatio tua, id deinceps etiam faciam: eo libentius, quia Vir est longe optimus & candidissimus; & qui filii instar colat te, atque observet, saepe etiam non alio, quam patris nomine compellet. Magnae mihi voluptati fuit, cuncta ex eo cognoscere, quae ad te pertinerent. Gaudeo etiam, me ex eo intellexisse, se quidquid illuderat, de Bibliopola vestrate. Nam non paulo aliter ea hic res narrabatur. Melius ora malevolis obstruam. Τȣ̃ μακαρίτȣ Coddaei libri superiori hebdomade sunt divenditi. Hac auctio erat futura librorum Rutgersii [a]. Sed Heinsius consilium mutavit. Formidat, ne sui vilius vendantur, si tam cito auctio una alteram excipiat. Et sane non temere ita existimat. Vtrum intra hebdomades paucas, an demum post ferias longas, auctio ea futura sit, nihil ipse certi habet. Sed dixit ipse ante triduum velle se mecum de re tota consultare, atque id decreturum, quod maxime mihi probabitur. Vnde colligo, eo propendere, ut ne diu admodum ea res differatur [b]. Quando erit, ut te, uxorem, liberos hic videamus? Male sit militibus illis, qui sic vias infestant, ut bonis sit male, neque nos te frui possimus. Sed quaeso simulac occasio se obtulerit, eam ne neglige, rectaque domum te nostram confer cum tuis. Nam cur alibi potius divertas, quam apud eum hominem, qui tuas virtutes scit aestimare, & fratris te instar amat? In Batavia gliscit dissensus inter proceres. Disputant de induciis. Pleraeque civitates eo inclinant; a quibus dissentiunt inprimis Harlemenses & Leidenses. Etiam pleraeque civitates aiunt in ordinem cogi oportere Amstelodamenses, quippe qui Smoutium [c] Ecclesiasten ex urbe exire iusserint, & e suis unum alterum velint interesse Synedrio, uti apud Leidenses & Delphenses fit: item qui non minus Remonstrantibus ius convocandi facere coeperint, quam Lutheranis, Mennonistis, Iudaeis. Sane male esset magistratui, nisi militum se praesidio adversus factiosos cives tueretur. Vorstium, ut aliquid tandem scriberet, commonui; qui sponte eo inclinabat; sed pudebat diuturni silentii. Paruit tamen. Est Vir utriusque nostri amantissimus. Quod addo, ne propter silentium hoc amorem eius putes imminutum. Denarius tuus post binas hebdomades praelo subiicitur. Vxor uxorem tuam, liberi omnes mei, filia potissimum filiam salutant. Lugd. Bat. VI. Id. Iunii MDCCXXX. [d]

Meursii Epist.

(a) *Male legerat editor:* Haec auctio erat fatum librorum *Rutgersio*. GRAMMIVS.

(b) Verumtamen haec auctio Bibliothecae *Iani Rutgersii* dilata est usque ad an. 1633. *Heinsius* de ea supellectili libraria ad *G. M. Lingelsemium*, in epistola inedita (anno 1626. scripta) praedicat, *neminem ampliorem Rutgersiana instructioremve unquam Bibliothecam ibi locorum habuisse*. GRAMMIVS.

DCLVIII.

ADOLPHVS VORSTIVS IO. MEVRSIO S. D.

PVdet me tandem, Vir amplissime, pigetque supinae meae negligentiae, qui toto quadriennio altum egi silentium, neque prior a te provocatus, insigni literarum tuarum humanitate, verbum hactenus rescripsi. Qua ratione me tibi purgem non video; eoque satius esse duco, ingenua culpae confessione veniam a te extorquere, quam quaesito aliquo colore mendacem me fieri. Sancte adfirmare tibi possum, etsi in scribendo officium non fecerim meum, voluntatem certe defuisse mihi nunquam, aut memoriam tui, ac suavissimae consuetudinis quondam nostrae, deposuisse. Quinimo quod te absentem, sicuti antea praesentem pari prosequor veneratione, testarique potest communis utriusque nostrum amicus Cl. Vossius, qui, me serio rogante, non semel a me salutem tibi in suis literis adscripsit. Doleo etiam nunc, licet frustra, causam olim tibi datam fuisse, urbem, atque Academiam hanc, locum humanitati, ac doctrinae tuae aptissimum deserendi. Sed quum intelligo tam bene tibi istic esse, ut in patria non possit melius, gratulor iterum tibi de tam honorifica, ac luculenta conditione, gaudeoque amici nomine. Res meae ac vitae genus non ita diu post abitum hinc tuum, multum immutatae, nam & Botanici munus adiectum, & ordinariis Professoribus insuper adscriptus sum. Qua de re quum ex amicis factus esses certior, pro singulari tua in me benevolentia per literas gratulari mihi eum voluisti honorem, ac novo hoc officii genere tibi obstrictiorem reddere. Post illa uxorem duxi mihi, filiam Dan. Van der Meulen, Viri praestantissimi, dum viveret, &, ut melius tibi constet, haudquaquam indocti. Haec foecunditate sua ius trium liberorum mihi adquisivit, quorum tamen primogenitus, brevi ab ipsa nativitate intervallo, fatis concessit. Sororem natu maximam, postquam biennium in matrimonio exegisset, amisimus nuper, nullis relictis liberis superstitibus. Frater vero Advocatum agit in Curia Traiectina, cui, ut spero, honestus aliquando locus in Rep. obtinget. Mater optima, cum mentis aegritudine diu conflictata, plane ad sese iam rediit, ita ut prosperrima utatur valetudine. Quae incredibile nobis adfert gaudium, tantique beneficii Deum solum auctorem adgnoscimus, ac deveneramur. Haec privata sunt & nostra. Quae Rempubl. spectant, grata minus, quod quia ex aliis iam dudum te percepisse arbitror, brevis hic ero. Gliscunt odia, & factiones: moderatis a consiliis locus fere nullus; ra-

 ros vi-

(c) Vidi esse in edit. *Smantium*. Adpellabatur vero *Hadrianus Smout*: de cuius tamquam seditiosi concionatoris eiectione legendi Historici Belgici, *Aitzema* & *Io. Clericus* ad an. 1630. nec non *Vita Simonis Episcopii* atque *Epistolae Praestantium Viror Eccles. & Theologicae*. GRAMMIVS.

(d) Exstat pag. 180. num. CXLVII. in editione Colomesii. GRAMMIVS.

ros videre est cives bene sentientes, quasi albam avem, ita plerorumque animi partium studio, & amore, aut odio nimio occupati sunt. Videmur veteri ludo includi. Deus Opt. Max. faxit, uti ad pristinam redeamus concordiam, idemque, in cuius potestate sunt omnia, ex tantis nos expediat malis. Beatus fortassis tu, qui hoc tempore hinc abfis; quamquam suavissimo adspectu tuo frui mihi esset iucundius, tamen non possum magnopere dolere nunc te abesse, donec haec desaevierit tempestas. Veni tamen, & vide, quid hic rerum geratur, patriamque, ut spem iam fecisti amicis, semel revise. Invenies adhuc, qui te ament, & aestiment, quos inter postremus ego esse nolo, qui etiam pro amicitia nostra hospitalem tesseram tibi obfero. Est etiam D. Cunaeus, qui memoriam tui quam maxime servavit hactenus benevolam, quique me ad scribendum obiurgatione sua compulit, teque salutari iussit plurimum. Bearis me, si culpae veniam mihi feceris, omnemque sinistram subspicionem de me abieceris. Vlcisci te posses iterum silentio quatuor annorum; sed si bene novi facilitatem tuam atque animum flecti facilem, non eris ita durus; quod etiam, atque etiam te rogo, & obtestor. Vrget, & instat nuncius a D. Vossio hasce exigens; quare desino, & te Vir amplifs. ac amicissime cum honestissima matrona uxore tua, & liberis suavissimis plurimum salvere iubeo. Raptim Lugd. Bat. A. CIϽIϽCXXX. X. Iunii.

T. aeterno cultu, & adfectu

ADOLPHVS VORSTIVS.

DCLIX.

DANIEL HEINSIVS IO. MEVRSIO S. D.

Cl. & Celeberrime Vir!

VEnit ad te, decus Daniae, atque Academiae, dum licuit hic, nostrae praestantissimus Stephanius, quem professionem eloquentiae in vestra impetrasse intelligo. Is quum sua interesse crederet, ut quam quam satis commendatus tibi esset, nostris literis instructior ad te, quem admiratur merito, accederet, tam singulari praedito virtute, atque ingenio deesse nolui. Neque jam vulgari commendatione opus reor, ne aut de iudicio in istis tuo, aut virtute talis Viri dubitasse videar. Voti mei, ac petitionis summa erit, ut illius causa, qui te vere aestimat, ac mea, tantum illi tribuas, quantum, dum hic esset, probi omnes celeberrimique viri tribuendum iudicarunt. Non cessurum ullis studiis, aut meritis spondere possum, qui expertus loquor, nec ignaro, satis iam perspectum, aut non satis meritorum eius conscio, sic tamen amplius commendo. Vir summe, vale, ac nos ama. Lugd. Bat. XVI. Iunii MDCXXX.

Nominis tui observantissimus

DANIEL HEINSIVS.

DCLX.

GERARDO VOSSIO IO. MEVRSIVS S.

Amice praestantissime,

LIteras tuas tam quas postridie Kal. Maias, per mercatorem Slaglosiensem, quam quas VI. Id. Iunii per Davidem Gulielmum a me dedisti, recte accepi. In illis pariter atque in istis, video adfectum, exosculor: quem ut sempiternum in me esse velis, id te rogo, etsi nullo modo dubito. In prioribus, magnas nimis gratias agis, pro re sane non tam magna: sed est amor, qui exaggerat, & ex musca tibi elephantem facit; tamen abeam a vero, si id mihi maiorem in modum gratum negem; item illud, quod spem facis, brevi hunc libellum nostrum editum iri. Vbi id autem factum fuerit, mitte mihi exemplaria compacta decem, & incompacta alia totidem; pretium compactionis, & ab adfine ecclesiaste Vassenariensi repetes. Mittes vero Amstelodamum, ad Ioannem Iansonium, qui recte ad me curabit. Exemplar quoque Hagam unum mittas censeo, ad Dominum Mylium, communem amicum. Dabis quoque Riveto, Cunaeo, Heinsio, Vorstio, Barlaeo, & Scriverio. In Italiam duo mittes Illustrissimo Molino, & Francisco Mariae; in Angliam quatuor, Spelmanno, Iunio, Critonio, Pettaeo; in Galliam, Grotio; de Salmasio, facies tuo arbitratu atque nomine: nam in illo certe Viro, ut libenter diffusissimam lectionem, ac doctrinam singularem, aestimo pariter, praedicoque, sic modestiam, & candorem, merito desiderare mihi videor: ubique sedulo cavet, ne me nominet, etiam ubi deberet; taxet vero quamlibet subpresso nomine, ubicumque se occasionem nactum esse putet. Ego tamen, uti fert ingenium meum, eius mentionem honestam pridem feci libro de Ludis Graecorum, pagina 35. Et tuam fidem an non iure, & Iudicium requiro; quum tam multa ubique incolet, collo etiam obtorto abducta, loco admodum alieno? Ad quod ineptum satis, cum Solinum nobis edat, & in illum Commentarii proposuerit, opus totum quod cum Plinio eum Auctorem contulisset, Exercitationes Plinianas dicere. Quis doctorum ad hoc tempus in hunc modum commentationum instituit? Modestiam vero itidem me desiderare iure existimo; nam si qui seorsim sentiant, posse nugari, nugas agere, ridicule agere, inepte agere iudex iste sine suffragio pronuntiat; sententiae suae, saepe etiam minus rectae, nimis pertinax defensor. Ego nunc Historiam trium Daniae Regum edo Hafniae impellentibus Viris aliquot Primatibus; qui ut me ac mea amant; aexistimatque, sic vulgari specimen istud operae meae plane cupiunt. Vbi Typographus absolverit, mittam exemplar. Probasse se tibi Ernostium nostrum, est quod gaudeam; gratiasque magnas ago, quod posueris

Ann. Chr. MDCXXX

ris tantum pretii commendationi meae: Ego paria sum facturus, sicut amicitia nostra dignum puto, si quem unquam huc euntem commendabis. Mira retulit, qui has adfert, Iacobus Marci, agere nunc Hamstelodami Vtenbogardum, Grevinchovium, & Episcopium: ac praeterea, urbis eius Magistratum Scholam quamdam illustrem erigere, ac Barlaeum illuc ad Professionem amplissimo stipendio advocasse. Sed tu nullum de his verbum: fac me, quaeso, proxime certiorem. Doleo diffidia patriae, & concordiam tandem constitutam optem. Vale, amicissimum caput. Vxor mea te, tuamque salutat plurimum, liberi, vicissim tuos: filiam inprimis filia. Vorstii literae gratissimae fuerunt, atque rescripsissem ipsi, nisi Iacobus Marci noster festinatione sua voluntatem impediisset. Fiet proxime: interim salvere multum ex animo iubeo. Salveant quoque Viri alii amicissimi, & clarissimi, Rivetus, Cunaeus, Heinsius, Barlaeus, & Scriverius; qui & ipse hactenus in Vorstianum modum silet. Eius quoque si potes veterum excita. Facit rem indignam amicitiae nostrae; iterum vale. Sorae, ad diem XXI. Iunii MDCXXX.

Tuus ex animo

IOANNES MEVRSIVS.

DCLXI.

DAVID DE WILLEM IO. MEVRSIO S. P. (a)

QVam benigna tua in me voluntas sit, Vir omnium partium sapientiae Doctissime, ex eo maxime percepi, quod me ad favorem tuum, atque vestrum delicio sum secessum, tam amice nuper invitasti. Nec sane invitationi libenter morem non geram, nisi amores mei minus hactenus pro voto felices, incitatum animum ab obsequio, & promisso impediant, quippe quos ingenium, & honor utrinque foveant Eo esse ingenio nosti puellas omnes, ut aegre ferant se lente, aut frigide amari, ubi redamari coeperint. Vnde temporis aliquid vix licebit fallere, quod amicitiae renascenti condonem, ut eo citius ad aram benevolentiae postliminio revertar, & rite faciam meae Divae. Quod tamen iuxta Satyricum infossum hic esto. Qui Romae tuis plaudunt monumentis, sunt Quaerengus, Alexander Mascardus, & Ioannes ille Baptista Laurus, in cuius centuria Epistolarum Illustr. VV. legi epistolam, quam ad te scripsit. Ipsam centuriam tibi mittam, si litteras eius non acceperis, & tibi volupe sit videre, quid scribat. Senis Etruscorum conveni Virum dignitate, & eruditione summum, cuius nomen mihi excidit, qui tuum congressum omnino desiderabat, & de Electore Palatino, aliisque Principibus, de statu item Germaniae, Italiae, atque adeo totius Europae libere, & vere multa mihi dixit, secretissimam instructionem communicavit, dignam, quam legas, in qua Germaniae Caesari adversae consilia speciose deteguntur, & postremo subiunxit dolorose tantis impendiis hodie Reges ad ferrum, & speratos properare triumphos, ut vano, & pudendo adparatu pacem deinceps, & regnum eprecentur. Cancellarii Regii gratiam caussae fratris mei praesidio esse posse existimo. Quaeso te, si absque tuo incommodo fieri potest, ut illi significes, quasi rem gratam ei facturus, me Apollonii illius, qui scripsit de Conicis sectionibus, libros repperisse Aleppi lingua Arabica, qui hactenus in Europa desiderabantur, quos Magni Etruriae Duces, & imprimis Cosmus ille tantis impensis, tam ambitiose quaesivit; cui illud quidem elogium merito dari nemo diffitebitur, ὁ Κόσμος τοῦ κόσμου κόσμος, & hac occasione ipsi dicas, quae tibi pro tuo in me adfectu videbuntur, & una indices, te in hanc me spem erexisse, fore ut adhibeatur eius gratia conveniens cura eruendae, & tuendae contra privignos fratris mei Ioannis aequissimae caussae. Sunt e magistratu, quibuscum illi res est, aut Consularibus familiis inserti, unde eius caussam merito singularem, & propriam executionem desiderare videri posse. Si quid boni evenerit, tibi adscribemus. Vtere pari iure, mi Meursi, si qua in re nostra tibi hic & in Belgio opella, atque alibi erit opus impera, quod lubet. In omne sacramentum venio. Tuus enim sum, eroque, non illa vulgari, ac sublesta, sed antiqua, Romana, vel si malis Germana, aut Batava fide. Vale Vir summe, & libertati meae ignosce, meque amare perge usque adeo redamantem tui. Hafniae, ipsis Kal. Iul. CIↃIↃCXXX. stilo Gregoriano. Lectissimam uxorem tuam; lepidissimam filiam, & dilectum filium salutatos esse iubeo.

DCLXII.

IDEM EIDEM.

PLuribus nunc non licet propter subitum eius discessum, cum quo has mitto. Vnum hoc scripsi ad te ipsis Kal. Iul. An Doctor Schulenburgius eas tibi reddiderit, cupio scire. Langueo in hac urbe, & mihi videor e beatorum domicilio delapsus, velut carcerem, & custodiam habere hanc Daniam, & revolvor identidem, ne quid mentiar, ad ocellum urbium Amsterodamum, in quo veneror inter cognatas sanctum mihi nomen illud, sidus exoriens meae salutis. Itaque subsequentis septimanae finem de domuitione instituenda cogito. Tibi numquid possum? impera. De induciis non parva spes nuper fuit. Sed ea de-

(a) *David de Villem*, Batavus, ac, ni fallor, Amstelodamensis, ex familia fuit, cui multum per ea tempora negotiorum erat in Dania. Pater enim eius, celebris mercator, *Paulus de Willem*, & quantum memini, etiam patruus, gloriosf. mem. Regi *Christiano IV.* fidem suam, & prudentiam ita adprobaverant, ut eorum opera in rebus pecuniariis, ac aliis quae in Belgio curandae, Rex haud raro uteretur. Est vero *David de Willem* is quem nonnunquam *Vossius* in epistolis *Davidem Guilielmium* vocat. Peregrinatum fuisse non solum in Italia, sed & in Oriente ex hac epistola constat: Credo, Consulem, ut vocant, fuisse Aleppi Hollandorum nomine. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXXX. decollavit, litteris, quas modo accepi, scriptis XXII. Iunii Vale V. Cl., & me in cultoribus tuis aliquo loco esse patere.

Hafniae XII. Iulii MDCXXX.

DCLXIII.

HENRICVS ERNSTIVS IO. MEVRSIO S. ἐν Κυρίῳ.

QVum Lugduno Bat. essem, literas ad te magne Meursi, amice maxime, dedi, easque ad te perferendas apud integerrimum, & incomparabilem D. Vossium deposui, in quibus quanti egregius ille Vir te faciat, & ego utrumque vestrum aestimo, non obscure indicavi. Nihil aliud malim, si fas est hominem Christianum quidquam optare, quam ibi eligere sedem fixam, ubi vestra familiaritate uti possem. Ab eo tempore, quo a te discessi, amor meus erga te certe non est imminutus, sed, crede mihi, ita auctus, ut nulla ferme hora praetereat, in qua integritatis, bonitatis, & pietatis tuae (de eruditione tua ineptum esse dicere, ea enim, isto in genere literarum, quod tu excoluisti, te omnes quotquot hodie ingenio, & eruditione praestant, superare, mihi certe persuadeo) non recordor. Iam experior verum esse quod David ille Aethiopum Rex Christianus, ad Ioannem III. Portugalliae Regem (cuius epistolam Damianus a Goes, eques Lusitanus reservavit) scripsit: quod scilicet maior amicitia oriatur inter longinquos, distantes, quam inter eos, qui propinqui sunt, propter desiderium, quo tenentur. Verum ego hunc meum leniam dolorem, iucunda bonitatis tuae recordatione. Multa te salute impertit Cl D. Edmundus Merillius IC. & Vir in omni literatura excellens; quo utor familiariter, [a] quem Virum tibi commendo bonum, & doctissimum. Ille me beneficiis suis magis magisque auget, ita ut simulatorum nonnullorum amicorum facile oblivisci possim. Nihil hic novi, nisi quod D. Merillius duos libros Tertulliani ad Nationes cum Notis Iacobi Gothofredi Iurisconsulti editos, mihi ostenderit, quos, si per occasionem fieri potuisset, libenter tibi misissem. Libri isti nunquam ante sunt in lucem emissi: ego perlegi eos, magnamque ex iis utilitatem accepi; multa enim in iis reperiebantur, quae ad Leges meas recte intelligendas non exiguam opem adferre possunt. Vale. Dab. Avarici Biturigum. XVI. Sept. Anno CIↃ IↃ CXXX.

DCLXIV.

OLIGERVS ROSECRANTZIVS IO. MEVRSIO S.

Clarissime Meursi.

AMice desideratiss. Filium meum Ottonem iam per Belgium in Angliam, & Gallias cum Deo propitio mittendum, a vobis revocatum, praesentem meum ministrum ablego: quem adeo sine meis te salutare religio mihi erat. Inprimis quod filius hic meus te aliquamdiu parente altero usus, me tibi debitorem vicissim tot nominibus obstrinxerit, ut nisi sponte id, quoties commodum se ulla offerret opportunitas tibi profiterer, graviter in te delinquere me, non possim non mihi esse conscius. Prolixius vero verbis me tibi offerre haudquaquam me decere arbitror, ne, vel de tua fide, quam pro ingenua tua sinceritate mihi tu habes, vel de mea, quam pietas ipsa me tibi debere facit, suspicioni locum ullum ulla ex parte relictum esse, subvereri videar. Faxo vero interea sedulus, ipsa re continuo intelligas, quantum equidem, etiam supra eam, quam verba praeseferre sufficiunt, fidem, tibi debere perpetuo contendam. Filium meum Ericum una cum Mulenio meo, ipsi a vita, & studiis ἐργοδιώκτῃ adiuncto, in Academiam Lugdunensem ex Anglia hac hyeme intra pauculas septimanas per praesentem Virum iuvenem revocare animus est. Quos valde optarim, amicis ibidem tuis, per literas commendari, quorum consiliis, & monitionibus propediem te Precatore salutariter uti possint. Auctario novo me tibi denuo deviceris, nisi forte quod nihil mei sit, quod non tuum pridem totum effeceris. Vale cum tua tuisque. Deo coelesti nostro patri religiose commendatus. E Rosenholmiano meo XIX. Octob. CIↃIↃCXXX.

DCLXV.

DAVID DE WILLEM IO. MEVRSIO S. D.

Vir Clarissime.

IN Dania nuper semel abs te accepi literas, quum ego iterum, ac tertio scripserim. Summum amicitiae bonum humanitate constat & fide. Humanitatem facilitas scribendi sustentat, fidem veritas. Sed accusandi occasionem sectari ambitiosum iudico, oblatam non accipere, fraudulentum. Hoc quicquid est liturae, nostri memoriam, quae apud te exolevit, renovabit, & pondus, ut spero, accipiet, ab amicitiis, quas hic coniunctas vides. Vale, Vir Eruditissime. Amsterodami, ipsis Kal. Novemb. MDCXXX.

DCLXVI.

DOM. MOLINVS IO. MEVRSIO.

COn le lettere vostre desideratissime mi perviene insieme il libro de' vostri Commentarii delle cose di Dania, che già ho principiato a leggere con quel gusto, che soglio ricever da tutte le cose vostre, e con il quale in particolare intendo la vostra buona salute. Monsig. Baldassar Bonifacio si trova molto bene, e farò pervenirgli le vostre salutazioni. Il Padre Francesco Maria del Monaco è della religione de' Cherici regolari, in

(a) Vid. Epistol. Erastii ad *G. I. Vossium*, p. 76 num. CXVII. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXXX.

instituita già da Papa Paolo IV. di casa Caraffa, principale nel Regno di Napoli. Questo Padre, ch' è soggetto di molta virtù, e di buona erudizione è nativo del Regno di Sicilia della Città di Trapani. Suo Padre è Gentiluomo principale nella sua Patria; e per quel ch' intendo abbondanti di beni di fortuna. E' egli stato lungamente in Padova, e già da alcuni mesi se ne ritornò alla sua Patria, dove procurerò, che gli capiti la lettera, che per lui mi avete inviata. Tra tanto mentre attendo, che dal Sig. Vossio mi sia mandato il Danaro Pittagorico, *resto pregandovi Monsig. felicità. Di Venetia li* XII. *Dicembre* MDCXXX.

DCLXVII.

Io. CLVVERVS Io. MEVRSIO S. (a)

SAlvum me, atque incolumes meos salva, atque incolumis excepit Dithmarsia, Vir clariss. compater amicissime. At fanum non vidi, cui literas inscripseras, Gregorium Masium nostrum, sed beatum audivi nuper ad superos translatum. Dolendum sane, insigni ingenio tam breve contigisse fatum. Epistolam tuam amitino meo reddidi, ad te reportandam, uti & coniugis tuae ad civem Flensburgicam, quia enim uxor mea priores literas curaverat, intellexeram posterioribus nihil opus esse. Masio successor dictus est Wilhelmus Alardus iunior. Ita Deo benedicente, familia nostra uno adhuc pastore aucta. Hic iam caritas coepit eruditorum, quod plerique studiis, & fortunae Protestantium desperantes Martis castra adfectant. Neque negari potest, nisi θεὸς, quod aiunt, ἀπὸ μηχανῆς succurrat, aut interveniat, rem Protestantium, qua humanis perspicitur oculis, proxime interitum esse. Hactenus militariter imperata contributio est, & vi extorta: iam in legem abiit LX. armatorum millia annuo stipendio, & iugi, alere iubet Imperator. Quorsum hoc tendat edictum, quis ignorat? quis caecus adeo, ut non videat? Igitur in alia omnia ire incipiunt Protestantes. In tuam quoque patriam pace cum Anglo, & Gallo facta, omnem vim suam Hispanus rapiet. Ingentem certe Europae Christianae μεταμόρφωσιν haec comitia parturierunt:

Sed qui nefandum parturiit scelus,
Concepit aerumnam, pariet, velut
Quae vana per omnem inquietas
Ludificant simulacra mentes.
Fodit dolosam, ut nos capiat, scrobem:
Incautus in fossam ipse suam ruet:
In verticem ipsius recurret
Pernicies . . . . . que fraudes.

Vivit adhuc, qui ait: *Noli timere pusille grex.* Is & vos tueatur, & nos, & totam Ecclesiam suam. Salveant a nobis uxor, & liberi, & collega quondam meus *M. Ludovius Michaelius*, cum coniuge. Festinabam inter occupationes plurimas, Meldorpii, VI. Eidus Decemb. An. MDCXXX.

(a) De *Io. Cluvero*, qui *Meursii* Collega in Academia fuerat Sorana, ubi Theologiam docuerat, anno vero 1630. Ecclesiis Dithmarsicis praefectus Superintendentis nomine, nonnulla habet *Io. Mollerus* in *Hypomn. ad Alb. Bartolin.* p. 264. Praecipuum, quod nomini eius famam aliquam peperit, ingenii monumentum fuit, *Epitome historiarum totius Mundi, a prima rerum origine usque ad an. MDCXXX.* primum in Belgio edita, in forma quarta, at deinde saepius tum apud Belgas, tum in Germania Typis repetita. Taceo eius Commentarium in Apocalypsin, in maiori forma evulgatum. GRAMMIVS.

DCLXVIII.

OLIGERVS ROSENCRANTZIVS Io. MEVRSIO S.

LIteras postremas tuas, haud minus probe curatas, atque hisce proxime priores, quas filius Otto adtulit, M. Stephanus (b) vester hodie exhibuit, una cum libro Historiarum Regni nostri, sub tribus ordine Regibus, Stemmatis Oldenburgici primis, perque feliciter a te publicato. Eum vero adeo gratum mihi fuisse, certo tibi persuadeas, velim, quam patriae nostrae decus, ea inscriptione iam te esse adgnosco, & mihi gratulor. Iudicium interea tu requiris meum, quo sine adfectu operam eam tuam probari requiris. Ast frustra adfectum excludis, cui scriptione ipsa tua, quosque praeiudicio eiusmodi adficis, ut legem inde sibi indictam adgnoscere non nequeant, ad quam ipsi iudicium, nisi absque omni iudicio malint, de eiusmodi omni scriptione rumore (c) necesse habeant. Adeo videlicet non aliunde tua, verum ad tua alia quaeque exigere, ipsa tua in scribendo felicitas, postulat, imo imperat. Quod si vero circa res patriae nostrae uspiam non plene satis edoctum te, ex adversariis privatis meis, aut documentis aliis Bibliothecae meae peculiaribus, propediem observare contigerit; promptus equidem, quid me deceat, quidque tibi debeam, cupide agnoscere me, comprobabo. Interea saluberrime cum uxore, & liberis valeas, Deum veneror, & ego cum mea, omnibus vobis salutem plurimam impertio. Ex Rensenholm. meo d. XIII. Dec. Anno MDCXXX.

Pro literis Vossio meo nomine scriptis gratias maximas habeo. Spero me etiam ea occasione familiariorem necessitudinem cum Viro isto magno propediem lucraturum.

(b) *Stephanus Ioannes Stephanius*, Professor postea Soranus, & in Historia scribenda *Meursii* successor, ex editione *Saxonis Grammatici*, & aliis operibus luculentam famam adeptus. GRAMMIVS.

(c) Sic, sed vitiose. GRAMMIVS.

DCLXIX.

D. HEINSIVS Io. MEVRSIO.

CVm de tuo erga nos favore nemo dubitare possit, quin in summam, ac perspectam nobis toties humanitatem tuam iniurius quodammodo futurus sit, quumque honestus urbis huius civis, nomine Volckerus Ioannis, cum honesta coniuge, non semel nobis fuerit conquestus a Nicolao Baggero, Christiani, urbis Keuck consulis, filio

Ann. Chr. MDCXXXI. filio, summam centum sexaginta octo florenorum pridem deberi sibi, cuius testem chirographum reliquit, eamque rem D T. non ignotam esse, non potuimus, quin hoc negotium ita D. T. iterum commendaremus, ut quod ante omnia nunc commendatum volumus, optamus; paria quacumque occasione praestituri, Vale Clarissime Domine.

Lugd. Bat. An. CIƆIƆCXXXI.

T. D. studiosissimi Rector, & Senatus Acad. Lugd. Bat. eorumque nomine

D. HEINSIUS.

DCLXX.

CHRISTIANUS THOMAEUS IO. MEURSIO S.

GRatae mihi literae tuae fuere, Vir Clarissime non tantum, quod tuae erant, sed etiam, quod munus secum magnum ferebant: quod etiamsi primum non sit donum tuum, tamen inprimis ego iure reputo, quia patriae iuxta, ac mihi datum est. Non legere quidem, sed inspicere mihi hactenus contigit: prius tamen conceptum mihi iudicium, quam legam, fateor, partum nempe parienti dissimilem non esse. Quia quemadmodum antiquitate obruta multa cum laude aperuisti Patriae tuae, in qua nasci te contigit, fata fideliter deduxisti; ita te istius patriae, in qua vivere elegisti, historias non minori diligentia, aut manu leviori pertractasse totus confido. Amabit posteritas, etiam ab homine Batavo vernaculam Historiam discere, & sibi gratuletur aevum nostrum, quod si in iniqua tempora inciderit, aequum tamen scriptorem habeat. Talia cum sint, & publica tua merita, non est, quod amari a me tanto studio, & opere contendas: iniurius enim in patriam, virtutem, & adfectum tuum essem, si tales, & me amantes non amarem. Atque si latere te hactenus potuit, quanti te semper fecerim, inquirendum mihi erit, quo publicare possim, qua quidem cura amice sublevaris, si quo explicari animus in te propensus possit, ipse explicaris. Id ut a te exspecto, ita exspectari a me, quae possunt, ab illo, qui Meursio omnia cupiunt, officiose contendo. Vale cum uxore, & liberis diutissime, felicissime. Exarabam Hafniae VIII. Ianuar. ineuntis anni MDCXXXI. cuius auspicium, progressum, & egressum exoptatum tibi adprecatur.

Tuus
CHRIST. THOMESEN,

DCLXXI.

BALTH. BONIFACIUS IO. MEURSIO.

C. Caesar Caligula, Romanae urbis eversor, ac totius propemodum orbis terrarum exterminator, de sui aevi ignominia conquerebatur, quod nulla insigni calamitate claresceret. Augusti enim principatum, ut cum Svetonio dicamus, clade Variana Tiberii, ruina spectaculorum apud Fidenas, memorabilem factum; sui, oblivionem imminere prosperitate rerum. Si tamen hodie reviveret, nostra haec tempora, vel hoc ipso felicia putaret, quod insigniter infelicia, belli, penuriae, pestilentiae cladibus censeantur. Haec propter precario vivimus, utque aiunt, adacto ad iugulum gladio, anxiam animam trahimus, & ad vota suppliciaque Numinis conversi; nihil iam, nisi pium, nisi religiosum, & lacrymabile meditantes, sacras quatuordecim orationes, quibus titulum fecimus: *La Reina del Cielo, con le sue Damigelle, Panegirici sacri di Baldassarre Bonifacio, Archidiacono di Trevigi*, prope ad umbilicum perduximus; si quomodo coelestem indignationem avertere precibus possimus. Publicis miseriis accessit privatum incommodum. Canoniam enim Monsilicensem, quam annos abhinc decem bonae fidei Viro Leonardo Sanctinio, munere vitae nuper defuncto, servata nobis fructuum portione transcripseramus, adripuit Franciscus Carolus, qui Patricii cuiusdam fretus potentia, pecuniam nobis improbissime intervertit. Quod igitur unum superest, ad Dominum nostrum Dominicum Molinum, summum iam magnae huius Reipubl. apicem, in quo uno secundum Deum omnis nobis spes est, oppressi ut levemur, confugimus, eique subiecto Epigrammate supplicamus. Historiam tuam Danicam quoties legimus, Tacitum ipsum, sed aliquanto explicatiorem, legere videmur. Denarius tuus Pythagoricus, decantatissima eiusdem Philosophi tetrade longe amplior, & absolutior, nos urtica nominis sui vellicat, atque adeo titillat. Illum igitur avidi exspectamus. Tu interim, Vir doctissime, & humanissime, bene vale, & nos, qui te unice amamus, benevolentia tua, quod facis, amplectere. Tarvisii Calend. April. MDCXXXI.

Ad potentissimum Bonifaciae Gentis Patronum
DOMINICUM MOLINUM.

Nos docet armatum miseris prodesse Tonantem
Conservatori cusa moneta *Iovi*.
Vertici stat nudo Princeps, at Iupiter adstans
Protectum trifido protegit igne caput.
Tu quoque, par superum Regi, sis obvius hosti,
Meque manu extensa, Magne *Moline*, tegis.
Est tibi iustitia, & pietas, & summa potestas,
Quae Deus ipse tibi tela trisulca dedit.
Me miserum! sed vexor adhuc; se namque superbus
Hostis, & ipse suum iactat habere Iovem.
Enumerat si Varro Ioves, ait ille, trecentos,
Ter mihi millenos enumerare licet.
Si iuvat, heu! tantam Iovium censere phalangem,
Et quot sunt homines, pene tot esse Deos;

Sun-

Ann. Chr. MDCXXXI.

Sunto, sed aequa tuis nequeant demittere saltem
Fulgura fulguribus, fulmina fulminibus.

B. BONIFACIVS.

Cum inter varias animi aegritudines caput sacro igni intumesceret.

Os tumet, & plus Aeolio distenditur utre,
Inque caput videor totus abire meum.
Cresce caput, moles etenim tam vasta malorum,
Qua premor, angusto non capit in capite.

EIVSDEM

In Obitu Laurentii Pignorii, & Martini Sandellisi.

Laurenti heu docte, & docte heu Martine, periistis!
Egregium verae exemplar amicitiae.
Cum duo vixistis, tunc unum vivere visum est,
Bis periisse unum, cum periere duo.
Si vincla in terris vestri mors solvit amoris,
Hunc coelo aeterni nectit amantis amor.

Laurentii Pignorii Tumulus iuxta Vrnam Antenoris a Dominico Molino excitatus.

Hoc apud Heroem tumulo te condidit Heros.
Grandis enim virtus grande poposcit opus.
Munus habes Herois Hei, quod nulla vetustas
Tollat, & eiusdem pignus amoris habes.
Quodque fuit fatale tibi de pignore nomen
Numinis Hadriaci iam pia cura probat.
Et quem praestiteras alii, tam saepe sepulchri
Summus honos, merito redditur ille tibi.

Iuncta Amicorum Funera ad Dominicum Molinum.

Quanto a Numinibus reliquis habeatur honori
Numen Amicitiae fata, Moline, probant.
Nempe quibus simul, & pariter vixisse dedere,
His simul, & pariter fata dedere mori.
Id modo Boldonus docet, & Campegius, atque
Id modo Sandellus, Pignoriusque docet.
Omnem etenim nexum rabido licet improba nixu
Solvat, amicitiam solvere Parca nequit.

B. BONIFACIVS.

In Rusticum.

Quicquid Hyperboreis aetas dedit aurea quondam
Hoc & apud Boream nunc quoque Moschus habet.
Innumeras cum pascat apes Hercinia silva,
Quercubus ex ipsis nectaris unda fluit.
Rusticus ergo cava sumturus ab arbore favos
Insilit, ac praeceps mergitur ore tenus.
Stulte, quid incassum tentas emergere? visco
Tam dulci potius capta quiescat avis.

Sorti redde tuae grates, & lambere perge,
Hic tibi dulce datur vivere, dulce mori.

Ad Franciscum Cornelium apud Hispaniae Regem Reip. Venetae Oratorem. (a)

Excidiis fatale suis timet Africa nomen,
Dum te, Corneli, perdere fraude parat.
Sed tua delusit rapidos fortuna latrones,
Qui vacuam domino diripuere ratem.
Scilicet Hispanos inter Liguresque videbas
Incessus Veneto quam male tutus erat.
Ficta senis tandem sileant miracula Cei,
Carior es multo, quam fuit ille, Deo.
Nempe quod excendas navi non Vmbra sepulti,
Sed Genius potius te tuus ipse monet.

B. BONIFACIVS.

Non ego Thrax Orpheus, quamquam mihi bella canenti
Praebuerit placidas Thracia silva feras.
Hospita me platanus fovit genialibus umbris,
Cum male Palladia pulsus ab urbe forem.
Haud equidem miror, si me sermone loquentem
Plus nimis obscuro, non satis ipse capis.
Arcanam Batavus linguam bene percipit unus,
Et mihi vix alius rhapsodus esse potest.
Vtque vides, habeo hunc mecum, quia saepe solemus
Caedere verba simul, dum simul esse licet.
Quippe ego in Elysiis habito, stat hic hospes apud vos;
O statio haec vestro sit diuturna bono?
Nos eadem fortuna pares coniunxit, & ambos
Ingenio similes consociavit Amor.
Ingenio similes adeo, ut quod scripserit alter
Alterius tantum possit ab arte capi.
Libera nos ambos genuit Respublica, doctis
Vtraque clara Viris, utraque iuncta mari.
Longinquam, quod cum populo gessere potente
Cecropidae bellum, ceu legis, ipse cano.
Hic quae gesserunt Batavi cum Rege potente
Bella, cruenta magis, nec breviora, canit.
Sic ait, inque illas, quas cantu mulserat, auras,
Nescio quo pacto, ceu liquefactus, abit.
Felix, o felix bis, terque, quaterque, Meursi,
Cui tam divinas contigit esse dapes.
Thucydidem volvens, delibas Attica mella
Vt libet, aut potius lac Iovis inde bibis.
Cum merito dicare Διὸς μεγάλου ὀαριστής,
Cur nos adloquio vis prohibere Dei?
Coge, Moline, Virum; vim ius fortasse recuset
Inferre; at precibus cogitur ille tuis.
Quid tenebras iuvat illustrare Lycophronis atri,
Et non Thucydiden explicuisse magis?
Nil det Palladium, vacua quid profuit Arce?
Palladium vere est Thucydidae ingenium.

AD EVNDEM.

Innumeros habeat passim cum Phoebus alumnos
Magna Poetarum cum sit ubique seges,
Ita-

(a) Editum hoc est in B. Bonif. Musar. lib. IX. num. 81. p. 394. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXXXI.

Itala prae cunctis tellus, uberrima vatum
Praecipua Musas religione colit,
Quodque magis miror, dant omnes carmina gratis,
Sponte canunt omnes, praemia nemo refert.
Id tulit indigne, stomacho latrante, Marinus,
Et procul hinc aliam coepit inire viam.
Ventre quidem vacuo graciles cecinere cicadae,
At vacuus temere non cecinisset olor.
Tansgrediens Alpes factus conviva Deorum
Derisit nostram iam satur ille famem.
Ausonias rursum dolet aerusca re Camoenas
Felsineus vates, esuriemque pati.
Et merito queritur neglectas Regibus inter
Ancillas humiles consenuisse Deos.
Deseruere tamen Regum palatia tandem
Inque Senatorum delituere domo.
Scilicet Aonidum nequeunt liberrima colla
Servile ulterius ferre, Moline, iugum.
Atria mancipiis ipsis odiosa relinquunt
Et loca nobiscum liberiora colunt.
Nam Van der Mylius, Batavum lux, excipit illas,
Atque illas Venetum colligis ipse iubar.
Ergo reflorentes nobis florentibus; aiunt
Vos sibi praereptum restituisse decus,
Nomine persimiles, similes quoque moribus ipsis,
Aequales meritis, nobilitate pares.
Gentiles iunxisse rotas voluistis, opinor,
Quo melius nobis utraque iuncta molat.

BALTHASAR BONIFACIVS.

DCLXXII.

PETRVS CVNAEVS IO. MEVRSIO S. D. (a)

Vir Clarissime,

Historiam rerum Danicarum, quam admirabili successu contexere coepisti, atque item Denarium Pythagoricum, ambos ingenii tui luculentissimos foetus, ex munere tuo tradidit mihi collega noster amicissimus D. Vossius. Nihil mihi fuit gratius iucundiusque, quam penitus perspicere veterem illum summae tuae eruditionis genium, quem, pridem, quum apud nos esses, colui suspexique. Gratias tibi ingentes pro donis tuis habeo, ac, ut referre aliquando possim, opto. Gavisus vehementer sum, constantem esse te in suscepto semel mei amore: in quo debes credere mutuum facere me, neque in adfectus sinceritate tibi concedere. Rogo te, ut de seculo nostro bene mereri, ac rem literariam praeclaris scriptis tuis, & commentationibus augere pergas. Quum enim amplius adspectu tuo colloquioque perfrui nobis non liceat, unum illud superest, quo lenire possimus tui desiderium. Viri clarissimi, D. Vossius, & D. Barlaeus a nobis Amsterodamum abeunt, ubi discesserint, idem in illis, quod in te nobis continget. Abeuntes subductosque quaeremus frustra: ac vitio humani ingenii praesentia bona apud nos eviluisse dolebimus. Quid porro agas tentesve, scire aveo. Quippe res a moribus, atque ab institutis tuis, alienissima otium est; & me aliosque, mei similes, qui per ignaviam consenescimus, in ruborem das. Vale, Vir Clarissime, & me ama, ac subinde ad me scribe. Ego in eo officii genere nunquam cessabo. Lugduni Batavorum, pridie Calend. Maii MDCXXXI.

DCLXXIII.

CORNELIVS VAN DER MYLEN IO. MEVRSIO S.

Monsieur, ie me resjouis tousjours recevant de nouvelles de vostre bon estat, & santé. Vos dernieres du 23. de Mars estoyent accompagnées des exemplaires d' Aelnothus, *deux pour l'Illustrissimo S. Molino, & le troisiesme pour moy. Ie vous remercie bien cordialement du mien; les autres sont desja bien addressés vers Venise. Vostre Histoire de Danemarc a esté ici approuvée par des hommes d'estat, & des lettres. Ce jourdhuy le S. Vossius m'a apporté un exemplaire de vostre* Denarius Pythagoricus, *& un autre pour le dit Molino, qui luy sera envoyé dedans trois jours. Ce present me cause une nouvelle obligation, & ne souhaite rien tant, que de pouvoir avoir le sujet de vous temoigner la continuation de mon affection, & combien je vous estime. Vostre* Solon *est attendu de moy, & de plusieurs autres avec impacience. Les dernieres, que j'ay eu du S. Molin, ont esté du 4. du passé, par les quelles il vous salüa fort affectionnement, & me pria de vous faire tenir cest imprimé* Ptolemaei Evergetae III. Aegypti Regis, *avec ceste adjoincte lettre, & vers de Monseig. Balthasar Bonifacius. Mess d'Amsterdam ont voulu honorer leur Escole de deux Lecteurs au Professeurs fameux aux Histoires, & en la Philosophie, ayant à cest effect choisis, & appellé pour la premiere charge le S. Vossius, avec un traitement de deux mille cinq cents florins des nostres par année, outre le loüage d'une maison commode, montant par an à sept cents livres; pour la seconde le S. Barlaeus, avec pension annuelle de quinze cents florins, & mesme loüage de maison, & autres avantages pour luy, & l'autre. La raison de la diversité, est venu de ce que Barlaeus estant à Leiden sans charge* (b), *n'a pas demandé d'avantage, & que Vossius jouissant desja d'un gage de*

(a) Reperitur edita inter ceteras *P. Cunaei* Epistolas a Cl. V. *Petro Burmanno* (Leidae an. 1725. in 8.) estque n. CLXXV. pag. 250. ei vero ibidem subiungitur *Meursii* responsoria Sorae d. 4 Iunii 1631. pag. 251. quam mox alterae a *Mersio* litterae ad Cunaeum excipiunt (pag. 252.) Sorae d. 26 April. 1632. scriptae. GRAMMIVS.

(b) In Vita Episcopii, ubi de famosa illa Academiae Leidensis reformatione agitur, pag. 251. *Ita constituta Facultate Theologica placuit, & in aliis Facultatibus, reformationem quamdam adhibere Itaque* Petro Bertio Ethices, Caspari Barlaeo, *Subregenti, Logicae professio adempta.* Non vero necesse plura hic adnotare, postquam *Pet. Baylius* in artic. de *Casp. Barlaeo* omnia occupavit. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXXXI.

de seize cents florins, devoit se meliorer, devant que de changer. Barlaeus est desjà allé vers là, & le dit Vossius envoye sa femme & bagage, bibliotheque, & meubles pour suivre incontinent. Mess. de Leyden alleguent, & font disputer leur privileges contre Mess. d'Amsterdam; mais eux d'Amsterdam disent, qu'ils ne pretendent point aux droits d'Vniversité, comme de vouloir faire lire es facultés ny promotions es doctrines, Licenties, Mres és Artes ny choses semblables ou aucune immunité resentant Academie, mais simplement d'embellir leur escole, & mieux former leur jeunesse, pour envoyer plus capables à l'Vniversité de Leyden. On se prepare ici vivement pour aller bientost en campagne. Dieu veuille benir les desseins de Monseig. le Prince. Le Duc de Vandosme est ici, qui a eu permission de l'Estat de lever sur le nom de son Cadet, le Duc de Martignes, un Regiment de trois mille François; autres ont eu semblable charge, & tient on que la levée extraordinaire sera jusques à dix-huit mille hommes. Vous aurez sceu, que le S. Pavv ey devant Pensionaire d'Amsterdam a esté choysi pour successeur au feu Pensionaire d'Hollande, & Westfrise Duyck. La survivance du gouvernement, Admirauté de Capitaine general d'Hollande, Zelande, & autres provinces estants soubs Monseig. le Prince d'Orange, ont esté avec reputation, & union deserés au petit Prince Guillaume, fils unique de son Excellence. Dieu veuille, qu'il n'en puisse jouir que d'ici à vingt & cincq ans, quand son Pere! en sera las. Ie vous salue affectionnement avec ma femme, & tous les miens, comme aussi Madame vostre chere compagne, priant Dieu vous conserver en longue vie, & prosperité: De la Haye ce II. de May MDCXXXI.

Le Duc ou Doge de Venise il Serenissimo Nicolo Contarini agé d'octante ans, & homme de bien estant depuis peu trapasé l'Illustrissimo Sig. Franc. Erizzo estant en la mer est choisi & esleu en sa place; il a reputation d'estre personne de valeur, & prudence. Le S. Vossius m'a promis de me vouloir aussi envoyer un Den. Pyth. pour le S. Bonifacius.

DCLXXIV.

GERARDVS VOSSIVS IO. MEVRSIO S. [a]

NOn soli vivunt Gomarus, & Meursius, qui Danaei, aliorumque exemplo, Lugdunensem scolam alia commutarint; nam iis ille ego Vossius tuus accessi, qui Amstelodamum commigravi, atque ibi haecnunc scribo. Miraris, scio; nec sane ego id unquam fore antehac credidissem. Nimirum multa homini inopinato obtingere videmus. Occasionem, scio, & causam consilii eius aves cognoscere. Iam diu est, quod Amstelodamenses vident, quanto cum periculo se liberosque suos exponant, dum carissima pignora, priusquam vitae modum sciant, mittunt Lugdunum, ubi licentia indies gliscit. Sane paucis abhinc annis plures commissae caedes, quam multo plurimis antehac. Vlceri huic Chironio non aliter medicinam se facere posse iudicarunt, quam si Professores aliquot alerent publice. Atque ego, & Barlaeus idonei visi sumus, a quibus professionis primordia ducerentur. Idem labor, ac honos mihi in illustri hac scola futurus, ac Lugduni: sed stipendium prope altera parte maius. Praeterquam enim, quod luculentam domum adsignarunt, annuos numerabunt bis mille florenos, & quingentos. Ad haec me meosque spe non una implerunt. Nec fallent, scio, qui iam adfectum exerere coeperunt erga filium meum Franciscum, urbis suae Advocatum; sed Leidenses magnopere huic instituto refragantur. Contendunt hoc adversari urbis suae privilegio. Quin in illustri Ordinum consessu comminati fuere, si Amstelodamenses persistant in proposito, nolle se quicquam in posterum ad bellum conferre. Tandem inter proceres harum urbium convenit, ut Curia utraque Hagensis, rebus expensis, intra mensem statuat, de mente verborum; quibus Leidense privilegium concipitur. Interea Amstelodami a publicis Lectionibus abstinebitur. Nihil periculi est, ne adversus eos sententia feratur, qui hactenus vocati. De Iurisprudentia vero, & Medicina, ac inprimis Theologia operosior fuit disquisitio. Sed negant Amstelodamenses de eo disputari debere, priusquam aliquos ad eas profitendas vocarint. Prodiit tandem Denarius tuus Pythagoricus. Ac decem eius exemplaria mitto, idque ex XXV. quot aegerrime exculpere potui ab Euclione illo, qui edidit. Ex residuis duo mihi reservavi: unum Venetias misi ad Molinum; alterum Lovanium ad Puteanum. Praeterea exemplar, uti iusseras, dedi Mylio, Riveto, Cunaeo, Vorstio, Heinsio, Barlaeo, Scriverio, Buchelio, & praeterea tribus, aut quatuor aliis in dignitate constitutis. Sed tamen plura, si exposces, non sinam ea a te requiri. Mitto & epistolas quatuor Canonicas Syriace ab Elzevirio excusas venustissimis typis, una cum Interpretatione, & Notis doctissimi Pocockii Angli, qui hocce anno in Syriam profectus. Cur noluerim te hoc opusculo carere, nihil aeque in causa est, quam quod mihi fuerit dicatum. Pro Historia tua Danica gratias ago summas: uti & pro Aelnotho Monacho. Scis, quam mihi omnia illa sint accepta quae ad Historiam novissimae etiam antiquitatis pertinent. Quanto magis iucunda sint, si tuo prodeunt beneficio ac cura? Attamen magis Historia me Danica oblectavit: tanto nempe magis, quanto illa plus tibi debet. Dictio mire placet. Candida est & tersa, penitusque Romana. Ad haec perspicua plane, quod ego in magna laude pono. Vellem ab hac parte tam felix esset Heinsius, in sua Sylva Ducis. Opus est quidem elaboratum, & in quo multa sunt ingenii lumina, ac doctrinae: sed dum Tacitum se

(a) Hac epistola respondetur Meursianae utrique, a. d. 5. Martii & 15. Martii 1630. pag. 69 seq. & p. 72.

Ann. Chr. MDCXXXI.

se aemulari putat, ac τῦ πολιτικῦ nomen affectat, dictio eius saepe nativum illud deperdit, inque obscuritatem tantam incidit, ut crebro, nec a sagacissimis, & prudentissimis Viris intelligatur. Quibus tamen Tacitus, & veterum alii satis sint plani, & aperti. Haec non mei unius sententia est, sed pene omnium, qui non palpum ei obtrudunt. Quod familiariter ad te scribere non dubitavi pro necessitudine amicitiae nostrae. Idque eo libentius, ut scias, occasione hac a multis praedicari, quae de Auriaco Principe, atque induciis scripsisti. Et scio, magis etiam praedicaturos ubi Danicam tuam Historiam legerint, quae paucissimis adhuc visa est. In Heinsiano illo Commentario, quem dixi, quaedam etiam Generales Ordines, & alios in dignitate constitutos offenderunt. Itaque absque Beaumontio fuisset, vix etiam cum quaedam jussisset recudi, privilegium ab Ordinibus fuisset consequutus. Omnino multum ei sudandum fuit, & tamen ne sic quidem satisfecit: iure ne an injuria non disputo. Tu vero hanc partem literarum quum legeris, litura una obduces: vel totam epistolam conscindes. Nihil enim adtinet, alios posthac scire, quae scriptitamus libere inter nos. Nondum dicere possim, quando futurum sit, ut Rutgersii τῦ μακαρίτου Bibliotheca auctione distrahatur. Promiserat Heinsius id fore, ante Paschales ferias. Sed illae jam elapsae, nec certi ex eo quicquam potui adhuc cognoscere. Interim spopondit non alteri cessuros libros, quos petiisti, ne quidem si iusto maius pretium obferatur. Svaneburgio nemo hactenus in professione subrogatus. Ambiunt id munus Hupertius Advocatus, Bronchorstius, Vorstius iunior, Vinnius, & Cabeliavius Iurisconsultus vestras, quem mihi per literas commendaras, longe mihi tua causa, & ob eximiam probitatem gratissimus fuit. Vtinam vero adfectum etiam ostendere liceret erga filium incomparabilis Herois Oliveri Rosencrantzii; sed de eius adventu nihil hactenus intellexi. Nec eas videre literas contigit, quas per eum misisse te scribis. Suspicor in aliam prius Academiam conferre se voluisse, priusquam ad Batavos proficisceretur. Vbi venerit, non sinam te quicquam in me desiderare. Omnino propter magnitudinem Herois omnia officia eius filio praestabo; simul etiam propter commendationem tuam. Alterutrum horum sufficeret; nunc ea concurrunt, quorum singula satis per se ponderis haberent. Solonem tuum videre aveo. Quaeso quomodocumque potius tua ede, quam ut diutius ea cum blattis, & tineis rixentur. Nihil aeque mihi dolet, quam quod non te solum carere cogar, sed tam diu etiam careamus tot aureis monumentis tuis. Cognoscere desidero, annon brevi, vel anno saltem hoc decreris invisere tuos in Batavia. Iam biennium est, quod sic receperas; sed hactenus spe vana lactasti. Vbi Amstelodamum accesseris, apud quem divertere cum tuis debeas, frustra scribam. Ea enim est amicitia nostra, ut liquido illa tibi satis praescribat. Salutat tuam uxorem uxor mea, filiam filia, imo omnes nos vos omnes. Etiam Clarissimis Collegis tuis, praecipue Laurenbergio, & Stephanio, plurimam meo nomine salutem dicito.

Amstelodami MDCXXXI. IV. Id. Maias.

DCLXXV.

DOMIN. MOLINVS IO. MEVRSIO.

Eri sera mi capitarono le lettere vostre de' 25. Marzo passato, e con esse la Vita, e passione di Canuto il Santo Re di Dania, scritta da Elnoto Monaco conturbeciente, alla quale avete aggiunte le vostre ben diligentie ed erudite annotazioni. Mi è egli riuscito sommamente grato e per se stesso, e per le novelle del vostro buono stato, che insieme mi portano le medesime vostre lettere col progresso delle degnissime, e fruttuosissime fatiche, che sempre maggiormente accrescono presso il mondo la vostra gloria, ed il vostro merito. Al Padre Francesco Maria del Monaco, che già alcuni mesi fa partì per Trapani sua Patria, procurerò di far capitare l'esemplare, che per lui mi avete mandato, e lo accompagnerò con la copia di quanto in proposito suo mi scrivete, acciò sappia quanto egli deve alla cortese buona volontà, che verso di lui tenete. E' da desiderarsi, che le lettere, ed il libro incontrino buona fortuna nel pervenirli, mentre e la lontananza, da queste parti del luogo dov' egli si ritrova, e le molte difficoltà, che s' interpongono al presente al ricapito delle lettere, e de' pacchetti, per la contagione, che al presente travaglia questa Città, anzi gran parte dell' Italia, rendono sommamente difficile, ed incerto il ricapito; tuttavia mi anderò ingegnando di far sì, che egli non resti privo della consolazione grandissima, che sì egli riceverà, e del libro per se stesso, e della testimonianza del vostro amore. L'esemplare, che mi mandaste della vostra Istoria di Dania, feci tenere a Monsig. Bonifacio, che così voi m' incaricaste, e da lui averete ricevute già lettere con l'avviso della ricevuta, e con i dovuti ringraziamenti, perchè inviate già da me al Sig. Van der Mylle; già intendo anco che gli siano pervenute. Il vostro Solone me tenirà in una ben curiosa espettazione, nella quale pur tuttavia resto per il Nume Attico, che mi pare intendere già abbiate stampato, se forse non prendo errore. Tra tanto amatemi Monsig. al solito, che io resto pregandovi il colmo d'ogni più desiderata felicità. Di Venezia li XXIII. maggio MDCXXXI.

DCLXXVI.

GERARDVS VOSSIVS IO. MEVRSIO S. P.

QVod moras tantas Vir, atque amice subnectat Blauwius noster, id non tibi tam molestum est, quam mihi. Eo magis

(a) Editarum haec est cxix. pag. 156. Resposns. Meursii est P. II. p. 85. Epist. cxxx. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXXXI

gis quia idem facit in Maimonide mei Dionysii τȣ̃ μακαρίτȣ. Simulac literas tuas avestrata mercatore accepi, recta me contuli domum eius. Sed aberat ab urbe; rediturus postridie dicebatur. Distuli igitur scribendi ad te officium, ut prescriberem certiora. Nunc ultra differre non licet, quia iam iam abiturus is, a quo literae mihi tuae redditae sunt. Et necdum Blauvvius reversus. Compellavi interea fratrem eius natu minorem ante menses sex septem ex Italia reversum. Exposui illi quae sententia tua foret. Ille petere ne quid agerem ante reditum fratris. Hoc causae cur non remittam scripta tua. Simul ille quid diceret certo te visurum specimen editionis, antequam ad vos redierit Danus hic Mercator. Facilem se, & citam scire ad te id procurandi viam. Negabam me credere nisi quod viderem tot annis elusus. Omnia meliora spondebat, & hac ipsa hebdomade orsurum, vel saltem simulac fratrem compellare dabitur. Quid facerem? Vrgebo opus filii, & tua: & tua magis quam illud filii loquutus sum, & ante annum circiter, & esterna iterum die Noomsium Arlanderveniae dominum de Cretensium editione eius honori dicanda, & opus ipsum lustrandum dedi. Qui valde eo capiebatur; sed aegre ferebat triconem Blauwium sic nos omnes frustrari. Nec ultra ego quidquam commonere, vel innuere potius (& si nec id opus fore apud honestam animam arbiter) quamdiu necdum videret lucem. Pestilentia quae superiori anno ex una Leidensi Vrbe sexdecim hominum millia abstulit, videtur nobis nunc comminari. Sed speramus meliora. Obeunt de hebdomade nunc trecenti nunc quadringenti. Nihil id tam magna in Vrbe prae Leidensi ubiquaque hebdomade cum lues illa maxime grassaretur, etiam mille quingenti, & ultra moriebantur. Grotii Marii, Libero responsum a Seldeno Iureconsulto Anglo, cuius de Syris Diis, & marmora Arondelliana, & alia exstant. Illustres Ordines nostri in mandatis dedere Graswinkelio Iureconsulto meo ante annos viginti discipulo, & convictori ut opus hoc refallat. Mitto ad te primam partem Annalium Batavicorum filii Matthaei. Scio quam rerum nostrarum sis intelligens, & tanto facilius probaturum se tibi confido. Clarissimis Viris Laurembergio, Stephano Ioannidae, aliis salutem plurimam, inprimis dilectissimae coniugi., & optatissimis liberis. Cui & coniux mea, ac filius filiaque salutem adscribi petiere.

Hamstelodami MDCXXXI. III. Non Iulii.

Tuus aeternum

G. I. Vossius.

DCLXXVII.

DOMINICO MOLINO HERO SVO S. D.
BALTHASAR BONIFACIVS.

QVum multa ingeniose, & subtiliter, tum illud inprimis dixisse videtur latinae tragoediae princeps, ita esse natura comparatum, ut curae leviores loquantur, ingentes obstupescant. Nobis enim qui iam ferendo non sumus immani calamitatum pondere oppressis, vastoque malorum pelago obrutis, tantus sive stupor, sive torpor obrepsit, ut non modo loqui diserte, sed ne respirare quidem libere possimus. Quum igitur seras, atque intempestivas de confertis carissimorum nostrorum funeribus a me querimonias accipies, abs te, Domine, mecum aliquanto clementius actum iri non dubito, quam a Tiberio cum Iliensibus: quibus de excessu Augusti serius apud se dolentibus facete respondit: *se quoque aegre ferre, quod Priamus, egregius eorum civis, obiisset*. Est quidem, nihil opportunum temporis importunitas nobis reliquit. Nam quicquid erat iucundum, fortunae improbitas abstulit, cum Felicem Osium, Petrum Ayroldum, Marcellinum, Gismundum Boldonium, Octavium Rubeum, Bernardum Bruschium, Alexandrum Becellum, Annibalem Campegium, Caesarem Cremonium, Henricum Davilam, Laurentium Pignorium, Martinum Sandellium, Ioannem Thuilium, aliaque longe plura orbis nostri lumina extinxit. Quippe in tantis aerumnis nihil patimur gravius, nihil audimus indignius, nihil spectamus lugubrius, nihil denique sentimus acerbius illustrium sapientiumque Virorum amissione. Neque ullam orbitas nostra consolationem capit, quod duae iam e tribus furiis in suas sese inferorum latebras abdidisse videantur, nisi sedata fame, profligatoque bello, pestis etiam in salubritatem evadat. Quod exacto luctuoso hoc triennio, saltem futurum vix, ac ne vix quidem speramus. Quid enim prodest pacem Viros Principes inter se componere, si nos homunculi, gigantum illorum aemuli, bellum cum Diis immortalibus adhuc gerimus? Desperata profecto est eorum sanitas, qui Deum neque ut patrem verentur, neque ut iudicem metuunt, & clementiam iuxta, ac severitatem, seu ludibrio, seu protervia despectantes, castigatione divina tam perverse abutuntur, ut vel poenas pro malorum irritamentis, atque illecebris habeant, eoque ipso peccare accelerent, quod angustum sibi peccandi spatium videant esse relictum. Vincat impietatem nostram summa illa, & invicta pietas, teque purum Numinis cultorem suis aris templisque incolumem praestet. Vale.

Rhodigio V. Idus Sextil. CIϽIϽCXXXI.

D E   A R C A
Divae Mariae salutaris Aedibus adsignanda.

Cum prope iam vacuas pestis saeviret in urbes
Morsque cadaveribus sterneret omne solum,

Templa salutari Veneti vovere Mariae,
Vnde fuisset origo, esset ut inde salus,
At variis Patrum studiis dubitante Senatu
Maxima quo moles sit statuenda loco,
Pindarica sapiens exorsus voce Molinus,
Esto procul tellus, Optima, dixit, aqua.
Quis Venetam neget in pelago stabilire salutem,
Tota salus Venetum si fuit unda maris?
Vrbs hera non gremio teneat, sed fronte coronam,
Postulat id gaudens ipsa Maria mari.

BALTH. BONIFACIVS.

DCLXXVIII.

DOM. MOLINO B. BONIFACIVS S. P.

MVltos olim populos, & nuper Scytharum gentem Sensimios ignem pro Numine coluisse sincerae fidei Scriptores memoriae produnt; quod motu vigeat perpetuo, quod sursum tendat, tamquam ceteris sese Diis coniuncturus, quodque rerum omnium purissimus nullum inquinamentum recipiat. Quo laudabilior videatur Persarum verecundia, quibus cadavera mortuorum cremare piaculum erat, ne scilicet tam nitidum elementum humanarum sordium foetore contaminaretur. Hinc ea quae divinum quiddam praeseferre putabantur, Solem, astra atque immortales mortalium animos constare igni maiores nostri sapientissimi Viri crediderunt. Iisque tantum hominibus, qui proxime ad Iovis potentiam accederent, h. e. Romanis Principibus, ignem praeferre legibus est indultum, ac eisdem duntaxat permissum, ut perduellibus suis igni interdicerent. Hinc etiam Regibus Zimbaeorum, & Benemataxarum apud Orientales Indos concessum, ut singulis annis per suos emissarios omnium ignes exstinguant, eisque scintillas novas e Regis promptuario distribuant; nempe ut tam sacrae & coelestis rei sacra, & coelestis origo censeatur. Denique nihil esse aeque carum superis, atque ignem, nos quoque existimantes, ignem perpetuum eorum simulacris dedicamus; tum demum pietatis numeros absoluisse iudicantes, si ex omnibus tholis ante omnes Divorum imagines multa certatim lumina subspendamus. Igitur desaeviente iam pestilentia, quae plurimas Italiae Civitates, ac Venetias praesertim, biennio vexavit, & propemodum vastavit, sancte & religiose, Patres optimi, fecistis, qui centum pondo auream lampadem Lauretanae Virgini spopondistis, inextinguibilem ignem in eius Divae delubro sumtibus vestris alituri. Quod egregium mehercule & cunctorum linguis praedicandum pietatis vestrae facinus hisce etiam versiculis placuit commendare. Vale. Rhodigio III. Cal. Sept. CIƆIƆCXXXI.

Ad Vrbem urbium Venetias.

Roma sacros aris aluit Vestalibus ignes,
In quibus imperii fata potentis erant.
Quoque magis puris fulgerent lumina flammis
Virginibus castas credidit illa faces.
Perpetuosque ignes Veneti vovere Mariae,
In quibus urbis herae vita salusque foret.
Virgineis cum rite focis. Vrbs Virgo ministras,
Quantum operae pretium feceris ipsa, vides,
Scilicet aeternam senio caritura iuventam
Lucis inextinctae praemia digna refers.

Ad Senatorem Amplissimum
DOMINICVM MOLINVM.

Admiranda equidem, & fortasse stupenda referrem,
Si modo visa loqui fas foret. hem quid agam?
Somnia quin narrem domino reverentia sistit;
Iis adhibere fidem religione vetor.
At simul ac sacri cessavit cura Senatus,
Adfatu facilem se mihi praebet herus.
Neve superstitio me fallat, somnia quaedam
Haud ego vana puto, pleraque vana tamen,
Tu quoque, quod dixi, Vir cordatissime, verum,
Sed praeiudicium deprecor, esse voles.
Quis porro, nisi mentis inops, oracula spernat,
Adtulit hesterna quae mihi nocte quies?
Perstat in excubiis vigili splendore lucerna,
Dum paulum recreat languida membra sopor.
Et veterum libri mihi saepe silentibus horis
Occentu somnos conciliare solent.
Thucydidem, decus historiae, tum forte legebam,
Ceu lallans oculos clauserat ille meos.
Semisopitus eram, cum dulcis in aure susurrus
Garriit, & somnum iussit abesse procul.
Tunc oculis oblata meis venerabilis umbra,
Altera mox etiam forma, verenda magis.
Hic maior, similisque Deo, fucusque capillo,
Moreque Graecorum palliolatus erat.
Ille minor, similisque viro, flavusque capillo,
Et Romanorum more togatus erat.
Alterius vox clara quidem, sed cognita nostris
Auribus, & nostros reddere docta sonos.
Alterius Cygnea magis, sed grandis, & inter
Maeoniamque tubam, Pindaricamque lyram,
Inter utramque manens, tamen excellebat utramque,
Nec mortale sonans, & mihi nota parum.
Haec, inquam, traheret silvas, & sisteret undas;
Tum, quasi Romanae gentis alumnus, ait;

DCLXXIX.

Ann. Chr. MDCXXXI.

DCLXXIX.

Io. MEVRSIO S. P.

EVnt in Daniam Foederatae Belgicae Legati, in quibus e Frisia praestantissimus Scaefferus; e Batavia vero nostra amplissimi Viri Beverius, & Oetgens: hic Consul Amstelodamensis, ille Consularis Reip. Dordrechtanae, filius Cl. illius Beverii, qui ante bimestre septuagenario, ut puto, maior decessit. Nefas fuisset eos sine meis ad vos literis venire: praesertim quum etiam petieris, ut tibi quam primum rescribere vellem, ecquid de docendis apud nos Graecis literis sit constitutum. Equidem vocatus huc sum ea conditione, ut illos subirem labores, subibam quos Leidae, eoque Graecas literas cum historia universa coniungi oportebit. Quo in consilio nonnihil aliqui nutant: qui me totum partim in rebus Hebraeorum, partim Romana Graecaque historia esse mallent. Ecquid tamen in eo sint mutaturi, non possum dicere, propterea quod de tota hac re Proceres nostri silent. Videntur nolle haec ad animum revocare, priusquam lis Hagensis sit decisa. Nullus dubito quin curia utraque sententiam sit latura pro Amstelodamensibus. Saltem hoc scio, plerosque quibuscum loquutus sum, cum Amstelodamensibus sentire. Sententia feretur post duas tres hebdomades ut ex iisdem Senatoribus cognovi. Interea ut dixi neque nos docemus publice neque Amstelodamenses quidquam de pluribus advocandis statuere, ne Lugdunensibus eo intellecto magis ira gliscat circa praecordia. Nam si iis diu invidia fuit urbis huius potentia, & ad invidiam odium accessit, postquam Amstelodamenses connivendum putarant in Remonstrantium concionibus, maximeque ubi seditiosos cives urbe eiecerunt, qui honorifice a Lugdunensibus excepti: quid futurum iis deinceps animi putas quando nostri illustre erigunt gymnasium & Doctores Lugduno arcessuntur? Praesertim si audierint eos de pluribus advocandis serio cogitare. Valde autem habent Lugdunenses Professores quod sibi de discessu meo gratulentur. Nam Curatores Consulesque ne alii tam facile alio pelliciantur, singulis Professoribus auxere stipendium, aliis quidem ducentis, aliis vero trecentis florenis. Itaque Theologi iidem Cunaeus & Scriverius iam habent mille septingentos, unde de ceteris possis coniectare. De editione epistolarum Casauboni adhuc deliberatur. Petunt Elzevirii ut cura Heinsii vel Riveti epistolae escribantur commoda manu, iis deletis quae praeteriri satius sit. Sed nec Heinsius nec Rivetus laborem eum suscipere volunt, vel etiam sumtus in eam rem facere ullos. Quare fortassis tarde haec editio procedet, si modo unquam successura. Videntur Elzevirii ex Scaligerianis non multum fecisse lucri. Id nunc minus promtos facit ad edendas Casaubonianas. Vgonis Grotii libri de Iure Belli, opus numquam satis laudatum, ac in urbe excusi multo auctiores. Arbitror fore, ut ubi Mercatores rediere a nundinis Francofurtensibus excudantur a Guilhelmo Caesio Commentarii mei de L. L. Leidenses Professionem Lingue Graecae obtulere Antonio Aemilio qui Rector fuit Gymnasii Vltraiectini, sponteque se munere eo laboris taedio abdicavit. Sed Antonius Professionem abnuit. Mavult deinceps vivere extra munia publica. Vir est doctus, dives, & qui spendorem illum Academicum non multum moretur. Arbitror Professionem eam deinceps obserendam Mag. Ieremiae Hoelelluo, quondam Correctori Ambergensis Gymnasii Lectoralis Collegae Becmanni: nunc Brilanae est Scholae Rector. Vir est moribus simplex, sed trium linguarum & Philosophiae admodum gnarus. Salmasius putatur Leidae adfuturus proximo Octobri aut initio Novembris. Stipendium erit bis mille florenorum. Etiam per literas ei spes facta liberae habitationis. De qua tamen nihil statutum postremo conventu Curatorum, quod aegre videntur assensuri Consules. Nempe ubi coram aderit, facile se id quoque adfecturum censet Somersdcius. Valde totum hoc aegre fert Heinsius ut facile potes cogitare. Vnum est quod facere possit, ut abnueret vocationem. Nam solum Thysii, & Walaei filio, qui studiorum causa in Galliam abeunt, literas Curatorum deferunt. Scis autem solere aliquem magni nominis mitti. Tuningius Scaligeri causa in Gallias missus: Herpenius ob Rivetum. Ego minutus homo quum vocandus essem Lugdunum, missi ad me ex Curatoribus Nobilissimus Van der Milius, ex Leidensibus, Consul Isenhauctius cum Syndico Zeistio. Est vero Salmasius ingentis spiritus. Quare nisi Rivetus, Iustellus, & amicorum alii moneant, ut hoc diminutum contemnat, plane futurum ut provinciam quam quodammodo recepit, detrectet. Brevi rem omnem sciemus. Salutem mei omnes tuae tuisque, ex animo quantum possint adscribi petiere. Etiam doctissimis Collegis, inprimis Laurenbergio & Stephanio salutem dices.

Amstelodami VI. Kal. Sept. CIƆIƆCXXXI.

Tibi fraterno amore iunctissimus

G. I. VOSSIVS.

DCLXXX.

CORNELIVS VAN DER MYLEM IO. MEVRSIO S.

MOnsieur, j'ay eu le bien de recevoir environ quinze iours passes en un mesme ioiur les deux vostres du VI. *de Iuin et* XXIII. *de Iuillet, ayant eu soin, que les adjointes à l'Ill. S. Molin et S. Boniface soyent bien recommandees pour Venise, laquelle ville se trouve par la grace de Dieu a cette deure moins affligee de la maladie contagieuse, mais Padoüe s'en ressent encores, les S.*

Osins,

Ann. Chr. MDCXXXI.

Osius, Cremoninus, & plusieurs autres personnages doctes y estans trespassez. Hier le Secretaire Gunther [a] *me fist l' honneur de me venir voir me consignant la vostre du trois du passè. I' estoy bien aise de pouvoir apprendre de luy vostre bon estat, et disposition, priant Dieu de le vous continuer tres heureux. Il me deplaist d' ovir qu' un prestre nouveau venu vous avoit un peu trouble* [b]*, c' est chose etrange, la charitè et l' humilitè, que cette sorte de gens devoyent practiser exemplairement, se trouve pour le plus souvent fort esloigne d' eux. Celui qui vous a parlè et escrit de moy, s' est abuse, estants mes affaires particuliers en mesme constitution, comme les laissastes à vostre depart. Vous remerciant cependant de l' affection, que temoignez à tout ce qui me touche. Vous ne sçauriez croire avec combien d' impatience vos amis, et moy entre les autres, demeurons en attente pour jovir de ce que nous promettez de vos labeurs. Le dit S. Molin aussi ne laisse presque passer semaine, quand il m' escrit, on fait instance a mesme fin. Venise, Rome & autres lieux d' Italie, ne s' en peuvent saouler. I' ay envoye vers vers la, outre les exemplaires, que vous y aviez destines de vostre Denarius Pythagoricus, encores trois autres. Les Sieurs Vossius et Barlaeus sont depuis le mois de May dernier avec tout leur mesnage à Amsterdam, sans faire des Lecons en public. d' autant que les Cours d' Hollande n' ont encores decidè la question, qui est touchant cela entre Mess. de Leiden et d' Amsterdam. On tient qu' en peu de semaines cela sera vuidè. On a apellè à Leyden le S. Salmasius avec tractement de deux mille florins et autres emolumens, et sans qu' il soit tenu de faire des Lecons. ce sera beaucoup si cela ne cause quelque jalousie, en cas qu' il vienne, de quoy je n' ay pas jusques ores eu la certitude. Vous aurez sceu la tres notable et extraordinairement grande victoire, que Dieu a donne à cest Estot, et a Monseign. le Prince, ayant en sorte beni l' admirable prevoyence, deligence et bons ordres de son Excell. que l' ennemy ayant depuis trois ans preparè un dessein, pour entrer au milieu de nostre patrie, l' à veu par l' assistence divine entierement esvanouir en peu de temps. Le Comte Iean de Nassau, qui en estoit le conducteur s' en estant a grand peine sauve avec le Prince de Barbanson, et un certain leur Admiral, lequel j' entends escrivant cette, que soit arrestè à Breda, pour rendre conte d' en son fait etc. Ie sçay bien, que vous vous resjouierez avec nous, et sur ce vous saluant tres affectionnement avec Mad. vostre Compagne, comme fait aussi ma femme, je demeure, Monsieur, vostre plus affectionne amy et serviteur. De la Haye ce XXI. de CIↃCIↃCXXXI. en tres grande haste.*

Ie viens recevoir de Venise ce que trouverez cy tout.

(a) Envoyé du Roy de Danemarc. GRAMMIVS.

(b) Erat ille *D. Christianus Matthiae*, olim Professor in Acad. Altorfina, postea Dithmarsiae Australis Superintendens. Demum Theol. Professor & Pastor Germanicus in Academia Sorana, usque ad an. 1645. quo, relicto hoc munere, in Hollandiam abiit, ibique privatus vixit, mortuus tandem 1655. Praeter varia Theologica opera, notus praecipue Historiae Vniversalis Systemate, quod titulo *Theatri Historici* evulgavit. Is vero circa finem anni 1630. Soram veniens, initio coeperat, pro zelo suo Theologico, *Meursio*, ut Calviniano, aliquantum molestus esse, donec huius tranquillitati Rex consuleret indicto alteri silentio. GRAMMIVS.

DCLXXXI.

BALTH. BONIFACIVS IO. MEVRSIO S. D.

MIretur fortasse aliquis te summum aevi nostri Historiographum, qui rerum Belgicarum, hoc est, patriae tuae Commentarios edideris, mox etiam peregrinam Daniae Regum Historiam conscripseris, ad numerorum mysteria, dubium eruenda subtilius, an explicanda facundius, animum adiecisse. Mihi vero, qui nobile illud Pythagorae placitum non ignorem, mentem humanam, imo & divinam numeris constare, nulla admiratio subiit, ingenium istuc ad praeclara omnia, praecipue vero ad res memoratu dignas memoriae commendandas & natum & institutum, potuisse de numeris tam prudenter philosophari, praesertim consideranti, quanta sit cum numeris historiae coniunctio. Id quod vel Barbari in Peruvia, si non satis acute intelligunt, saltem satis commode experiuntur. Iis enim numeri adeo literarum vicem supplent, ut non solum domesticorum, verum etiam publicorum eventuum annales nodis per chordulas distinctis contexant. Rebus humanis, seu fato Deorum, seu potius ignavia nostra, in peius semper labentibus, nimium quam turpiter a praeceptoribus suis philosophorum discipuli degenerarunt. Tu vero priscam & desitam, ac tantum non abolitam sapientis Samii doctrinam restituens, illud profecto adsequeris, ut non Pythagoristas, nec Pythagoraeos, sed Pythagoram ipsum nobis repraesentasse videare. Quod & adiunctis versiculis, nihil amicitiae dantes, optima fide contestamur. Vale.

Rhodigio Prid. Cal. Octob. MDCXXXI.

Myriadas multas valuisse denarius unus
Creditur, innumeros continet hic numeros.
Huius ego vires numeri pretiumque, Meursi;
Non possum numeris enumerare meis.
Hoc satis est dixisse, tua superatus ab arte
Discipulo doctor iam minor esse potest.
Quem vult Pythagoras, animae sit transitus, ipse
In te Pythagoras iam redivivus adest.

DCLXXXII.

D. MOLINVS IO. MEVRSIO.

HO scritto a Roma perchè mi siano mandate le Opere del Sig. Leone Allatio, promesse da lui in quella sua epistola dedicatoria, se pur saranno stampate. Quando mi vengano, ne le inviero, o pur le avisero quello, che mi sarà scritto in così fatto proposito. Del vostro Denaro Pitagorico già vi ho scritto il gusto ben grande, che mi son preso

Ann. Chr. MDCXXXI

preso nel leggerlo. Ora intenderete sopra esso il senso di Monsig Bald. Bonifacio, espressovi nell' aggiunta sua lettera, ed epigramma. Attenderemo il Solone, che ci promettete, e tra tanto io vi prego Monsig. il colmo d' ogni vera felicità. Di Venetia li VI. Ottcbre MDCXXXI.

DCLXXXIII.

DAVID DE WILLEM IO. MEVRSIO S. P.

Literis tuis XXV. Martii Iuliani ad me missis ut rescriberem iam dudum postulabat a me amicitiae ratio. Sed intercesserunt istis profectiunculae & occupationes meae, quas tu pro benevolentia tua, ut spero, admittes. Nunc ubi ad me simul & domum redieram, non substinui amplius moratorias praescriptiones obiicere. Atque ut me apud te liberem, mitto has, quas domi reperi, literas tibi inscriptas. Quod si alia in re vel amplitudini gloriaeque tuae, vel eorum, qui tibi cari sunt, commodis servire possim, exspectabis eadem a me, quae solis ab iis, quorum valde perspectam habes fidem, benevolentiam, observantiam. Dabo operam sedulo, & adsequar, ut spero, ut opinionem tuam vincam. Cl. Claudius Salmasius per literas, & ex scriptis, nisi fallor, tibi notus, vocatus fuit a Lugdunensibus nostris ad professionem honorariam. Recruduit inimicitia in Cl. V. V. Cunaeum & Heinsium, quorum quaedam ad te mittam. Mihi rem gratissimam feceris, si saltem aliquem industriae tuae libellum mittas, si quid novius edideris, nam tua fere omnia habeo. Emi nuper librum tuum de Luxu Romanorum, quem hic editum voluissem. Quod denuo te esse curaturum atque librum perpoliturum, vel potius iam curare existimo. Prodiit Lutetiae ingens opus Petavii Iesuitae duobus voluminibus contra Scaligerum de emendatione temporum; pretium est 28. florenorum. Haec scribo cum consultiss. Gunthero, qui torque aureo ab Ordinibus donatus fuit. Euripidis Tragoediam Phoenissae emendatam ex MSS. & Latinam factam ab H. Grotio & Memmio inscriptam pridem videris. Miseram Advocato Fromino Thomae Rivii Regis in Anglia Advocati defensionem Imp. Iustiniani adversus Alemannum, qui mihi remisit Gabr. Trivocii observationem Apologeticam adversus quosdam IC. & Procopii ἀνέκδοτα, qui liber mihi videtur alicuius esse indicaturae. Hic finio, Vir mihi plurimum aestimande, sed non affectum & fidem, quam apud te obstrinxi. Amsterodamo VII. Octob. CIↃIↃCXXXI.

Obiere Patavii Laurent. Pignorius & Cremoninus.

Ann. Chr. MDCXXXII.

DCLXXXIV.

STEPHANVS IOANNES STEPHANIVS IO. MEVRSIO.

Cl. Vir, Collega & amice coniunctissime!

Testor summum illud Numen, quod supra nos negotium curat, quam mihi serio curae ac cordi fuerit, ut fidem apud te meam liberarem, nomenque meum ex albo tuo expungerem, posteaquam nuper id tibi tam sancte promiseram. Certissima enim tum temporis me spes tenebat, fore ut tantundem argenti a Quaestore nostro & Scriba Iano Petraeo mutuum sumerem ex residua illa salarii mei summa, quod tibi deinde repraesentarem. Sed fefellit exspectationem meam bonus ille Vir, quippe qui ne teruncium sibi reliquum esse ex Regia pecunia conceptis iurabat verbis, daturum tamen se operam, ut post mensem unum aut alterum voto meo ac petitioni satisfaceret, pollicitus est. E meis vero loculis inaniarum ac aranearum plenis ne unicum quidem elicere assem licet: & si vel maxime essent locupletes, attamen pro tua nosti prudentia, quantam vim nummorum indies hoc loci postulet rei familiaris administratio. Per itaque sanctissimum illud necessitudinis foedus, perque arctissimum amicitiae vinculum, quo corda nostra ipse fons caritatis Deus ter Opt. ter Max. conglutinavit, rogo atque obsecro, ut debiti huius, quo tibi me obstrictum fateor, dilationem concedas mihi; mihi, inquam, quem Iuno Moneta a sacris suis nunc habet exclusissimum, ad Festum usque Paschatos. Interim omni ope adnitar, ut alienum hoc aes plene solvam, modo me bonae fidei hominem posthac agnoscas, velim. Vale aeternum lumen & decus patriae nostrae, & lento debitori tuo, qui nunc est Iro pauperior, facilis ignosce.

Prid. Kal. Febr. MDCXXXII.

DCLXXXV.

IO. GERARDO VOSSIO IO. MEVRSIVS S. P.

Vir Cl. amicorum maxime.

Superiore anno nihil abs te literarum accepi, praeter illas quae datae erant IV. Id. Maii: ego tamen semel iterumque scripsi post id tempus, si non tertium, & effigiem meam misi aeri incisam: neque dubito quin acceperis. Si scires quam mihi carae sint tuae literae, & quam animum exhilarent, saepe scriberes; ac vel unum hoc, te valere. Quod ut tibi diuturnum esse opto, atque tuis idem omnibus, ita etiam saepe intelligere cupiam. Iam occasio tibi est mittendi literas, quoties velis, & ego ipse viam tibi indicavi; quaeso utere. Mitto nunc Solonem meum, qui si tibi gratum se praestare poterit, mihi quoque eo nomine multo gratior est futurus. Quod adiunctum exemplar vides,

vides, rogo ut Barlaeo tradas, & salutem a me addas. Quo in loco sit Illustris Schola vestra, aut quo nomine adpellari magistratui vestro placeat scire aveo; tum quid tu privatim agas, ac quid etiam luci destines ex tot monumentis tuis: insuper de re domestica universa. Ea quidem mihi hactenus quartum mensem est adflicta. Vnica enim filia mea per trimestre cum gravissimo certe morbo, ac periculoso valde conflictata, postquam Dei beneficio (cui gratias summas ago, ut debeo) vix evasit, mox in tertianam incidit, qua nunc etiam vexatur; neque sola; nam & filium itidem eodem tempore eadem invasit febris; ac praeterea etiam uxor, fracta caris (nosti animum maternum, & sollicitum adfectum) ac vigiliis, & laboribus diuturnis a defluxione umorum, aures pariter atque dentes crudelissime infestante, maiorem in modum cruciatur. Ego inter haec quamquam corpore Dei gratia satis sano; tamen animi excrucior. Nosti animum mariti, nosti patris. Sed haec homini Christiano aequo animo sunt ferenda, & speranda meliora. Ego fero, ego spero, neque spem evertet Deus, aut confundet. O passi graviora, ac superiore anno, quod perlatum ad te puto, quidam e Collegis meis, Theologus professione, & si Deo placet, pastor, litem mihi de Religione movit, sed coactus est desistere; adversari sibi expertus ipsum adeo Regem nostrum Serenissimum, & Primates Regni viros; addo Episcopos, & Theologos item alios, ac cordatos Viros omnes, & prudentes extra eum quoque ordinem. Passus est existimationis suae non exiguam iacturam. Certe istud vere dicere tibi possim, summam esse moderationem animi, & mansuetudinem eximiam in Theologis huius Regni: ut sunt viri si non fama nominis clari, at virtute, & doctrina, & humanitate summa excellentes: quique nihil minus amant, quam ferociam germanicam. Et sic Dei beneficio transiit tempestas ista, in tranquillitatem maximam commutata; e qua illud boni habeo, quod didicerim quam sim carus omnis ordinis hominibus in hoc Regno: equidem id antea sciebam satis, sed nunc magis summe expertus. Ita nempe Deum timentibus, iuxta dictum hoc Apostoli, omnia in bonum cooperantur, videoque manifeste, quod me tueatur Deus, atque pietatem meam curae habeat. Huic deinceps me commendo: & te item, Vir Clarissime, cum uxore liberisque. Vxor mea, liberique, inpraesens aegri, tuam, & tuos plurima salute impertiunt. Raptim Sorae ad diem XXIV. Aprilis CIϽIϽCXXXII.

Tuus vero animi adfectu

Io. MEVRSIVS.

DCLXXXVI.

PETRVS CVNAEVS IO. MEVRSIO S. D.

VIr Cl. Etsi nihil habebam, quod ad te perscriberem, tamen quum ex Elzeviriis nostris aliquis ad te iter pararet, nolui in suscepti semel officii ratione videri cessavisse. Qui enim veteris amicitiae observantiaeque inter nos cultum esse perpetuum cupio, haud peccare me posse existimem, si qualibet occasione id tibi significarem. Nescio, an intellexeris vocatum ad nos esse Claudium Salmasium, qui Parisiis huc commigraturus est, non ut lectionibus publicis operam Academiae nostrae navet, sed ut commentationes suas, quas ad Scriptores Historiae Ecclesiasticae parare coepit, consumet porro edatque. D. Rivetus a nobis mense Maio Hagam abit, titulumque retinebit Professoris honorarii. An Historiam Danicam pertexas, scire aveo, Certe non debebas intermittere tam praeclari operis inceptum. Quod si horum temporum componere annales velis, excitare divinam animi tui indolem poterunt ea, quae magno ausu & admirabili successu in Germania nunc geruntur. Vale, Vir summe, & me inter eos numera, qui te impensissime colunt. Lugduni Batavorum XXVII, April. CIϽ IϽ CXXXII. (a)

DCLXXXVII.

ANDREAS RIVETVS IO. MEVRSIO S. P.

Clarissime & celeberrime Vir!

MVltis nominibus tibi debitor sum, quem locorum intercapedo non finit e memoria elabi. Id mihi abunde testatum fuit in iis, quas ad Cl. Vossium scripsisti, in quibus amicam & benevolam mei mentionem fecisti, voluistique me participem facere doctissimarum lucubrationum, quas nuper emisisti, tam Hafniae, quam Leydae. Nunc itaque quum Illustrissimi Principis nostri auceps in Daniam profecturus mihi valediceret, peteretque an aliquid ipse committere vellem, non debui occasionem oblatam tui compellandi reiicere: tibique & tuis officia omnia amica deferendi. Scio communem nostrum amicum, cuius memini, tibi significasse, quid ante annum de me statutum fuerit. Nunc autem negotium eo usque processit, ut ineunte hoc mense, convasatis rebus meis huc migraverim, ab Illustrissimo Principe honorificis conditionibus accitus, ut filii educationi invigilem, Academiae valedixi publice, habita oratiuncula, cuius exemplar ad te mitto, neque auribus tuis, neque oculis dignum; sed tale tamen, quod consilii mei & consensus causas utcumque explicat, quas pluribus nunc exponere tempus non patitur.

Bona cum omnium gratia dimissus sum, non sine Ecclesiae & Academiae in alterutram partem ambiguo a[illegible]mo. Remedium aliquod adhibitum est, ne plane me dimitterent, servato honore & sessione professionis. D. Sal-

(a) Exstat in Burmanniana editione Epistolar. *Cunaei* p. 252. seq. estque num. CLXXVIII. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXXXII.

D. Salmasius indies exspectatur, cuius suppelex libraria iam praemissa est. Iunio proximo ineunte promittit se adfuturum. Ea res non transacta est sine nonnullorum ingratia, quorum artes mirifice patuerunt, sed irritae tamen, prudentum quorumdam prudentia, quorum arte ars delusa est. Quid in Germania geratur, vobis notum est. Hic ante biduum Princeps ad castra profectus, brevi cum numeroso exercitu moturus est. Quorsum iter facturus ex Neomago, variant sententiae, & consilia adhuc sunt occulta. Rex noster in Priardia cum exercitu versatur, non sine Brabantum molestia & metu. Tempus omnia revelabit, quod quantumvis edax rerum, numquam abolebit memoriam tui apud me, apud quem non refrigescet adfectus, quem pronum semper in te & tuos servabo. Tu, quod facis, ama tui amantem, & perge de Repub. literaria bene mereri. Vale. Hagae Comitis VIII. Kal. Iun. MDCXXXII.

DCLXXXVIII.

CORNELIUS VAN DER MYLE IO. MEURSIO S.

Monsieur. J'ay esté bien aise de voir vostre Solon, *vous en remerciant tres affectionnement, mais regrette vostre indisposition des vostres, esperant, que desormais nostre bon Dieu leur aura ottroyé entiere convalescence. J'ay desja envoyé vostre lettre avec un exemplaire de* Solon *pour l'Ill. Sig. Molino vers Venise. Il y reste un troisieme exemplaire, du quel ne faictés aucune mention. Je le donneray de vostre part au premier de vos amis, qui me viendra voir, soit le S. Heinsius, ou le S. Cunaeus, ou quelque autre. Vostre Traicté de* Candie *sera non moins aggreable, et desiré de tous les doctes et amateurs des lettres, que le Solon mesme. Je ne sçais, si vous aurez sceu les bons succes, que Dieu à eslargi à Monseig. le Prince, ayant reduict en peu de jours les villes de Strely, Venlo, et Ruremonde, soubs l'obeissance de cest estat. Un malheureux coup de musquet dans la teste tua devant la dite ville de Ruremonde Monf. le Comte Ernest de Nassau, ce qu'est une notable perte. Ie vous envoye cy joint les Articles, ou vous sçaurez remarquer, qu'on commence aucunemente proceder de ce coste en conformité de ce que M. les Estas Generaux offrirent aux Estats de l'autre par une lettre escrite à la baste en l'an.* 1601. *Le Comte Henry de Bergues seroit parti de Bolder, ayant quelques Compagnies de Cavallerie avec luy. Le bruit est, que le Duc d'Arschot, Comtes d'Egmont, de Warphuse, de Richefort, et le Prince de Barbanzon seroyent retirés vers Liere, malcontentes contre les Espagnols, et que le dit S. Comte Henry y viendroyet pareillement. Le temps nous en apprendra la verité. Il y a grande apparence, mais n'en avons encores à present les advis asseures, que mon dit Seign. assiege Maestricht, ou le bruit est, que l'ennemi auroit fait entrer* 2000. *hommes. Dieu veuille preserver la personne de son Excell. de tout mal. Monf. le Comte Guillaume de Nassau estant venu avec une flotte avec outre quatre ou cincq milles hommes de pied, et cincq cent matelots, à abordé de la N. N Duch en faisant des overtures, qui font courir l'eau jusques devant les portes d'Anvers. Depuis a forcé le forte de la Croix à Oordam. tout cecy abat et allarme merveilleusement ceux d'Anvers. Le Roy Treschrestien ayant esté à Chalons, et a Amiens, est parti de la vers Rheims. L'Electeur de Troves a consigné Hermanstein es mains de sa Maiesté Treschrestienne. Le progrés heureux du Roy de Svede, prise d'Augsburg, Munchen, et autres villes en la Bavarie, ne vous peuvent estre incognus, car je pense, que cela apporte grand contentement là ou vous estes. J'ay oublie à vous dire, qu'on asseure, qu'entre le Comte Iohan de Nassau, et Marquis de Saint Crus, il y auroit grande dispute, et presque jusques au camps* (a). *mais que la necessité de leurs affaires avoit causè l'accommodement. Quant à mes affaires domestiques graces à Dieu, tout est en mediocre bon Estat. Mon fils aisné est avec le Prince en l'armee. Le plus jeune a veu les pays bas de l'autre coste, et de là est allé voyager en France. Il y a un mois ou deux que mourut mon nepveu de Bertol fils aisne de feu mon beau frere le S. de Gronevelt. Il a biens languy un demy annee. Mon Cousin d'Oldenbarnevelt, qui reste seul des fils du feu mon oncle, le Pensionaire de Rotterdam, est en ce lieu extremement malade; toute fois les Medecins ont encores quelque esperance. Mon nepveu le S. de Catz se remaria il y a huit jours avec la fille du feu le Tresorier de Bie. Ie vous salüe cordialement et aussi Mad. vostre bonne Compagne. Le mesme fait ma femme, et pour conclusion je prie Dieu de vous prendre en sa protection et d'ottroyer en bonne santè, heureuse et longue vie. De la Haye ce XIV. de Iuin* CIƆIƆCXXXII.

Ie vous prie, quand verrez le Sieur Secretaire Gunther, de lui offrir mes recommendations.

Le Sieur Barleus ayant par quelques mois esté malade, se porte asthеures assez bien, et commencera bien tost ses leçons. On attend à Leyden le S. Salmasius dedans un mois ou deux. Monf. Grotius s'est transporté à Hambourg, où Mad. sa femme l'ira trouver, selon qu'on dit.

DCLXXXIX.

CHRISTIANUS THOMAEUS IO. MEURSIO S.

Accepi, Cl Meursi, *Solonem* tuum, quem ex parte meum esse voluisti. Non primum illud adfectus tui & propensi de me iudicii argumentum quum sit, aliud mihi molestius non accidit, quam quod mereri bene de te nunquam contigerit. Verum animus mihi non defuit, qui virtutem etiam in eo magni facio, qui nullo me amore & cultu reddit obnoxium. Sed omnium me ingra-

(a) Forte jusques aux coups. GRAMMIUS.

ingratissimum ipsa aequitas pronunciabit, si reciprocis officiis exspectationem tuam tueri non laboravero. Interea exile mitto, non tam grati, quam non ingrati animi testimonium; quod si non alia lance, quam solo adfectu ponderare volueris, beneficium duxero. Saluta ex me uxorem tuam, & iuxta omnes aeternum valete. Dabam Hafniae XXVII. Iunii A. CIↃIↃCXXXII.

DCXC.

GERHARDVS VOSSIVS IO. MEVRSIO S.

QVod moras tantas, Vir atque amice summe, nectat Blauvius noster, id non tibi molestum est, quam mihi. Eo magis, quia idem facit in Maimonide mei Dionysii τῦ μακαρίτυ. Simul ac literas tuas a vestrate mercatore accepi, recta me contuli domum eius. Sed aberat ab urbe; rediturus postridie dicebatur. Distuli igitur scribendi ad te officium, ut perscriberem certiora. Nunc ultra differre non licet, quia iam iam abiturus is, a quo litterae mihi tuae redditae sunt. Et necdum Blauvius reversus. Compellavi interea fratrem eius natu minorem, ante menses sex septem ex Italia reversum. Exposui illi, quae sententia tua foret. Ille petere, ne quid agerem ante reditum fratris. Hoc causae, cur non remittam scripta tua. Simul illa, quod diceret, certo te visurum specimen editionis, antequam ad vos redierit Danus hic mercator. Facilem se & citam scire ad te id procurandi viam. Negabam me credere, nisi quod viderem, tot annis elusus. Omnia meliora spondebat, & hac ipsa hebdomade orsurum, vel saltem simul ac fratrem compellare dabitur. Quid facerem? Vrgebo opus filii, & tua: & tua magis, quam illud filii. Adloquutus sum & ante annum circiter, & hesterna iterum die Noomsium, Arlanderveniae Dominum, de Cretensium editione eius honori dicanda. Et opus ipsum lustrandum dedi. Qui valde eo capiebatur; sed aegre ferebat, triconem Blauvium sic nos omnes frustrari. Nec ego ultra quidquam commonere, vel innuere potius (etsi nec id opus fore apud honestum animum arbitror) quam diu necdum viderit lucem. Pestilentia, quae superiori anno ex una Leidensi urbe sexdecim hominum millia abstulit, videtur nobis nunc comminari. Sed speramus meliora. Obeunt de hebdomade nunc trecenti, nunc quadringenti. Nihil id tam magna in urbe prae Leidensi, ubi quaque hebdomade, quum maxime lues illa grassaretur, etiam mille quingenti & ultra moriebantur. Grotii mari libero responsum a Seldeno IC. Anglo; cuius de Syris Diis, & Marmora Arundeliana & alia exstant. Illustres Ordines nostri in mandatis dedere Graswinkelio IC. meo ante annos XX. discipulo & convictori, ut opus hoc refellat. Mitto ad te primam partem annalium Batavicorum filii Matthaei. Scio, quam rerum nostratium sis intelligens, & tanto facilius probaturam se tibi confido. Cl. Viris Laurenbergio & Stephanio Ioannidae, aliisque salutem plurimam, inprimis lectissimae coniugi & optatissimis liberis. Quibus & coniux mea, ac filius filiaque salutem adscribi petiere. Amstelodami MDCXXXII. III. Non. Iul.

DCXCI.

DOMIN. MOLINVS IO. MEVRSIO.

COn le vostre lettere di XXI. Aprile passato pervennero insieme uno de due esemplari che mi scrivete aver ordinato mi siano inviati dal vostro Solone. Attenderò l'altro per farlo tener a Monsig. Balt. Bonifacio, che so lo averà ugualmente caro, e lo leggerà con pari gusto a quello ch' io mi prometto di ricevere dalla lettura di questo, del quale io resto favorito. Le lettere vostre scrittemi il passato autunno corsero l' infortunio della perdita insieme con la vostra effigie delineata in rame, che con esse mi avevate inviata, il che inteso dal geneross. Sig. Vander Mylle: di altra delle medesime effigie mi onorò, ch' io tengo ben cara. Godo infinitamente dell' intrapresa vostra nobile e curiosa intorno all' antichità Cretensi, e ugualmente dell' intendere il vostro buon stato di salute. Li due gentil' uomini che mi dite dover venirsene a me con vostre lettere non sono ancora comparsi; se verranno, io li accoglierò con quelle dimostrazioni d' affetto, e con quegl' effetti d' amorevolezza che meritano, che dalla debolezza mia possano venire, e che vagliano a far loro conoscere la stima in che tengo le raccommandazioni, e desideri vostri. State sano.

Di Venetia, li VI. Luglio CIↃIↃCXXXII.

DCXCII.

HENRICVS SPELMANNVS IO. MEVRSIO S. P.

SIluerunt, Domine ornatissime, per annum integrum nostrae ad te literae, inopinato elabente, qui tuas ad me detulit, Tabellario. Aegre id quidem & moleste tuli, ne interea benignitatem amicitiamque tuam, quas ardenti animo sum amplexus, levius videar coluisse. Male igitur haud oportet consulas, quod non culpa mea, sed casu factum est. Quod autem tunc scripsi, demum nunc intellige. Prae ceteris quibuslibet, avere me, etiam & precari, superstitem te adhuc fore, & florentem valetudine. In lubrico enim constituimur, praesertim senes, si in hac te classe reposuero; nam qui effigiem tuam tuo adpinxit Graeco-Barbaro, aetatem tuam male tacuit. Emendetur moneo in alia impressione. Historiam vestram Danicam, quam ad me misisti, laetus atque gratus accepi, quumque eam apud viros doctos amicos meos censurae causa exposuissem, probavimus omnes, uti par erat, & laudavimus, sed Auctores tuos obiter te non laudasse increparunt nonnulli.

Dabit,

Ann. Chr. MDCXXXII

Dabit, scio, veniam humanitas tua, & referre quae audivimus, & proferre libere, quae censemus. Gratum mihi feceris, in hunc modum mecum παῤῥησιάζειν. Sacra apud me est fides tua, nec de rebus hodiernis stipulatorem quaerunt alii, sed de his, quae superioribus gestae sunt aetatibus. Ego vero magis in rem nostram fore opinabar, Aelnothi monachi nostri Cantuariensis de Canuto Rege historiam, quam in lucem te daturum gratulatus sum, dumque non enatam cogitavi, eam mihi fortuito obtulit Bibliopola, expeditam prorsus, notisque tuis (docte ut soles) illustratam, quibus & nostri meminisse, amoris tui fuisse adgnosco. Pars posterior Archaeologi nostri, quam tu & alii interdum petitis, penes me iacet tineis & blattis exposita, & (quo veteres deserta solebant significare) scrutis (ut dicam) operta. Quippe quum non sit aliter imprimenda, quam meis sumtibus, ego tardius ad hos accedo, illorum spoliatus, quos in prioris editione erogavi. Typographi quidem & Bibliopolae nostri nihil momenti edunt latine, quod literatorum vulgus non sapiat, nec ab aliis editum venditioni exponunt, nisi in suum omnino commodum. Durum certe genus hominum, & quod insulae nostrae gloriam deprimit vehementius. Scatet haec enim Viris doctissimis, & qui nostro idiomate egregia multa ediderunt opera, orbi tamen ignoti, quod (ut exteri solent) Latine nequeunt prodire. Latent etiam in Academiarum nostrarum privatorumque multorum Bibliothecis (Deus bone) quot insignia MSS. quorum unum aliquod vix unus aliquis in lucem dedit. Dormiunt & apud me nonnulla eiusmodi, maioraque alia mei ipsius opera quae multi cupiunt experrecta fore, & prostare publice, sed qui id fiat, necdum novimus. Proximo autem vere (si Deus mihi vitam & veniam concesserit, liberatusque fuero a munere quodam mihi inter alios a Rege imposito, & quo per plures annos nuper iam elapsos impeditus fui) convertam me forte ad Archaeologi nostri partem alteram imprimendam, & quum fecero, te inter primos certiorem reddam. Si ad me rescripseris, Secretarius [a] D. Legati Regis nostri, quem iam in Dania habituri estis, literas tuas curabit tradendas. Est Legatus iste Comes Illustriss. Leicestrensis, e Sidneiorum familia, quem pater Aeneas, & patruus extulit Hector, virtutem ad omnem. Militarunt hi ambo, etiam & Legatus ipse, Belgis vestris, & pro Belgia vestra ad Zutphen effudit animam omnium virtutum radiis splendentissimam D. Philippus Sidneius fortissime pugnans, sub avunculo suo D. Roberto magno Comite Leicestriae, tunc unitarum Provinciarum Gubernatore. Legatus, praeter alia insignia eius ornamenta, adprime doctus est, videndumque te statuit, & colloquendum. Bene vale. Londini e Vico Barbacan. prid. Cal. Aug. MDCXXXII. Patricius Iunius (vulgo Yonge) Vir sane doctus, me rogavit, ut suo nomine te salutarem.

Tuus summo studio & amore

HENRICVS SPELMAN

(a) Secretarius iste etiam Vir haud indoctus erat *Iacobus Howelus* nomine cuius nonnulla opera [ubi & de hac legatione Danica Comitis Leicestrensis agitur,] inque eis Epistolae, historici argumenti pleraeque Anglice scripta, in luce publica versantur. GRAMMIVS.

DCXCIII.

OLIGERVS ROSECRANTZIVS IO. MEVRSIO S.

Dicere non possum, quam aegre animum meum adfligat, quod ἀπροσηγορίᾳ diuturniore in te graviter adeo delinquere invitissimus coactus sum. Equidem ex quo terrae vestrae valedixi, non tantum Fyonia me diutius, quam speraram, negotiis urgentibus, detinuit; sed & postquam domum redieram, per septimanas bene multas, huc illuc me obsequia bene meritis debita circumegerunt; tandem vero valetudo aliquamdiu tenuior ita continue afflixit, ut quod & multum debebam, & valde volebam, te tamen ne verbo unico convenire licuerit. Violentiore itaque temporum iniuria, non seu tui ullo neglectu, seu mea negligentia factum, putes velim, quod inique adeo, necessitudine, quae nobis arctissima intercedit, abusus sim. Culpam vero, quaecumque in me ulla derivari poterit, perque amice deprecor, eamdemque nominibus aliis omnibus, quibuscumque tu ipse imperaris, promte, quotielcumque etiam tibi adhibuerit praestiturus. Partem aliquam canonis annui sero licet nimis uxor mittit, alteram intra paucula septimanas submissura, mox ubi de messis frugibus vaccae nostrae pascuis viridioribus foecundiores, butyrum delicatius reddiderint. Vale interea felicissime cum uxore lectissima, liberisque desideratissimis, a me meaque meisque peramice salutatus. Rosenh. IX. Sept. A. CIↃIↃCXXXII.

DCXCIV.

GERHARDVS VOSSIVS IO. MEVRSIO S.

Si amice optime, maxime, amicitia nostra ab epistolis dependeret, iam pridem eam extinctam credere deberem. Sed & firmior tu es, quam ut mercenarium in hominum manu esse velis arbitria amoris nostri, & ego scio multos intervenire casus, quo minus aut scribatur, aut scripta cum fide perferantur. Annus iam integer est, quod literas ad te dedi bene longas, euntibus in Daniam Legatis nostris. Sed illas, quia in oris regni Danici substiterant Legati, per nuncium ad te missas ex famulo cognovi. Nunc vero periisse eas satis animadverto: quod eo indignius fero, quia una miseram ingentem fasciculum literarum ab aliis exaratarum, quem ab adfine tuo *Isebrando* [b] Ecclesiaste acceperam. Ex eo tempore epistolam ego ab te unam, alteram coniux ab uxore tua, accepit. Et scio mira-

(b) *Vitiose in excusis* Hebrando. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXXXII.

mirari vos, quid prohibuerit tuis satisfacere postulatis. Caeterum ne haereas, scito cum primum ad coemenda ea, quae petieras, coniux mea exiisset, non repertam esse mensam eius magnitudinis, ac uxor tua scripserat. Itaque distulit curam hanc ad dies aliquot. Nam relatum mihi erat hebdomadem unam alteram substiturum hac in urbe eum, qui literas tuas adtulerat. Sed postea quum advenisset tempus morem tibi gerendi, cognovimus iam abscessisse hominem, cui tradenda erant supellectilia tua. Ita uterque spe excidimus, ego obsequii, tu supellectilium. Eam ob rem, quia *Mulenius* (a), generosi adolescentis Rosecrantzii Ephorus aiebat, se literas meas ad te optime procuraturum, & otii aliquid dabant a publicis occupationibus nundinae Amstelodamenses, non putavi diutius scriptionem in aliud tempus reiiciendam. Collegam adhuc praeter Barlaeum habeo neminem. Caussae me latent; sive consules properare nolint; sive eo id fit, quia bello omnium intentae mentes & fuerunt hactenus & adhuc sunt. Etenim a multis annis non alium vidimus celebriorem victoriis nostris. Subactae sunt Venlona, Ruremonda, Strala, Traiectum ad Mosam; quin & omnis Ducatus Limburgensis. In potestate Mosam habuerimus, si Namurco (b) potiamur. Etiam ad Antverpiam castella complura & validissima expugnavimus; in his magnum illud Antverpiae monumentum aggerem Rouwensteinianum. Nec iam arma quiescunt. Princeps ipse ad Traiectum manet curandis munitionibus. Interea aliis locis sunt copiae, ubicumque rei gerendae opportunitas detur, intentae. Sed publicum gaudium longius perduxit me: ad nostra redeo. Ab aliquot mensibus fervere coepit praelum liberis nostris de Arte Grammatica. Est ea pars prior Commentariorum de Lingua Latina. Altera consequetur, quae Origines (c) comprehendit. Habeo & paratos libros tres de Arte Poetica: qui absoluto maiori opere, si Deus vitam dederit, edentur. Tu quibus iam occuperis scire aveo: idque eo magis, quia novi indefessum illud ingenium tuum, quod otio nunquam nisi doctis omnibus fructuoso indulget. Solonis duo exemplaria accepi. Sed alterum est ἀκέφαλον. Nam a capite quidem primo incipit: sed folium illud desideratur, in quo inscriptio & praefatio. Credo in mensa tua, vel apud Bibliopolam relictum. Gratum feceris, si occasionem nactus scribendi, literis tuis incluseris, quo plus pro eruditissimo & utilissimo opere debeam. Integrum exemplar Barlaeo tradere malui: qui gratias impense agit. Nuper is valido adflictus fuit morbo & periculoso; sed placuit Numini reddere ei valetudinem. Itaque iam mensem unum alterum publice iterum munia functus est. Tuorum vero aegritudo an animum penetraverit meum, dicere si velim, frustra faciam; nam & amorem nosti meum: & novi ego soli in extera gente habitanti (etsi amicos tibi optimum quemque sciam esse) omnes casus graviores accidere. Ideo optavissem & ipse tibi tuisque solatio esse & auxilio. Adgnosceres, non dubito, quamvis multis hodie fides vacillet, Vossio plus constantiae & amoris adversum te esse. Ceterum quod praeterire nolim, saepius adpellatus sum a Gulielmo Iansonio Caesio sive Blauwio (d), Typographo & Bibliopola urbis huius principe, ut exquirerem ex te, utrum ea, quae ad Historiam Danicam pertinentia edidisti, postea vel emendaris, vel saltem auxeris; vel ecqua habeas eius argumenti inedita. Quippe ei decretum, omnia tua & aliena, quae eius sint argumenti, in lucem dare. Quod faciendum sibi non putavit, nisi prius mentem tuam perspexisset. Ad hoc ut respondeas etiam & etiam rogat. Corrigendi curam deposco mihi: quamvis adeo curiosus suorum operum Blauvius sit, ut nulli cedat. Filius meus Dionysius Animadversiones in Caesarem, & qui adiunguntur ei Auctores, molitur. MSS. complures nactus est. Itaque rogavit me, ut exquirerem, ecquid in iis scriptoribus tibi emendatum vel observatum esset. Si habes aliqua, nihil sibi praeter curam edendi petit; gloria omnis tua, publici utilitas erit. Sed cesso. Video enim excrescere epistolam: & simul quoque studium scribendi. Quod ne adeo gliscat, ut abrumpere nequeam, te Vir Cl. & amicissime & tuos omnes, supremo humani generis rectori commendo. Uxor quoque tuam, liberi mei tuos salutant. Plurimam etiam salutem VV. CC. Laurenbergio & Stephanio. Cuius postulato hoc ipso die satisfecissem, si praescissem crastino die D. Mulenio literas esse tradendas, modo quamprimum curatas, & quam optime velim. Nec enim erat, qui tam cito vitam, quam exposcit Stephanius, exscribere posset. Verum intra paucos dies id praestolabitur. Decretumque iterum tum Mulenii opera uti, qui literas vitamque eam suis ad Ill. & generosum heroa Rosencrantzium includet.

Amstelodami CIƆIƆCXXXII. VII. Kal. Octobris. (e)

Tuus antiqua fide

G. I. VOSSIVS.

DCXCV.

IO. MEVRSIVS GERARDO VOSSIO S.

Literas tuas, Vir Clarissime, VII. Kal. Octob. datas, heri accepi. Primae illae a multo tempore, cum iam quintas has tibi mittam intra hoc semestre tantum. Impatienter, qui meus in te est adfectus, literas

(a) *Sic recte, non, ut in edita*, Muldenius. GRAMMIVS.

(b) *Male edit.* Mamurco. GRAMMIVS.

(c) Post obitum *Vossii* editas a filio Isaaco, *Etymologici* nomine, in maiori forma. GRAMMIVS.

(d) Est unius Viri adpellatio, non duorum multo minus trium, quod imperitis forsan videretur, *Willen Iansson Blaeuw*, h. e. *Gulielmus Ioannis filius Caesius*. *Blaew* enim latine *Caesius*. GRAMMIVS.

(e) Est numero CCXXXVIII. apud *Colomesium* pag. 248 rescripta his *Meursius* 3. Nov. 1632. v. p II. p. 162. Ep. CLV. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXXXII

teras abs te exspectavi. Quod Historiam autem adtinet: versor nunc in continuatione Saxonis, usque ad Domum Oldenburgicam, a qua inceperam, pertexenda, & non multum (Dei gratia) a fine absum. Illustris Dominus Cancellarius Regius, etiamsi edita Pontani Historia, operam repetere me istam voluit: qua finita, quae in Domo Oldenburgica inchoavi, etiam deinceps persequar. Quae pridem edidi de primis tribus Regibus, ea recudi a quoquam nolim, nisi ex meo exemplari, quod hic habeo a me correcto; idque, ubi opus erit, ad te mittam. Quae tu nobis a te opera tam praeclara polliceris, etiam atque etiam videre opto. Filii tui Dionysii instituto ex animo faveo, & hoc ipso patris sui filium se esse ostendit, quod per eius vestigia ad immortale nominis decus viam insistit. Vtinam iuvare possem; sed nil habeo quod submittam. Ante hos triginta & tres annos quum Curas Plautinas, & una cum illis Animadversiones Miscellas darem, memini me locum quendam, ipsi Lipsio desperatum restituere, inspiciat, si operae erit & examinet; ac, si dignum existimabit mei nominis ea in re meminisse, gratum erit. Locus exstat Animadv. Miscell. lib. I. cap. XIV. Quae uxor pro emenda supellectile meo nomine expenderit, proximis tuis indicate, ut per Mercatorem tibi mox refundam. In patriae meae tot victoriis serio gaudeo, atque Deum supplex quaeso veneror que ut costantem ei esse hanc felicitatem velit. Eumdem rogo, ut te tuosque omnes diutissime porro servet: estque id omnium nostrum votum. Resalutant te Landenbergius & Stephanius, qui exspectat avidissime quae promittes per Mulenium.

Sorae ad diem III. Nov. MDCXXXII.

Tuus constantissime

IO. MEVRSIVS.

Defectum in Solone meo proxime mittam, nam petendum Hafniae exemplar erit.

DCXCVI.

FRIDERICVS GVNTHERVS IO. MEVRSIO S. (a)

QVum ex Batavis reverterer, Vir Cl. stabat sententia te invisere, &, ut Magnifici D. Van der Mylen nomine te salutarem, & his adiunctas ipsius literas tibi exhiberem, quod ille enixe a me postularat, & etiam ut fidem meam apud te liberarem. Verum tempestate & aliis incommodis in itinere iactatus, & festum genethliacum domi cum meis agere cupiens, praeter quam constitueram, festinare cogor. Ideoque literas, quarum memini, in transitu Pastori Liungensi commisi, quem tecum amicitiam colere audieram: & haec paucula addidi, ut scires, unde & cuius opera ad te venirent. Haec quasi in rheda exaravi, quae te in bonam partem interpretaturum, ut opto, ita confido. Vale, Liungae, ipso profesto Natalis Dominici, CIↃIↃCXXXII.

DCXCVII.

GERHARDVS VOSSIVS IO. MEVRSIO S.

VEllem, Vir summe & amice, ante horam unam, atque alteram scivissem, generosum Rosencrantzium quamprimum in Daniam abire. Vberiores a me literas haberes. Non committendum tamen, ut abeat sine literis meis. Dicam, quae potissimum in mentem veniunt, tuaque scire maxime interest. Scripseram superioribus literis Guilielmum Iansonium Blauwium cogitare de edendis Danicis tum tuis, tum Pontani. Idem ad te perscripserat vicinus eius Ioannes Iansonius, sed ita perscripsit, ut aliquid

(a) *Fridericus Guntherus*, Regi Daniae glor. mem. CHRISTIANO IV. a secretis, ut vocant, intimus fuit, plurimum a Domino suo amatus, & negotiis maximi momenti domi forisque adhibitus, eaque propter aulis & ministris Principum notissimus, quippe qui cum multas obivit legationes ipse, tum quae legatis responsa scripto redderentur, nomine Regis sui expedivit. Sed & alia viro ornamenta adfuere, quae, & etiamsi nullius, libri editione celebrem, literato tamen ordini adscribunt, quaeque, hac praesertim occasione oblata, omnino digna commemoratu aestimamus. Erat nempe *Guntherus* noster Vir plane eruditus, qui *Helmstadii* parente Professore *M. Oveno Gunthero*, genitus, post Italiam peragratam, & Patavii bienni mora studia literarum accuratissime tractata, in Gallia Lutetiae Paris. *Isaaco Casaubono* percarus vixerat. Hoc testantur non solum *Casauboni* literae ad *Caselium*, pag. 272 Ep DXVI [*edit. in fol*] sed & verba haec magni Viri *Animadv ad Sueton. Claud* p. 178. [*edit Paris* 1610, *in fol.*] *Atque hunc Dionis locum opportune subgessit mihi* Fridericus Oveni Guntherus *adolescens Germanus: quem praestantissimi Viri* Ioannis Caselii *commendatio quum mihi primum conciliasset; sua mox virtus & eruditio carissimum reddiderunt* Vnde non dubito, quin *Casauboni* quoque commendatione factum, quod Rupellas ad professionem Graecae Linguae publicam vocatus sit. Docuit ibi *Guntherus* Graecas literas ad quinquennium; neque Rupellenses eum a parente grandaevo solicitis litteris revocatum, alia lege voluerunt dimittere, quam ut, salutatis parentibus, reverteretur ad Spartam illam, longiore tempore ornandam: quo nomine etiam litteras ad Principem Brunsvicensem dederunt. At Princeps, petitione illorum insuper habita, civem suum retinuit, eique inter aulae suae ministeria locum adsignavit. Anno 1615. in Daniam vocatur, ubi munus illud, quod superius diximus, per integros 40. annos obivit, magna cum Regis utriusque Christiani IV & Friderici III. gratia, Hafniae tandem mortuus anno 1655. aetatis 75. Filium reliquit unicum *Theodoricum Guntherum*, qui itidem bonis literis omnique elegantia politus, negotiosae vero aulicaeque vitae pertaesus, patriam reliquit, inque Anglia & Gallia pleramque aetatis partem transegit, caelebs curisque omnibus solutus, donec nonagenario maior, nostra aetate Londini vitam finiret. Ceterum ad *Fridericum* nostrum haud paucas olim me vidisse memini epistolas a doctis Viris scriptas, quae in ultimo Hafniensi incendio perierunt. Non dubito tamen, quin nonnullae legantur editae, e. gr. Buchneri illa *P. II. n.* 50. *pag.* 433. & *Barlaei*, *pag.* 505. *n.* 238. in eiusdem *Barlaei* Poematis bis carmine celebratur, primo *Elegiar. l.* 3. *p.* 118. postea *Miscellaneor. l.* 2. *pag.* 460. hoc initio:

Maxime Vir, cui Pegasei patuere recessus,
Cui Clariae valles, totaque Cyrrha patet,
Graeca Charis, Romane lepos, facundia cuius
Pro Cimbro toties Principe verba facit.

Denique aliquando oculis & manibus tractavi diploma illud, quo a Caesare Rom. Nobilitatis iura, privilegia & insignia, cum dignitate Comitis Palatini, ei erant transscripta: de quo haec in vita eius relata legimus, exempli haud sane vulgaris: „ Studiosissimus fuit modestiae, cuius summa vis est ad vitam „ tranquille pieque traducendam; quum enim Caesarea Maiestas „ ipsi, nomine Regis sui gravissima negotia prudentissime pro„ curanti, nobilitatis iura & privilegia offerret, modeste recu„ savit. Verumtamen posteaquam ex aula Caesarea domum re„ versus abierat, missa sunt ipsi non tantum nobilitatis, sed & „ Comitis Palatini iura, privilegia, aliaque huc spectantia, opti„ ma forma diplomate Caesareo concepta: Quod quidem diplo„ ma sibi missum cum summa observantia, ut debuit, subsce„ pit, in custodia sua retinuit, nec ulli tantos sibi collatos a „ Caesare honores aperuit, nedum usurpavit. In tantum vanam „ huius mundi gloriam despicatui duxit, aeternam quaerens. „ Nec spernenda omnino, quae de ipsius corporis habitu, moribus vitaeque ratione narrantur in libello Gallico, qui inscribitur: *Voyages de Monsieur Des Hayes Baron de Courmessuin en Dannemarc* (en l'an 1629.) *imprimès a Paris 1664. in* 12. vid. ibi *pag.* 157. *seqq.* GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXXXIII.

quid loliginis [a] adsperserit. Nec enim animus illi uno volumine complecti opera vestra: quod nec Pontano gratum foret, nedum tibi: sed utraque seorsim edere parat, forma tamen eadem typis iisdem: ita ab eo, qui volet, simul compingi possint, seorsim item ab eo, cui mens alia. Quare ne quidem in unius inscriptione mentio alterius fiet. Sane puto te scire venustiores esse Blawii typos: atque eundem emendatius aliquanto sua excudere. Nec aliud me movit, cur haec scire te vellem. Tamen, & alter vir bonus, & rerum suarum non indiligens. Quare de hoc fruaris iudicio tuo. Solum ne facile nimis fidem habe, quae alter de altero perscribat. [b] Scis Hesiodeum illud:

——— ζηλοῖ δέ τε γείτονα γείτων
Εἰς ἄφενον σπεύδοντα, & quod sequitur.
Καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει.

Hic vero utrumque concurrit; vicinus vicino; Typographus invidet Typographo. Operam do, quantum possum, ut hoc negotium componam. Sed possis mihi dicere illud Comici;

O Geta, provinciam cepisti duram.

Cogitat idem Blauwius, ut tui est amantissimus (& filium habet Iurisconsultum, qui praelo praeest) omnia tua eleganter, & emendate uno volumine complecti. Idem si tibi videatur, possis perscribere, quo ordine velis ea concinnari. Opus etiam sit significari, quae addi in singulis libris, vel etiam mutari postules, si voles, ipse etiam, dum eduntur, in partem veniam curae, quo magis honori, & desiderio satisfiat tuo. Aureum laborem tuum *De Atticae Regibus* Io. Iansonio tradidi: non prius tamen, quam recepisset, se quamprimum praelo velle committere. Haeret adhuc, utrum hic, an Hardervici id facere velit; Si hic, mea; si Hardervici, Pontani interdum opera uti decrevit. Mitto ad te exemplar Orationis nostrae *De laudibus Historiae*; quam non fore ingratam spero, tum argumenti caussa, tum auctoris. Excudit nunc Blauwius Exercitationes meas Grammaticas. Iamque in tertio libro occupatur. Vtinam opera istaec ad umbilicum perducta foret. Scio enim maiora a me exspectari. Cetera literis proximis intelliges. Id propediem erit. Nunc ob festinationem generosi iuvenis cogor manum tollere de tabula. Vxori salutem plurimam dices, & liberis optimis, non a me modo, sed coniuge quoque, & grandioribus liberis: filiae inprimis a filia. Raptim Amstelodami VI. Id. Ian. Anni huius MDCXXXIII. qui ut familiae tuae pariter ac nostrae felix sit, Deum supplex rogo [c].

Ann. Chr. MDCXXXIII.

DCXCVIII.

OLIGERVS G. ROSENCRANTZ IO. MEVRSIO S. In Christo Iesu Vere-vivere.

Clarissime Meursi, Amice certissime!

QVod literis proximis tuis usque huc non responderim, nulla alia causa factum arbitreris velim, nisi quod valetudine deteriore, & ego per septimanas bene multas, & uxor mea dehinc in diem usque hunc graviter admodum conflictati sumus, quando interea nec quae ad vos litteras mittendi se obferret commoditas observare, nec ut se aliqua obferret, eam adripere nobis concessum est. Quo minus autem de Academiae vestrae translatione quicquam ad te ex quo proxime simul eramus, perscripserim, spes ea continua me detinuit, qua interea in singulos ferme dies mihi pollicitus sum, haud diu adfore, quando non quid futurum demum, sed quid fieri iam coeptum saltem sit, definite perscribere liceret. Diffiteri autem non possum, me interea etiam frequenter satis, animo haud parum aegro, mecum ipso contendisse, quonam divino, & fato minus propitio, id quod ita diu multumque deliberatum, ita mature conclusum, sancta denique adeo auctoritate, ita constanter decretum, & sancitum est, etiamsi non everti, ast diu tamen adeo impediri, ac differri contingat. Dubium autem non est, anni proximi insperatas varias difficultates, casus etiam plures funestiores, res nostras, cum privatas, tum publicas, duriter adeo adflixisse, ac concussisse, ut cogitationes pariter, ac conatus etiam meliores, ad tantas curas languere, ac haerere facile contigerit. Nisi autem Opt. Max. ipse rerum humanarum omnium Moderator nostris ad poenam trahendis mentem prorsus auferre iratus statuerit, spe omni indubia mihi polliceor, Comitiis intra pauculos menses indictis, instituto augusto, & necessario adeo, opere ipso consummando, diem certum dicendum, ultra quem dehinc differri diutius non debeat. Interea vero te Virum & bonum, & sapientem, ita animum ad quosvis casus comparare sperarim, facilis, ut adgnoscas, Bonos Viros, Senecae verbo, ut confirmentur, concuti; nec solidam, nec fortem arborem esse, nisi in quam frequens ventus incursat. Ipsa etenim . . . . . . cutione constringitur, & certius radices figit. Fragiles esse, quae aprica valle circuerunt. Eum vero animum, ut ipse Deus, & Pater noster in supercoelestibus tibi confirmet, teque Patriae nostrae laudi diu servet, & sospitet; canum vero latratus, atque cornicum sugillationes, cohibeat, aut confundat, voti mei summa est. Vt autem cum uxore lectissima, ac liberis desideratissimis, tum novo hoc anno, tum secuturis pluribus, saluberrimus, ac felicissimus vivas, & va-

(a) Edit. caliginis; credo vitilius. GRAMMIVS.
(b) Haec omnia, uncis inclusa, usque ad Cogitat, omissa in editione Colomesii. GRAMMIVS.
(c) In editis est CLXXXIX. pag. 211. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXXXIII

valeas, eundem nostrum solum, verum, βεοσεβὸν religiosissime venerari nunquam desinam. E Rosenholmiano meo scribebam XV. Cal. Febr. MDCXXXIII. O quam Historiam Patriae nostrae a te continuatam videre, & legere gestio!

DCXCIX.

LETTRE DE MONSIEVR DV MAVRIER.

MOnsieur, i'ay differé de respondre à vostre lettre de l' XI. *de ce mois, que j'eusse appris quelques nouvelles de France dont je puisse vous faire part. Mais voyant que cela tarde, je ne veux pas differer plus long temps de vous remercier, comme je fay tres affectionnéement du livre, que m'avez envoyé, qui ressent l'esprit du quel il part, comme les autres qui l'ont precedés, & qui ne peuvent assez dignement estre loüez. Si l'occasion m'est offerte de vous temoigner le ressentiment, que j'en ay, ce sera d'aussi bon coeur, que me recommandant humblement a vostre bone grace, je suis.*

De la Haye ce XVIII. *Feurier* MDCXXXIII

Vostre humble amy a vous servir

DV MAVRIER

DCC.

DOMINICVS MOLINVS IO. MEVRSIO S.

IL nostro Sig. Cornelio Van der Mylle gentilissimo mi ha fatto tenere per vostro nome due esemplari del vostro bellissimo Libro delli Rè di Atene: uno, conforme al vostro ordine, ho mandato a Monsig. Baldassar Bonifacio, che vi significa il suo aggradimento con l'aggiunto suo epigramma; l'altro conservo presso di me fra li tanti altri pegni, che mi ritrovo del vostro amore. In quest' opera, come in tutte l'altre vostre, voi ben vi fate conoscere, Monsig. per uomo d'altissima erudizione, d'indefessa lettura, d'accuratissima diligenza nel ricercare, ed illustrare la più recondita, ed astrusa antichità, e di perseverantissima industria nel notare, ordinare, e spiegare tutte le cose, con maniera concisa, vostra propria, ma però sempre chiara, e perspicua, ben confirmata di solide autorità. Io vi ringrazio Monsig. di così prezioso dono, e mi darete licenza, che pecchi con voi in importunità, confessandovi d'attenderne di breve curiosamente qualche altro, e di sperare, che finalmente siate pure un giorno per porre la mano intorno a Tucidide, che al sicuro vi somministrerà occasione d'illustrare maggiormente l'Attica. Dio vi dia la comodità, e vi doni appresso ogni più desiderato bene. Di Venezia li XXII. *Febbraio* MDCXXXIII.

DCCI.

IO. MEVRSIVS GERARDO VOSSIO S.

PAucis ad te scribere cogor, Vir amicissime, quia & hic nuntius inexpectato sese obtulit, & festinat parum tamen, quam omnino nihil, ad te dare malui. De Blavio tuo, quod coniunctim Opera mea edere, cuncta constituerit, gratum fuit intelligere; & ut virum in proposito hoc confirmes, in maiorem modum rogo. Optarem autem excudi ea charactere eleganti, & quo fere hactenus illa sunt excusa a Typographis prioribus. Optime certe meritum de te me esse existimabo, si in curam hanc incumbere non gravaberis. Quaeris quonam ea modo atque ordine digeri, & edi velim, qua de re nunc hoc habeto. Puto lucubrationes meas omnes dividi posse in Tomos IV. quorum unus continebit mea Attica, uti nunc digesta mitto; alter opera Historica, tertius Miscella, quartus Auctores a me primum in lucem editos, atque Notis illustratos, & alios in quos Notas itidem, aut Commentarios publicavi. Singuli vero Tomi isti, quo emptori paulo magis commendare sese queant, novo etiam opere aliquo pluribusve augebuntur: tum & singula opuscula emendata, & auctiora multo erunt. Initium autem fieri ab *Atticis* velim. *De Regibus Athenienfium*, quaeso, aurem homini vellito, & urgeto editionem: sed de *Pireaeo* meo, *Reliquis Atticis*, & *Familiis*, quid futurum est? Miror de his nullam omnino abs te mentionem fieri. Quaeso proximi significa. Mitto primum folium Solonis mei, quod scribebas periisse. Tua quae edis maxime videre aveo. Per hunc rescribe; nam non semper tales se occasiones nobis offerunt: certe tradet quicquid dederis. Vxor mea cum gravissimo, ac periculoso quoque morbo diu est conflictata, iam undecimam septimanam, nunc paulatim (Dei gratia) convalescit; ac speramus bona omnia, salutem tibi, atque tuae plurimam dicit: ita & ego liberique, tibi, tuae, & tuis omnibus, filia imprimis filiae. Scribebam raptim in Sorae, ad diem X. Aprilis MDCXXXIII.

Tuus prisca fide
IO. MEVRSIVS.

Quae iam edidi, quia apud te exstare ea arbitror, ut Typographo recudenda subministres, abs te peto; quae non edidi, mox submittam: ut & ea, que in singulis addidi, aut emendavi. De dedicatione postea cogitabo, cum tempus erit.

DCCII.

GERARDVS VOSSIVS IO. MEVRSIO S.

Vir summe, & nulli amicorum secunde!

QVod non semel scripsi, &, ut metuo, saepius conquerar deinceps, non finit hoc vitae genus, quod nunc dego, ut amici-

Ann. Chr. MDCXXXIII.

citias solam, quemadmodum oportebat. Vnde est, quod raro quisquam literas a me accipit, nisi iam multis ante mensibus exspectatas. Sed quum hoc male me habeat in plurimis, tum nihil magis indignor, quam non licere mihi colloqui cum duobus tribus, quos supra ceteros aestimo mortales. Satis nosti in his te esse, uti & τὸν πάνυ Grotium nostrum. Fateor sane iure te tuo, uti illos suo crebriores a me literas exigere. Sed quid agam, qui quo longius aetas provehitur, eo minus mei summo iuris contra veterum Romanorum mores, qui, ab Augusti aevo, missionem dabant vicena stipendia meritis: eos verò, qui senadena fecissent sacramento solvebant, ac sub vexillo retinebant, donec agros, & praemia tribuissent. At ego iam bis senadena stipendia feci, nec labor minuitur, sed gravatur. Etsi negare non possum ius mihi esse recusandi. Sed si quid imponatur, negare non sustineo, ut mihi ipsi culpam tribuere magna ex parte cogar. Nimirum sic cogito. Musarum castra non facere militiae finem, nec certos habere stipendium annos, sed vel maxime hic habere locum, quod dici solet, Imperatorem stantem mori oportere. Quantum ad opera tua adtinet, ea brevi adgredietur Blauwius. Sed optat, ut si qua in adhuc editis addideris, aut mutaris (& fieri vix aliter potest) quam primum ea chartae committas, & ad nos transmittas. Adscribam deinde operibus tuis, quae hic habeo, ut auctiora, & si fieri possit, meliora etiam prodeant. Io. Iansonius ante menses iam aliquot excudere coepit, quae miseras; & puto iam prope absolvisse. Sensim etiam excudet Blauwius, quae postremo accepta. Nihil tuorum in via deperiit [a]: utcumque silentio praeterierim in literis meis. Nempe tam occupatus scribere soleo, ut non possim non aliquorum oblivisci, eoque literae meae magis animum meum, quam se ipsas probare tibi debeant. Dionysius meus brevi tibi Historiam Reidani Latine a se redditam transmittet. Opus egregium est, Versionem commendare ipse nolo: illud tamen dicere audeo, plurimi laboris fuisse. Mittit nunc Panegyricum, & Carmen ad Principem ante V. menses editum. Nunc etiam Commentarios parat in Rabbi Maimonidis libellum de Idololatria, quem transtulit ex Hebraeo. Mittit filia mea tuae, quae postulatorum comparare potuit. De Corallinis operam dedit, nec successit. Nunc quoque, dum haec scribo, in eo occupatur. Nos adhuc de pace disceptamus, & eventus in ambiguo est. Princeps Rhenobergam obsedit, nec hostes segnes sunt, qui iam XX. millium exercitu Mosam transiere. Vale optime, maxime Vir, & amice, plurimumque saluta uxorem, filiam filiumque; sed & Laurembergium, ac Stephanium nostros. Quorum alteri orationem nostram, alteri filii Panegyricum dabis. Hoc enim fine geminum exemplar misimus. Amstelodami CIↃIↃCXXXIII. Postrid. Kal. Iun. Stylo Gregoriano [b].

Tuus totus

G. I. Vossius.

DCCIII.

Adolphus Vorstius Io. Mevrsio S. P.

Εὖ πράττειν.

Chirurgus hic nostras, qui hasce ad te perferet, Vir Amplissime amicissimeque cum in ipso discessus sui puncto tantum me moneret, in causa fuit, cur non nisi breve, & tumultuarium hocce epistolium ad te exarare mihi licuerit. Malui tamen brevitate, & parum curioso scriptionis genere meum tibi probare adfectum, quam veteris amicitiae me immemorem exhibere, neglectu huius occasionis. Credo biennium iam ferme esse, ex quo tuis respondi literis, unaque gratias tibi egi pro Historia trium Daniae Regum, cuius exemplar tuo nomine per communem amicum V. Cl. Io. Vossium tum temporis recte traditum mihi fuit. Nescio utrum in manus tuas meae illae pervenerint, quum praeter salutem ab Elzeviriorum nepote iam dudum a vobis reduce acceperim, a te nihil. Fortassis cupiebas, imo merebaris, uti ego prior iterum te ad scribendum lacesserem; quo genere officii quum iam pro lubitu meo, ac meritis tuis ob temporis angustiam defungi nequeam, quaeso, ut animi propensam saltem voluntatem benigne interpretari, atque accipere velis. Te vivere, atque valere ex voto cum coniuge liberisque lectissimis ex hoc homine in reditu lubens cognoscam. Caper mihi salvus & haedi. Familia mea quotannis novae prolis accessione incrementum capit: & iam quatuor liberorum pater sum. Academia nostra viget, ac floret more antiquo, neque ex vicinia Amstelodamensis Gymnasii ullum hactenus sensit incommodum. Salmasius, Vir sane humanitate, ac doctrina singulari, ab aliquot iam mensibus noster est; quam diu autem futurus sit, nescio, quum hic non omnia ex animi sui sententia succedere experiatur. Scaligeri locum apud nos sibi imaginatus erat, qui tamen hucusque ei tributus non est ab iis, quorum id in potestate erat. Ceteroquin habetur liberaliter, & duorum millium stipendio, praeter liberae habitationis emolumentum, gaudet, nullo docendi onere gravatus. Absit, ut quidquam illi Viro detractum velim; conflavit tamen illi haec vocatio extra ordinem, magnam apud quosdam ex nostro ordine invidiam, qui meritis in hanc Academiam antiquis & eruditione, neutiquam se illo inferiores esse existimant. Sed relinquo haec in medio. Quando

(a) Excidit haec vox in editione Londinensi. Grammius

(b) Editarum haec ccIII. pag. 220. f. responsio ad ea habetur P. II. p. 113. ep. CLXXV. Grammius.

do tandem fiat, ut te in hisce oris nostris videamus? diu est, quod adventus tui spem nobis inieceris, nec tamen voto te absolvis tuo. Vivitis istic in altissima pace, dum Germanus, Belga, Gallus cum Hispano serio belligerantur. Induciarum negotium propemodum decollasse videtur, quod Ordines nostri societatem Indiae Occiduae nulla ratione dissolvere velint, quae res sola Hispanum ad Inducias petendas adegisse videtur. Feliciter satis, ac favente Numine pugnavimus iam aliquot retro annis. Faxit idem Deus, ut perpetua haec nobis sint bona, utque gratis, ac piis animis hanc eius in nos benevolentiam excipiamus. Altingius, qui apud Groeninganos Theologiae professione fungitur, in locum Riveti vocatus est, & conditionem accepisse dicitur. Vir equidem optimis, ac sanctis est moribus, & eruditione in eo studii genere non vulgari. Arbitror tibi eum innotuisse, quum Lugduni hic aliquamdiu vixerit in aula Principum Bohemiae. Quid agas, ac moliaris, quae tibi sit mens huc veniendi, rogo, uti me certum facias, & no is literis redintegres amorem in te meum. Festinatio latoris cogit me finem huic epistolae imponere, quam alias multo dedissem prolixiorem, dum enim haec perscribo, te cum mihi videor iucundissime sermocinari. Vale Vir amplissime, ac salve a me meisque plurimum cum coniuge liberisque suavissimis. Raptim Lugduni Batavorum An. MDCXXXIII. XIV. Iunii.

Illustriss. Molinus vivit, & est etiamnum superstes ex illa strage pestilenti, quae Venetam ditionem paucis abhinc annis infestavit vehementer. Accepi ab eo praeterita hebdomada literas omni humanitate refertissimas.

DCCIV.

IO. CABELLIAVIVS IO. MEVRSIO S. P. D.

INfelix sum, Meursi Clarissime, qui hactenus non intellexerim, quo abs te animo literae meae acceptae sint. Iam saepenumero ad te scripsi, vel e Svecia, vel e Belgio, cuius rei manifesta alibi vestigia extant. Ego vero, quia nihil respondisti unquam, pridem de Tabellariorum fide dubitare coepi. Nunc sesquiannus est, quod ad te misi secundam Epistolarum nostrarum Centuriam, incomparabili Heinsio nostro inscriptam. Si neque hanc nactus es, spe nimis bona frustratus sum. Tertiam dedicavimus Puteano, Principi Academiae Lovaniensis lumini, & sic suis porro periodis, quae adhuc restant multae subsequentur. Ne & alia pollicear, tum Iuridica, tum Philosophica. Quin iam & in eo totus sum, amici ut omnes industriam, atque diligentiam nostram collaudent. Sed & tuum in eo nomen eminebit, quod fabricamus. Posthac propius cuncta communicabimus. Interea temporis velim, eam mecum amicitiam frequentes, quam expromissor Vossius, Vir invidendis ingenii absoluti dotibus praestans, mihi non semel addixit,

Στέρνοισιν ἐμβάλλων φλόγα.

Magna mihi cum Clarissimo olim Bartholino amicitia intercessit, neque hodie minor cum Wormio, qui, si quid tu ad nos, lubentissime transferri curabit. Interim ego te amare pergam, te aestimare pergam. Cui hasce tradidi, Hafniam petit. Intra mensem, ut pollicetur, revertetur. Quod ideo subnecto, ut occasionem habeas. Vale mi Meursi, & me inter tuos, quem ego inter meos iam dudum refero, refer. Nuclae, seu mavis e praedio nostro XXVII. Iulii MDCXXXIII. [a]

DCCV.

IO. KIRCHMANNVS IO. MEVRSIO S. P.

PRoficiscitur ad vos, Vir Cl. vetus meus domesticus Bartholdus Hintze, addicturus tibi operam suam in informando filio, & quidem iis legibus, quas in literis tuis ad D D. Henricum Pauli praescripsisti. Quam provinciam cum meo consilio susceperit, nefas putavi ipsum sine meis literis dimittere, praesertim quum & diu factum sit, quod nihil ad te literarum dederim, & ipse magni sua interesse arbitretur, si mea commendatione instructus ad te veniat. Honesto ille apud nos loco natus est. Patrem habuit Canonicum Ecclesiae in hac Vrbe Cathedralis, & avum eiusdem Ecclesiae Pastorem, & ministerii Ecclesiastici apud nos seniorem. A quo etsi quidem me-

(a) *Io Cabeliavius* quis fuerit, pene ignorare se dicit V Cl. *Petrus Burmannus not. ad Epistolas Cunaei pag* 359. quanto ergo nos magis ignoremus? Suppeditavit tamen idem Vir Celeberrimus nulla, ad generis eius nobilitatem spectantia ex testimonio Senatus Gandensis, quod quidem testimonium *Chiffletii* litteris additum. videtur *Chiffletii* opera impetratum fuisse ea fini, ut *Cabeliavius* matrimonio apud Bremenses cum virgine nobili, duorum praediorum herede [de quo in epistolis ad amicos haud raro gloriatur] potiretur. An vero illae fuerunt nuptiae, quibus *Daniel Heinsius* eleganti epigrammate [*Poem extempor. p.* 410.] adplausit, non dixero. Sponsae ibi nomen est *Mactildis Hakiae*. Praediorum vero dictorum alterum *Nuclam* adpellatum fuisse, ex multis epistolis deprehendimus. Id praeterea ex iisdem didici, ipsum annis 1626. & 1628. in Svecia vixisse, atque ibi *primam Epistolarum Centuriam* in lucem emisisse. Non enim illa Hafniae, [qui error est in *Burmanni* adnotatione l. c.] sed *Holmiae Svecorum* edita: istum librum ipse aliquando possedi, nunc vero frustra quaero. Aliquoties etiam *Iacobi Dyckii*, olim Regis Sveciae ad Foederatos Belgas Legati, ita meminit, ut dixeris in familia eius ad tempus vixisse, haud in Svecia tantum, sed & Hagae Comitis. Ceterum Eruditorum ubivis gentium amicitiam magna ambitione, & perpetuo consectatus, eos epistolis suis tantum non fatigabat; atque conditiones, nunc in Academiis, nunc in Principum aulis, venabatur; etiam postquam duobus illis praediis in Dioecesi Bremensi dotatus esset. Interim studiis litterarum deditus, praeter alia, grande moliebatur opus grammaticum, *de recte distinguendi, & interpungendi methodo*. Vltima, quae ab ipso scripta, mihi se obtulit epistola, est ad *Olaum Wormium*, Hagae d. 25. Martii 1640. in qua haec leguntur: *Brema posita, Traiectoque, Hagae nunc commoror hactenus, sed nec consenescere licebit. Ad calendas enim Maias, hinc, cum tota mea familia, Amstelodamum migraturus sum, ubi [ne ignores mutationis huius causam,] in Gymnasio illustri, sub auspiciis potentissimi, atque eruditissimi Magistratus, Ius, & Historias profitebor, id quod Deus Opt. Max. faustum mihi felixque velit!* Possumus subspicari, eum nunquam professionem istam adiisse, siquidem hodie ipsis Batavis, nec Burmanno soli, sed & aliis, imo quod plus est, ipsis cognomine gentis Cabeliaviae utentibus laudato *Burmanno* teste ignoretur. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXXXIII

diocre ipsi patrimonium relictum est, tamen cum studia Academica hoc tempore ingentes sumptus requirant, maluit de consilio amicorum honestam paedagogiam suscipere, quam id in Germaniae Academiis totum absumere; praesertim quum speret se, decurso illo tempore, quod tibi addicere constituit, tua opera discipulum quendam nacturum, cum quo in exteras regiones mitti possit. Qua in re si vitam moresque suos tibi probaverit, spero te ipsi non defuturum. Intellexi pronuper ex D. D. Cluvero, editum esse Hafniae libellum ἀνωνύμου scriptoris *De Profectione Danorum in terram sanctam*: cuius argumenti librum nunquam editum, & in Bibliotheca nostra publica repertum, ante paucos annos cum illustri D. Cancellario Regio, D. Christiano Friis communicabam. Pervelim scire, utrum eiusdem, vel alterius auctoris sit. Quare rogo, ut eius copiam mihi facere ne graveris. In descriptione Sveciae ab Andrea Bureo concinnata, & ab Elzeviriis publicata, pag. 4. legi priscum Norvegiae Chronicon a M. Ioanne Martini Slangerupensi, anno 1594. in Dania editum esse. Eius si copiam mihi alicunde meo aere comparare posses, magno me tibi beneficio devincires. Vale V. Cl. Dabam Lubecae XIII. Aug. Anno MDCXXXIII.

DCCVI.

IDEM EIDEM.

Vir Clarissime, petieram per literas a D. Simone Paulli, ut filio meo studiorem moderatorem procuraret; atque is rescripsit mihi, permovisse Bartholdum Hintzium; uti istud muneris in se susciperet, atque eum intra mensem adfuturum: ipse quoque Hintzius in literis suis, ad me datis, est testatus, se dierum quatuordecim, aut paulo plurium elapso tempore, adventurum. Nunc cum mora postulata protrahatur, maximopere abs te peto, ut cunctantem surda oratione impellas; & efficias, ut acceleret destinatum ad me iter: quod differtur cum iactura studiorum filii mei, uti pro prudentia tua facile iudicare potes. Quod si impetro, beneficium arbitrabor: & adgnoscam in qualibet occasione. Vale. Hafniae, ad diem XXI. Augusti MDCXXXIII.

DCCVII.

OLAVS WORMIVS IO. MEVRSIO S.

Qvas misisti Cabeliavio inscriptas, probe accepi: sed ante dies aliquot hinc discessit, eas curare qui debebat. Si aliam expiscari licet commoditatem, faxo, ut ad ipsum perveniant. Vnum est, quod rogatum iam velim. Incidi hisce diebus, dum Vitam Hippocratis a Sorano descriptam lustrarem, in locum mihi enucleatu difficilem, cuius enodationem a te, literaturae Graecae peritissimo nisi habuero, frustra ab aliis petam. Ille, qui ex Sorano vitam eius collegit, ait eum natum μηνὸς ἀγριανῦ ἕκτῃ κ̀ εἰκοςῇ. Quis sit mensis ille Agrianus, apud neminem repperi. Doce quaeso, & Wormium tuum aere perenni tibi obligatum tenebis. Vale. Hafnia III. Septemb. MDCXXXIII.

DCCVIII.

IO. MEVRSIVS V. CL. D.D. OLAO WORMIO S.

Literas tuas, Vir Clarissime, recte accepi. Doleo abiisse eum, qui meas ad Cabeliavium referre debebat. Nisi grave est, sub involucro ad Gerardum Vossium mitte, qui nunc Historiarum agit professorem Amstelodami. Is ad eum recte curabit. Optime vero transmittet, si mittendi rationem ipse forte ignorabis. Ioannes Von Gendt, mercator, habitans in urbe vestra, e regione Christophori Ivari; est is mihi amicissimus, & negotium in se libens recepturus. Quod de mense *Agriano* quaeris, nil inpraesens aliud occurrit mihi, quam Coorum hunc fuisse; sed, Atheniensium mensi cui responderit, tecum nescio. Vale, Vir Clarissime, & me amare, quod facis, perge. Sorae, ad diem X. Septembr. CIƆIƆCXXXIII.

DCCIX.

OLAVS WORMIVS IO. MEVRSIO S.

Amicissime Meursi, Mercatori Ioanni Von Gendt, alias mihi noto, literas tuas Cabeliavio destinatas, ut ad Vossium transmittat, mox tradam; quamvis sciam Cabeliavium hac hieme Nuclae permansurum. Literis enim ad me datis hoc indicavit. De opera mihi praestita in mense *Agriano* investigando, gratias ago; si quid praeterea huc spectans occurrat, spero te haud celaturum. Meam vicissim promptam paratamque defero operam. Vale.

Hafniae XIII. Sept. Anni MDCXXXIII.

DCCX.

IO. MEVRSIVS V. CL. D. OLAO WORMIO S.

Recte tuas, Vir amicissime, mihi tradidit communis amicus noster D. Burserus. De mense *Agranio* utinam opera tibi mea profuisset; sed tu tamen pro humanitate tua gratias agis. Si quid postea invenero, quod ad rem hanc pertinebit, non celabo. De literis, quas Cabeliavio destinavi, quando is Nuclae, uti scribis, tota hac hyeme est mansurus, quae ubinam loci exstet, plane ignoro; tuo arbitrio negotium permitto, faciesque quod videbitur ex usu. Quod si per te scire liceat, ubi gen.

Ann. Chr. MDCXXXIII. gentium sit Nucla, & qua item conditione Cabeliavius hic utatur, erit mihi id gratissimum. Intellexi ex Burfero, iterum te prole auctum, eaque mascula; Gratulor quam possum maxime, & ut in virtute crescat ad doctrinam exemplo Patris, Deum precor. Is te quoque diutissime sanum, & florentem servet. Raptim Sorae, ad diem XIV. Septembris CIↃ IↃ CXXXIII.

DCCXI.

Olaus Wormius Io. Meursio S. P.

MOx ab abitu Burseri nostri, literas tuas per mercatorem Ioannem Von Gendt ad Vossium curavi, meisque inclusi, quibus ut data commoditate ad Cabeliavium transmitteret, rogavi. Quod mihi de Nucla constet, ut & statu, ac conditione Cabeliavii nostri, malo te ex proximis eius ad me datis literis percipere, quam ex me ipso. Eas igitur mitto, data commoditate reddendas. Pro voto amico, quo filiolum recens natum prosequeris, gratias ago maximas, nihilque mihi foret antiquius, quam ut brevi par pari referre possem, tuamque familiam Meursio Dano auctam inaudirem. Quod ut fiat, vive, vale, & uxorem meo nomine suaviter amplectere. Hafnia XIX. Septembr. MDCXXXIII.

DCCXII.

Casp. Eras. Brochmandus Io. Meursio S.

SOlutionem stipendii tardiorem, ut aequo feras animo, amantissimus tui Cancellarius petit; curaturus, ut quae ex aerario solvenda restat stipendii particula, prima commoditate numeretur Historia vero tua nondum Illustri Domino Cancellario perlecta est tota, quam ubi legendo absolverit, remittet. Quae autem legit, tantum abest censura ulla sua censeat notanda, ut ea quam maxime & probet, & laudet. Vale Meursi Clarissime, & Reip. literariae bono diutissime vive, & flore. Ego & mea te, tuam, ac liberos vestros salvere iubemus. Hafniae quam festinantissime XIX. Sept. MDCXXXIII.

DCCXIII.

Gerhardus Vossius Io. Meursio S.

QVam tardus sit Io. Iansonius in excudendis tuis *Regibus Atticis* argumento est, quod nunc demum ad Indicem deventum. Ipse ad Nundinas Francofurtenses abiit. Petebam ab uxore, & typotheta primario, ut quantum excusum esset, occasione hac ad te mittere liceret. Sed absente, & nescio Iansonio negabant se hoc audere. Nempe durantibus his inimicitiis inter ipsum & Blauwium, sub quolibet lapide metuunt serpentem. Forte quia Blauvvio, non minus, quam ipso, utor familiariter, metuere, ne Blauvvio ea traderem: is vero quam celerrime recuderet, quo utraque editio simul prodiret, non levi huius Iansonii damno. Hoc ne vererentur iussi, ut cartas ipsi ad te mitterent obsignatas, sed surdis canebam. Quae ad primum operum tuorum Tomum pertinerent, recte accepi, inque ineditis iuvit oculos, & animum pascere, tot bonis, quae videre erat in laetis, & latis illis tuae Graeciae campis. Ringantur duo tres malevoli: iustum virtuti doctrinaeque quae semper pretium erit: invidi autem quid nisi pastoritia fistula excipiuntur a cunctis, qui studia haec suo sciunt pretio aestimare. Ad editionem quod adtinet, super eo ipse ad te Blauvvius scribit. Metuo, ne longior tibi mora videatur, quod demum post trimestre editionem auspicabitur. Sed mihi crede, ita praelum eius variis fervet, ut ante vix possit. Et praeterea propemodum omni carta destituitur, nec ille modo, sed etiam Typographorum alii: idque quia mercatores cartae, quod Bataviae destinatum putabatur, id omne in Moscoviam, & loca alia avexere. Itaque iam tertium mensem in Exercitationibus meis Grammaticis cessare operae coguntur, me plane illibente. Nam exonerari tandem minutiis illis exoptem, quo totum me dem istis, unde, & plus mihi honoris, & quod caput, publico gloriae. Mitto tibi Reidanum a filio Dionysio translatum: de quo iudicium tuum non anxius exquiro, gnarus ab amicis plurimum, qualiacumque etiam, laudari. Hic tamen, ne quid dissimulem, satis magnis studiis labores eius excepti sunt. Addo & conciliationes locorum ἐναντιοφανῶν in Pentateucho, scriptas ab docto Iudaeo, hac in urbe inter suos Ecclesiasta; a filio vero meo in Christianorum gratiam, ex Hispanico translatus, sed stylo, qui argumento isti magis convenire videbatur, ne flosculos hic ullos exspectes. Si minus ex hoc opere quicquam haurire sit, quod studia tua iuvare possit, poteris donare Academiae vestrae Theologo, vel alii amicorum. Omnino invenient Theologi, quod discant. Pauci enim Rabbinos legunt, vel intelligunt. At noster ille Manasses Ben. Israel (id enim Conciliatori nomen est) omnem prope aetatem in huiusmodi scriptoribus trivit. Maimonides, quem ex Hebraeo filius vertit, & Notis illustravit, properat in finem. Rerum novarum publice vix quicquam habemus. Princeps quid agat ambigitur, exercitum habet numerosissimum. Sed & hostium maiores, quam antea vires sunt: ut non aliud tempus plus ei gloriae addere possit, si quid praeclari geratur. Quod si privata etiam nostrorum nosse, cupis, Lugduni Festus suam Ioannam Cuchlinam, suam Rutgersiam Daniel Heinsius, Ioannes item Latius suam Balduiniam amisere. Festi Hommii uxor graves, & diuturnos dolores, & cancro excruciatum corpus habuit. Testamentum una fecerant ambo eiusmodi, ut qui diutius viveret, meliori aliquanto loco esset, quam

quam defuncti heredes. Sed haec ubi certam se mortem manere brevi videt, callide, marito ignaro, aliud fecit testamentum. Itaque dimidia bonorum omnium parte quamprimum cedendum Hommio. Non Bibliotheca, non quicquam, quin iusto sit pretio aestimatum. Id Hommius non tam male ferre videtur, quam alii, qui illi optime volunt. Kuchlina ex Bertii liberis non alios hereditatem adire voluit, quam duos illos, qui in patriam huc remearunt. Id Bertium pessime habet. Equidem doleo propter minimum natu, omni a culpa immunem, quem Bertius in memoriam soceri mei Franciscum vocarat, spondente pro eo in baptismo uxore mea. Heinsii uxor hydropica erat, ex malo lienis, quod & alios morbos pariebat, nec multum a delirio aberat. Multum ei morbum adauxit infortunium fratris, mercatoris Amstelodamensis, qui foro cessit. Ille vero conqueri solet de sorore, quod propemodum ex asse esset heres Iani Rutgersii; quasi, si qua hic culpa est, ea non omnis in Iano potius Rutgersio, quam Heinsia resederit. Salmasius Lugduni vivit; sed impetigine ita foede laborat, ut hactenus invisere nos ausus non sit. Quanta simultas sit Heinsii erga eum, nemo Lugduni ignorat. Et quod peius est, traxit ille non paucos in partes, qui solo Heinsii amore pessime de Salmasio loquantur. Foedum hoc malum obtrectationis, quo eruditi tantopere laborant. Prorsus satius esset nescire literas, quam eas foedare sic invidiae & loliginis succo. Hugo Grotius Hamburgi adhuc degit: sed vitio stomachi mala valetudine agit, ut hesterna die ex filio natu secundo, qui studiorum causa in urbe nostra agit, intelleximus. Equidem Deum non intermittam precari pro incolumitate eius Viri, qui si totum aestimemus, parem non habet, superiorem saltem neminem. In Britannia fato nuper functus est Abbotus Archiepiscopus Cantuariensis. Successit ei Gulielmus Londinensis Episcopus, Vir pietate, prudentia, eruditione nulli secundus, mei quoque amantissimus; idem pacis publicae summe studiosus, denique laudibus dignus maioribus, quam ego, aut alius quisquam ei tribuere possit. Cetera cognosces ex nobiliss. Guldensternio, & optimo doctissimoque Ernstio; qui lustrata Belgica, Germania, Gallia, Italia, Sicilia hodie ad suos remeant. Petebant, ut ad te literarum aliquid scriberem; sed satius putavi, ut epistolam hanc Crugio tuo darem, ne fasciculo librario simul egregium illud par onerarem. Dicito plurimam salutem uxori tuae a mea, quam utinam meliori valetudine aliquando videam. Liberi etiam mei tuos impense salutant. Sed Collegas etiam optimos, maxime Laurembergium, & Stephanium Viros Cl. impertias salute. Vale.

Amstelodami Pridie Nonas Octobris CIƆIƆCXXXIII. (a)

DCCXIV.

Io. Kirchmannus Io. Meursio S. P.

Clarissime Vir ac Domine.

Hintzium nostrum se tibi iusto tempore stitisse, equidem laetor, utque labores eius, quos in filio tuo informando suscepturus est, Deus fortunet, ex animo precor. Cur de Sriptore Anonymo libelli *De Profectione Danorum in terram Sanctam* nuper quaesiverim, hanc habui causam. Quum ante aliquot annos mihi a Senatu urbis huius demandaretur custodia Bibliothecae tum primum institutae, reperi inter libros, qui in Curia adservabantur manuscriptum Iosephum Latinum, in cuius calce additi erant duo Tractatus. I. *De Regibus Norvagiensium*. II. *De Profectione Danorum in terram Sanctam* (b): quos quum illustris D. Cancellarius Christianus Friis ante paucos annos, cum hic Pacificationi inter Caesarem, & Regem interesset, apud me vidisset perlegissetque, non indignos eos editione iudicavit, meque ad illos luce donandos hortatus est: quod etiam me facturum promisi. Sed partim mors Typographi, partim successoris incuria, partim quotidianae occupationes me ab hoc proposito avocarunt. Pervelim igitur scire, utrum huius argumenti Tractatus apud vos adhuc manuscripti exstent. Qui *de Norvagiae Regibus* agit, constat capitibus XXXIII. orsus ab *Haraldo pulchre comato*, definit in *Sivvardo*. Alter agit *De Profectione Danorum in Terram Sanctam*, quam suis literis promovit Gregorius VIII. Pont. M. Kanuto Woldemari F. regnum obtinente. Is constat capitibus XXVII. quorum penultimum facit mentionem Imaginis Sanctae Dei genitricis apud Constantinopolitanos &c. Vtrum tale quid apud vos MSS. exstet, rogo, me docere ne graveris. Illustris D. Cancellarius negabat sibi hac de re constare: quem ut data occasione meis verbis officiosissime salutare velis, etiam atque etiam rogo. Quo loco sint res Germaniae nostrae intelliges ex Collega tuo D. D. Christiano Matthiae, qui mihi hodie tuas reddidit. Vale cum lectissima coniuge, & tota familia. Dabam Lubecae XXIX. Octobr. Anno MDCXXXIII.

Tui observantissimus

Io. Kirchmannus.

DCCXV.

(a) Habetur inter impressas num. CCIX. pag. 224. *Meursii* responsoriae habentur P. II. num. CLXXXI. pag. 116. Grammius.

(b) Vtrumque scriptum tamdiu pressit, ac nostratibus, id ut ederet, flagitantibus, promisit Celeberrimus *Io. Kirchmannus*, donec, ipso exstincto, spes omnis decollata videretur. Tandem vero, longo post tempore, nepos eius *Bernhardus Casparus Kirchmannus* IC. & Secretarius Slesvicensis, ex Avi scriniis in publicam lucem protulit, anno 1684. Est autem libellus, Amstelodami impressus, in forma, quam octavam vocant, hoc titulo; *Commentarii historici duo hactenus inediti: Alter de Regibus vetustis Norvagicis; alter de Profectione Danorum in Terram Sanctam, circa annum MCLXXXV. susceptam, eodem tempore ab incerto auctore conscriptus &c.* sed hunc incertum auctorem *Theodoricum Monachum* adpellatum fuisse, inter doctos constat. Grammius.

Ann. Chr. MDCXXXIII.

DCCXV.

DOMINICVS MOLINVS IO. MEVRSIO S.

Le vostre lettere di XXII. Agosto passato mi sono capitate, quando appunto io con maggior impazienza stavo pur aspettando dopo tanto tempo d' udire qualche novella di voi, e ben ringrazio Dio che buone me l' abbia mandate, perche cessate le molestie domestiche, et rimessasi in miglior stato di salute la moglie, vi ritrovate in tanta tranquillità, che potete attendere a' vostri studi, et alla continuatione di quelle così degne fatiche, le quali sono dal mondo tutto abbracciate con singolar applauso. Io me ne rallegro con pienezza di cordiale affetto, corrispondente all' antico e sincero amore, che vi porto, e alla molta stima in che ben ragionevolmente tengo la vostra gran virtù. E vi ringrazio grandemente che con l' avermi così amorevolmente ragguagliato del vostro buon stato m' abbiate data insieme ed apportata una gran consolatione. La risoluzione che avete presa di far ristampare tutte le vostre opere in un corpo, diviso in quattro Tomi, è stata ben propria degna, e necessaria, perchè di questa maniera si conserveranno tutte, che quando si fossero lasciate separate, come erano, non n' ha dubbio, che molte sene sarebbero perdute, e già ben sapete, quanta fatica si provi a ritrovar alcune. Il nostro gentilissimo Sig. Vander Mylle mi promette d' inviarmene un corpo, quando sia fornita l' impressione, così anco il libro delli Rè Atheniensi: io attendo e l' uno e l' altro con desiderio ben grande. A lui ho spesso trasmesse delle curiosità, che vanno comparendo alla luce da questa parte, et l' ho pregato di farvene parti, come ben mi promette la sua cortesia che averà fatto. Monsig. Bald. Bonifacio si ritrova bene; io gl' invierò le vostre salutazioni, che so gli saranno molte accette. Tra tanto, resto Monsig. pregandovi il colmo delle maggiori felicità. Di Venezia li X. Novemb. MDCXXXIII.

Sarà bene che il Sig. Vossio faccia fare gl' indici accurati, e diligenti alle vostre opere in questa nuova impressione, che questo darà loro molto di vantaggio et sopra il tutto, che vi si aggiungano le interpretationi latine alle citazioni Greche, dove mancano.

DCCXVI.

OLIGERVS ROSECRANTZIVS IO. MEVRSIO S.

Diutius, quam & constitueram, & sperare potueram, ad te scribere distuli, quod per septimanas bene multas, ex quo nullam spem pacis Legati nostri nobis fecerunt, filium meum Georgium ex Germania cum iisdem reducem in singulos dies exspectarim, per quem de nonnullis edoceri me posse speraram, de quibus ad te super negotio, quod nosti, utrimque desiderato, uberius scribere me posse mihi pollicitus sum. Nunc quando ipse ad nos reversus nihil etiamdum sibi de eo constare potuisse refert, aegerrime me habet, tam diu frustra in exspectatione ea me fuisse, quam spero tamen brevi expleturam Regiae Maiestatis praesentiam. Inprimis quod Antistites nostri nuperrime iusserint, Catalogum bonorum omnium totius Vniversitatis Aarhusiensis, archivis Regiis exhibere, id quod ego ominis optimi loco habeo. Interea nihil quidem reliquum faciam eorum, quae consiliis istis maturandis ex usu a me proficisci poterunt unquam. Canonem annuum ante mensem tibi depromptum, & signatum per praesentem hunc meum mitto, quem ut boni consulas, peramice te rogo, simulque ut officia, & studia omnia mea, meque ipsum, quantus sum, totum tibi tuisque deditissimum manere constanter tibi pollicearis velim. Vale cum tua tuisque peramice a me salutatis saluberrime. Ex meo Rosenholmiano XXV. Novembr. CIↃIↃCXXXIII.

Mi Meursi, Petavius in Chronologico suo opere cuiusdam Petri Alexandrini mentionem facit: cuius disputatio de Paschate adhuc MS. in schedis ipsius lateat. Video tamen ab aliis integras periodos ex eodem auctore citari; nec quidquam interim de auctore ipso usque huc constare mihi potuit. Tu si quid de ipso habes, velim, me edoceas. Vale.

DCCXVII.

GERARDO VOSSIO IO. MEVRSIVS S.

Gratas mihi tuas fuisse, nullus dubitas: neque est quod ego exprimam. Iansonii nostri tarditatem valde miror, ac fortasse amat ille Reges meos quasi sub custodia habere. Sed bene agitur, quod iam finem suum spectent: nisi sane, quod confido, iam acceperint. Neque enim Indices, ad quos pervenerat Typographus, diu adeo remorari illos possunt. Doleo contentionem inter duos hos librarios, cum vicinos, tum cognomines. Sed non aliter solent illi, quibus vita eodem quaestu toleratur. Magis autem inique fero, quod dissidii inter Heinsium, & Salmasium est. Non debeat, inter Viros tanti nominis. Misera certe, & ridicula est ambitio, tum indigna quoque invidia, parem in altero honorem, aut stipendium animo iniquo ferre. Quanquam de stipendio sane, ut existimo, non contenditur, nam hoc Heinsius superior. Reidani Historiam, & Iudaei [a] hominis Conciliatorem libens vidi: magis etiam quia filio Dionysio utrobique parta est gloria: Faveo ex animo, & crescentem famam gratulor. Sed quid Iulius Caesar eius, an quiescit? altum enim in literis tuis est silentium. Pridem movisti salivam, tam praeclari operis promissione. Meorum operum primum Tomum reiici in extremam hiemem; facile fero, dummodo tum serio editio promoveatur. Quaeso ne urgere cesses. Existimabam fore, ut minuta illa tria Opuscu-

[a] *Manassis Ben Israel.* GRAMMIVS.

scula, *Pireaeus*, *Reliqua*, *Attica*, & *Familiae*, seorsim excuderentur: sed spes ea, uti video, me fefellit: tamen fieri optassem; liberandae apud amicos fidei meae, quam obstrictam a biennio illi tenent. In his salve cum uxore liberisque, a me mea, atque meis. Inprimis Dionysium tuum ego saluto, & exhortor ad maiora capessenda; neque enim sic incepit, ut desineret. Resalutant Laurenbergius, ac Stephanius. Filia mea Corneliae tuae plurimam salutem dicit, & gratias agit pro navata sibi opera.

Sorae ad diem XXIX. Nov. MDCXXXIII.

Tuus fide Batava

IO. MEVRSIVS.

DCCXVIII.

IO. KIRCHMANNVS IO. MEVRSIO S. D.

Lubecam.

Literas tuas, Vir Clarissime, recte mihi tradidit collega meus, D. Christianus Matthiae. De scriptore illo utroque, quod inquiris, neutrum habemus: Itaque quantum possum, hortor, uti edas. Beneficium debebit satis magnum non duntaxat Literaria Resp blica, sed & Dania Vniversa, & Norvegia: quam utramque in maiorem modum obstringes. Illustris Dus Cancellarius iam ab aliquo tempore in Cimbria cum Rege agit, neque brevi rediturus. Vbi occasionem eius salutandi nactus fuero, tuis verbis illud faciam. De S. Canuti vita, obituque, item S. Caroli filii; ecce habes Donum est exiguum quidem, sed adfectus in te mei esse illud pignus volo; quodque pretio a se deest, tu benigne aestimando compensabis. Addo effigiem, si hanc tanti arbitraberis: ut praesentem quasi habeas, quem absentem amandum tibi statuis? Vale, & me amare perge, tecum paria facturum. Raptim Sorae, ad diem XIII. Decembris CIϽ IϽ CXXXIII.

DCCXIX.

CORNELIVS VAN DER MYLEN IO. MEVRSIO S

Monsieur, j'appris avec regret par vostre dernier l'indisposition de vostre chere compagne, & veux esperer par la bonté de Dieu, qu'à present elle se porte bien, comme je fay aussi avec les miens par sa divine grace Vous trouverez cy joint une lettre de l'Illustris. S. Molin, auquel depuis peu, & pareillement au S. Balthasar Bonifacio. J'ay envoyé vos Roys des Atheniens, *ayant retenu le troisieme exemplaire pour moy, dont je vous suis fort obligé. C'est le S. Vossius, qui par vostre ordre, m'a fait avoir ces trois exemplaires. Le susdit S. Molin estoit tres desireux pour voir cest ouvre, ne faisant toutes ses lettres, que d'en demander des nouvelles. Vous aurez entendu le decés de l'Infante d'Espagne advenue a Bruxelles le 1. de ce mois. Ceste Princesse y a esté extremement regrettée. Le Duc d'Arschot estoit auparavant parti vers le Roy d'Espagne. Le Marquis d'Aytona, & trois autres Seigneurs Espagnols, l'Archeveque des Valines, & le dit Duc, sont par provision deputés au gouvernement des Provinces des pays-bas soubs le dit Roy. Aucuns vueullent, que l'Infant Cardinal y viendra bientost pour prendre le gouvernement. On a donne dimission aux quatres deputés de Brabant, qui sont demeures icy, & cela avec toute civilité. La saison rude a occasionné, qu'on leur a fait dire, qu'il n'a pas d'baste pour neuf ou dix jours, à fin qu'ils prinssent leur commodité. Il faut voir, si cy aprés leur viendra deüe, & valable procuration du dit S. Roy. Il y a quelque semaines, que le sieur Secretaire Gunther partist d'ici vers Dannemarck, s'il vienne jusques ou vous estés, vous me ferez plaisir de luy offrir mes recommandations. Et sur ce vous saluant tres cordialement, & aussi Madame vostre femme, ce que fait aussi ma femme, & tous les miens, je demeure vostre plus affectioné amy à vous servir.*

De la Haye ce XX. *de Decemb* MDCXXXIII.

DCCXX.

CASPAR BARTHIVS IO. MEVRSIO S. D.

QVod post tantum ad te temporis scribam demum, Vir Cl. & amicissime, duritas aevi caussata est exstractionem officii. Nunc quum ad otium vel reversus vel repulsus ab armis & usu rerum sim, sedet candoris pristini tibi memoriam reponere & literatum redordiri negotium. Infinita edenda habeo, quibus subfuratus horas sequiores impendi. Desit nihil praeter Typographos. Francofurdiensium ardor consenuit, & Mercurius eas oras pridem Marti cessit. Si qua tua opera (scio benevolentiam tuam generoso pectori non deesse) Amsterodamenses aut Leidenses mihi commodi esse, fierive possent, officio me grandi, nec tuo sine praesente emolumento, obligares. Plus viginti auctoribus optimis locupletare homines possim, inter quos cum perpetuo Commentario novo sunt totus (Herculeum, nec ulli tentatum hactenus opus) Papinius, totus Claudianus hic ex XVII. ille quinque praeclarissimis Exempll. MSS. emendati. Est Aeneas Gazaeus, est Albertus Aquensis. Et numerus ab omni cetero aevo. Est secundus, & prope tertius Tomus Adversariorum. Ex perpetuo teque & me digno amore & candore in nos, neque non posteritatis tuaeque Aeternitatis nomine, consulas in medium, rogo. Teque quam optime valere cum coniuge (quam ex descriptione nostra, mea peramanter salutat) & liberis, illiberis ego hactenus, voveo, neque non laborem praesentium commendo. Iustinum Hoegium ante hos XXIV. annos mihi Witebergae familia-

miliarem, si apud te est [a], ex me officiose consaluta. Scripsi in nido confugii sub tutelam Svecicam; utinam demum post tot spoliationes, & diffugia, securus: Halis Saxonicis, A. MDCXXXIV. Aprilis XXIV.

Tuus omni modo atque studio

CASPAR BARTHIVS EQVES SAXO.

DCCXXI.

GERHARD. VOSSIVS IO. MEVRSIO S. P.

CAreo, amicissime Meursi, tantopere dilecto filio meo Dionysio, eoque careo (cur reticeam) magno cum moerore, sed quem leniat dies, & inprimis Divinae voluntatis cogitatio. Post excessum eius lentior fui in scribendo. Quod non miraberis, si scias, quantum amiserim. Equidem saepe cogito mecum, quis ille ea aetate; quantillus ego grandaeva. Sed superanda omnis fortuna ferendo est. Atque haec non aliqua animi mollitie, sed maximo iure a me scribi, facile videbis, ubi in lucem eius Maimonides, & Caesar prodierit. Reidanus iam absolutus fuit eo vivente, quem mittam, ubi occasionem subgesseris, vel ipse reperero. Scio, iudicabis, sic interpretem egisse, ut si viveret auctor, non aliud votis debuerit expetere. Tua de regno Attico, credo, iam acceperis. In qua editione si quid peccatum, nulli minus quam mihi vertas vitio: quandoquidem Iansonio (ita intelligo) visum, ut Hardervici potius excuderetur, utcumque aliud inscriptio praeseferat. Aderam his diebus Arlanderveniae domino, Gulielmo Noomsio, Viro & literarum & literatorum amantissimo, tui prae aliis prope omnibus. Cui quum exposuissem, quam praeclare hoc anno meriturus esses, editione multorum de Rep. literaria, in his etiam Bibliotheca Attica, & quae de aliis scriptoribus consignasses, pro familiaritate, quae ei mecum est, dicere coepit, paullo aliter convenisse, & periisse siti sic laborem quem in hoc argumentum insumsit. Attamen, ut ingenue agam, inter eos, qui tam mihi amici, satius existimo, a te id fieri, quam alio quoquam. Non diffiteor post abitum tuum multum ei argumento esse insudatum his locis. Sed enim quis orbe toto intelligentior talium Meursio meo? Et tamen non plane frustrandus voto suo Noomsius noster. Puto recte se facturum, si ex opere eo partem aliquam ipsi dedices. Facile animadverto, sic satisfactum ei iri; vel si discerpi id opus non placet, dicetur opus aliud non plane dissimilis argumenti. Et ausim dicere, si bene virum novi (nosse autem debeo) non ingratum eum fore; nec enim sordidus est. Blauwius necdum opera tua excudere est exorsus. Duas suspicor causas. Vna, quod opere nostro Grammatico distineatur; quod & duos tres menses morari eum poterit. Altera, quod ei lis sit cum vicino Io. Iansonio, quam prius componi velit. Si quidem vix aliquid ullius momenti excudit Blauwius, quin recudat Iansonius; vix quicquam Iansonius, quin par pari Blauwius det hostimentum. Semel iterum uterque, sed frustra, opera usi mea ad controversiam hanc dirimendam. Nec tamen sopiri posse diffido, ac brevi quidem spatio. Damno suo uterque discet sapere. Sed si bene rem capio, aliquoto iniquior Iansonii causa. Quod si animus iste pertinax, vel, si malis, pervicax, utrumque gravaturus diutius non desinam propterea Blauwium urgere, ut quamprimum satisfaciat promisso suo, & exspectationi tuae. Nec enim nescio, quo adfectu homines eruditi non illos solum corporis, sed vel maxime animi foetus ament. Scripsi haec subito, quum Lugduno huc venisset noster Mulenius [b], seque ad illustrem Dominum Rosecrantzium post horam diceret literas missurum. Nolui enim tam bellam scribendi occasionem omittere. Intelligo ante dies paucos Elzevirium profectum in Daniam. Quod si scissem, fortasse occasio fuisset per eum mittendi Reidani. Sed hominem non vidi, nec domi meae fuit. Multum uxorem tuam uxor mea & liberos tuos mei liberi salutant. Amstel. CIↃIↃCXXXIV. Prid. Kal. Maias [c].

Tuus, si alius quisquam

G. I. VOSSIVS.

DCCXXII.

VIRO CLARISS. D. IO. MEVRSIO PETRVS CVNAEVS S. D.

EX quo tempore, Vir Cl. literas meas ante biennium ad te pertulit idem hic Elzevirius noster, nullum a te responsum acce-

(a) Erat scil. tum temporis *Iustinus Hoegius*, Senatorum Regni Daniae unus, Academiae Equestri Soranae (in qua *Meursius* Professor) Praefectus summus, magnusque literatorum fautor. Is est, cui *Meursius* alteram editionem libri de Luxu Romanorum, Sorae impressum, dedicavit.

Haec ergo altera *Barthii* ad nostrum epistola, ex apograph. *Z. Lundii* utraque vero, si *Groschuffio* credendum (*Novae libror. Conlect.* Halis editae *Fascic. III. pag* 594.) deest in Codice Epistolar. Meursianar. in Lipsiensi Biblioth. adservato. Ita enim ille: *in hoc Codice nullae continentur literae a* Barthio *&* Lipsio *perscriptae; namque* Struvius Zentzelium *secutus hac in parte erravit: Exstat quidem* Lipsii *carmen in auream, quam habuit pennam, &* Barthii *carmen ad* Meursium *exaratum, sed praeter ista nihil legitur*. Nos tamen, praeter Barthianas hasce, etiam unam *Lipsii* supra dedimus. Ex tribus vero istis quoniam duae nobis deprehensae fuerunt inter Gudianas, merito subspicari possumus, non solummodo illas, sed & plures, ex Lipsiensium Codice avulsas, ad *Gudium* aliosve commigrasse, neque tantum ibi hodie epistolarum numerum adesse, quantum olim in Seefeldiana Bibliotheca usurpavit *Zach. Lundius*. Viderint ii, quorum res est (si modo tanti ipsis videatur) postquam hae nostrae in lucem publicam exiverint.

Ceterum, quod ad *Barthium* adtinet, adparet ex his litteris, primum ad amicitiam *Meursii* editum ipsi fuisse, tunc cum in Germania ille anno 1607. versaretur. Aucta familiaritas, *Barthio* Lugdunum Batavor. veniente, ac hospitio *Meursii* utente, quemadmodum meminit *Christianus Daumius* in eius vita, item in *Epistolis ad Th. Reinesium pag* 26. nec non *Barthius* ipse *Adversarior. lib.* 49 *c.* 10. Hinc idem non solum in dictis Adversarior. libris, sed & in omnibus fere operibus suis nullam praetermittit occasionem *Meursium* adlegandi & laudandi, saepe etiam crises eius & emendationes ad examen severius revocandi. GRAMMIVS.

(b) *Perperam* Mullerius *in edita*. GRAMMIVS.

(c) Est inter editas CCXXII pag. 236. s. respondit *Meursius* d. 12. Iul. 1634. v. P. II. ep. CC. p. 127. GRAMMIVS.

accepi, quare si moram meam culpes, erit, quod regeram. Sed puto nos ambos fiducia potius amicitiae cessasse, quam ex ulla mutati animi causa. Scio quippe eam esse arctissimam coniunctionem, quam nulla levioris officii intermissio abrumpit. Ego ea ipsa tempestate, quum paullo ante ad te scripsissem, Solonem tuum accepi, sed sine literis. Pro quo munere, quum gratias tibi agere constituissem, neminem reperi, qui iter ad te faceret. Enimvero pro luculentissimo illo munere ut gratias tibi ago maximas; ita plurimum tibi debet Iurisconsultorum ordo, eorum praecipue, qui leges Romanas illustrare cupiunt ex Atheniensium antiquissimo iure. Nihil iam multo tempore edidisse te memini, quod magis adiuvet causam Iurisprudentiae nostrae. Vtinam leges Atticas iam pridem a Scaligero collectas evulgarent tandem illi, qui epistolas eius, praeter auctoris mentem, ac fortassis etiam contra amicitiae aequissimas leges [c], publicaverunt. Vale, Vir Cl. & diu Reip. literariae sospes ac incolumis vive, meque, ut facis, tui observantissimum amantissimumque redama. Lugd. Bat. Cal. Maii CIↃIↃCXXXIV. [d]

DCCXXIII.

[e] CHRISTIANVS FRIIS IO. MEVRSIO S.

HIstoriae tuae partem aliquam summa cum iucunditate legi. Scriptum satis commendari nequit; nec vero vino vendibili opus est suspensa hedera. Quum vero totum per occupationes plusquam adsiduas percurrere non licuerit, & multa tamen in eo contineantur, quae statum regni nostri haud leviter concernunt, & de quibus subinde nobis a vicinis controversia moveatur, opera Nicolai Eggebrechti, Secretarii Regii usus sum. Eius Adversaria in unum & alterum locum (ceteras enim literulas & lapsus calami tantum concernunt) cum ipso opere tuo hisce adiunxi, quod te pro tua humanitate aegre non laturum confido. Reliquam historiae domus Oldenburgicae partem avidissime exspectamus. Vale, Vir eruditissime, & Daniam nostram huiusmodi scriptis illustrare, nos vero eo ipso tibi devinctos reddere perge. Vale. Hafn. XIII. Iunii MDCXXXIV.

DCCXXIV.

ADOLFVS VORSTIVS IO. MEVRSIO S. D.

PRofectus nuper ad vos est, Vir amplissime, Elzeviriorum nostrorum cognatus Ludovicus, sed sine meis, idque eo evenit, quod, me non monito, hinc abierit. Mearum tamen esse partium duxi, ut aliam quamcumque ad te scribendi adriperem occasionem; quae quum sese nunc per eosdem Elzevirianos obferret commoda, minime a me praetereunda videbatur. Tuis XXVI. Novembris proxime elapsi anni, ad me perscriptis, nihil utique iucundius mihi potuit accidere; praesertim autem eo nomine fuerunt gratissimae, quod, post longi adeo temporis intervallum, luculentum mihi perhiberent testimonium, quanta tum constantia, tum integritate veterem tuum erga nos amorem tuearis & conserves; quem ego tanti facio aestimoque, ut inter amicorum primos te semper numeraverim. Dolui serio literas meas, quas abhinc biennium ad te dederam, intercidisse; quippe ea res in causa fuit, cur de adfectu meo subdubitare inciperes; cui tamen ne tantillum quidem decessisse, toto eo, quo disiuncti fuimus tempore, sancte tibi adfirmare audeo. Hunc animum ut praesenti aliquando, patriosque lares feliciter revisenti, exhibere possim, faxit ille ὃς πάντ' ἐφορᾷ καὶ πάντ' ἐπακούει. Praeteritus Autumnus funestus admodum fuit patriae nostrae ob passim grassantes variolas: abstulit haec lues inter alios primogenitum liberorum meorum, maximo meo cum cordolio; quin etiam ego, tota insequente hieme, langui minusque prospera usus sum valetudine. Verum quae Dei Op. Max. est benignitas, valeo nunc iterum perbelle. Ita laeta tristibus, prudenti consilio vicissim temperare solet supremum illud καὶ πάνσοφον Numen. Cl. Salmasius, Vir doctissimus optimusque cum pedum ulceribus molestis scabieque corporis contumaci luctatur hactenus, ita ut publico per plurimos iam abstineat menses. Adgnoscit hoc malum causam intestinam, hepatis viscerumque naturalium gravem intemperiem, quae nonnumquam, absit omen, hydropi praeludere solet. Dignus equidem est, cui βιὸς ἀπαθέστερος κακῶν contingat, quo Reip. literariae prodesse queat quam diutissime, nostraeque famam Academiae scriptis suis extendere. Aucti sumus non ita pridem novo Theologo, Iacobo Triglandio, Ecclesiaste Amstelodamensi; Altingio Groeningianis suis

(c) Nempe, si spectentur illa, quae hinc inde epistolis suis ad amicos inspersit Scaliger, cum iniuria optimorum Virorum coniuncta, qualia ipsa in epist. ad *Car. Labbaeum* de *Meursio*: quae publicando *Heinsius* male profecto meruit de Scaligeri memoria; nemo enim erit bonus, qui non peius his Scaligerano nomini, quam Meursiano consultum dixerit. GRAMMIVS.

(d) Est haec in Cunaeanarum Sylloge CLXXIX. pag. 253. Rescripsit *Meursius* a d. 26. Oct. 1634. quae ibidem proxime sequitur pag. 254. GRAMMIVS.

(e) *D. Christianus Friis D. de Kragerup*, Regis Christiani IV. magnus Cancellarius & Regni Daniae Senatorum primus, maximus literatae gentis fautor, & quo nemo rectius omnia, quae ad studiorum artiumque incrementa facerent, aestimaret, in Historiae universae atque patriae cognitione neminem sibi parem habebat, ne quidem ex iis, quibus nihil fere aliud agebatur. Legantur ad eum epistolae *Io. Is. Pontani Sylloges* ab *Ant. Matthaeo* editae XC XCV. CXVIII. CXI. CXII. Atque utinam eius consilium, in colligendis atque in publicam lucem proferendis omnibus, quae in Bibliothecis alibique apud nos latebant, antiquis monumentis nostrates essent secuti! qua de re alio loco dicemus. Quae ad vitam Herois huius pertinent, legi possunt in *Erasmi Vindingii Acad. Hafn* p. 36. *seqq. Meursius* illi *Athenas* suas *Batavas* inscripsit, eumque inter primos auctorem praedicavit, suae in Daniam evocationis. Mortuus est Cal. Oct. 1639. adeoque undecim tantum diebus *Meursio* superstes vixit. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXXXIV.

suis addictiore, conditionem hanc oblatam recusante. Interim multum distant aera lupinis. Quo autem diutius tecum loquar, qui rarius, haecque ipsa crescat epistola, scito Vltraiectinos totos iam esse in erigendo illustri, ut vocant, Gymnasio, ac propediem illud inaugurare decrevisse. Professorum maior hic futurus numerus est, quam Amstelodami; proinde ab hac etiamnum Schola maiora damna Academiae nostrae metuo, ominorque, quam ab illa, maxime, quum ea sit urbis illius elegantia, ea commoditas, quod nec tu ignoras, ut Musarum aptissimum, amoenissimumque futura videatur domicilium. Cl. Cunaeo autem vulsi, & ad scriptionem hortatus sum, quum tibi responsum nimis diu deberet; sed is defunctus hoc ipso iam est officio, ut intelligo, Ludovico operam suam ante abitum ei obferente. Heinsio salus a te gratissima fuit: utrum autem & is scripserit, nondum mihi constat. Res societatis Indiae Occiduae meliore incipiunt esse loco, quam hactenus fuere, parta recenti victoria, a nostris ad promontorium S. Augustini; prope abest, ut tota Brasiliae ora maritima in nostrorum cedat potestatem. Quoniam literae meae, quibus inter alia gratias tibi agebam, pro Historiae tuae Danicae exemplari, muneris loco transmisso, in via periere, iterato id nunc facio, multumque me eo nomine tibi debere profiteor. Non desinis etiam in gelida illa ora divini tui ingenii monimentis. Remp. literariam adiuvare. Solon tuus a Doctis & legitur, & probatur plurimum. Instant Elzevirii, ut has obsignem; quare desino, Vir amplis. pariter & amicissime, teque cum uxore, liberisque suavissimis longum a me meisque ex animo salvere iubeo. Lugd. B. A. CIƆIƆCXXXIV. XIX. Iunii die.

Tuus, quam diu sum, ἄνευ δόλυ κ̔ ἀπάτης

ADOLFVS VORSTIVS.

DCCXXV.

CASP. ERAS. BROCHMANDVS IO. MEVRSIO S.

PRaefatio, qua honorandum censuisti Illustrem D. Cancellarium, adeo mihi placet, & probatur, ut si vel tantillum in ea suadeam mutandum, non tam in Cancellarium, & in te, quam in ipsissimam veritatem gravissime peccem. Nam quidquid de Illustri illo Viro vere dici posset, arte tanta, & elegantia dixisti, ut nihil nec addi, nec demi possit aut debeat. In qua voce finio, praecatus Deum, ut bono Reip. literariae diutissime & vivas & floreas. Vale, Vir celeberrime, & me inter nominis tui cultores numera. Hafniae, die Ioanni sacro MDCXXXIV.

Literae Cancellario inscriptae fide bona exhibitae sunt; ad quas si hac vice nihil re-sponsi tuleris, valetudini, quae infirmior est, adscribe. Iterum vale, & me more tuo amare perge. Ego vivam & moriar tuus.

DCCXXVI.

GER. IO. VOSSIVS IO. MEVRSIO S. P.

MItto ad te, care Meursi, Reidanum τῦ μακαρίτυ filii mei, quem placiturum confido & filii, & argumenti, & dictionis etiam causa. De quo iudicium tuum quoque, ubi acceperis, exspectabo. Iam diu missum oportuit; quippe inter primos esse te conveniebat, cui mitteretur: neque id solum ob amicitiam nostram, sed etiam quia tanta cum laude ipse in Historia patria sis versatus. Nunc Danica non minori tractas gloria. Mallem ego Batava, etsi valde faveam Danicae genti, vel ob tot eximios proceres, quos scriptis suis decorare iam diu orsus es. Sed enim nulla hic culpa tua, verum patrii soli, exteros magis, quam suos aestimantis. Aliter si esset, non alibi potius, quam his terris ageret bonis omnibus laudatissimus, nec ullis tacendus seculis Hugo Grotius. Qui quanti te faciat, scio ex sermonibus, quos de te habuimus hac in urbe sesqui annum circiter. Quam autem eius erga me amor perseveret, luculentum brevi argumentum videbis. Suum enim Sophompaniam nomini dedicavit meo. De Iosepho se aperiente fratribus in Aegypto tragoedia est, qua nihil omni hoc seculo, eo in genere, divinius scriptum puto. Editionem eius proximo mense ordietur Blauvvius: Et tuorum simul operum, quae dilata quidem hactenus: sed testis ego esse possim, quam nihil hic segnitie vel socordia sit peccatum; sed solum ob nimium vicinum, qui omne commodum incommodo non solum Blauvvii, sed etiam publico intercipere conatur, recudendis confestim, quae maxime placent. Noomsius Arlandervensiae dominus, saepius cum laude meminit tui. Et vellem, ostendere ei licuisset partem illam literarum, quae ipsum tangit. Sed utrum nunc in praediis suis, an Harlemi, vel Hagae agat, satis dicere non possum. Intra hebdomadas duas reversurum ex famulitio intelligo. Certus sum, gratissima ei fore, quae scripsisti. Aristarchus meus, sive De Re Grammatica libri VII. necdum prodierunt. Intra mensem tamen vel circiter absolventur. Salmasius prope convaluit. Itaque non dubito, quin Arnobium suum, & alia brevi sit daturus nobis. Non est ea apud Lugdunenses gratia, qua meretur. Inprimis ei obstat Menapisci [a] invidia; qui non desinit erga eum esse, qui esse solet erga non Batavos solum, sed prope omnes eruditos. Vale singularis amice, & uxorem ac liberos saluta meo, coniugis ac meorum nomine. Nec Stephanium, vel Laurembergium praeteritos velim; valdeque aveo scire, an non tandem nobis Stephanius Saxonem sit Grammaticum daturus. Quaeso de hoc quoque ali-

(a) i. e. D. Heinsii. GRAMMIUS.

Ann. Chr. MDCXXXIV

quid proximis literis scribe. Et si cessat ille, calcaria subde. Dignissimus est scriptor, cui tam bonum ingenium operam impendat suam. Amstelodami, Nonis Septembris. CIↃIↃCXXXIV. (a)

DCCXXVII.

Dom. Molinus Io. Mevrsio.

L'Aggiunto libretto venutomi da Roma, per entro al quale ho osservato esservi sparsa alcuna cosa di vostro interesse, e che però ho trovato buono d'inviarvi, mi da occasione di ritornarvi, dopo molto tempo, la memoria della mia sincera cordial' affezione, che vive più che mai nel suo vigore, e che mi fa desiderare d'aver di voi più frequenti le migliori novelle, le quali mentre starò attendendo, con alcuna cosa appresso de' tanto degni parti della vostra valorosissima penna, resto insieme pregandovi il colmo d'ogni maggior felicità. Di Venezia li XXV. Ottobre MDCXXXIV.

DCCXXVIII.

Gerard. I. Vossio Io. Mevrsivs S.

Literas tuas, Vir Clarissime, & Reidani adiunctum exemplar a mercatore Slagoniensi recte accepi. In Reidano ingenium tui Dionysii mire elucet. Dictio est tota pura, & maiorem in modum elegans, quaeque Tacitum felicissime repraesentet. Laudibus eius memorandis alibi occasio erit, idque publice: hic si faciam, metuo ne dolorem tuum aliquatenus iam lenitum, tibi refricem, ac restanrem, etiam augeam. Grotii nostri Sophompaniam, quam tantopere depraedicas, admodum videre velim; quam quod tibi dedicavit nihil fecit praeter amicitiae vestrae antiquissimae dignitatem. Quod meorum operum editionem Blavius tam diu differt, male animum meum habet: utinamque vel nunc tandem fidem liberet, inchoetque. Mitto interim quae II. Tomi erant, & in illis Cretam meam, quam inscriptum iri Noomsio, veteris nostrae amicitiae monumentum. Peto abs te ne e manibus id dimittas, antequam excudi debeat. Aristarchum tuum, sive de re Grammatica, libros, exspecto impatienter, & nunc absolutum spero. De Salmasio plane doleo: & non possum non invidiam Menapisci accusare. Stephanius noster iam Saxonem suum absolvit, & aestate proxima se editurum pollicetur, nunc est totus nuptiarum, quas contraxit iterato. Salutat te plurimum; uti quoque Laurenbergius. Creta mea si placuerit, mox eodem quoque modo Rhodum dabo, quam adfectam nunc adservo; tum paulatim alia item, quae concepi, subsequentur; si vitam Deus, uti spero, & otium dederit. Tu quaeso, quantum potes, excita Typographum & urgere excitatum numquam desine. Vale, amice singularis, & saluta uxorem tuam liberosque meo nomine, coniugisque, ac meorum. Sorae ad diem XXVII. Octob. MDCXXXIV.

Tuus sine dolo

Io. Mevrsivs.

DCCXXIX.

Io. Cabeliavivs Io. Mevrsio S.

QVas dederas ultimo Augusti, iam ante octiduum demum nactus sum, Celeberrime Meursi: ut hoc tulerim, facile collegeris. Certe, numquam magis indignatus sum. Culpa, quantum odoror, Tabellariorum est, qui cum alibi, tum maxime in curandis eruditorum literis, segnes ac supini sunt; quo saepe fit, ut se invicem amici habeant subspectos, illorum interim nequitia ἀτιμωρητὶ grassante. Depones itaque omnem de me subspicionem, qua forte in accusationem vergat utique, tuas si accepissem citius, citius, id est, continuo respondissem. Neque enim stertere aut nugari soleo, quoties ad tui similes, Viros animo ac ingenio praestantes, scribere concessum est; quod abunde intellexeris, ex eis, quas, si modo perlatae sint, ad te exaravi hactenus. Quater, ni fallor, a primis illis, quas tantum unicas iam tunc nactus eras, & ad te, & Cl. Wormium, ingeniosissimumque illum Brochmandum, aliosque Danos, pro mea quidem alacritate scripsi. Mirum erit, si nihil eorum ad manus vestras pervenerit. Qui Hamburgo nostras procurat, ac promovet, Vir indubitatae fidei est. De singulis acceptis me certiorem fecit, ut, sicubi, vel in Holsatia, vel in ipsa Dania, naufragium faciant, id quod me insigniter urit; inde namque fit, cur hucusque vos, magnae animae, sileatis. Sed, ut tandem, queritari desinam, ad tuas illas primas, quibus nil humanius umquam manavit a Parnasso. Vt autem cetera omittam, quibus praedicandis vix umquam temperies adhiberi posset, eo inprimis volumine fuere mihi acceptissimae, quo coelesti quadam ubertate tuus in me scaturit amor; ut profecto incandescam, dum hanc felicitatem meam aestimo; adeo ego quidem duco maximi ac summi, amari a Meursio, id est, ab altero aetatis nostrae Varrone; qualis mihi merito haberis; sed nec secus testantur illi, queis contigit, divina ingenii tui monumenta ventilare. Quocirca te etiam atque etiam vehementer rogo, ut perpetuo me amare pergas. Ego quidem si & noster te adfectus ita iuvat, prius non supersedebo te deperire, quam si, me superstite, πάντα ἔναλλα γένοιντο, καὶ ὁ πίτυς ὄχνας ἐνείκαι. Cuius rei tesseram & arrham hanc epistolam habeto: quam eo tibi animo & consecro & mitto, quo hominem vere Christianum decet. De Centuriis nostris quod cupis, nihil equidem mallem, quam in eo gratificari tibi. Scripsi ad amicos Batavos, ut mihi exemplaria aliquot mittantur,

(a) Est ex Vossianis editis CCXXXVI. pag. 246. rescripsit *Meursius* 27. Oct 1634. Ep. CCVIII. p. 133. Grammivs.

Ann. Chr. MDCXXXV.

tur, quibus acceptis, & intellecto, qua demum orbita ad te tuto devolvantur, nil cunctabor ad te mittere. Praeter Epistolica adhuc alia restant, quam multa, tam varia. Vellem tu mihi assiduus Aristarchus adesses; ita minus quidem vererer nominis atque existimationis nostrae momentum, si quod est, ulterius periclitari. Nunc ultro multa multis multiplicamus in dies, sero fortasse olim famae nostrae consulturi. Parturimus tamen aliquid, ut novum, ita forte elegantulis istis, queis nil praeter suum placet aut sapit, minus arrisurum. Quando vero & ὁ ζάθεος Salmasius, & ille Polyhistor Puteanus & alii literariae Reip. Magnarii, me ad hoc opus publicandum animant & hortantur indies, statui prima occasione isthuc praelo subiicere. Ne autem ignores, quid sit, cuius hic meminisse iuvat, scito, opus esse criticum, in quo veram recte distinguendi seu interpungendi methodum ac normam pertractasse mihi videor. Grammaticorum filii, qui istam attigere paginam, tam ridicule ac ieiune id fecisse constat, ut nihilo inde magis adiuvemur. Causam nullam aliam subesse reor, quam quod penitus illos fugiat, quo deceat pacto singula periodorum membra distinguere. Qui verae criseos maiestatem non capiunt, & hoc totum, quod laudamus, futile ac levidense existimant, ut errent ac fallantur, totis quatuor libris sic probatum imus, ut mirum fuerit, si non & ab aliis, quorum subactum est iudicium, explodantur. Magnus ille Puteanus, cuius incomparabilis eruditio nota est omnibus, iam pridem distinctionum faculam accendit; multam hinc lucem mutuati sumus, quod ut aliquando ex nostris paginis patebit, ita numquam huius ergo divinum illud ingenium aestimare ac efferre desinam. Quum autem non omnia, quae huc facerent, tractasse mihi videretur, tandem hoc meum opus, quod iam olim inchoatum iterare coepi: sic vero adauxi, limavi, ut parum restet, quod proposito adiectum velis insuper. Optarem unice, quae vellem alibi, suppleres; te enim haud postremum illos inter numero, qui solidam rei nostrae cognitionem imbibisse censeantur. Sed quum longius distamus invicem, cogimur voti nostri summam in benigniora tempora reiicere. Si grave tibi non est, perscribes mihi, quo immortalitatis argumento nunc occuperis. Absque dubio divini atque ardui quid pangis. Ita enim nobis persuademus. Ad historiographi munus te a Rege Serenifs. vocatum esse, equidem merito hallucinor, tibine an Regi ac Regno gratulari magis debeam. Pie fecero, si utrique, tibi autem, de tanto munere, non gratulari non possum, quod tam abunde iam nunc hisce literis factum velim, ut velim tibi habeas persuasissimum, neminem esse aut fuisse vel omnium amicorum adplaudentium, qui maiorem, quam ego, hinc voluptatem ceperit. Etsi familiariter nos inter nos hactenus non novimus, ita tamen semper te amavi, ex quo Lugduni, quod dicunt, Batavorum te primus olim salutavi, ut numquam non inde omnia tibi fausta cupiverim. Quanti profundam eruditionem tuam faciam, in dicta virtute tua, quam rara, tam aestimanda, praeter Manes Illustris Iacobi Dyckii, literatorum summi aetate sua Moecenatis, amici communis intimi, testor maxima Europae lumina, quibuscum mihi sancta frequentatur amicitia. Quocirca non dubito, quin, licet sera sit gratulatio nostra, si sera esse possit, quae seria, nihilo tamen minus grata, & accepta futura sit. Haec ad te de te. Regi autem Serenifs. cuius felicitatem modis pluribus cumulatam volo, etiam atque etiam summopere gratulor, te sibi Meursium, qui aeternis annalibus Danorum facta & famam celebraret, obtigisse. Maxime inclito favit Regno, optime Regi optimo consuluit, qui te dignum putavit, cuius ingenio ac stilo publicis nominis pretium committeretur. Ego vero, quod unum possum, Deum unice veneror, ut propagandae Danorum gloriae diu te superesse sinat! Vir Illustris ac Magnif. quem merito Magnum Cancellarium vocamus, si consentienti famae credendum, magnus literarum atque literatorum Moecenas est. Scripsi aliquoties ad Cl. nostrum Wormium, aliosque ibidem amicos, ne gravarentur me ac mea studia magno laudibus Heroi commendare; quod non dubito, quin factum sit; quorum seriei si tu quoque insuper accedas, quod discupio inprimis, nihil iam votorum summae deerit in posterum. Etsi indignus sum, qui tanto Magnati tradar, non possum tamen, qui solo Musarum studio accensus, amicitiam eius quoquo tandem modo demereri contendam. Vt itaque me tibi aeternum obstringas, non dedignaberis Cabeliavio tuo hac in parte commodare. Ego vicissim in omnibus, quantum pro virili licebit umquam, tibi obsequar ac inserviam. Quae hactenus in lucem edidisti, nota omnibus sunt. Vt autem ego omnia pervolvam, velim, si ita placet, mihi singulorum perscribas Catalogum, idque alibi seorsum. Si quod adieceris exemplar, Criticum inprimis, officii & adfectus tui laude non fraudaberis. Huc usque in Nuclano nostro latuimus. Nunc Bremae commoramur, quo cum familia migravimus, coniuge heredem pollicente, ut procul dubio aliquamdiu hoc loci commoraturi simus. Interea vero temporis, postquam occasio non defutura est, frequentiores invicem reciprocemus, id quod omnis popolcerim. Occepi nunc Epistolicarum Heroicarum libros, Centuriarum satur; istuc nominis eis inditum ab illis, queis scribuntur. Nam Heroes sunt, quibuscum hoc anno literarum commercium frequentare sedet. Huic monumento dignaberis cooperari, quo tandem

Non omnis moriar, multaque pars mei
Vitarit Libitinam.

Licet autem scribendis literis immortalitatis laudem consequi, aut mereri non detur, tamen non dubito, quin si & illustria ami-

Ann. Chr. MDCXXXV

corum nomina, quorum fama scriptis publicis quaesita ultimam sibi posteritatem vindicat, pertexendae orsae telae usurpare liceat, quod, neque ab ingenio, neque ab argumenti pondere, quod vulgare totum & commune, fateor, futurum est, polliceri debeam, vel ausim, id tamen ipsum meorum carissimorum ope adepturus sim. Quos inter tu quum emines, quidni & tuas partes hic sollicitem? Scribes igitur toties, quoties te tuus de me amor cogitare iusserit; ita quidem eam impleris paginam, quae virtuti & eruditioni tuae tota vacat. Doctissimum Arnisaeum, si mihi conciliaris, valde meam de humanitate tua opinionem statuminaris. Divinus noster Heinsius (ut quid novi de Eruditorum cavea adiungam) brevi vulgabit observationes suas in Novum Tum. ut Heroa novimus, magnum ac laudabile monumentum erit. Incomparabilis Salmasius parturit Notas suas in Arnobium. Clariss. Vossius, cuius inaestimabilis eruditio est, suos Originum libros, quibus doctos omnes rapuit in Estasin, luci quoque, ut audio, adaptat. Quibus si tua conglacient, quae nunc pangis admiranda, non erit, cur huius aevi nostri memoriam celebrare olim posteri erubescant. Sed ne nimio scribendi pruritu te fatigem, finem facio, teque cum amicis supra laudatis salvere iubeo. Vale meum Decus, & diurna.

Bremae XVII. Febr. MDCXXXV.

DCCXXX.

Io. Cabeliavius Io. Meursio S.

Serenissimi Regis filius, nunc, ut audisti, inauguratus est: Beati nos, qui ipsum Archiepiscopum atque Dominum nostrum veneremur. Magna anima est. Non gravarer ipsi manciparier. Vt dicitur, adhuc quosdam sibi Consiliarios quaerit. Si eo dignus ego iudicarer, laudi summae ducerem, tali Heroi desudare. Nihil non hac in parte potes. Si me tanti facis, cuius eousque satagas, me tibi omnem devinxeris. Vt scripsi nuper, est mihi in hac Dioecesi duplex nobile dotale praedium: non putem, ampliorem in toto hoc tractu agrum esse, cui dum reparando biennium nunc impendi, & adhuc diutius haerendum erit, haud fastidirem tanto Principi vigilare. Sive, quod ita demum unica fidelia duos parietes dealbare possem; sive, quod gloriosum putarem, literato Archiepiscopo fore ab officiis. Si me commendaris, non te poenitebit adfectus tui. Non dedignabuntur Cl. amici Wormius & Brochmandus noster, operam suam addere. Sed hoc tecte fieri velim. Seorsum & serio mihi hac de re rescribi postulem. Tibi totam Spartam commendo. Iam aliquoties conditio Academica mihi patuit; verum, quum hic ligatus essem, coactus fui vota mea aliis relinquere. De fide mea, non foret, cur dubitaret, vel centeni mihi sunt amici, & magni, & docti, qui vel ultro pro me expromitterent. Quid multa? Est mihi hic processus cum quodam nobili. Debet socero meo 17000. Imperiales; hinc mihi trientem 4249. Ruf. ut non immerito Principis gratiam implorem. Nosti cetera, quae hinc coniecturentur. Haec ubi bene ruminaris, flammis hunc papyrum subfocabis. Si quid mihi rescripseris super hac re, nomen tui Cabeliavii fictitio involves; id, quia non tuto semper istinc amicorum literae perferantur. Si quid tuorum scriptorum ad me miseris, dabis operam, ut Hafnia Amstelodamum recta mittatur. Titulos magni Cancellarii exspectabo. Vale iterum. Bremae, ut supra.

DCCXXXI.

Domin. Molinus Io. Meursio.

Monsr.

Le vostre lettere mi apportano sempre sommo contento, specialmente quando da esse comprendo che vi ritrovate in buona salute, e con l' animo consolato, il che ben chiaro mi attesta quello che mi significate del progresso delle vostre erudite e nobili intraprese, nelle quali egli è certo, che non potreste attendere con l' avidità ben attenta, che vedo venite facendo, se non vi trovaste bene e del corpo et dell' animo. Hora io vi prego, Monsr. diuturna questa felicità, con mille quelle altre appresso, che ben sono meritate dalla vostra bontà, et dalla singolar virtù vostra. A Monsr. Bald. Bonifacio manderò le vostre lettere medesime, acciò egli riceva più pieno il gusto d' intendere da esse medesime la continuazione del cortese affetto con il quale voi gli corrispondete. Io averei ben gran piacere che sia principiata l' impressione di tutte le vostre opere in un corpo, acciò meglio si conservino all' eternità, e perchè anco più commodamente possino essere godute da' virtuosi, e da quelli che godono et profittano delle vostre degne fatiche. Attenderò in particolare quello che mi dite aver composto toccante il Regno di Candia, con molt' avidità, e vi pregherò in altra il resto, d' inserirvi, con qualche special studio, le prove che egli sia stato Regno, non favoloso, e finto, ma vero, e reale, e ciò per mentire un tristo Giesuita Savoiardo nominato Pietro Menod, il quale in un libello famoso composto da lui, et publicato per ordine del Duca di Savoia, che si vorrebbe da se stesso, e con il mezzo delle falsi menzogne di questo impostore, fare Re imaginario, come forse sia da quest' hora fino in cotesse parti settentrionali portato dalla fama un simile strano attentato, averete inteso, tra l' altre cose, ha detto, l' Isola di Candia, non essere Regno, che favoloso. Con che pretende pregiudicare alla dignità pur anco della Serenis. Repub. e avendolo acquistato, già sono quattrocento e trenta anni appunto, l' ha posseduto, et lo possede anco come guadagnato con giuste armi, e toccatole in parte nella divisione che si fece tra lei, et li altri

Ann. Chr. MDCXXXV.

altri Principi collegati sino l'anno 1205. già per giusta porzione a lei fu data una, e mezza delle quattro parti, che si fecero dell' Imperio d'Oriente, cioè di tre ottavi, onde li nostri Dogi si dicono, oltre gli altri tito li, Dominus quartae & dimidiae partis totius Imperii Romaniae: *il che ora, e da certo tempo in qua, si è accostumato comprendere, come fanno li gran Principi, sotto l'* &c. *mentre già si diceva spiegatamente, dicemo per esempio*, Franciscus Ericio Dei gratia Venetiarum, Dalmatiae & Croatiae Dux, Dominus quartae & dimidiae partis totius Imperii Romaniae &c. *e ora si usa solo dire*, Dei gratia Dux Venetiarum &c. *Che se qualch' altra informatione più distinta, Mons. per avventura desiderarete, e che me ne darete aviso, io ben di cuore vene si sodisfarò, con prontezza, come farò sempre, per quanto sarà in poter mio, d'ogni altro vostro desiderio, non bramando cosa maggiormente quanto d'incontrare nel vostro contentamento, state sano. Di Venezia li II. Marzo* CIↃIↃCXXXV.

DCCXXXII.

CASP. ERAS. BROCHMANDVS IO. MEVRSIO S.

NOn tam suadet, quam iubet Illustrissimus Cancellarius Frisius, ut opera tua brevi preditura Serenifs Regi inscribas. Conciliabis tibi hoc pacto favorem Regium, ac Illustri Cancellario viam sternes ad impetrandum filio tuo beneficium Ecclesiasticum. Quod suis verbis tibi indicatum vult D. Cancellarius: cuius adfectum adgnosce, & Viro optimo benedictionem a Deo precare. Vale, mi D. Meursi, & me nominis tui cultoribus ac doctrinae tuae aestimatoribus adnumera.

Hafniae IV. Mart. MDCXXXV.

DCCXXXIII.

CASP. ERAS. BROCHMANDVS IO. MEVRSIO S.

VIsae sunt mihi *Meditationes* tuae *sacrae*, & in hac occupationum mole & varietate oculo fugiente lustratae. Priscis pariter, & recentibus palmam fecisse videris in hoc genere dubiam. Corneae certe fibrae sit, oportet, quem dictio elegantissima, & res lectissimae non permoveant. Peccas in te ipsum, si quam felicissime orsus es telam, non pertexis. Nam si pari successu omnes ac singulos Davidis Psalmos illustraveris, nulla, mihi crede, oblivio nomen tuum delebit, sed vives immortalis. In quam sententiam me diffunderem, nisi nota esset mihi tua modestia, quae proprias laudes, etiam parcius enunciatas, non probat, necdum admittit. Vale, mi D. Meursi, ac me more tuo ama, qui tuus vivo & moriar. Ego & uxor tibi, coniugi lectissimae, liberisque optimis, salutem denunciamus amicissimam. Hafniae quam festinantissime II. April. MDCXXXV.

DCCXXXIV.

IO. CABELIAVIVS IO. MEVRSIO POLYHISTORI S.

QVas XVI. Febr. ad te dederam, eas Vir Cl. Olaus Wormius, communis amicus noster, bona fide Soram miserat; ut iam certius, quam hactenus, responsum mihi pollicear. Quod ad negotium, praestantifs. Brochmandus spoponderat, se sedulo incubiturum. De cuius fide & candore quum non dubito, serio te, Cl. Meursi, rogo, ut intimius cum illo in rem meam agas. Fuit is illustrissimorum Daniae Principum ephorus, ut multum fuerit, quod negetur ipsi. Quo si & tua accesserit pietas, tua auctoritas, nullus ambigo, quin effecturi sitis, quod volumus. Batavi nos ambo sumus; Belgae saltem, ut profecto tibi audeam omnia mea. Incumbe itaque eo, Nobilifs. Heros, ut eo promoveamur. Caussam novisti. Non poenitebit te tuae commendationis, sed neque culpabit consilium tuum ipse princeps, si me te consule inter Consiliarios suos asciverit. Simul ipsi ab epistolis Latinis esse possem. Si hoc effeceris, quod mihi de te polliceor, perpetuo me tibi obstrinxeris beneficio. Habes etiam amicos magnos, qui hic officio tuo facile aspirent. Quid multa? Praesta te bene mihi velle XIII. April. natus est mihi primus filius nomen ei inditum Iano Gustavo. Quum otio redundabis, dignaberis carmine felicitatem nostram decantare. Ad Cl. Wormium mittito, quidquid literarum miseris in posterum. Has lectas, rogo, concremes. Vale, nobilifs. amice, & rem strenue age. Bremae X. Maii MDCXXXV. Festinabat nimium Tabellarius, ut propterea literae liturae factae fuerint: id quod ignosces.

Tuus ex animo totus

IO. CABELIAVIVS.

DCCXXXV.

IO. CABELIAVIVS IO. MEVRSIO S.

NOndum quid tuarum nactus sum, si quid tu forte, ut non dubito, iam ad me dederis. Longe distamus invicem, ut culpandi mox non simus, sicubi tardare videamur. Rerum fata si modo arbitrio flecti possent, id agerem continuo, ut vicini ac contigui viveremus; adeo profecto ego tecum, mi Meursi, conversari propius amem. Hoc vero quando utrique nostrum negatur, dolerem forte minus, si saltem assiduis literarum missionibus frequentare amicitiam nostram liceret. Sed nec hoc tam commode, postquam rarius Hafnia Soram excurritur; ita mihi nunc aliquoties Clarifs. Wormius; ut nullum aliud medium restare deprehendam, quo haec votorum nostrorum iactura sarciatur, quam ut tanto prolixius exemplo Tullii, quanto rarius, quum aliter non datur, alter alteri scribamus.

mus. Et iam ostendi, ut istuc amicos intimos oporteat. Ab octiduo si volet Deus, rursus rus nostrum, quod Bremae machinabamur, eo iam defuncti sumus. Scis, de filio me loqui; id enim nunc novisti; si tamen meas acceperis, quae undiquaque natum mihi heredem sonabant. De re ista, ecquid tu tandem? Ego sane securus quidlibet exspecto. Interim lambere pergimus, quo grati existamus. De Iconismo equestris nuperi ordinis, ut vides, ad me illustris Chiffletius, Vir ad summa quaevis natus. Parat is grande quoddam opus *de Equestribus universae Europae Ordinibus*. Monumentum, si quaedam Danica conglacient, & nonnulla Svecica, dudum iam exactum est. Tu autem quum sis rerum omnium gnarus, ut merito audias polyhistor, non potui, quin te amici nomine consulerem. Ergo confer, mi Heros, si quid habes, ut habes, quod scripto tam augusto conferat. Si feceris, uno nexu multos tibi devincieris: praeter nobiliss. Auctorem & tuum Cabeliavium, Tuldenos, aliasque sexcentas animas illustres, quas Flandria nutrit hodie colitque Brabantia. Addidi quoque Svecica, ut vides. Si quid & hic sapis, da operam, ut continuo doceamur; ita patescat omnibus, te communi bono natum atque educatum esse. Ego vero, quod semper debeo, inde te laudare pergam, atque haec quidem de privatis. Ecquid etiam vis de publicis? at, de quibus ego, nisi forte Belgicis? &, quid operose, nisi magnum quid hac tempestate Principem Auriacum moliri? & iam triumphare occoeptum est, ex quo Galli advenere; qui iunctis viribus, communi voto desudant gnaviter. Flandria, ut hodie, aut numquam, aliquid posteritati memorandum patietur. Ego Deum ex animo veneror, ut tandem aliquando hosce motus ac tumultus, peccatorum nostrorum immemor, componere dignetur. Sat enim iam pridem saevitum ac bellatum est; & fortasse sat etiam scriptum. Finio igitur, & te, mi Heros, plurimum salvere iubeo. Vale. Braemae XXIII. Maii MDCXXXV.

Ita ad me Chiffletius meus.

„ Habere velim Iconismum novi illius Or„ dinis per Christianum IV. Regem insti„ tuti, A. MDCXVI. cuius signum est bra„ chium strictum vibrans ensem. Cura, „ quaeso, per aliquem amicum delineatum „ mitti, una cum nominibus Equitum, qui „ eo splendore honestati &c.

Igitur te, Meursi Nobiliss. ex animo rogo, ut hac in parte Viro Illustri commodes. Non fraudi erit tua tibi industria. Si me amas, & commune bonum, eo adlabora, ut quam accuratissime ea perscribantur. Totum enim hoc in manu tua situm est. Cum summo desiderio, & hoc, & cetera, si quae addis, exspectabo. In Svecicis itidem fac, ut satisfiat amico Chiffletio. Vale iterum, mi Heros, & iterum, amaque tuum

CABELIAVIUM.

„ 1. In MS. quodam Codice meo dicitur: „ *Ordo Regis Sveciae qui portatur super pe„ ctus a sinistra parte*, Insigne fuit Christus „ orans in horto cum tribus discipulis, „ obferens Deo Patri calycem, qui supra, „ medio corpore tenus, e nubibus adpa„ rens, dextram manum protendit, sinistra „ mundi globum substinet.

„ 2. Ordo torquem habuit ex crucibus glo„ batis, & dextris iunctis compositum, & „ alternatim interstinctum, dependente nu„ mismate figurae ovatae cum Christi Sal„ vatoris imagine. Tribuitur hic ordo vel „ Gustavo, qui regnavit ab anno 1523. ad „ annum 1560. vel Erico XIV: eius filio, „ qui regnavit ab an. 1561. ad 1568. Num„ mi maiores, Thaleri vulgo dicti, percussi „ reperiuntur cum hoc torque circa Regis „ insigne. Vnicum bene expressum velim „ mihi ex Svecia adferri.

„ 3. Ordo est Erici XIV. Regis. Torquis „ constat alatis Cherubinorum capitibus, „ cum intermediis frugum fasciculis, qua„ les in scutulo medio insignium cernun„ tur. Imo torqui appendet numisma ob„ longum, cui quid impressum sit, obser„ servare non potui in Thalero, ea parte „ attrito, quem habeo. Propterea velim „ saniorem adferri e Svecia. Licet facile „ subspicer, etiam Salvatoris imaginem es„ se, quia in posteris nummis Gustavi Pa„ tris Erici, vel Ioannis III. eiusdem fratris „ frequens expressa cernitur; vidi tamen „ hunc torquem in quodam libro, cum „ imagine Deiparae in numismate impres„ sum. Ideo extricandus hic nodus ad fi„ dem nummi bene percussi.

„ 4. Svecorum Ordo soli Mennenio in De„ liciis Equestrium Ordinum memoratus. „ *Habebat*, inquit, *pro tesseris gladios au„ reos militari baltheo inter se coniunctos, „ & acie sanguinea commicantes*. Insigne „ ordinis proferebat in clypeo aureo um„ bonem: seu potius *fulvo leone rubescente „ aureum arcum tres coronas regias, toti„ dem campanulas rubras* (sive crusmata „ potius) &c. (a)

DCCXXXVI.

GERHARDVS VOSSIVS IO. MEVRSIO S.

CRetensia tua, optime maximeque Meursi, accepi. Mihi quidem periucundum fuit videre opus longe eruditissimum amicissimi Viri, multoque etiam gratius credo futurum Arlanderveniae Domino. Nunc ab urbe abest; sed simul ac redierit, faciam, quod mei muneris est. Iam video, quid me scribere velis; nempe quid promoverint in edi-

(a) Conferantur cum his litteris, quantum ad *Equestres* illos *Ordines*, quaesita *Io. Iac. Chiffletii* de quibusdam *Ordinibus militaribus Regum Daniae & Sveciae*, quae ipsius rogatu & nomine P. *Scriverius* ad *Io. Is. Pontanum* misit, anno 1631 in *Ant. Matthaei Veteris aevi Analectis p.* 560.

Ann. Chr. MDCXXXV.

in editione tuorum Amstelodamenses nostri. Referre piget pudetque. Dic ingenue, inquies. Quid dicam, amicissime Vir? Nondum auspicati. Etsi mansuetum & lenem animum tuum iam a multis annis perspexi, tamen scio, commoveris. Et profecto mihi idem usuveniret. Causam quaeris? Dicam ego non unam. Primum est illa, quod Ioannes Blauvius I. C. in quem unum hactenus onus omne recubuit, uxorem Goudae duxit, honestam, opulentam. Eapropter pluscu lis mensibus omnia frigide satis hic acta. Nunc demum is pedem hic figere statuit. Cur, dices, non quamprimum saltem inchoant? Alius diceret solatioli causa id fieri. Sed eludere aliquem a moribus meis nimium quantum abhorret. Quare sic habe. Parens Gulielmus est senex, qui derivare statuit Typographii laborem in liberos iustae aetatis. Qualis Iurisconsultus ille, quem dixi, & alter, qui exteras terras hactenus lustrat, & iam ex Italia redux in Britanniam venit; unde ad nos rediturus, non quidem intra duos tres dies, ne te fallam, sed menses circiter duos. Credo horum partiaria omnis deinceps ut impensa, ita cura erit. Cernis ut ista praevideri non potuerint, quum primum ad te scriberetur. Eo facilius condonabis. Ac summum hoc sit ex infortuniis tuis. Ex animo meo tuum aestimo. Itaque scire voles, intra quod temporis spatium absolvi cuncta possint. Nondum potui certi aliquid rescis cere, quia nec Blauviis satis magnitudo & multitudo operum tuorum perspecta. Sed hoc pro certo mihi adseveratum ab iis, velle eos binis uti typotheris, binis praelis, ut omnia opinione celerius peragantur, &, quod neglectum mora diutina, id eo pacto compensetur. Mihi quidem, qui eos Viros bonos novi, plane persuaserunt; sed occasione prima ex me plenius certiusque de singulis cognosces. Vrgebo haud aliter, ac si mea res ageretur: Ac ne censeas quas causas commemoravi, uni tibi obfuisse, scias easdem obstitisse, cur filii mei Dionysii Maimonides non viderit lucem. Nam non ante eum adgredientur, quam ubi frater Iurisconsulti redierit. Multum autem assidua duorum typothetarum opera promoveri, & tu satis scis, & nos hic comperimur in historia Comitum Hollandiae, quam filius meus Matthaeus non sine genio, & quod maius, summa fide conscripsit. Mittam simul ac opus erit absolutum Nunc habe meos de re Grammatica libros, de quibus me aliquando, quum collegae essemus, colloqui memini. Tandem lucem vident, nescio quo honore meo, scio adolescentiae & scholarum bono. Addidi & Sophompaneam maximi & tui amantissimi Hugonis Grotii. Quod eo facio lubentius, quia mihi operam hanc suam consecravit. Certus sum multum voluptatis tibi adtulisse, quod homo Batavus, suis ante neglectus, at nullo merito suo, nunc, Deo propitio, ad illud fastigii decus sit evectus, ut Legatus sit regni Svecici ad Christianissimum Regem; a quo etiam honorifice admodum est exceptus. Filiam iuniorem magni ingenii puellam amisit, simulac Lutetiam venit. Morbum ex hiberno itinere contraxerat. Audio nec alteram satis commode valere. Quis Reip. nostrae status deinceps sit futurus, difficile est dicere. Foedus initum cum Gallo, quod Deus utinam fortunet. Multorum enim metus, ne minus sit salutare futurum his terris. Causas quid dicam? Non omnia literis committi possunt. Sane non dubium, quin eo obfenderimus Britannum. Quamquam de eo & aliae offensae sint causae. Strenue rem gessimus in Flandria, unde magna cum clade a Philippino propugnaculo reiectus Hispanus. Galli quoque ab eodem iuxta Houiam insignem victoriam reportarunt. Omnino Cardinali, ut vocant, Infanti infeliciter initia haec procedunt. Sed an ut gaudendum nobis, quod praelio superior sit Gallus, ita optandum sit eundem bello vincere, difficile dictu esset. Plane verendum, ne tam potentis vicini aliquando poeniteat; nam quid aequè nobis adversum Hispanum commodavit, quam eius longinquitas? Sed haec curae erunt Numini supremo. Burgersdicius post longum morbum Lugduni excessit. Vti & aliquanto ante socer eius Verboomius. Etiam Heinsius uxorem amisit: de quo absque dubio iam aliunde intellexeris, & fortasse ex me ipso, nec enim satis memini. Iam annus est, quod excessit. Salmasius necdum Leidae aliquid in lucem divulgavit: sed meliori utitur valetudine, quam antehac. Barlaei uxor graviter aegrotat, nec extra periculum est. Mea infirma, ut solet, sic tamen, ut par videatur rei familiari. Honartius Senator & Consul urbis nostrae Bicterus Legati in Poloniam missi, cum Frisio Senatore, qui Franekerae quondam Iuris Professor fuit; nempe hoc fine, ut dispiciant, num inter Svecum & Polonum pacis negotium transigi possit. Adrianus Bauwius, advocatus Hollandiae & Legatus foederatae Belgicae in Galliam, haeret istic hactenus, sed invitus, quia, ut scribit, negotium totum, cuius causa missus erat, confecit. Multum sollicitat per literas, ut redire liceat; sed nihil hactenus efficere tot literis, vel precibus potuit. Caussam melius Illustriss. Princeps, quam procerum multi intelligat. Simon Beaumontius, qui ante in Generalium Ordinum consessu locum suum tuebatur, nunc Syndicus est urbis Roterodamensis. Tamdiu cessarunt Roterodamenses novum Syndicum in H. Grotii locum creare, quamdiu is operam suam extero principi nondum addixisset. In causa est, quod conditione istac Grotius Syndici munus hoc susceperat, ut ne illi possent repudiare, quum vellent. Itaque existimat stipendium sibi vetus deberi, usque dum Legatus a Svecia regno constitutus. Et multorum ea opinio (si dicendum, quod res est) plane hoc deberi: praesertim quum nihil egisse nisi ex Senatus praescripto, fateantur. Sed tempus abrumpendi tandem hanc scriptionem. V-

xor

Ann. Chr. MDCXXXV.

xor uxorem, filia filiam, imo omnis familia mea omnem tuam salutat. Salutem etiam Cll. VV. Stephanio & Laurenbergio dices. Amstelodami CIↃIↃCXXXV. VII. Kal. Iun. St. N. (a)

DCCXXXVII.

Io. CABELIAVIVS Io. MEVRSIO S.

CRebram nuper scriptionem pollicebaris, Cl. Meursi, vix iam tum ad officia literaria provocatus, quod ut singularis tuae humanitatis erat, ita nullus quidem ambigebam, quin in proposito tam benevolo perrexisses. At nunc, ecce, neque respondes quicquam, neque scribis quicquam. Id quorsum fiat, nulla plane coniectura adsequi potis sum, nisi forte omnis culpa in Tabellarios reiiciatur, id quod tanto facilius admitto, quanto tua mihi promptitudo atque fides prae ceterorum semper visa est candidior ac illustrior. Vt ut sit, hoc saltem est verissimum, valde anxium & solicitum me esse, quod nullas abs te literas accipio. Quapropter te summopere rogatum cupio, ut proxima occasione me tranquillum reddas. Si quid in negotio commendato praestiteris, fac, simul id cognoscam; sin minus, ne te mea causa inquietare velis. Critica tua, quaenam sint, & quot illa, signari mihi percupio. Dudum gestio videre, quod inserviat coeptis nostris. Sciam & illud, quod iam Regiae Maiestati illustrandae elaboras. Est quidam ibi Svavius, iuvenis candore & eruditione insignis. Danus est, & ut audii, iam nunc Sorae commoratur. Si quando que te conveniat ac salutet, fac, sciat, me prorsus nihil malle, quam ut ipsi bene sit, quin etiam meo nomine mortalem diliges, &, si potes, promovebis gratis, aut per peram ei non commodaris. Dum hac in dioecesi haereo, si quid sit, quo fidem meam cupias probatam tibi, impera; totus tibi occupabor. Quod tu vero reponas, nihil est aliud, quam ut frequenter scribas; ita tandem amicitia nostra, quam tam feliciter inchoavimus utrimque porro solidescat; id quod ego iuxta tecum optem. Vale, Vir magne, & dignare nos cito, quantum vacat, responso. In Nuclano nostro XXIV. Iulii CIↃIↃCXXXV.

DCCXXXVIII.

OLIGERVS ROSECRANTZIVS Io. MEVRSIO S.

In Christo Iesu nostro vere vivere.

CL. Meursi, amice desideratissime. Neque ad vos rursum dimittere communem *Laurenbergium* (b) nostrum, a meis vacuum me decebat, inprimis quando impense adeo doleo, toties non te literarum tuarum, sed literas tui vicem gerere, quibus ea quidem tenus utrique haud parum iniuriis non possum non irasci, aut saltem succensere. De tanta vero iniuria utrimque sat scio invisa, apud te conqueri equidem non desinam; donec ipse & cartae & crenae vicariam istam operam invidens, praesens tandem utriusque & taedium leves, & desiderio satisfacias. Qua felicitate ut nos aliquando summus rerum humanarum omnium moderator utrimque beet, votorum meorum, quae in singulos dies ipsi sancio, neutiquam postremum est, in quo finio, teque cum uxore lectissima, & liberis dulcissimis sedulo & peramice a me meaque meisque salutabis, Divinae in supercoelestibus benedictioni religiosissime commendo. E Rosenhol. meo VI Cal. Aug. MDCXXXV.

DCCXXXIX.

Io. KIRCHMANNVS Io. MEVRSIO S. P.

NOn gratum mihi fuit, Cl. V. Dom. & Amice honorande, ex literis tuis cognoscere, Hintzium nostrum cum anno a vobis discederet, a M. Heidmanni (c) τοῦ μακαρίτου vidua accepisse unciales quatuor, lini coemendi causa, praesertim quum illud non compareat, nec nummi remittantur. Ante biduum igitur ad ipsum, in Holsatia iam Itzehoae agentem, scripsi, eumque monui, ut vel linum mittat diu exspectatum, vel reddat viduae nummos, quod alterutro horum honesta foemina aegre diutius carere possit. Quid responsurus sit, faciam, ut scias. Neque enim monere ipsum, aut aurem ipsi vellere prius desistam, quam viduae sit satisfactum. Moram aliquot dierum honesta foemina non aegre feret. Distat oppidum illud, in quo iam commoratur, a nostra urbe X. milliaribus: & raro certi homines inde ad nos commeant. Vale; Dabam Lubecae XI. Oct. A. CIↃIↃCXXXV. Subiunxi his quaedam ex opusculo *De Profectione Danorum in Terram Sanctam*, quae sic habent: „ Habetur illic (Constantinopoli) in veneratione summa Dei genitricis „ imago, quae Graecorum more, pulcherrimo decore picta continetur in tabula, „ quam *Eudoxam*, id est, bonam gloriam, „ suo adpellant idiomate, vulgari autem „ vocabulo *Eididiram* dicunt. Singulis autem diebus, ut adserunt, a vico defertur „ in alium, comitantibus utriusque sexus „ turbis innumeris cum incenso, ut vapor „ cremati thuris in altas videatur auras evolare. Pro sanctitate vero & reverentia „ mixta timori, hanc nemo, qui hoc seculum diligit, suis praesumit gestare manibus

(a) Est num. CCLXI. pag. 267. in edit. Londinensi. Ad hunc referendum quod rescripsit *Meursius* 7. Iun. 163. p. 161. ep. CCXLIV. GRAMM VS.

(b) *Ioannes Laurenbergius*, Med D. Professor Mathematum in Academia Sorana, Vir graecantissimus, Poeta in utraque lingua, Lat. & Graeca, excellens. *Descriptionis Graeciae*, quam ex MS edidit *Pufendorphius*, postea Thesauro Gronov. insertae Auctor, nec non aliorum opusculorum, de quibus & ceteris viri laudibus videndus Mollerus *ad Alb. Barth. de scriptis Danor* GRAMMIVS.

(c) *M. Christophorus Heidmannus*, Helmstadiensis, ac in patria Academia Professor, Vir doctissimus, & latine scribendi facultate excellens, inter eos fuit, qui a Rege Christiano IV. in Soranam Academiam docendi gratia fuerint arcessiti. Mortuus est Sorae anno 1627. de scriptis eius agunt *Alb Bartholinus*, & *Io. Mollerus* ad eum, ille *pag.* 31. *seq* hic *p.* 198. *seq.* GRAM.

Ann. Chr. MDCXXXV.

„ nibus, verum e cellulis solitariam vitam „ agentes Viri religiosi educuntur, ut eam „ baiulent. Tertia namque feria singulis se- „ ptimanis Angelico motu circumacta in „ conspectu totius vulgi velut quodam ra- „ pta turbine sui ipsius portitorem eodem „ impetu secum circumvehit, ut oculos in- „ tuentium mira celeritate pene fallere vi- „ deatur, cunctis more suo pectora tunden- „ tibus & clamantibus: *Kyrie eleison, Chri- „ ste eleison* &c. De hoc ritu si quod in scri- ptoribus historiae Constantinopolitanae legisti, rogo, mecum communicare ne graveris. Est autem suscepta haec Danorum profectio in Terram Sanctam instinctu Gregorii VII. Pont. M. circa annum Christi 1187. Iterum vale, V. Cl., cum tuis. Dabam Lubecae ut supra.

Rev. & Cl. D. *Christianum Matthiae* rogo verbis meis officiose salutes. uti & D. *Laurenbergium*.

Nominis tui studiosissimus

IO. KIRCHMANNVS.

DCCXL.

(a) IO. MEVRSIVS GEORGIO SEEFELDIO supremo per Sialandiam Iudici, ac Ringstadiensis territorii Praesidi Regio S.

Generose Domine,

ADmodum mihi gratum fuit, litteras abs te accipere & quod petis, intelligere. Equidem, quum inter primos e nobilitate vestra, ob virtutem, & doctrinam, atque ex ea studium in literatos, te observarem, gratulatus mihi fui, quod gratificando tibi, ac testandae observantiae se occasionem obferre animadverterem. Feci itaque quam promtissime, quod petebas tam benigne, quum id posses, ut debebas, imperare. Certe illud tua in me beneficia effecere, ut ingratum me existimem, & indignum tuo tam propenso adfectu, nisi effectum tibi dedero, quicquid a me postulabis, si id quidem in me fuerit Itaque nunc scribo Vossio, & Vilhadum ei tuum, certe iuvenem egregium, & favore omnium bonorum dignum, maximopere commendo. Atque ille, satis scio, pro humanitate sua, ac vetere nostra amicitia, tum Vilhadi quoque merito, gratum eum acceptumque est habiturus; item studia, si qua in re usus erit, adiuturus. Si praeterea unquam quicquam a me petes, mea semper opera in promtu erit. Tu vero, Generose D. quem amare sponte tua incepisti, nunquam desine. Sorae, ad diem XIX. Oct. MDCXXXV. (b)

DCCXLI.

IO. CABELIAVIVS IO. MEVRSIO S.

TAndem igitur post multa quidem suspiria, suavissimas accepi tuas, illas, inquam, queis in rem meam alteras incluseras. Pergratum fecisti mihi, ut equidem fateri cogar, te solum esse, qui candore, fide & adfectu generoso ceteros inter Batavos, tantum emines ac praestas,

Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Commendatitias nondum reddidi; abest cum Serenifs. Principe, cui destinatae sunt. Quid autem effecturae sint, continuo patebit; meliora interim speramus. Vera enim esse perhibentur, quae tu de viro nobilifs. tam praeclara sentis ac testaris: non negligam commodam mihi occasionem aucupari. Interea summas tibi gratias ago, qui tam serio & amice nostri emolumenti ac honoris satagas. Non tardabo, quum licebit, mutuum officium reciprocare. Sero me ad tuas respondere stupere noli; ocyus non potui, quando tuae istae iam ante octiduum demum ad manus nostras pervenere, quod idem Wormianis accidit. Miror equidem, & doleo, in curandis tam amicis literis Tabellarios adeo segnes, atque testudineos esse. Ex multis terrarum tractibus eruditorum literae ad nos confluunt, ex nullo tamen tardius, ne dicam, etiam infidelius, quam ex illo Boreali vestro. Haud aliter ac si peculiari quodam fato regerentur; quod iuxta mecum culpat communis noster amicus Wormius, a quo (ut obiter hoc addam) ea nunc accepi, quae facient plurimum ad illustrandos Ordines Equestres, quos iam dudum parturit praestantissimus Chiffletius. Memini hac de re etiam ad te nuper accuratius scripsisse, & petiisse simul; si quid scires eodem pertinens communicare ne gravareris. Quia hactenus nihil tu prorsus, auguror, deesse. ut propterea nil hic iterem illius. Tua, quae Amstelodami excuduntur, egregia dubio procul sunt; neque enim plebeium quicquam a Viro tam divino. Habebis me magnum operum tuorum aestimatorem. De Historia Danica quod addis, inprimis isthuc videre amem. Quantum illud monumentum! aut valde fallor, aut hoc laudabitur ab omnibus. Non desinam Typographum multis literis urgere, nam & mea refert, Meursiana maturari. Athenae Batavae metuenda peste consumuntur. Nulla praeterit hebdomas, quin duo millia capitum, si verum sit, quod ab amicis scribitur, civitati eximantur, ut profecto lacrymabile sit, quod ibidem cernitur quotidie. Civium praecipui, malo tam contagioso perterrefacti, huc illuc aufugere; quicquid nobile audit, alio se contulit. Professorum plurimi proxima petiere loca, ut tamen eminus oculos suos inten-

(a) MS. Huc pertinet epistola *Meursii* ad *Vossium* scripta d. XIX. Oct 1635. cum appendice d. d. 19. April 1636. quae inter Colomesianas est n. CCXXXIV. pag. 154. *Petrus* autem iste *Vilhadus* postea vir evasit egregius, ac Episcopus tandem Wiburgensis in Cimbria foctus, insignibus meritis inclaruit. Eiusque filius fuit *Nicolaus Slange*, Regius Consiliarius Conferentiae, Historiae Regis Christiani IV. auctor, & qui *Meursii* Histor. Frid. I. & Christiani III. MS. nobis commodavit, nuperrime mortuus. GRAMMIVS.

(b) Exstabat haec epistola in Cod. *Zach. Lundii*. GRAMMIVS.

intentos habeant in Liceum. Soli Theologi constantes, & fors etiam illi, qui gratis laudi Academiae desudant; quod in eis valde commendandum. Ita enim maxime fidem suam probent, sed & suum in communia studia adfectum, ut, vel melioribus explosis, aut saltem rivalibus exclusis, soli in posterum admittendi videantur, qui ut novus occupandi mos est, ita vel in medio Heraclito etiam deprehenditur, quod festive rideat Democritus. Mense Aprili, si tamdiu vivitur, hinc proficisci decretum est. Tum si quid in patria curatum volueris, habebis, cui tam audacter imperes, & iniungas quidlibet, quam tuorum infimo. Interea temporis pergam, quod coepi hactenus perpetuis literis amicitiam nostram fovere. qua parte, ut mihi, quantum prae tuis tamen studiis licebit, respondere digneris, etiam atque etiam rogito; neque enim quicquam mihi eruditissimis tuis schedis dulcius, aut iucundius est, ut saepe, quin doleam, non possim, tam remotis non distingui locis. Quando vero tam improbe literae nostrae feruntur, in eo totus sum, ut excogitem, qui utrique nostrum melius atque probius inserviat. Est igitur quidam Hafniae, uti mox occurrit, cuius operam ac fidem laudat optimus meus parens, nomen illi, si forte noris, Iano Huberto. Huic scripsi, & petii serio, ut quicquid literarum Sora, vel etiam aliunde nancisceretur, antiqua fide procuraret; nullus ambigo, quin facturus sit; ne quid autem omnino erres, solito tuas ad Cl. Wormium, qui, ut volui, tum postea eodem homine utetur. Vale, Nobiliss. Meursi, & in amore nostri persevera.

In Nuclano nostro XI. Nov. MDCXXXV.

DCCXLII.

LAMPERTUS ALARDUS IO. MEURSIO S. P.

ETsi officii curis atque oneribus ita pressus sim hactenus, Vir Cl. ut respirare vix potuerim; tamen ut literis te meis inviserem, tandem abieci omnia, & officium, quod tuae humanitati a me debetur, habui antiquissimum. Video te indefesso Graecae Antiquitatis amore ac studio teneri, nec eius illustrandae taedium ullum hoc ἀμυσοτάτῳ & ingrato seculo capere. Significant hoc studia tua, declarant scripta, sermones, quos olim tecum habui, non obscure testantur. Nae tu rem pulcherrimam elegisti, cuius me quoque forma cepit adolescentem, & de cupiditate illa tantum abest, ut dies aliquid detraxerit, ut cum aetate simul amor creverit. Ideoque post absoluta alia studiorum meorum opuscula, iam *De Veterum Musica* aliquid meditor, quam severiorem paulo, nec ita lascivam, in veterum scriptis deprehendi, ut est hodie. Video autem tuam Excellen. edidisse Tresviros e veteribus Musicos, quorum opera, si praesto esset, nonnihil iuvari possem. Fortasse etiam in instructissima Bibliotheca apud te aliud haeret, quod promovendae huic Musae suavissimae, si haberem, foret. Nec minus mihi studium in veteri Grammatico Harpocratione, ad cuius illustrationem tua Excell. calcar mihi addidit laudatissimum. Deprehendo autem libros tuos editos multum mihi commodaturos, ut opus facilius, nec non felicius procedat. Illos inter est Bibliotheca Graeca: Animadversiones Miscellaneae; De Pagis: Ad Hesychium Milesium: De Luxu Romanorum: Criticus Arnobianus: Areopagus seu de Senatu Areopagitico. De Re Rustica: Solon: Denarius Pythagoricus. Quibus adde Historiae Danicae libros. Hos omnes ut inspiciam, priusquam meum illum Grammaticum vulgem, amor & observantia mea in te iubet, ut quem toties in opere illustrato laudo, quoties tua Excell. in aliis libris subsidiariam ei operam navavit, puta in Lectionibus Atticis; Athenis Atticis; Graecia Feriata; Eleusinus: Panathenaeis: De Arce Atheniensi: De populis Atticae: Quae singula partim empta, partim a te donata possideo, amo, lego. Quare si me pristino amore & favore complecteris (ut te facere nullus dubito) reliquos etiam ingenii tui foetus, quorum inspectionem desidero, & sine quibus Harpocration meus lucem non adspiciet, habere me cura. Non enim eorum copia, praesertim Bibliothecae Atticae tuae e Bibliopolis nostratibus utpote Lipsiensi & Hamburgensi impetrari potuit. Ceterorum si quid adiicies, in non ingratum nominis tui cultorem conferes. Vale & me ama, qui te παντὶ σθένει, καὶ παντὶ θυμῷ. Dabam Brunopoli Dithmars. ultimo Nov. A. MDCXXXV.

Velim, me Meursi, te adfectum meum non crebritate literarum (quae ob incerta haec viarum nulla esse potest) ut ab ingenuitate mea (quae tibi perspecta est) metiri, & quamprimum ad has, si otium est, respondere. Vale, & saluta Patronum meum magnum Iustinum Hoeg, cui nuper Epiphyllidas quasdam Philologicas Sacro-profanas inscripsi. Item D. D. Ch. Matthiam, cuius successor, ne quidem Umbram praedecessorum hic repraesentat, quod ipsi significabis.

DCCXLIII.

IO. MEURSIUS GERARDO VOSSIO S.

ETsi semel iterumque ad te scripsi, Vir Clarissime, tamen hanc occasionem negligendam non putavi. Primis literis commisi quae in Creta suis locis inserenda cupiebam; tum & alia scribebam, quae ad operum meorum editionem pertinebant: quam ut porro urgere velis etiam nunc in maiorem modum rogo; ac confido, semel tandem, post promissa multiplicia eam inchoatam esse. Si id fieri commode queat, Tomo historico primum locum dari velim: quem transmittam, volente Deo, primo vere; simul aliquem certum homi-

Ann. Chr. MDCXXXVI.

hominem, cui committere tuto possim, nactus fuero. Qui has adfert est, Ionsonii minister; & se rediturum dicit circa proximum Paschatis festum; itaque & huic trades, si curatum quicquam voles. Quaeso autem, uti scribas mihi quidvis quod putabis scitu non ingratum fore de Leidensis Academiae, ac Gymnasii vestri statu. Audio Salmasium in Galliam se recepisse, forte nunquam rediturum. Ego quidem sic existimo: siquidem familiam, & supellectilem universam secum adduxit:

Hoc Ithacus velit, & magno mercentur Atridae.

O te, meque, ter felices, quorum animos transversos non ambitio ulla capit, aut invidia. Tu quid novi iam moliris? nam non cessas, satis scio. Vbi libri de Poetica, ubi filii tui Caesar, & quae alia exspectamus. Hodie natalem celebro septimum, & quinquagesimum per benigni Dei gratiam; utinam, ut praesentem te adesse opto, ita votum tu repraesentare posses: magnus mihi ad laetitiam cumulus accessurus esset: sed quam frustra sunt haec verba, tam hoc animo meo dolet, quod non liceat te frui. Itaque iterum te rogo in epistolae hoc fine, ne committas, ut hunc ad me redeuntem vacuum abs te dimittas. Vale diu amicorum praestantissime, cum uxore liberisque. Ego, mea ac mei annum hunc felicem vobis adprecamur.

Scribebam raptim Sorae, a. d. VI. Ianuar. MDCXXXVI.

Tuus antiqua fide

Io. Mevrsivs.

Illud quoque monitum velim, ut effigies in conveniente loco Tomi primi collocetur. Iterum vale.

DCCXLIV.

Cornelivs Van der Mylen Io. Mevrsio S.

Monsieur, *je vous ay escrit il y a quelque temps & adverti du decés de nostre commun amy l'Illustrissimo Molino arrivé a Venise au commencement du mois de Novembre dernierement passé. C'est une grande perte pour le public de la Republique de Venise, & pour les personnes excellents en vertu, & doctrine, desquels il estoit un grand fauteur de quoy vous pourriez rendre bon temoignage, comme celui qu'il honnoroit extremement. Il me souvient que lors que je vous fis ma derniere depeche, je vous donnai a entendre, que desjà depuis long temps rien de vous me n'estoit parvenu, ce que des lors me rendoit douteux, si vostre silence proviene d'aucune vostre indisposition; ou bien que vos lettres pourroyent estre esgarrées. Ce doute est bien augmenté du depuis, veu que jusques à present je n'ay rien receu de vous. Ie veux esperer que ce sera à faute de bonne, & fidele addresse, que ce defaut est survenu, & qu'autrement vous vous portez bien, avec tout ce, que vous est cher, & sur cette confiance je fineray ce mot, en vous saluant affectionnement, comme font aussi tous les miens, & demeure à jamais Vostre plus affectionné amy à vous servir.*

De la Haye ce X. de Feurier MDCXXXVI.

DCCXLV.

Commonitorium Lvdovico Elzevirio in Belgium redeunti, a Lvca Holsteinio Romae commorante, datum.

Memoriam amicitiae nostrae, optime Ludovice, imprimis tibi commendatam velim: atque ubi salvum te in Bataviam reduxerit Deus, amicos veteres, viros praestantissimos, Heinsium, Scriverium, Cunaeum, Vorstium, & commorantes nunc Amsterodami, Vossium, atque Barlaeum officiose a me salutes, meaque studia, observantiam, & adfectum sedulo ipsis commendes, rogo. Tum vero Io. Meursio V. Cl. vel literis tuis, vel si eo terrarum iterum excurras, coram testaberis quam constanti adfectu, licet tanto terrarum spatio disiunctus, ipsum colam. Patruis quoque tuis Bonaventurae, & Abrahamo officia mea coram expones, quorum rogatu Procopium Augustanum ad duos MS. Codices Vaticanos conferendum curavi. Qua quidem in re, opera hominis graeci satis docti usus sum: cuiquum illud praecipue iniunxissem, ut quae in edito desunt ex MS. suppleret, magis ille quam vellem perfunctorie in ceteris lectionum varietatibus, & vocum differentiis observandis notandisque versatus est, id tamen scio, nihil ab eo omissum, quod alicuius sit momenti, ἀνεκδότων, sive arcanae historiae nullum in Romanis Bibliothecis extat exemplar, praeter Vaticanum, quod Alemannus sua editione expressit. Sed Mediolani in Ambrosiana Bibliotheca Codicem multo integriorem, atque emendatiorem servari amici adfirmant; quem contendi cum edito operae pretium foret, saltem primae operis fronti instaurandae, quam foricina naenia confossiorem ex Vaticano Codice Alemannus repraesentavit. Tu Venetiis amicorum opera uteris: quae si spem tuam frustretur Illustris. D. Peiresius rogandus erit; cuius industriae, & sagacitati nihil non pervium, qui & alterum forte Codicem subpeditabit ex Illustrissimi Ruthenonsis Episcopi Bibliotheca, quae Card. Armeniaci libros MS. servat. In nova editione, quam paratis, illud inprimis a vobis observari velim, ne quid vel praefationibus, vel notis admisceatur, quod Catholicorum aures animumque obfendat, ipsumque opus Italia ceterisque Catholicis provinciis excludat, quod nec privatis vestris commodis profuturum existimo. Quod adeo vos moneo, ut si quid Alemanni observationibus adspersum videatur, quod Procopii calumniis favere, & Iustiniani optimi Principis famam premere, docti Viri iudicent, id de Cl. D. Heinsii, vel alterius Viri

Viri docti sententia expungatur potius, quam ut per Alemanni latus in Catholicam Ecclesiam calumniarum mucro oblique stringatur; quod ego a Rivio, aliisque factum doleo. Deinde pro vestro vos candore rogo, ut cuius beneficio, & auctoritate auctiorem Procopium habetis, ingenue profiteamini. Debetis autem quicquid hoc est beneficii, Eminentissimo Cardinali Francisco Barberino, qui ut omnis doctrinae, & eruditionis copia est instructus, ita ad literas studiaque iuvanda animo promptissimo, & profusa benignitate fertur. Tum vero, ut Vaticanae Bibl. hoc est, immensi omnis sacrae, & profanae antiquitatis ταμιεῖυ ea, qua par est, fiat mentio: unde beneficium hoc in publicum privatumque vestrum commodum promanat. Monebis praeterea patruos, ubi novum aliquod opus praelo subiecerint, per Hermannum Scheus communem amicum significare non graventur. Quicquid enim a me ad veteres auctores ornandos proficisci poterit, praestabo libentissime. Quid novam Eusebii Scaligeriani editionem moretur, scire velim, quidve adiumenti ab exteris Scriverius exspectet. Cl. D. Heinsium in notis ad N. Test. cautius evitare vellem, quae Catholicorum Censuram timere possunt, quam in Aristarcho sacro factum. Ages cum ipso diligenter de Concilii Chalcedonensis exemplari Manuscripto, quod ex Gevarthi Elmenhorstii civis mei Bibliotheca acceperat D. Rutgersius; unde postea ad Heinsium pervenit, qui si Codicem istum abs se impetrari patiatur, habebit ab Eminentissimo studiorum meorum Patrono Card. Barberino ἀντίδωρον, quemcunque tandem voluerit Codicem Latinum, Graecum, vel Syriacum MS. cuius quidem hac in urbe copia subpetat, vel si codicis possessione abdicare sese nolit, id saltem obtineas, ut cautione, cuiuscumque voluerit, pretii interposita, utendum nobis ad unum alterumve mensem transmittat. Rogabis etiam meo nomine, ut Latinam versionem Nicolai Methonensis, qui in Procli Theologica Elementa scripsit, & Graece penes me exstat, ex publica Academiae vestrae Bibliotheca transscribendam concedat. Quod si fecerit, pretium a vobis aequum homini alicui docto constitui, ac persolvi velim, quod ego per Hermannum Scheus lubenti gratoque animo refundam. De meis autem studiis si quis forte istic scire desideret, pro tuo adfectu referes, quae in Geographis, & Philosophis antiquis a me elaborata, vel tentata videris. Praesertim quid praeter Syntagma Geographorum Graecorum minorum Stephani Byzantii epitomen, Dionysii Afri περιήγησιν, aliaque plura, in Cluverii Italia emendanda, praesertim quae forte fidem vestrorum hominum superabunt, & a me peculiari opere de Locis publicis, & antiquitatibus agri suburbicarii, comprehenduntur. Quae de Hieroclis, Ocelli Lucani, Simplicii in Epictetum, Dissertationum Arriani, Paraenesion M. Aurelii Imp. nova editione Graeco-Latina tecum egi, patruis tuis significabis, quibus si consilium hoc probetur, singulos ego Auctores diligentissime emendatos, quod quidem tu oculata fide testari poteris, subpeditabo. Mittam quoque Demophilum, Democratem, Secundum, & Xystum, qui sententias elegantissimas scripsere, hactenus, si postremum excipias, ineditos. Sed de hisce cum Cl. Heinsio consilia conferre, & quid velint, significare licebit. Iamblichum integrum, & Porphyrii opera Parisiensi Typographo promisi. Ger. Vossio V. Cl. observationes copiosissimas Graecis Historicis locupletandis mittam, ubi editionem recensere libuerit. Quem tu, ut & ceteras illustres animas, Bataviae vestrae lumina, quam humanissime a me salutabis. Tu, quod agis, rem bene gerere perge, & sospes ad tuos, quod precor, redi.

Romae Idib. Maii MDCXXXVI.

Tibi addictissimus

LVCAS HOLSTEINIVS.

DCCXLVI.

Io. MEVRSIVS Io. G. VOSSIO.

QVum Soranus iste Civis, Vir, & amice praestantissime, ad te iret, sine meis eum Literis dimittendum non putavi. Tuas scriptas III. Non. Iun. recte accepi; sed non mea, quae omnino exspectabam. Quia vero nunc Typographus serio editionem inchoare velle dixit, libet saltem hac vice etiam fidem eius, experiri. Itaque exspecto specimen, quod promisit: &, ut porro certa omnia exequatur, valde cupio. Mitto in eumdem finem reliqua, ad Cretam quaedam, suis locis inserenda, quod ut per amanuensem tuum cures, etiam, atque etiam rogo. Filii Annales legi; nec mirari satis possum, aut iudicii in aetate Iuvenili gravitatem, aut styli quoque maiestatem, Historiae parem. Faveo nascenti famae, quantum quisquam, & adplaudo: pergat sic cum bono Deo, magnum aliquando virum Patriae daturus suae. Tibi gratulor talem filium, & ut diu conservet summum eum numen velit opto, ac voveo. Pestem invalescere doleo; sed incolumem te tuosque servaturum esse Deum confido: utque faciat ex animo precor neque ego id duntaxat, verum mea quoque & mei, qui vos omnes ex interiore animo salutamus.

Raptim Sorae ad diem XVIII. Iunii MDCXXXVI.

Tuus antiqua fide

IO. MEVRSIVS.

DCCXLVII.

Ann. Chr. MDCXXXVI.

DCCXLVII.

GERHARDVS VOSSIVS IO. MEVRSIO S.

NVnc demum forte territus, literis tuis, excudere omnia tua Blavius coepit; mavult enim cuncta, quam solum hactenus inedita. Et sic expedit literarum studiis, ut uno, & altero volumine, vel tertio etiam contineantur, quae Vir illo ingenio, doctrina, industria, bono elaborasti publico. Nihil, inquies, fraudis latet? Nam quid si cesset, ubi meus ille, qui has literas defert, decesserit? Non hoc scriberem, nisi tam scaeva cogitatio mihi quoque in mentem venisset. Certo tamen habe iam orsos tua. Vti & filii Maimonidem, toto itidem triennio postambitus, & promissa neglectum. Grotiana itidem promissa necdum coepit: & non minus τὸν πάνυ Grotium mora istiusmodi, quam te poenitet. Quibus sim moribus, nisi satis haberes perspectum, hinc videres, quod magis amicorum res urgeam, quam meas. Nam quum tam multa habeam parata, quid mei suscepit? Sed ubi hinc in Grotianis, inde, quae pervertent, tuis, & filii, paullum promoverit, de meis loquar, vel alteri Iansonio, vel Henrico Laurentio negotium committam. Noli putare te, si coram adesses, plus in hoc negotio, quam me, posse: qui te fratris loco diligo, &, si haud nimium, plus tamen aliis apud Blavium valeo. Sed non obscure video, cur primitus plus receperit, quam possit. Videor mihi videre, post damnum ex aemulo vicino, post sumtus ex nupero filii coniugio, post tot annis coacervatas tot Codicum editiones, quarum pleraeque non satis vendibiles, paullo ad rem factum attentiorem, & ut sic dixerim, sub omni lapide scorpium, hoc est, damnum metuere. Magna pars librorum eius his duabus hebdomadis publica auctione est distracta. Multi libri minoris venditi, quam ipse excuderat. Et non hoc meticulosum reddere hominem possit? De tuis tamen, Viri orbe universo celeberrimi, mitiorem maioremque spem semper habere iussi. Nec magnopere hic mihi suada opus, qui id satis per se videt. Solum terret malus vicinus. Sed iam persuasi, nihil in tanti moliminis opere ausurum. Fore, ut revereatur utrumque nostri. Spero igitur paucissimas intra hebdomadas te aliqua visurum tui. Nec magis decipi possim, toties deceptus, quam si nunc decipiar. Salmasius necdum e Galliis reversus. Grandes ei honores offeruntur in Galliis. Sed videt non praestari semper, quod promittitur. Nec tanti sunt aemuli, ut eo non redeat ad nos. Scripsit adversus Grotium Seldenus, De Mari libero. Rescribit Illustrium Ordinum mandato, Graswinkelius Iurisconsultus Hagensis, quondam meus Leidae convictor, natus, si forte sic magis noris, ex Basia, sorore Basii, rationalis Camerae praefecti. Comes Mauritius ad Indos Orientales abiturus, Gubernator futurus eorum locorum. Vides, quam illustres heroes nunc eum locum sint obtenturi, quem antea: nolo addere cetera: scis me dicere, non quidem terrae filios, attamen nihil qui forent, ad tantam prosapiam. Deus faxit, ut bono sit Reip. nostrae. Pauvvius Hollandiae Syndicus, & in Gallias ante biennium circiter Legatus, quotidie exspectatur. Sed in Syndici munere ei suffectus Catsius, Dordrechtanus Syndicus. Ipse fungetur munere, quod in Rationali Camera obtinuit prius. Fortasse Syndicus huius Vrbis Borelius Venetias iturus Legatus, revocato Domino de Lier; saltem honos is ei oblatus. Sed an uxor adsensura sit, non satis constat; nec enim aliquid invita hac velit. Deus Opt. Max. diutissime te tuis, nobis, inprimis publico conservet. Optimae tuae uxori coniux mea salutem, filia filiae, omnes nos omnibus vobis. Etiam Cl. VV. Laurembergio, & Stephanio. & ceteris porro Collegis plurimam dicito salutem. Raptim, ut soleo. [a]

Amstel. CIↃIↃCXXXVI. Postridie Id. Sext. St. N.

Tuus aeternum

G I. VOSSIVS.

DCCXLVIII.

LAMPERTVS ALARDVS IO. MEVRSIO S. P.

DIu est, quod inter nos nullum fuit literarum commercium, non mea, neque tua, scio, negligentia, sed occasionum mittendi inopia. Dedi iam ante annum fasciculum epistolicum adfini meo Ioanni Bonebergio, mercatori Hamburgensi ad Excellentiam tuam perferendum, vel recta ad te Hamburgo per ordinarium Tabellionem transmittendum; an ad manus tuas pervenerit, vel in via remanserit, nescio. Superiori quoque tempore Epistolium adornaveram ad Senatorem Regni, & Academiae vestrae Praesidem D. Iustinum Hoeg: sed bis ex itinere ad me rediit, tertia vice missum, nescio, ubi haereat. Adeo fluxae est fidei turba illa tabelligera. Nunc quia per literas adfectum gratitudinis Maecenati illi meo declarare non potui, publice eundem per Nuncupationem libelli testatus fui, qui iam Lipsiae absolutus quotidie a me, si modo turbae bellicae siverint, exspectatur. Idem excellentiae tuae, in gratam benevolentiae vicem declarare volui citando in omnibus ingenii mei monumentis tuorum librorum, & operum foetibus, utpote in his: Commentario in Flacc. Argonaut. Pathologia sacra Novi Iurisconsulti Diatribe de Veterum Musica, Epiphyllisi Philologicis tam sacrarum, quam profanarum vocum, & rerum; item aliis, quae iam lucem videre publicam, nescio, an ad vos perlata? Illis non multo post succedet Harpocration meus dudum promissus non sine multa nominis vestri mentione. Video autem multum mihi in

pro

(a) Est Epistola CCLXXXVI. in editis p. 288. Rescripsit *Meursius* d. 20. Dec. 1636. p. II. ep. CCLX. pag. 157. GRAMMIVS.

promovendo opere commodatura, quae nondum a tua Excellentia possideo (quamvis Hamburgi olim in publico bibliopolio inspecta) ut sunt haec Animadversiones Miscellaneae; De pagis; De Luxu Romanorum; Ad Hesychium Milesium; Criticus Arnobianus; Areopagus. In Catonem de R. R. Denarius Pythagoricus; Roma luxurians; Solon; Historiae Danicae, & quos primo loco enumerare debebam, Bibliothecae Graecae libros. Musici veteres utinam in polienda mea Veterum Musica ad manus fuissent; multum procul dubio lucis materiae intricatae, & obscurae foenerati fuissent, ut sunt Aristoxenus, Nicomachus, Alypius, a te editi. Mitte quaeso, Vir Excellentissime meique amantissime, quantum eorum in promtu habes, meis sumptibus, ad dictum adfinem meum; vel si ipse non possides, saltim ubi tolerabili pretio impetrare possim, notifica, praecipue Bibliothecae Graecae libros. Iuro tibi nullum a me amplius prodibit opus, antequam hos impetravero, vel tu illos, quod expeto, & exspecto, miseris, ut ubique clariss. nominis tui nostraeque memoriae, & amicitiae signum erigam, quod ego in te ob absolutam eruditionem colo, & veneror. Vale, Vir Amplissime, & Excellentissime, meque amare non desine semper paria facturum, Iustinumque nostrum officiosissime cum tota familia tua saluta. Dab. Brunopoli Dithmarf. d. XVII. Octob. Anno MDCXXXVI.

DCCXLIX.

Ad Virum Clarissimum, & Praecellentiss. D. IOANNEM MEVRSIVM Politioris Literaturae Decus nunquam intermoriturum, Praeceptorem, & Fautorem suum suspiciendum.

FLos o Virorum quos genium supra
Mortalitatis substulit indoles;
Dic quaeso quo finxit tibi olim
Pulvere mentem animi Prometheus?
Non viliori non equidem puto
Ceu vulgi abunde mentibus addidit:
Sed portionem coelicae aurae
Detulit e gremio Minervae.
Primore ab aevo nam sapientia
Cor muniisti, condecet ut probos,
Mentemque ad artes adpulisti
Fama decusque quibus parantur.
Atque illa magni pectoris indoles
Suae recordans semper originis
Perrupit acri obstacla nisu
Serpere nescia humi iacenti.
Non ut tibi uni natus & angulis
Vitae tuae annos deside sumeres
Torpore publicaeve te olim
Munera nulla rei manerent.
Tanti hercle virtus pectoris arduos
Poscit labores muneris incluti,
Fucosque Murciae litantes
Pellet ab aede sacra Monetae.
Proinde thyrso concitus ebrio
Mentem & caducis coetibus altior
Contendis ad polum, ac inertem
Spernis humum fugiente penna.
Laudumque honores attrahis omnium
Puncto Virorum, quos potior Deus
Fictos metallo segregavit
Faece rudis vitioque vulgi.
O quanta summo sunt studio bonis
Collata per te commoda litteris!
O quanta scitu digna privas
Tu tenebris vigilace cura!
Nempe alma Virtus nil habet invium
Fausta penetrat per remoras ave,
Quo laudis ad decus furenti
Pectora Numen anhela quassat.
Nos cogitantes quis paret intime
Nobis favorem Mercurius tuum
Cum digno honore literari
Primitias ferimus tibi oti,
Vt inde ceu qui vindice ab alveo
Rheni petebant coniugii fidem,
Germana proles an videri
Palladis Aonidumque possint.
Tu subsecivi temporis otio
Dato hisce limam iudicii tui
Promtus colorum qui merentis.
Theta, nothos iugulare foetus.
Etsi iuventus plenaque sanguinis
Vis prima verset pectus, & aureus
Lanuginum pictor recenti
Flore genas subeat tenellas;
Iuvit me adsurgens ingenium labor
Solersque nisus, dum monet & iubet
Certaminum venire ad ausus
Invidiae stimulus probandae.
Turpat quidem infans purpura rustico
Rore hasce malas, munera quod viro
Tam vilia obtulisse tanto
Non dubitem insipido instituto.
Verum ecce terrent me Siculi nimis
Fauces Camini saxaque pallido
Notata letho, nobilesque
Icaria scopuli ruina.
Primoque nisu sentibus horridum
Demum secamus tramitem & arduum
Praeceps per anfractus labore
Fallimur implicitos stupenti.
Sed nitar ultra. Forsitan & novas
Sumam inde vires, si dabitur tuo
Fruiscier subinde nobis
Colloquio salibusque linguae.
Te namque in istis multa scientiis
Labore magno vidit acrem dies
Iamque inde ad abstrusos recessus
Pandis iter timidae iuventae.
Contendo gressu consimili tuis
Aevo minores ire per impetus,
Vitaeque cunctos impigre annos
Nec steriles agitare Lunas.
Stat namque tota haec consilii tenax
Mens solam honesti currere semitam
Persuasa, non cessura retro
Ad populi variantis aestus.
Tecum nec auri suspiciam globos,
Nec obstupescam sceptra regentium.
Vel ambitum insignem clientum
Nec populi trepidos honores.

Cun-

Ann. Chr. MDCXXXVI.

Cuncta ista spernam Numinis impetu
Feliciori, sortem ad utramlibet
Immobilis, ventis Olympum
Pervium ut esse negant Poetae,
Hoc institutum pondere terreo
Certaque rerum debilium anxia
Vacare iussos ipsa ducit
Ad penetralia sancta Divum,
Franatque tali pectoris indole,
Musarum alumnus sortem humilem supra
Nec inclutae pulchraeque laudis,
Nec decoris moriturus expers.

M. LAMPERTVS ALARDVS
P. L. Guilielmiades.

DCCL.

(a) GERARDVS VOSSIVS IO. MEVRSIO S.

Ann. Chr. MDCXXXVII.

QVamquam de tot ingenii, doctrinae, industriae tuae monumentis plurimum mihi gaudeam, tibi gratuler; cogor tamen fateri, hanc eo laetitiam imminui, quod sic Blauwius in edendis iis eluserit exspectationem utriusque nostri. Quod quidem facilius ferrem, si mei & aliquot tui amantium, ac non totius interfuisset Reip. literariae, tam avide tua omnia exspectantis, prodire tandem, quibus orbem doceas universum: si item non coqueret animum meum damnum, quod privatim familiae tuae dedit, dum te fraudat tot annis, tum honore apud bonos doctosque, tum etiam emolumento illo, quod percepisses ab illis, quorum gratum erga te animum persensisses, quod cartis perennaturis nomen eorum posteris propagares. Equidem non facile dixerim, quoties & quantopere super istoc expostulaverim: ipsumque rationem inire Blauwium iusserim, quam grave tibi damni dedisset. Nec verissima ille me dicere negare vel voluit, vel valuit. Non facile tamen dixerim, quam gavisus sit, Historiam tuam Danicam ubi vidit. Nunc, inquiebat, obstendam, non mihi voluntatem defuisse, sed facultatem in iis promulgandis, quae elaborasses. Nempe, quia hic non deficerent eum typi, quibus ex animi tui sententia opus hoc prodiret. Itaque continuo typothetarum praecipuo negotium dedit, ut ordiretur eam, nec, nisi absoluta, desisteret. Sic praeter ipsum retulit typotheta, qui cum, ignaro eo, sum de tota hac re locutus. At cur in prioribus cessatum? Bis coepit; sed primum typis tam minutis, quasi pulverem vellet ob oculos legentium spargere. Et progressus fuisset, nisi obstitissem. Postea urgente me maioribus exorsus. Placuit coeptum. Sed desistere coactus, quia tot Graecis intercurrentibus typis destitueretur. Hisce nundinis instantibus famulus ibit Francofurtum, qui secum adferat, quantum deest. Interim nullo aeque opere praelum eius fervebit, quam Historia tua Danica. Mense Maio, hoc est, typis Graecanicis acceptis, etiam alter typotheta in aliis occupabitur. Mihi, amice optime, maxime, nihil hic vel seritur, vel metitur, nisi quatenus amicorum commune esse negotium solet. Sed tamen tam diu, tam turpiter elusus, puto verum dicere. Excuditur ab eo opus meum de Idololatriae origine & progressu. Non permittam, ut in istoc pergat, nisi pari pede progrediatur in tuis. Amplius vis? Si non valebit utrumque praestare, iussero, ut mea ad tempus cessent. Omnia tui causa volo, eo magis, quia pudet, me non antea subodoratum, quid ageretur, nimiaque simplicitate, pene dixerim, fovisse hunc triconem, dum de mense in mensem sino hoc negotium tuum protrudi, nec omnia tua, ut scripseras, remitto. Sed crede mihi, hic si fuisses, nec ipse aliter egisses. Tum verisimilia semper adtulit, & cuivis bono fucum facere potuerit. Ceteroquin non is sum, qui tam facile eludar. Sed quid opus tam multis. Ipse ait literis suis sese sic purgare, ut satisfacturum confidam, utcumque (nec diffitetur) ruboris plenus ad te scripserit. Salmasius ante hebdomades pauculas e Galliis reversus, ubi biennium vel circiter fuit, cum ob alias causas, tum propter pestilentiam Lugduni grassantem. Nihil hactenus terris Batavis in lucem dedit. Sed non arbitror ulterius cessaturum. Heinsii Notae in N. T. excudi tandem coeperunt. Quae quales sint futurae, postea uterque & alii iudicabimus. Nunc non idem omnium iudicium est. Filii mei τῦ μακαρίτυ Maimonides excusus, excepta praefatione. Alioqui nunc misissem. Salutant te, uxorem & liberos uxor & omnes mei. Multa etiam salute imperties VV. Cl. Laurenbergium, Ernstium ac Stephanium. Ernstio proxime rescribam. Nunc quia tertia est nocturna, cubitum me confero. Nempe sic de die ab innumeris pene avocor, ut nihil fere nisi de nocte possim. Amstel. τάχιςα VIII. Id. Aprilis MDCXXXVII. (b)

Tuus, si alius quisquam

GERARDVS VOSSIVS.

DCCLI.

HENRICVS ERNSTIVS IO. MEVRSIO S. ἐν Κυρίῳ.

AMstelodamum veni IV. Non. April. Vossio nostro iucundus meus adventus, iucundior, credam, si te, Magne Meursi, comitem habuissem. Incredibile est dictu, quam te amat. Librum nunc habet prae manibus de Idololatria, in quo tuam auctoritatem citat, teque *Iovem Statorem* adpellat. Libellus hic editus est, incerti Auctoris, cui titulus sive inscriptio, *Vorstius redivivus*: in quo D. Barlaeus misere perstringitur. Tu eum a Io. Davide petere potes. Mitto tibi optime mi, duo exempla

Vitae

(a) *Edit. mihique tibique.* GRAMMIVS.

(b) Editarum a *Colomesio* est CCL. pag. 257. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXXXVII

Vitae Atticae [a], quorum unum velim meo nomine obferas D. Stephanio, ad quem proxima occasione ipse scribam. Libellum istum ad incudem revocavi, quia toties prior editio ruborem excutiebat, quoties eius recordabar. Quid in posteriori hac praestiterim, tuum erit iudicare. Mercator Hamburgensis Ioach. Beckman mihi retulit; se Soram literas ad me a patre scriptas misisse, quas, si ad te aut collegas tuas pervenerint, rogo, ut eas tuis inclusas ad eundem Beckman remittas. Is enim, ubi locorum agimus, optime novit. Nobilissimam tuam Coniugem suavissimosque liberos velim salutes, tum etiam DD. Collegas tuas. Vale Virorum eximie, meque amare, ut facis, perge. Festinabam Amstelodami VIII. Id. Apr. MDCXXXVII.

DCCLII.

Io. Mevrsio Petrvs Cvnaevs S. D.

Viro Clarissimo,

Soleo ego diligenter, Vir Cl. pro ea, quae inter nos est, amicitia, ex omnibus, qui istinc veniunt, de te tuisque sciscitari. Omnes autem ea omnia referunt, quae intelligere vehementer cupio. Ad nos quod adtinet, quanta calamitas ex lue pestifera terris nostris, ac praesertim huic Leidae incubuerit, ignorare neutiquam ex fama potes. Abfui ab Academia & partim in Zelandia, mox in praedio prope Delfos, cum familia vixi per menses integros quinque, & quod excurrit. Pariterque ex ordine nostro alii secesserunt, uti se subducerent ingruentibus malis. Ceterum tanta in Academiam Dei benignitas fuit, ut incolumes evaserint omnes, etiam qui muneris sui functionem non intermiserant. Et iam utique tanta omnium ex diversissimis regionibus ad hoc Lyceum adfluentium multitudo est, ut ad stabiliendas augendasque Academiae res praecessisse tristis ille & miserabilis casus videatur. Quare nihil iam aliud Deum Opt. Max. rogo, nisi ut summis muneribus suis abdat perpetuitatem. Haec tibi, quum nihil, quod scriberem, esset, significanda duxi, Vir amicissime, propterea quod nec Elzevirium sine literis meis dimittere nolui, & te quam optime velle patriae tuae scio. Historiam tuam Danicam omnes exspectant, qui quae ante edidisti, iure meritoque admirantur. Salutamus te uxoremque lectissimam & liberos tuos, ego, uxor liberique. Vale, Vir summe.

Lugd. Bat. XIII. Ap. MDCXXXVII. [a]

(a) Ediderat hunc libellum (scil. *Aemilii Probi Vitam Pomponii Attici*) *Erustius*, cum Notis suis, Amstelodami, in forma minori. Grammivs.

Ann. Chr. MDCXXXVII.

DCCLIII.

Adolfvs Vorstivs Io Mevrsio S. D.

Biennium integrum est, Vir amplissime, ex quo nihil literarum ad te dedi. Transactum nobis id temporis est, partim inter saevientis pestilentiae publicam stragem, partim inter Rectoratus mei curas severiores, quo proxime praecedente Februarii mense defunctus modo sum. Nunc vero animo cum sim solutiore, de amicis, quos peregre habeo compellandis serio cogitare incipio, quos inter tu merito occurris, quem inter postremos nunquam censui, cuiusque humanitati plurimum iam ab antiquo obstrictum esse me profiteor. Velim equidem tibi persuadeas eodem me adfectu erga te esse, quo hinc discedentem prosequutus sum, neque ulla silentii diuturnitas cum gratissimam tui memoriam, tum hunc mihi animum eripiet; quin autem tu quoque constans futurus sis in amore mei, summus tuus candor facit uti credam. Interserueras postremis tuis, quas per eundem hunc Elzevirium transmisisti, Catalogum novarum tuarum lucubrationum, multarum mehercule, & quam vel ipsa inscriptione, ut de eruditione tua nihil iam dicam, placere possunt ac curiosis salivam movere. Dolendum est Blauvium, qui editionem tuorum operum novam in se susceperat, tamdiu nos frustrare lectione fructuque tot praeclarorum ingenii tui monimentorum. Theophrastum de sensu nunquam antea Latine editum, cum tua versione inter ea exstare video, adiecta Metaphrasi Prisciani Lydi, & syntagmate tuo de Theophrasto eiusque scriptis. Commode seorsim minore forma haec edi possent, et si mea in manu essent, curam eius rei gererem non gravatim. Tuum erit dispicere, quid fieri velis. Sub praelo est Amstelodami Theophrastus non integer, sed libri eius de Historia plantarum cum prolixis Stapelii cuiusdam, Medicinae Doctoris, Commentariis, additis insuper plurimarum plantarum Iconibus. Verum cum pestis editionis illius novae auctorem, inchoato mox opere, abstulerit, vix sperandum est opus illud emendate proditurum. Ego de nova editione omnium Theophr. Scriptorum, quae exstant, nondum omnem abieci cogitationem. Academiae nostrae statum iam reflorescentem & Vltraiectinae inaugurationem, Molini nostri obitum, Salmasii ex Galliis reditum, aliaque, quae Remp. nostram concernunt, ex Elzevirio hoc cognosces optime; quare iis scribendis supersedeo, ne sim prolixior. Satis mihi est, si hisce literis veterem meum amorem tibi refricavero, quem tibi tuisque in perpetuum abdico. Vale, Vir praestantissime & salve a me ex animo cum lectissima coniuge tua, liberisque a me meaque. Non possum te celare recentem adhuc dolorem meum, quem

(a) In editarum ordine est CLXXXI p. 255. ubi excipit eam Meursiana (ead. pag.) data Sorae Prid. Cal. Octob. 1637. Grammivs.

Ann. Chr. MDCXXXVII. quem ex fratris amissione concepi. Ad Scabinatum is in Vrbe Traiectina promotus erat paulo ante obitum. Iterum vale.

Raptim Lugd. Bat. A. CIↃIↃCXXXVII. XV. Aprilis.

Tuus omni cultu & adfectu

ADOLFVS VORSTIVS.

DCCLIV.

(*) CHRISTIANVS RAVE IO. MEVRSIO S. P.

Sive Rostochii degam, sive Hafniae transigam, non possum unquam dememinisse favoris in me tui, & amoris, qui ex honestissima causa natus, desiisse nescit. Et quemadmodum gratissima mihi semper paratissimaque eius memoria est, ita nunquam non studebo eumdem quoquo modo alere, modo satis bene possim. At salva res est; si non pluris mihi aestimetur tuus candidus, & sine fuco amor, quam hodie vendi communiter soleat, tum indignus essem Meursii, hoc est, Excellentissimi & Celsissimi Viri, amicitia, quam adeo large paratam patentemque summa veneratione exosculor, amplector, & spissius amo. Miraris ergo, qui fiat, quod non properem, quod in bene multos dies iter id brevius differam. Nescio, quid dicam? Habeo quidem causas dilati itineris, quas vel subiicio, vel ex summa necessitate abducor, ut eloquar: *Teneor*. Haec unica causa est, quae me non concedit respirare, & sine qua vivere hic non potui. Illud enim ad infortunium meum hic accessit, quod quo uno tueri corpus vitamque meam debebam, & quo paratos mihi ad honestum aliquod officium gradus censebam, id non tam favori mihi sit & substentaculo, remoraeque ad alia. *Quod bonis literis vacavi, quod humaniora tractavi*. O quam sunt hic longe diversa ab aliis locis studiosorum ingenia, & quod notarunt polyhistores, admirandam esse inter totas nationes varietatem, sic quoque ut eandem rem per diversos terrae angulos vel honestas commendet, vel pudor adfligat, & odium damnet. Non secus profecto est in scientiis, & valent eaedem non ubique semper. Ex hac caussa, quod spem mihi quidam fecerant, posse a me Collegia Philologica circa Auctores explicandos, vel Philosophica, in tractanda Logica, vel Metaphysica, vel Literarum in Linguis Orientalibus etiam proponendis institui, id omnino nihil est. Interim debitis immergor. Vnde quamprimum emergam, filium tuum libentissime visitabo, & operam dabo, si mea opera indigeat, ut promovisse aliquid ipse dicar. Dies vero publici conventus hic mihi transigendus est, postidea non erit, quod remoretur, si interea temporis undecunque solvendo debito par esse per aliquam opportunitatem possim. Deus addet sanitatem, viamque & in hoc vado inveniet. Transmitto quaedam Carmina fratri meo Rostochii, quum Oratoriam Professionem adiret, adfixa publice & honori data. Atque is quidem literis Te, Meursi Patrone, visitasset, nisi id ipsum celerrimus inde discessus meus vetuisset. Faciet id per aliam occasionem. Ceterum Deo vive, Meursi, decu- Literatorum, & idem Historiae Danicae parens celeberrimus, & quod facis, tu & filius carissimus me amate. Hafniae VI. Cal. Maii A. CIↃIↃCXXXVII.

(a) *Christiani Ravii* Berolinatis nomen, nulli eruditorum ignotum, postquam illud magna Orientalium rerum peritia, in ipsis Orientis regionibus, quas peragravit, insigniter aucta, variique in eo studiorum genere editi libri celebre reddiderunt. Nec credo, ullum existere in Europa regnum, quod eumdem non hospitem aut inquilinum, saltem ad aliquod tempus, habuerit in Dania iuvenis partim Hafniae, partim Sorae vixit, biennium fere. In Svecia Professor fuit in universitate Vpsaliensi. In Anglia Oxoniensibus Hebreas Arabicasque litteras praelegit. Eamdemque Spartam, Amstelodami, Vltraiecti, ac demum in Kiloniensi Holsatorum, & Francofurtana Marchiacorum Academiis ornavit. Ceterum moribus Virum fuisse nec sibi nec aliis satis commodis, multa in eius vita ostenderunt. Elogium eius ex Programmate funebri legitur in *Hist. Acad. Francof. Viadrinae per Io. Christoph. Brecmannum*. GRAMMIVS.

DCCLV.

IO. MEVRSIVS GERARDO VOSSIO S.

Literas tuas, Vir praestantissime, recte accepi hac ipsa hora. Gratum mihi maximopere fuit videre Commentarium de re Grammatica, quem non dubito famae tuae responsurum: legam ubi compactus erit. Summae sane mihi voluptati fuit quum viderem. Idem dixerim de Sophompanea Grotii, cui & ingenii hunc foetum gratulor, & honorem splendidae Legationis. Faxit Deus ut fruatur diutissime; quod ex animo illi opto. De meorum operum editione adeo lenta fieri haud potest certe quin commovear: siquidem ut acrius promoveatur, non exiguum est cur velim. Quaeso urge, ut facturum te confido, & si potes paulo certiora scribe per hunc, qui haec tibi adfert: qui quandoquidem festinat finem nunc imponere cogor. De Rep. tecum sentio; Deum Opt. Max. rogo uti porro fortunare eam velit. Vale diutissime cum uxore liberisque, quibus ego, uxor, mei plurimam salutem dicimus.

Sorae Danorum, ad diem VII. Iunii MDCXXXVII.

Quae in dedicationibus mutare volui, quaeso ut observentur, & inprimis ut Typographus, quantum potuerit, maturet; nam Historiae Danicae libros decem, quibus totum Pontani opus retractare iussus fui, flagitant hic optimates atque docti; metuoque si nunciari vestri pergant, ne excudi apud nos superiores mei velint; quod & aliquod detrimentum Blavio sit adlaturum; sic enixe etiam rogatum cupio ne necessitatem mihi hanc imponat. Iterum vale, mi Vossi, animae dimidium meae. Praefationem ad Illustrem Dominum Cancellarium, quando Regi Serenissimo opus dedicandum erit concerpere poteris.

Tuus

IOANNES MEVRSIVS.

Ann. Chr. MDCXXXVII.

DCCLVI.

CHRISTIANVS RAVE IO. MEVRSIO S. P.

SI quid in me fuisset vel vaticinii, vel praevidere futura licuisset, tum cum primo tecum colloquutus sum, ubi de mea opera filio tuo locanda me rogabas, id vero addebas, aliquem alium praeter me adesse, qui idem, dum ego nolim, vel nequeam, muneris susceptarus, hoc responsi statim dare debuissem, voluntatem meam non satis liberam futuris mox meae fidei nobilibus committi debere, adeoque invitus quidem, at denegare tamen studium meum tunc temporis coactus, ad futurum aliquod vel extraordinarium studium me obligassem. Id ipsum vero insequente colloquium nostrum die contigit, ut, quod dudum promisissent Rosencrantzius, &, quicum adhuc vixisse datum est, Christianus Sinclarus, daturos mihi se esse Iuvenes nobiles, quibuscum Sorae mihi vivendum, & olim in peregrinas divagandum terras, & hinc remota alio loca sit abeundum. Altero ab hinc die domum tuam, hospitiumque adii, narraturus ea, quae contigissent, ut sic capiendi alius consilii locum spatiumque darem, quo tempore filia tua id responsi dedit, domi patrem esse, ceterum male se nonnihil habere, credere tamen licere mihi te adloqui. Ego postquam meliora precatus abitum tuum ad solis quoque diem incertum quum ex venustissima virgine intellexissem, tempori me venturum magis, si alias redirem, ubi mea interpellatio minus molesta esset, sic animo meo putabam, & sic facturum filiae tuae respondi, & sic discessi. Commissa deinde mihi erat concio ad Solis diei horam II. pomeridianam habenda, per cuius homiliae praeparationem non licuit mihi brevissimo dato spatio tecum esse colloquuto, & adesse te adhuc, & discessus incertum diem nunciabatur: unde statuebam habita a me concione tui invisendi locum capturum me, quod tamen, cum hora I. discessisses, a me fieri nequiit, deinde intelligo, & Laurenbergium eodem fere tempore abiisse, cui alias ad te aliquid literarum dedissem. Nunc quum usque huc id indicandi nulla ad manus fuit occasio, per Buscherum id nunciare volui, ab Georg. Rosencrantzio & Sinclario datos mihi esse iuvenes nobiles duos Guldensternios familia Norvegia oriundos, quibus posthac labores meos diligentiamque sim locaturus, & quidem Sorae vobiscum victurus. Quod si placuerit tibi, Excellentissime Meursi, opera mea subcisiva & extraordinaria in erudiendo filio tuo uti, tum promta adhuc erit, & aeque fida, nullumque laborem subterfugiam, dummodo filio adfuisse tuo cum fruge queam. Quod si minus adrideat, faciam tamen, ut dum officiis meis promtissimis aliquid praestare possim, & tu uti volueris, defuisse iisdem dici ne merear; at praeterea meam observantiam, summe Meursi, non facile desideraveris. Ceterum spero intra triduum cum nobiliss. praefecto vestro adventurum, & me nobiles sequentur, qui nondum advenere. B. V. Excellentiss. Meursi, & me meaque studia fovere perge. Hafniae XVII. Kal. Iunii Anno CIↃIↃCXXXVII.

DCCLVII.

GERARDVS IO. VOSSIVS IO. MEVRSIO S. P.

MEnsis est, & ultra, quod mercator Danus tuas mihi literas adtulit, longe, ut semper, gratissimas. Receperat ille, se, ante abitum suum ad me reversurum, ne sine responso abiret: sed neglexit, non sine aliquo dolore meo. Decreram adfectu testari, horulam cum eo comburendo, luculentiori id prandio facturus, tui causa, nisi obstitisset valetudo uxoris, quae iam sextam hebdomadam vix cubiculo egreditur. Sed Daventriensi hoc, an Swollano iuvene, ad vos abeunte, meque sponte compellante, nefas erat tam commodam negligere scribendi occasionem. Vnde autem potius ordiar, quam a monumentis tuis? de quibus quid factum sit, scio aves nosse. Equidem Blauwium domi meae intra tres menses nonnisi hac hebdomade vidi. Aiebat se pudore solo deterritum, quo minus me inviseret. Et credo, quod, me visente illum domi esse negaretur, non aliunde esse, quam ab eadem causa. Non possis acrius cum eo expostulare, quam decies a me factum. Recensebam illi seriem Scriptorum ἀνεκδότων, unde colligere iussi, cum multa a te adeo iam habeat Viris magnis dicata, & ista si edidisset, longe plura fuerit habiturus, annon vel bis mille Karoleorum damno te mulctarit? Adtonitus ad haec consistit, ut iniquae mentis asellus, nec habet, quod obponat. Fatetur rem ingenue. Solum ait, large se primitus promisisse; sed postea multa intercidisse, quae hoc, quod receperat, redderent ἀδύνατον. Se uxorem duxisse. Patrem, cuius solius quodammodo res agebatur, transegisse interim cum liberis. Diu exspectatum fratrem tandem ex Italia reducem factum. Hac demum hebdomade Typographiam, cum operis omnibus, in alteram urbis partem translatam: pluresque operas conductas, & quod caput est, toto de quibus laboratum triennio typos operibus tuis accommodatos Francofurto esse advectos. Nihil in his mentitur. Sed largiter peccatum, quod tam facile promiserit, quae praestare non posset. Dolet, quod non aliqua saltem in Dania tam longo temporis spatio anticiparis: sed quis adeo spissum hoc fore negotium existimasset? Tuo edoctus malo, indicium feci Illustriss. Grotio, sed idem quum sua ab eo excudi, quam alio, malit, negat tamen, transmissurum aliquid, nisi prius fide data de certo temporis spatio, intra quod singula lucem sint visura convenerit. Itaque nihil Grotianum habet. Sed translatis iam omnibus in domum longe maiorem & operis

Ann. Chr. MDCXXXVII.

ris magis adfluentem, decretum ad eum quamprimum scribere de tempore, intra quod obsolvere omnia eius possit. Est in his Ἀνθολογία ex Palatinis Codd. auctior, Latinis versibus reddita, & notis ac castigationibus commendatior. Opus nostrum De Idololatria gentium tardius processit, quam vellem. Deinceps omnia meliora non spero, sed confido; nec tamen ante quartum mensem lucem videbit. Nempe sub manibus praeter opinionem mirum in modum crescit. Mitto ad te, quia meum nihil possum, opus affinis mei Iunii, de Pictura veterum. Brevi Scylacem videbis filii Isaaci, innumeris locis castigatum; sed & alterius filii mei Gerardi Velleium Paterculum: forte & Matthaei mei partem alteram Annalium Batavicorum. Dum Aurasiensium Princeps Bredam obsidet, Venloniam & Ruraemundam amisimus: nec existimatur ante menses duos potiri nos Breda posse. Scis, quam urbs sit natura & arte munita. Atque utinam ne interim tertio etiam oppido excidamus. Neque enim Cardinalem Hispanum cessare existimandum. Vale optime, maxime amice, & cum uxore ac liberis a me & meis omnibus salve [a].

Amstelodami CIↃIↃCXXXVII. X. Septem.

Tuus aeternum

G. I. VOSSIUS.

DCCLVIII.

G. I. VOSSIO IO. MEURSIUS S.

QVamquam bis iam ad te scripserim, tamen nec hunc Mercatorem Slaglosiensem sine meis ad te literis dimittere potui; per quem uti ne graveris respondere etiam te atque etiam rogo. Opus tuum de Idololatria Gentium, ut Velleium Scylacemque, & Batavicos Annales filiorum maxime videre aveo. Pro navata mihi opera apud Typographum cunctatorem, gratias, quantas possum, ago; & enixe abs te peto, ut pro amicitia nostra, hominem urgere pergas; quod facturum te confido. Quaeso, effice ut operas partiatur, alterumque Typothetam etiam adhibere velit, in quem finem Historicum Tomum in duas partes separavi; ita meo, & multorum in hoc regno Procerum desiderio satisfaciet. Simul autem editio absoluta fuerit, velim Hagam exemplaria duo mittas: unum Mylio, alterum Riveto; tria Leidam, Heinsio, Cunaeo & Vorstio: unum tibi vindicabis: cetera viginti minimum, aut, si potes, etiam quatuor, statim huc ad me curabis. Poteris id commodissime per Ludovicum Elzevirium; quem deinceps apud vos commoraturum, libens sane ex illo ipso intellexi. Saepe nobis eius opera, ad curandas literas nostras, usui erit. Misit nuper ad me

(a) Collegis item doctissimis salutem impertias. *Haec non erant in nostro exemplari, sed leguntur in edit. quae est* CCCIX.

Typographus duo exemplaria primi tantum ternionis, quum certe plures exspectarem, & progressum longius existimarem: sed causam adfert, satis frivolam nec sufficientem sane. At placebit, si deinceps quod prolixe pollicetur, culpam suam, maturanda gnaviter editione, emendaverit. Quae interea folia excusa erunt, quando nunc tam bona occasio sese obfert, quaeso mitte, ut quid exspectare habeam, scire possim. Vale, Vir, & amice magne. Vxorem tuam, quam convaluisse speramus, liberosque ego, uxor, liberique ex interiore animo salutamus. Rapt. Sorae, ad diem XII. Octobr. CIↃIↃCXXXVII.

Tuus, constanti adfectu

IO. MEURSIUS

Si ad Dominum Rivetum aliquando es scripturus, quaeso, Viro, quem omnino magni facio, plurimam salutem nunties; & constantem, etiam in silentio, adfectum meum; tum hoc munus literarium qualecumque meis verbis itidem pollicearis. Iterum vale.

Est hic Vir quidam doctus, penes quem sunt libri aliquot Manuscripti Graeci, quos ut Amplissimo Magistratui urbis vestrae, ad ornamentum Bibliothecae illic publicae, cui praefectus filius tuus, venales obferrem, a me petiit: neque ego id negare homini amicissimo potui. Sunt autem isti uno volumine comprehensi:

Athenaei Περὶ μηχανημάτων.

Bitonis Κατασκευαὶ πολεμικῶν ὀργάνων, καὶ καταπελτιστῶν.

Heronis Χειροβαλίστρας κατασκευὴ, καὶ συμμετρία.

Heronis Ctesibii Βελοποιϊκά.

Apollodori Πολιορκητικά.

Bitonis Μηχανικά.

Iulii Africani Κεστοί.

Heronis Alexandrini Βελοποιητικά. Idem liber cum superiore, nisi quod figurae variant: ideoque nonnullius plane pretii. Hos indicat quadringentis Florenis Hollandicis.

Libanii Epistolae, plus minus trecentae, trecentis Florenis.

Callisthenes de Vita Alexandri, Scriptor aevi medii, centum Florenis. Et haec quidem exemplaria sunt in folio perscripta, ut loquuntur. Quae sequuntur vero in Quarto.

Nicephorus Imp. Περὶ τῶν παραδρομῆς πολέμου. Florenis centum. Et hi quidem sunt in carta omnes scripti; qui sequitur vero in membrana.

Meletius Monachus, Περὶ φύσεως ἀνθρώπου. Quem Latine vertit, ediditque Nicolaus Petreius Corcyreus, Venetiis, an. 1552. itidem Florenis centum.

Quaeso iuva, quantum potes, commendatione tua, ut hos libros emere Magistratus velit, poteruntque ex editione eorum

pag. 302. GRAMMIUS.

filii tui nominis famam augere, & posteritatem etiam magis sibi obligare. Si huc animum inclinabit Magistratus, poterit pecuniam mittere per Ioannem Davidem vestrum, & libros per eundem accipere. Tertium vale; & adfectum, quantum potes, istud dato.

His praemissis a me additur *Theodori Methochitae*, cuius partem pridem edidi, Historiae Corpus universum, ingens volumen, in folio, quod Florenis quadringentis comparare Magistratus sibi potest.

Ac praeterea *Andreae, Cretensis Archiepiscopi Homiliae XX.* Florenis ducentis quinquaginta.

Si fortasse grave erit emere non visos libros, impetra, cui libebit filiorum, liberam legationem, qui eos videat, & me simul. Certe gratior advenire mihi hospes nullus possit. O quam illum sim ardenter complexurus! Atque utinam te ipsum, amicorum opt. maxime, si quo loco est Hamburgum, Amstelodamum vestrum esset, non tamdiu distulissem ad te excurrere: quem videre & complecti, si id liceat, adhuc semel ante summum diem optem. Sed hoc voti est; quod quis scit an unquam adfectum nobis dare Deus velit. Interim ei te ex animo commendo, ac tuos omnes, ego atque mei omnes. Quartum salve, ac vale.

Si librorum forte horum nimium videatur pretium, quod non puto, nosti ipse nullum aliud libris manuscriptis esse, quam id quod possessor statuit.

DCCLIX.

GER. IO. VOSSIVS IO. MEVRSIO S. P.

VTinam, Cl. & amicissime Vir, de te, & meis, perscribere possem iucundiora. V. Kal. Februarias, ipso Gerardi mei natali amisi suavissimam maiorem natu filiam Corneliam, virginem ea pietate, moribus illis, ac rei domesticae intelligentia & cura, illa, ut de Latina taceam, Gallicae, Italicae, Hispanicae linguae peritia, illa notitia tum omnis generis Musices, tum & calamo & penicillo pingendi; ut tot bonis boni numinis gratia concurrentibus, omnibus fuerit admirationi, qui nossent, fatendumque sit, non eam profecto minus sui sexus laudibus excelluisse, quam suis filiorum, quos habui, vel habeo quemquam. Quodque dolorem auget, ea mihi momento erepta, dum per glaciem rheda cum fratre Matthaeo & sorore Ioanna, Illustrissimique Polonici Legati filio, fidei meae commendato, nec non Ephoro eius, traha Leidam fertur. Non quidem quicquam imprudenter existimem hic actum a meis (siquidem ea crassities glaciei erat, ut centenae eodem tempore trahae veherentur sine periculi formidine) sed non impudens minus, quam imprudens traharius, dum invitis sessoribus, praevertere vult antecedentes, ad latus (ubi piscati antea fuerant, tenuique glacie aqua erat obducta) deflectens, omnes praecipitavit in aquas: unde primo quidem extracta Cornelia (heu nuper mea) sed iam terrore & casu plane examinata: ceteri vivi educti, virtute potissimum, post Dei gratiam, Matthaei mei; qui ter in aquas insiliit, non sine magno sui periculo, ut periculo succurreret alieno. Prope ista Leidam contigere: qua occasione filia avito illata est sepulcro. A tristibus veniam ad laetiora: ea nempe, quae & te & tuos spectent labores. Tandem persuasum Typographo est, ut serio staret diuturnis promissis; nec dubita, quin intra mensem unum vel alterum Danica tua sit absoluturus, & exorsurus ea, quae ad *πολυμαθείαν* pertinent [a]. Opus nostrum De Idololatria Lentulum experitur, non Celerem, quales Metelli. Sed eo minus urgeo, ut tuis incumbat magis. Nec urgeo illa filiorum, de quibus scripseram: facturus tamen simul ac sex septem folia excuderit in Philologicis tuis. Si esse trico volet, cum vicino Iansonio transigam. Malim a Blauwio non uno nomine; sed quomodocumque malim, quam me eludi. Maimonides Dionysii mei iam ante annum & ultra absolutus; sed adhuc deest Praefatio. Salmasius De Vsuris scripsit: quod opus se transmittere tibi hesterna die Elzevirius aiebat. Heinsiana in Novum Tomum opera credo iam in medio Paulinarum occupatur Epistolarum. Fortasse subsequetur Salmasianae Notae: quod si erit, plurima in Heinsiana animadvertet. Imo & in hoc de Vsuris videre possis adversum Aristotelis Politicorum Paraphrastem (nec ignorare virum potes) accurate differentem. Hotomanni Asconium ex filii mei Isaaci Bibliotheca ad te mitto. Is imo & coniux & omnes mei plurimum salvere te & uxorem optimam & liberos iubent ([b] multumque optant, ut ne tanto disiungamur locorum intervallo) Estque is adfectus eorum mihi longe iucundissimus. Nam profecto quid pulchrius, quam quod iunior ille ait Isocrates: *τὺς παῖδας, ὥσπερ τῆς ὐσίας, ὕτω κ̀ τῆς φιλίας τῆς πατρικῆς κληρονομεῖν*. Vale magna Meursii anima, & aeternum mihi meisque amica [c]. Amstelodami CIƆIƆCXXXVIII. *τάχιςα* [d].

Tuus tuorumque totus

G. I. VOSSIVS.

DCCLX.

(a) Vix tamen credidit hoc facturum Typographum *Vossius* ipse, paucis ante diebus scribens ad *Grotium*: *Blaeuwius senior vita excessit: filiorum, quibus cura est Typographiae, alter aegrotat. Quid de Meursianis tandem decreverint, plane ignoro. Danicam eius impressere historiam: at non videntur facile adgressuri ea, quae ad veterum Scriptorum emendationem, vel* Romanas *aut Graecas antiquitates pertinent. Iansonius vir est honesti nominis: sed partium, quas Contra-Remonstrantium vocant, usque adeo studiosus, ut a paucis eo vincatur. Vide praestant Viror. Epist. DXLVII. p.* 796. GRAMMIVS.

(b) *Haec in edita non apparent*. GRAMMIVS.

(c) *Vitiose in edita hic repetit* anima. GRAMMIVS.

(d) Est CCCXIX. in editis pag. 308. seq. rescripsit *Meursius* d. 21. Maii 1638. v. P. II. ep. CCLIX. p. 170. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXXXVIII

DCCLX.

Io. MEVRSIVS Io. GRONOVIO S.

Libens vidi literas tuas, mi Gronovi; verum dolui vehementer tarde adeo adlatas: nam ad diem III. Kal. Maias quum dedisses, mense demum huius anni Februario ineunte eas accepi, quam ob causam a responsi tarditate meam abesse culpam vides, neque meam negligentiam hac in parte accusabis. Nunc quum hominem mihi certum, qui deferret, nactus essem, committendum non putavi, ut ulterius differrem, atque mora longam exspectationem tuam cruciarem; neque enim sum ignarus, quo adfectu amicorum literas desideremus. Illud autem cupiam persuasum tibi, te a me haud parum amari, & laudari tam propensam in haec studia, quibus nomen ab humanitate datum, voluntatem. Perge, quaeso, mi Gronovi: & Musarum, ut coepisti, sacra cole, nomen tibi & honorem crede certo reportabis. Tuam in Statium Diatribam avide exspecto: & rem feceris gratissimam, si me compotem reddideris. Poteris per Elzevirios ad me mittere, quicquid voles. Observationes tuae in Tertullianum placent: &, si plures tales habes, noli publico invidere. Quas petebas a me Casauboni Epistolas, ecce habes: poteris inserere illas tuis locis; aut, si serum, ad finem adiicere: vel quocunque demum modo visum fuerit, istis facere tuo id arbitrio permitto totum. Laudo studium in defunctum Virum maximum, meritumque de Rep. literaria praeclarissime. Plurimas habere se in pietate filius Mericus tradit pag. 165. & paratum in lucem dare, si occasio se obferret. Has petendas tibi censeo, si non habes: poteritque operam hic navare suam vir omnino praestantissimus Andreas Rivetus. Nihil addo: & te salvere iubeo multum, mi Gronovi, meque item porro amare. Raptim, Sorae, ad diem VIII. mensis Martii MDCXXXVIII.

D. Riveto plurimam salutem dicito; & Historiae meae Danicae, simul edita ac fuerit, meis vobis exemplar promittito; ac mandatum id a me iam Domino Vossio.

Tibi addititissimus

Io. MEVRSIVS.

DCCLXI.

Io. RAVIVS Io. MEVRSIO S.

Quo loco res meae sint, facile potes intelligere ex iis, quibus te honoris mei causa adpello, taedisque hospitem pariter ac fautorem exsposco. Et si cui mortalium fas est, tibi prae ceteris, quemadmodum agatur mecum, exponere debeo. Qui nec aliter de me mereri volueris, quam ut comitatis tuae aeternus, quamquam parum firmus, praeco essem. Et quidem destituant nos cetera omnia, quibus prosequi necesse est tantum Virum; vincam tamen adfectione atque observantia, quotquot colere te didicerint. Neque enim recens & quotidiana pietas mea substinere potest, quo minus literarum te publicaeque saluti vivere ac valentem esse iubeam. Qui quidem tenuiorum in patronos cultus est. Tu vero si ornare nos & favere geniali thoro non deneges, fuerit id profecto tanti beneficii, ut in nexu tuo esse, praeterea felicitatis nostrae sit. Librum, quem proximis tibi pollicebar, ut accipere velis, etiam atque etiam rogo. Et quemadmodum iam tum de meis sensi, ita in posterum existima, nos nondum edere, sed conniti. Quaeso autem, si grave non sit, & permittant alia, ut quod nuper expetebam, literas manumque tuam digne liceat a nobis, & velut sacra nostra, osculo quodam semel excipi & diligenter coli. B. V.

Rostochii, IV. Kal. Apr. MDCXXXVIII.

DCCLXII.

Io. MEVRSIO Io. FRED. GRONOVIVS S. P. D.

Clarissime Virorum!

Si animo meo obsequutus essem, iam pridem aliquid ad te dedissem literarum, quibus & adfectum meum erga egregia merita tua & studium ad commune publicum iuvandum profiterer. Sed hactenus pudor obstitit mihi & tua cognita virtus. Nunc illum vici, & haec mihi dat mentem, ut de humanitate tua omnia mihi grata blanda quaedam πειθανάγκη persuadere cogar. Si ergo non fastidis peregrinum & humilem hominem inter cultores tuos admittere, scito nos dignum de fama tua facere aestimium, teque habere inter eos, quorum decora nunquam subspicere desinet posteritas. Diatribam in P. Papinii Statii silvas nunc cum maxime edimus, non improbatam valde magnis viris, qui dignitatem literarum hic substinent. quam si symbolis tuis iuvare voles, immensum quantum debebo tibi & tuum nomen scribam inter eos, qui rudes nostros conatus iuverunt. Etiam Vir Cl. And. Rivetus commisit nobis, dum hic sumus, editionem Epistolarum Is. Casauboni, quas magna pietate ab eruditis in Gallia, Anglia, Belgio Viris collectas uno volumine dabimus. Ad te nullas habemus, quum subinde in illis ad τὸν πάνυ Heinsium suarum, quas ad te scripsit, mentionem facere videam. Quod si illarum apographa transmiseris, facies pro cetera humanitate tua; idque serio oramus. Vt tamen specimen tibi difficilium dem nugarum nostrarum, haud gravatim de his Tertulliani locis censionem tuam nobiscum communicabis, ille enim forte nobis in manibus erat, quum haec scribendi occasio obveniebat. Apol. c. XIX. *gentes etiam plerasque & urbes insignes, historiarum causas & memoriam.* MSS. *historiarum & canas memoriam*. Nescio, an *canas* memoriam adpellet antiquas memo-

memorias ϰ̀ *olim* πολιὰς. Ita *canacius* legunt apud Apul. sic Herardus. Puto scribendum & distinguendum: *urbes insignes historiarum*, *& canas memoriarum*, id est *insignes ab historiis*, *& canas a memoriis*. Graecismus est pervagatissimus. Sed apud Apuleium *canacius* haud dubie est a *canax*, ut *sonax*, pro *sonorus*, *sequax*, & similia. Male alii *cantacius*, *causatius*, *curatius*.

In lib. de Pallio cap. II. *Ceteri quoque eius ornatus*, *quid non aliud ex alio mutant*, *& montium scapulae decurrendo & fontium venae cavillando* (ita MS. & quem nos inspeximus apud Thysium Theologum) *& fluminum viae obumbrando*. Varie hunc locum tentarunt, ut nosti. Nos scribimus: *& montium scapulae obumbrando & f. v. c. & fluminum viae decurrendo*. Prius illud est, quod Horatius. *Sol ubi montium mutaret umbras*. Item Virgilius *dum montibus umbrae lustrabunt convexa*. ubi interpretes? Posterius Papinius meus: *aversique suis decursibus amnes*.

Plura adderem, si otium esset, & fiducia, vel haec non tibi fore nimia. Suscipe igitur me inter tuos, idque ut sciam, tuarum me quamprimum tuae res ferunt, fac compotem. Ego ut bonam mentem amo, ita semper ero. Hagae a. d. III. Kal. Maias A. MDCXXXVIII.

Tuus observantissimus

IO. FRED. GRONOVIUS.

DCCLXIII.

(a) HELVICUS DIETERICUS IO. MEURSIO S.

Et mihi gratulor, Vir Excellentiss. vidisse in hoc transitu tuam manum, novisse tuam mentem. Somnium mihi si fuisset de tuo dubio, quod narras, occasionem Soram pervadendi non neglexissem. Sed non est, quod timeas, in medicinis, quas praescripsi: antequam enim ad exulcerationis curam eamus, oportet prius abstergentibus uti, quae materiam eluant, postea locum roborent & quasi consolident. Lenientia igitur & abstergentia ista remedia ita continues, suadeo, ne uno die plura haurias, sed pedetentim progrediaris. Primo soli syrupo dialtheae Fernelii inhaerendo, cuius minorem dosin, etiam dimidium cochlear capias, si 1. vel 2. cochlearia nimis urgere velint: nec opus ut quotidie istis medicinis te maceres, si nimis urgere velint: fiat continuatio alternis vel ternis diebus: talibus enim casibus oportet patientem sanioris mentis semetipsum regere, facto rei experimento; quod tamen in hoc casu periculosum non est. Ego nil nisi levissima & lenissima quaeque praescripsi, etiam quae pueris adhiberi queant. Ideoque confidenter quaeso pergas, alterum post alterum sumendo medicamentum. A & B alternis vel ternis singulis diebus sumi poterunt. Potio Terebinthinata C. si prima vice forsan fortius egerit, alio tempore in minori sumatur quantitate. Solent enim quandoque etiam levissima in corporibus delicatis vel nimis serosis fortissime operari. Bibes ergo vel 2. saltem istius potionis coclhearia, & videas, quid velit: idque semel in septimana vel bis in mense. Similiter pilulae D. terebinthinatae semel aut bis in mense capiantur. Iam mitto descriptionem Trochiscorum nephriticorum corroborantium, quorum unum semel aut bis in septimana, inter priorum usum, ante somnum cum lacte caprino dissectum prius & dissolutum, aut mixtum bibere poteris. Eorum usum scio laudabis. Calculum filii mecum habeo, memor quid inde futurum sit. Ocyus iam inter itineris transitum salve & vale. Neoburgi ad littora Baltica d. XX. Maii CIƆIƆCXXXVIII. Salutem D. D. D. Matthiae, Bursero & Laurembergio meo & fratris nomine impertiri peto.

Iuxta usum medicamentorum priorum insigniter etiam proderit Conserva nympheae, rosarum & violarum mixta, quantitate Castaneae ante somnum comesta, diebus illis, quibus Trochisci nephritici intermittuntur. Haec raptim inter itineris negotia. Dab. ut ante.

(a) D. *Helvicus Dietericus*, Germanus, in Hassia natus, Medicus haud incelebris, & variorum Principum Archiater, in Dania aliquando apud Regem Christianum IV. & filium ipsius Christianum V. electum Regem (qui aliquot mensibus ante Parentis fata e vivis excessit) multo in honore vixit. Obiit an. 1656. GRAMMIUS.

DCCLXIV.

GERARDUS VOSSIUS IO. MEURSIO S.

Literae tuae, quibus diem non adscripseras, Vir Clarissime, heri demum mihi traditae. Narras casum vere tristem, & deplorandum filiae maioris tuae, in qua, praeter pietatem ac virtutes iam ceteras alia tot tam praeclara currebant. Ego, uxor, liberique indoluimus ex animo, ac vix lacrymas tenuimus, qui paternum & maternum ipsi quoque adfectum gerimus. Ac tu quidem, ut Vir plenus Christiana sapientia, ideoque animo ad quaevis firmo consolatione haud eges; verum mater pro infirmitate sexus & teneriore animo, quin discrucietur gravius fieri nullo modo potest. Sed oportet cogitare tot & tantis dotibus ornatam virginem, quantas nullam in antiquitate tota, necdum nostro isthoc seculo habuisse, credi potest terrae quae non capiebat tam illustre decus suum, Deum ereptum voluisse, & in coelo cui vere debebatur collocatum. Ad negotium meum transeo. Video Typographum & iterum cunctatum esse, & propositum mutasse. Utinam perseveraret semel tandem & absolverit inchoatum: ut id Regi Serenissimo ac Senatui exhibere post tam longam exspectationem possim. Urge quaeso, quod te facere scio, virum; neque desine compellare. Video praefationem quinque priorum Librorum,

Ann. Chr. MDCXXXVIII

rum, quae est ad Regem, item alteram ad Lectorem, tum elenchum item Operum, quae priore isto Tomo continentur, & effigiem quoque meam praetermissam. Haud speraverim, negligentia aut oblivione factum, sed dilatione tantum, qua differri talia solent, & post cetera absoluta demum excudi. Vbi absolutus fuerit primus Tomus, quaeso cures ad me mitti exemplaria viginti; quaedam aliis meo nomine distribuito Leidae & Hagae amicis, quorum nomina scio me in literis superioribus perscripsisse: inprimis vero, quod vel me tacente debes, tibi unum retineto. Filio tuo Isaaco quantas possum gratias ago pro Asconio: etiam tibi qui mittendi illi auctor. Vivite ac valete omnes, tu, uxor, liberique, & salvete a me, mea, atque meis interiore animo quem addictum vobis universis scitis. Raptim, Sorae ad diem XXI. Maii MDCXXXVIII.

Tuus ac tuorum constanti adfectu

Io. MEVRSIVS.

DCCLXV.

GER. IO. VOSSIVS IO. MEVRSIO S. P.

POst superiores literas de optimae ac eruditissimae filiae meae excessu diu alia nos tenuit sollicitudo. Filius Matthaeus (is, cuius de primis Hollandiae Comitibus commentarios habes) duos tres menses, nunc ambigua, nunc adversa valetudine usus est: credo ex nimia animi consternatione, & aquae iniuria, quando pene impos mentis, ubi sic omnes periclitantes in glacie vidit, ea rupta in aquas saepius insiliit, nunc hunc, nunc illum liberandi gratia: quod feliciter ei successit in omnibus, praeterquam sororae Cornelia: addo & se ipso, quando tandem in morbum haec erupere gravem, adeo, ut medici quini (binos advocaram, sed tres amore familiae, &, ut aiebant, officii ergo, sponte accesserant) de vita eius vel plane vel pene desperarent. Nunc ille magis magisque per Dei gratiam convalescit. Sed uxoris morbus illum filii excepit. Quid mirum, si muliebris animus non subficiat omnibus ferendis? Etiam prope constantiam meam tot adversa expugnassent: praesertim accedentibus aliis, in his nonnullis, quae tu, scio, tantum pro pulicum morsibus habes: illorum nequitia, qui sibi omniscii (omniscioli potius) videntur, & tamquam ab alvo, ut te meque, sic ingentes Grotii vel Salmasii animas, despicere ac depreciare non cessant. Hac hora venio a Blauwio, qui certo addixit, tres intra hebdomadas historica tua & Danica & Belgica ad finem perductum iri. Bina quidem praela tuis quotidie fervent, ut mihi significat filius Isaacus: cuius Scylax, & nostra item de Idololatria gentili ac Physiologia Christiana, eo tardius procedunt, quia unus alter ex operis Typographicis alio se recepere, & nolim ego, qui in tuis destinentur, inde avocari: praesertim qui semper dixerim, paratum me esse mea ad menses aliquot differre, dummodo non in aliis, sed tuis eo alacrius progrederentur. Cur demum, postquam a te literas acceperit, missurus sit, quae petis, ex eius epistola cognosces. Aliquid subest pigritiae. Vtcumque enim nesciat, quas miserit cartas, poterat omnium mittere nunc exemplar, & ubi tuas acceperit, cartas supplere in iis, quae recepisti. Sed praetexebat gravem in tantis occupationibus fore laborem, ex fascibus singulis folium, sive philyram unam eximendi. Non laudo; sed quum domus eius vitam attendo, utcumque excusaro. Heinsius vetus collega noster, in excudendis ad N. T. Notis iam pervenit ad epistolam Philippensibus scriptam. Vale optime & summe Vir, & cum uxore, filio, filia, a me, coniuge & liberis universis, salve plurimum. Amstelodami CIƆIƆCXXXVIII. Prid. Id. Iunias.

Cl. & amiciss. Meursi, quum viderem (a) subinde mihi imponi ab iis, qui non debebant, petii a Typotheta meo, aliorum praefecto, ut candide (vir est integerrimus) perscriberet, prout opus tuum procederet. Mitto responsum. Certo habe sic comperisse eum, qui nescit fallere (*Myn Heer gelief my te zenden &c.*) Negat Typotheta ad te scriptum iri a Blauwio, scribere tamen intelligo. Et hoc ursi vehementer; sed non potui impetrare, ut mitterent, quaecunque excudissent. Praetexunt illud, non signasse se, quas philyras misissent: & intra Hebdomadas missuros Danica & Belgica universa, in his quoque Academiam Leidensem a te descriptam. (b)

DCCLXVI.

IO. MEVRSIO IO. FRED. GRONOVIVS S. P. D.

EPistolam tuam τὴν τριτοθητόν, quamvis pridem ἀνέλπιστον, tandem accepi. Quam male est, inquit ille, extra legem viventibus! quicquid meruerunt, semper exspectant. Ego magne Meursi, reum me νεανικῆς τινὸς τόλμης deprehendebam, qui nomen obscurum, eruditione nulla, te virum clariss. καὶ σεμνὸν ἔρτισμα literarum ad amicitiae iugum sollicitassem. Itaque quum ruditas nostra ex literis praesertim ὡς τάχος exaratis fallere te non potuisset, luere me poenas inconsulti conatus & reiectum damnatumque silentio tuo ut sententia existimabam. Nam adeo indiligenter curatas meas non sinebat me subspicari dignitas authoritasque illius Viri, cui eas tradideram. Ergo nunc mihi irascebar, nunc (ignosce fatenti reo) te subaccusabam, nempe si nos non essemus tanti, ut aliquam studii erga te mei rationem haberes; at opus, quod habebam in ma-

(a) NB. Hoc additamentum non comparet in edit. Londin. GRAMMIVS.

(b) Epistola est CCCXXXVIII. inter editas, p. 322. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXXXVIII

in manibus, tanti erat, ut responderes, alterius certe petitionis me compotires. Nunc autem video te nulli culpae obnoxium, meque adeo temerarii iudicii condemno; qui de humanitate tua nemini paulo humaniori ignota secus fui subspicatus, teque etiam etiamque obsecro, ne meritis suppliciis errorem meum ulciscare, quem defero & ipse primus, & hac satisfactione cupio obliterari. Quod superest, id agam summaque opum vi enitar, ut observantia mea amori tuo, quem pignorasse videor, respondeat omnibus in partibus. Cuius testem accipe hunc illepidum novum libellum, quo animum nostrum ad commune publicum iuvandum profiteri potuimus. Scio enim conatus nostros adfectu destitui; nec ad eam doctrinae perfectionem adspirasse me, quae ad hoc genus scribendi requiritur, quamque adeo tu, tuique similes primaeva quamvis aetate ad illud adtulistis. Quare si tantum tamen ab re tua otii tibi erit, ut huic libello oculos tuos ὀξυδερκεςάτυς credas, rogo, ut lectione tua scriptionem nostram emendes, & ubi connivis oculis sumus usi, qualia plurima haud dubie, & aetati huic, & his profectibus obvenisse necesse est, de iis nos rectiora doceas. Facile enim, credo, patebit tibi, non esse me ex eorum censu, qui pudorem habent agnoscendi, quorum magisterio profecerint. De Epistolis Casauboni communicatis magnas ago gratias; videbis eas bona fide in opere ipso repraesentatas, idque eis paucas, spero, tempestates. Reverendus D. Rivetus te salutat humanissime, & benignitatem tuam promissam grato animo exspectat. Vale, Vir summe, meque ama, utque certus de hoc sim, scribe prope diem, & de foetu nostro fac severum & forte iudicium. Hagae a. d. prid. Kal. Quintil. A. MDCXXXVIII.

DCCLXVII.

Io. MEVRSIO Io. FRED. GRONOVIVS S. P. D.

ANte tres fere hebdomades epistolae tuae gratissimae respondi: iis foetum nostrum ϗ ἠλιτόμενον ἐόντα, quando sic iusseras, adiunxi, & fasciculum Elzeviriis diligenter commendavi. Sed quia eorum quoque fidem alias sublestam, aut certe lentam sum expertus, has istas succedaneas alia via ad te, Virorum clariss. destinare volui, ut si illi morarentur, ac meum iussum insuper haberent, tuo flagitatu ad officium cogerentur. Agnoscis facile, quam molestus ille mihi casus fuerit, qui primas meas in tam longa peregrinatione tenuit, & quanti sit mihi tuus amor, quum meae testimonia observantiae tarde ad te perferri impatienter feram. Quod si priorum tuarum exspectatio gravis accidit mihi, imo, ut cum illo dicam, me coxit & versavit sub pectore fixa, quid animi nunc fore mihi putas, iudicium verenti censoris accuratissimi ϗ ὐκ εὐαπατήτυ, cui non secus ac venale corpus in catasta ἢ τοῖς κύκλοις, me omnemque ruditatem meam inspiciendam praebui? Etsi autem, dum passus es te induci, ut libellum istum legeres, & te faceres λῃρόκριτον, pudoris mei non sit amplius te gravare: tamen quia solet literarum nostrarum quasi legitima accessio esse aliquid ex nugis nostris, non possum, quin antiquum obtineam & nunc quoque censuram tuam experiar. Vidisti, opinor, Libanii Orationem de Templis a V. C. Iac. Gothofredo editam. Ea quum nuper venisset in manus meas, & alia observabam, & in illo loco, ubi insectatur quemdam, qui Imperatori ipse a Monachis persuasus, ut templa idolorum exscinderet, auctor fuit: τῇ δ' ἀνάγκῃ πάνθ' ὑπηρεθῦντος τοῖς ταῦτα ἐπιτάττυσιν, ὧν τῆς ἀρετῆς ἀπόδειξις τὸ ζῆν ἐν ἱματέοις πενθύντων, ϗ μεῖζόν γε ταύτης τὸ ἐν ἐκείνοις ὧν οἱ ϗ τῶν σάκκων ὑφάνται· τοιῦτον ἐργαςήριον ἠπάτησιν ἐφενάκισεν ὑπηγάνετο, παρεκρύσετο &c. Haec vertit ille quidem: sed quomodo, rogandum non est. Scribendum putamus: ὧς τῆς ἀρετῆς ἀπόδειξις τὸ ζῆν ἐν ἱματίοις πενθύντων, ϗ μείζων γε ταύτης (sc. τῆς ἀποδείξεως ἀπόδειξις) τὸ ἐν ἐρήμοις εἶναι, ϗ τῶν σάκκων ὑφάντας, hoc est, *quorum virtutis argumentum est vivere in habitu lugentium, & hoc majus, in solitudinibus etiam esse saccorum textores*. Levissima mutatione, pro ἐν ἐκείνοις ὧν οἱ scripsimus ἐν ἐρήμοις εἶναι, cuius rationem vix reddere apud te debemus, qui thesauros antiquitatis in numerato habes. Rutilius in Itinerario: *Lucifugis Insula plena viris*. Et mox Libanius in hoc libello: μηδ' ὥπως μέγας εἶναι δόξῃ τοῖς τὴν μὲν γεωργίαν ἀποδρᾶσειν, ὁμιλεῖν δὲ ἐν τοῖς ὄρεσι λέγυσι τῷ τῶν ὅλων ποιητῇ. Porro legendum puto: τοιῦτον ἐργαςήριον ἠπάτησεν, ἐφενάκισεν, ὑπηγάνετο, παρεκρύσατό σε &c. nempe per illum hominem, qui cum a latere esset Imperatoris, τοιύτῳ τῶν ὑφάντων ἐργαςηρίῳ πάντα ὑπηρῆτοι. Adloquitur Imperatorem, ut supra: εἴ τις ἀκριβῶς σκοπήσειεν, ὑ σὸν τῦτο, τῦδε ἠπατηκότος ἀνθρώπυ. Placet? an sapis rectius? utcumque rogo ne me celes τὴν ἀρεσκυσάν σοι. Vale, Vir praestantissime, utque amari nos certus sim, scribe quam primum.

Hagae a. d. pridie Kal. Sextil. Anno CIↃIↃCXXXVIII.

DCCLXVIII.

Io. GRONOVIO Io. MEVRSIVS S.

LIteras tuas, mi Gronovi, & adiunctam in statium Diatriben tuam, recte accepi, & vidi libens. Ago gratias pro munere, ac de literis bene mereri, ut fecisti eo opere, gnaviter perge: adplaudet, scio, quisquis doctus. Ceterorum nulla cura Hippolidi. Casauboni Epistolas maximo cum desiderio exspecto; cui tu ut satisfacies, simul absoluta earum editio erit, enixe rogo. Viro praeclaro, Andreae Riveto, plurimam salutem nuntio; ac promissum a me munus iam transmissum a Vossio puto. Certe sic per literas petii: neque dubito, quin

aut

Ann. Chr. MDCXXXVIII

aut fecerit, aut propediem sit facturus; non Typographus, ni me fallit, iam editionem absolvit. Vale, mi Gronovi, & in his Musarum castris semper ἀθισιύςιν perge. Male coepisti, in his desinis. Scribebam raptim Sorae Danorum, ad diem XXIII. Septemb. MDCXXXVIII.

Tui studiosissimus

Io. MEVRSIVS.

DCCLXIX.

GER. IO. VOSSIVS IO. MEVRSIO S. P.

Filius Matthaeus a gravissimo morbo utcumque convaluit. Isaacus adhuc decumbit, sed in dies vires recuperat. Ego, coniux & reliqua familia recte valemus. Danica ac Belgica tua Historia tandem ad finem perducta; quo nomine gaudeo. Deinceps, ut cetera maturentur, urgere Blauwios non desistam. Tuum quoque erit idem crebris facere literis: Sic quoque spisse satis procedet negotium. Id abunde es edoctus damno tuo; & ego, atque alii id experimur quotidie. Absque hoc esset, iamdiu habuisses, quae scripsimus de veteri Theologia Gentilium & Physiologia Christiana: sive de origine & progressu Idololatriae, & ex mirandis naturae eorumque causis humanae mentis adscensu ad Deum. Vt grande esse opus videas, quin tum eius (ut vulgo opera metimur) Alphabetum iam excusum est. Superest sextum, quod fore censeo postremum; sed quando id absoluturus sit Typographus, dicere non possum. Iam tres sunt hebdomades, quod cessat in nostris: atque idem porro faciet, nimirum mense toto. Hoc enim ipse praedicat. Metuo ego, ne alterum quoque tertiumque accudat mensem. Consenseram, ut Scylacem filii, & id opus, quod sub manibus me habere dixi, paullum seponeret, dummodo in tuis eo esset diligentior. Nunc mihi etiam praeponit hominem Gallum (a), cuius Philolao, sive de motu terrae, praelum iam fervet. Nec dici potest, quantum nos omnes moretur Atlas eius, opus multorum grandium voluminum. Prodiit iam Salmasii pars prior de Vsuris; ac propediem etiam alteram habebimus. Heinsius in N. T. iam ad Apocalypsin pervenit. Opinio est, multum eum adiutari iis, quae Scaliger observarat: cuius cartas scis in solius Bibliothecarii esse potestate (b). Ad haec intelligo, eum a vidua Erpeniana habere omnia, quae ad maritum undique transmiserant Viri doctissimi, quando is N. T. editionem moliebatur, cum Notis a flore doctorum undique subministratis. Confido candore eo fore nostrum illum, ut ne alienum tollat in armum, sed suo singula transscribat auctori. Quamquam quid hoc nostra, dum quae edantur, talia sint, ut multa etiam doceat eruditos? Abrumpam, si addidero triduo proximo adfuisse mihi Senatorem Scapium, convictorem quondam tuum, ac sollicite inquisivisse, ecquid de te, & omni familia tua certi haberem: tandem, ubi intellexisset de litterario nostro commercio, vehementer illud me rogasse, ut suo te nomine plurimum salutarem, ac pariter coniugem. Nec minus coniux mea, & liberi universi te salutant & tuos. Amstelodami MDCXXXVIII. III. Kal. Oct. st. Greg.

Regina Medicaea coniux, dum fata finerent, Henrici IV. perhonorifice excepta est ab urbis huius Proceribus. Puto pompatici illius ingressus tabulas aeri incisas cum Barlaeanis & aliorum versibus propediem lucem visuras. Id si est, curabo, ut exemplar habeas. Leidae obiit Meermannus, advocatus melioris notae, is qui Biaeam duxerat. Item Consul Lanschotus, atque alii. Omnino his locis, terrisque vicinis acutae febres dominantur, quae multos tollunt. Deus & nos & tuos diu conservet. Iterum vale. (c)

DCCLXX.

OLIGERVS G. ROSENCRATZ. IO. MEVRSIO S. In Christo Iesu nostro vere vivere.

Cl. Meursi, Amice desideratiss.

Qvanta impedimenta me per menses iam aliquot occuparint, ex quo post semestre ferme integrum Scholasticorum nostrorum cartas Fescenninas simul inter se conferre tandem, Regia moderatione mihi indultum est, quamque etiamdum me cartae eaedem distringant & occupent, neminem te rectius aestimare posse sat novi. Qui quantum negotii sanctuli illi scholastici, qui Theologos se iactant, auram nacti . . . tiosiorem, facessere bonis quibusque consuevere expertum te iam valde pridem didicisse, ignorare nequeo. Quocirca etiam haud difficilem te iudicem me habiturum mihi polliceor, siquidem arbitrum te ipsum delegerim, cui de laxius aliquanto admissa ἀπροσηγορίᾳ, mea statuendi potestatem faciam. Nulla itaque alia excusatione inpraesentia ad te usus, aequitati tuae culpam, quam contraxisse videri possim, censendam committo. Quandoquidem vero in Canone nostro solvendo ego meaque Sophia ob caussas ab ipsa expositas iusto tardiores, etiamnum sat probe soluturos nos ferme desperamus. Novis quippe instructi, quibus lactaria nostra commissa sunt, mulieribus, domo interea per menses plures absente mea Sophia, non adeo certi esse possumus,

(a) *Ismaelem Bullialdum*. GRAMMIVS.

(b) Hoc vero non iis creditum, qui tam multa in Exercitationib. *Heinsii*; postquam prdoierant, obelo configenda esse censuerunt Vnde hoc natum epigramma, a *Garravio* missum *Gronovio*:

De plagio subspectus eras, quia fama ferebat
Haec de Scaligeri promta fuisse penu.
At mihi si qua fides, mentitur Zoilus: omne
Quicquid id est, nemo non videt esse tuum.

vid. *Sarrav.* ad *Gronov.* Epist. XXIX. GRAMMIVS.

(c) Epistola haec habetur pag. 324. in editis & est CCCXL. numero. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXXXVIII

mus, bene ne adeo, quomodo deceret, lac ipsum in butyrum coactum sit. Ideo etiam culpae huic, si quam deprehenderitis levandae faciles tu, uxorque lectissima tua, ut vos praebeatis nobis, obnixe rogamus. De reliquo, vos simul una cum liberis vestris lectissimis divinae protectioni religiose commendamus. E Rosenholmiano meo, Prid. Non. Nov. A. CIϽIϽCXXXVIII.

DCCLXXI.

CASP. ERAS. BROCHMANDVS IO. MEVRSIO S.

AMor in me tuus, & in amore constantia, te digna, e literis tuis luculenter eluxit. Iubes, ut in hoc filii unici obitu [a], praesenti sim animo, providentia divina me soler; in voluntate divina libens acquiescam; beatissima vita, qua filius meus cum Deo fruitur, me substentem. Pareo non tantum libens, sed etiam laetus. Nec enim dignus essem, qui inter Christianos numerarer, si meam voluntatem divinae voluntati promptissimo animo & obsequio non submitterem. Non enim fallit, qui dixit Iesus: *Dignus non est me, qui filium aut filiam mihi praefert*. Praeferrem vero, si iniquius ferrem, filium e mortali & misera hac vita in beatissimam illam, a Christo meo translatum esse. Deus, qui filium, quando voluit, dedit, eundem, quando voluit, & quo loco voluit, ad se revocavit. Tantum abest hoc nomine indigner, ut potius gratias adfectu humillimo Deo censeam agendas, qui hoc filii unici obitu cor meum desiderio optimae istius & beatissimae vitae quam maxime inflammat. Quid enim filio meo, ex hac vita ad Deum evocato, optatius mihi esse potest, quam ut iste dies quam citissime eluceat, quo meum *Iesum*, & in lectissimo illo beatorum coetu filium meum, in clara luce videre liceat? Indignissimus certe forem, qui in augustissimum hunc & gloriosissimum coetum unquam admitterer, si meum filium, mihi memet cariorem, Deo meo inviderem, qui suum, eumque unigenitum mihi dedit. Testis est mihi in corde meo Spiritus *Iesu*; hoc unum quaesivisse *Deum* meum inopina hac filii morte, ut mihi posthac quidquid in mundo est, sordeat, nec ulla alia re, quam *Deo* meo & Domino meo *Iesu* me oblectem. Vxor vero mea, quae ob consolationis plenissimam epistolam, te inter amicissimos numerat, supra conditionem sexus animosa est. Haeret unice in divina providentia, adfectu Dei paterno se solatur, gaudio isto ineffabili, quo cum omnibus electis fruitur filius, se substentat. *Deus* te, Vir honoratissime, diutissime bono Reip. literariae salvum & florentem praestet: omnem cladem a tua familia potenter arceat, & benedictione quavis te, tuam, liberos vestros augeat. Amen. Hafniae IV. Nov. CIϽIϽCXXXVIII.

Qui te serio amantem ex animo redamat.

C. E. BROCHMAND.

DCCLXXII.

IO. RAVIVS IO. MEVRSIO S.

Clarissime Domine.

FIlii tui, quocum mihi aeternam velim amicitiam, conspectus equidem laetissimus fuit, tum quod de te hac domu tua prospera omnia intellexi; tum quod ille sinistra opinione me propemodum liberavit, veterisque confidentiae, quam mihi deponendam in posterum esse cogitabam, de novo quosdam quasi igniculos suscitavit. Quum enim aliquoties ad te literas dedissem, per eos saepe homines, de quorum industria ac fide parum dubitari poterat, & nuper quidem nuptiales tibi una cum fasciculo quodam, meoque nescio quam infelici logico partu, ab Nicopia mitti iussissem, neque vel a te, vel ab aliis, quorum maxime intererat meas non ignorare, responsi quicquam in hunc usque diem reciperem; debui profecto suspicari, & de animo, quem mihi propensum ac perpetuum fore spoponderas, veluti ex aliqua, nescio mea, an alterius cuiusdam culpa, nonnihil subdubitare. Postquam autem de illis tam liberaliter se nescire filius tuus adseveravit, praeter omnem spem meam recipio animum ac fiduciam, veteremque patronum mihi & eumdem deinceps aeternum te praecor atque comprecor, daboque operam, ut uterque sciamus, quaenam ista hominis fides exstiterit, quae nos tam in suspenso habuit. Academia nostra non uno vexata malo, uti interea salubritatem pacemque apud vos sectarer, facile permisit. Qua de causa & solitudinem huius loci eruditissimam cuilibet urbis celebritati ex animo antepolui, & quod Euthrandus ad S. Patrem Regimundum Episcopum Iliberritanum scribit, in Bibliotheca generosi D. Seefeldii [b] nunc exsul commoror. Com-

(a) Nempe filium, quem unicum habuit, *Christianum* nomine, magnae spei iuvenem, vix 23 annos natum, amiserat hoc anno magnus Theologus nostras & primarius Danici regni Episcopus *D. Casparus Erasmius Brochmannus*, sanctitate & virtutibus aliis non minus, quam eruditione varia & scriptis inclytus. Atque eo filio, quem uberioris cultus capiendi causa in exteras terras miserat, apud Anglos exstincto, Pater, cum nullos amplius exspectaret ex se heredes, Bibliothecam, quam possidebat instructissimam, Academiae Hafniensi legavit. Iampridem vero, ab ipso Episcopatus aditu, ipse ac coniux eius, piissima foemina, sacro se voto obstrinxerant, ut quicquid opum reditus Episcopales cumularent, id totum sublevandis pauperum necessitatibus sacraretur. Hinc multis e scholastica pube de victu singulis annis prospectum: hinc 7000. imperiales thaleri in Nosocomium urbis collati: hinc privata in innumerabiles pauperes beneficentia exercita, inprimis in bonarum artium studiosos &c. quae & plura ex vita eius, in *Er. Vindingii Acad. Hafniensis Historia*, commemorantur. GRAMMIVS.

(b) *Georgius Seefeldius*, Senator regni Daniae, & territorii Ringstadiensis praefectus, Iudexque Provincialis insulae Sialandiae fuit. Bibliothecam insignem, omnis generis libris, quorum eximia ipse cognitione pollebat, refertam possedit, doctorumque Virorum usibus aperuit. Facit Bibliothecae huius mentionem haud unus eius temporis doctorum, e. gr. *Isaacus Vossius* & *Nic. Heinsius* in epistolis, aliique in eandem, pleraque MSS Meursiana, post obitum auctoris filiique eius immigrarunt. Indeque postea, directa a Svecis Bibliotheca Seefeldiana, in Sveciam fuere avecta. Eius beneficio has ipsas epistolas *Zacharias Lundius* ex autographis descriptis. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXXXVIII

Compos enim & huius voti sum factus, precorque te per inclytam humanitatem tuam, ut eamdem felicitatem meam auctiorem dare ne graveris. In eo enim sum, ut Historiam paganam de Christo & Christianis conficiam, multis, ut mihi quidem videtur, ex causis, non inutilem futuram, neque iniucundam. Auctores habeo Historiae Augustae Scriptores, aliosque linguae utriusque, Lucianum, Iulianum, Plinium, Eunapium, Iuvenalem &c. Et redegi opellam in II. libros, ut alter de Christo, alter de Christianis ageret. Ordinem sum sequutus, ut non tam ad tempora, quam summas quadraret, velut ex indiculo apparebit. Quandoquidem vero longe plura fortasse & minus obvia futura sunt, quae te diffusae lectionis virum nullo modo effugere potuerunt, quaero a te diligenter atque oro, ut Auctores mihi nominare a me praetermissos, & ni grave operisque tuis doctissimis molestum fuerit, nonnullis eorum locis succurrere velis, sive ubi apertissime de instituto meo agitur, sive ubi ad istud dumtaxat, veluti solemne paganis est, alluditur. Libanii Sophistae Tomum priorem edit. Paris. Bibliotheca Rostochiensis habuit, alterum a Morello promissum accipere non potui; & hic mihi solus est utilis. Porphyrio quoque ipso destituor. Ex Iamblico numquid sperandum erit, ignoro. Quibus quidem omnibus aliisque oppido multis nemo felicius succurrerit, quam tua ἔμψυχος βιβλιοθήκη. καὶ περιπατῶν μουσεῖον. Adsis ergo votis pater, o adsis, neque contemne has tenues Musas, quin adspira coeptis propitius, & successum da conatibus. B. V. Dabam festinantissime Ringstadi. XII. Novemb. MDCXXXVIII.

DCCLXXIII.

IO. RAVEN
Eloqv. Prof. in Acad. Rost.
HISTORIA PAGANA
DE
CHRISTO & CHRISTIANIS.

Lib. I.

DE CHRISTO.

CAp. I. De Christi Nomine, Patria, Vita ac Morte.
II. De religioso cultu, quo eum Gentiles simul, & Christiani venerati sunt.
III. De Conviciis, quibus apud gentes adfectus est.

Lib. II.

DE CHRISTIANIS.

Cap. I. De Nomine eorum, & quando illud ceperit, ut &, quemadmodum per convitium adpellati.
II. De Doctrina sive Capitibus fidei.
III. De sacris ritibus, Concionibus, festis diebus, templis, horum privilegiis, iure asyli, sepulchris &c.
IV. De Moribus Clericorum in genere, & eorum discrimine.
V. De Episcopis, Ordinatione ipsorum, Officio, Commodis, Auctoritate, praecipue Romani, de Ambitione, iurgiis, motisque seditionibus, de Luxu in veste, epulis &c. & quomodo ipsis etiam Christianis invisi exstiterint.
VI. De Monachis, Ordine, Habitu, Regulis &c.
VII. De Synodis.
VIII. De Propagatione Ecclesiae.
1. Per Paganos facta.
2. Per Christianos. Idque
1. Bonis verbis & gladio spiritus.
2. Per vim. Vbi de clausis Gentilium fanis, de aris subversis, de subtracto in hostias, & sacra gentilium, publico sumtu, de ademto iure cinguli.
IX. De Incrementis Ecclesiae, & multitudine Christianorum.
X. De Impedita propagatione Ecclesiae & ex quibus causis Pagani detrectaverint fidem Christianam, ut & de propagatione paganismi facta partim ex conniventia Imperat. partim Episcop. partim subdole, partim per vim.
XI. De Persecut. Christianorum h. e. de earum Causis, praetextibus, initiis, ministris, ut & suppliciis.
XII. De Constantia Christianorum in persecutionibus, ut & Martyribus, & eorum honore in recto, de Apostatis &c.
XIII. De iis, quae ipsi Pagani improbaverint in persecutione Christianorum.
XIV. De iis, quae ipsi pagani adprobaverint in fide & moribus Christianorum, multisque Gentilium institutis, iuxta Christianorum consuetudines.
XV. De iudiciis & conviciis Gentilium super Christianorum fide & vita.

Nota.
1. Scriptores tantum paganos sectari placuit.
2. Historiam dumtaxat hac vice scribere.
3. De Veritate istius Historiae singulari libello agere, adeoque ea quaeque adferre, quae ex S. Patribus adscisci & citari possunt.
4. Praefigitur Oratio exhortatoria ad agendas Deo gratias pro Evangelii tanta luce atque claritate.

DCCLXXIV.

IOANNI MEVRSIO τῷ πάνυ IO. FRIDERICVS GRONOVIVS S. P. D.

GAudeo placuisse tibi, Vir summe, foetum nostrum ἡμιτελῆ, καὶ ἠσχιτόμενον. Habeo pretium vigiliarum mearum, quando eae tibi τῷ ἀκριβεστάτῳ τῶν τοιούτων κριτῇ non improbantur, Maluissem tamen ceras miniatulas, quamvis prolixas, & acres stricto illo, & amico plausu. Vere Halicarnas ille: οὐδεμία αὐτάρκης ἀνθρώπου φύσις οὔτ' ἐν λόγοις οὔτ' ἐν ἔργοις ἀναμάρτητος εἶναι. κρατίστη δὲ ἡ πλεῖστα μὲν ἐπιτυγχάνουσα, ἐλάχιστα δὲ ἀστοχοῦσα. Epistolas Casauboni en accipe. Scio, non reddetur par gratia labori, quem ἄφατον in illis velut Sibyllae foliis componendis exantlavimus: quemque quod praesumerent magni Viri, qui olim id munus promiserunt, conturbarunt, & tamdiu exspectationem luserunt omnium. Iuvat tamen conscientia me de incomparabilis Viri manibus non male meruisse, ac pulcherrimi utilissimique operis editorem exstitisse. Qua sola eram contentus, & si fieri potuisset, pace illustris Viri, cui inscripsimus, ne nomen quidem nostrum in limine compareret, Si mores meos nosses, scires, quam aversus sim a vana ambitione, quamque mature, ut ipse alibi ait Casaubonus ἔσχατον illum χιτῶνα exuam. Cl. Rivetus te salutat peramanter, librum promissum exspectat, nondum enim accepit, neque quod viderim, prostat ille publice. Vale, Vir magne, meque ama,

Hagae a d. prid. eid. Novemb. Anno MDCXXXVIII. ὡς τάχος.

DCCLXXV.

GERH. IOH. VOSSIVS CORNELIO VAN DER MYLIO.

Nobilissime, & maxime Vir,

IAmdiu quidem est, quod Blauwius Meursii Danica absolvit: sed distrahi non sivit, quia de re hercíscenda inter senioris Blauwii τοῦ μακαρίτου heredes necdum convenisset. Quod si priusquam divenderentur, illis amicorum, de quibus scripserat Meursius, exemplaria traderentur, metuit, ne fortasse Typographus alius nancisceretur exemplar, ac dum Blauwii in vendendo cessant, id opus celerrime recuderet. Id perscribi ad te Blauwii voluere, quo moram hanc in optimam caperet partem. Sane nec ipse Codicem mihi destinatum ursi, ne, si aliunde Typographus quis nactus exemplar, recudisset, mea vel fraude, vel incuria peccatum videretur. Denique nihil periculi futurum; nam paucos intra dies opus hic publice prostabit. Intelligo ex literis a Meursio ad te exaratis, velle, ut exemplar Cunaeo ante destinatum, & iam defuncto, Bonifacio in Italiam transmittatur. Quare & istud a Blauwiis poposci: qui, mortuo Cunaeo, sperabant hinc unius sibi exemplaris lucrum, me id aequum negante, haud multum adversari. Multum vero doleo, quod septimum iam annum Meursius noster eludatur a Blauwiis. Nam quicquid hactenus edidit, vel paratum habuit, se excusuros receperant, grandi forma duobus, vel pluribus voluminibus. Itaque ad eos transmisit multa ante ἀνέκδοτα, item quae antea excusis addi, vel in iis mutari vellet. Nunc post molestam, & damnosam longi adeo temporis moram, quid facere in animo habeant, plane sumus incerti. Fervet nunc praelum opere nostro de Theologia gentili, & Physiologia Christiana. In quo tum originem, & progressum idololatriae explico, tum admiranda naturae, & eorum causas. Quumque Gentiles admiratione naturae eo sint adducti, ut Solem, & alias Naturae partes colerent pro Diis: mihi contra propositum est hominem a causis secundis deducere ad causarum omnium causam, operam dedi, ut ne adeo diffusum argumentum confuse tractaremus. Multa etiam adferimus aliis indicta: omnia vero plane alia facie, quam priores. Confido intra menses quatuor posse ad umbelicum perduci. Mitto ad te Scylacem, & Velleium filiorum meorum. Addidi utrique exemplar alterum, ut cum Historia Meursiana ad Clarissimum Balthasarem Bonifacium eadem opera transmittatur. Addidi & literularum aliquid, ut me adhuc vivere, & de studiis non pessime mereri intelligat; simul etiam, in tam longo silentio non minus amare, quam quum in scribendo essem frequentior. Vale Vir Nobilissime, beneque de patria, ac literarum studiis, ac studiosis promerite, meque tui nominis cultorem ama vel immerentem. Amsterodami MDCXXXIX. τάχιστα.

Tuus omni officio tuo, idque merito tuo

GER. IO. VOSSIVS,

DCCLXXVI.

IO. MEVRSIO IO. FREDERICVS GRONOVIVS S. P. D.

QVas a. d. VI. Eid. Novemb. ad te dedi, Vir praestantissime, una cum Epistolis Casauboni recte tibi redditas opinor. Nunc accipe hoc ἀποσπασμάτιον miscellarum nostrarum, hoc est, vitrea fracta, & somniorum interpretamenta. Quae quanto indigniora oculis tuis sunt, tanto me magis ut ad te mitterentur, tua obstrinxit humani-

Ann. Chr. MDCXXXIX. nitas. Hoc excusationi fuerit nobis, dum nugarum nostrarum inscium te non patimur. Neque enim in officiis praestandis id respicitur, quid patronorum exigat splendor, & dignitas, sed quid a clientelis queat proficisci. Itaque dum alius in comitiis pro ambitione patroni prensando, ac appellando tribus, aliasve utiles, ac necessarias praebendo operas magnam gratiam quaerit, non minore tamen ille, qui matutinum ave portat, aut deducit, deficitur. Habemus plures eiusmodi libellos, plurium pro nostrae diligentiae captu materiem: hos amici instantia, qui suis sumtibus edi fecit, in otio arctissimo nobis extorsit. Quid ceteris futurum sit, ex hoc gustu constituam. Spes sane me habet bona, quibus Diatribe placere potuit, iis hoc opusculum non displiciturum. Sed magis amabo eos, qui conatum nostrum non laudabunt modo, verum etiam lapsus corrigent. Tu ἀνὴρ θαυμάσιε, hoc potes, & ut velis, pro amore, quo nos amplecteris, te oro, atque obsecro. Rivetus ὁ πάνυ salutat te plurimum; *Historiam Danicam* nondum accepit. Vale, & fruere gloria tua.

Dabam Hagae ante d. XIII. Kal. Febr. An. MDCXXXIX.

DCCLXXVII.

CASP. ERAS. BROCHMANDVS IO. MEVRSIO S.

OPerum tuorum Tomum primum Amstelodami nitidissime excusum recte accepi. Donum certe dignum Meursio: hoc est, tale, quod aetatem ferat, & Censorum, etiam rigidissimorum, κρίσιν facile substineat. Sacras te immortalitati hoc opere, & patriam nostram ita tibi devincis, ut quotquot literas, & Historiam amamus, te meritissimo, & amemus, & aestimemus. Ego adlaboro, ne moriar ingratus. Nam quantum de hoc munere, adfectus tui pignore certissimo, tibi debeam, non ignoro. Sed invitus hanc telam abrumpo. Festinat enim Tabellarius, & scribendi commoditatem praeripit. Tu vero cum tua, & tuis vale Vir Cl., & maximo patriae nostrae honore diutissime vive, ac flore. Hafniae XXVIII. Ian. MDCXXXIX.

DCCLXXVIII.

GERHARDVS IO. VOSSIVS IO. MEVRSIO S. P.

MAle me, praeclare Meursi, habet, quod Blauwii fratres, post patris excessum sic moras nectant in excudendis tuis; licet iam sextus sit annus, imo, ut reor, ultra, ex quo & parens ipse, & filiorum natu maximus Iurisconsultus editionem eorum sponte promiserat. Nunc praetexerunt parentis excessum, cur differant. Quippe negant magni aliquid se posse ordiri, nisi decreto ciendo convenerit prius inter liberos, qui seni numero: ex quibus duo duntaxat, aetate aliis superiores, rem typographicam suis curaturi impensis, ac vel commodis, vel damnis. Atque ut audio longe maxima hereditatis pars consistit in iis, quae hoc artis, & mercaturae genus spectant. Vti sunt, immensa pene librorum copia, tot linguarum tam varii typi aenei, tabulae pene innumerae ex eodem aere, partim terrarum, ac marium, partim illustrium virorum, herbarum, & aliorum id genus descriptionem vel figuram continentes. Equidem metuo, ne tam facile conveniat inter heredes, dum hi aestimabunt ista minoris, magno alii; nec vel inter arbitros tam facile componuntur talia. Siquidem Mercurialibus leve discrimen inter animam & nummos. Hoc propter metuo, ne spisse hoc negotium conventionis procedat, ac si exspectandum sit, donec inter eos fuerit transactum, diu tibi, mihique fieri fucus possit. Quamquam non ignorem eos dicere, propediem eam rem compositum iri: nec dubium, quin ipsimet longe melius res suas intelligant. Credamus igitur illis. Verum aliud ecce. Negant, tua se posse ordiri, priusquam absolverint Commentationes meas De Idololatria, sive de Theologia gentili & Physiologia Christiana. Cur vero, inquies? Videlicet, quoniam non sufficiant sibi characteres ad tua excudenda, in quibus tot Graeca intercurrunt, nisi vel paratus sis, ut prodeant minutis illis, oculos pene fugientibus; talibus fere, si non iisdem, ac filii mei Isaaci Notae in Scylacem prodierunt, vel ego sinam, ut labores mei de argumento ante memorato in annum unum alterum differantur: quod ipse si perpetim velim, non similiter se animatos fore, ob certissima damna, quae eos maneant, praecipue opere iam pene ad finem perducto. Quid agamus, Vir optime, & amicissime? Ego, qui te fratris instar dilexi semper vim illis hac parte facere non possum, vix etiam istoc, si possim, velim, qui iam undique, vix sine pipulo, ab ignaris occupationum mearum, magnopere accuser, quod extremam imponere manum tabulae nesciam. Attamen, nisi aliter tibi visum fuerit, simul ac mea lucem adspicient, non patiar, quantum in me erit, ulla tuis praevertere. Sed nostris (nam & hoc nosse tua interest) non poterit coronis imponi, si forte ante solstitium, saltem non ante Kal. Iunias. Haec, cura prope anxia, perscribere ad te volui, quia non ignoro, quam mecum foetus proprios ames, & aetatem etiam tuam vergere, cogites subinde: simul etiam metuerem, ne Blauwius forte, quem, ut ad te scriberem, rogavi, Mercuriali more, fucum quodammodo faceret literis suis. Tu utriusque lecta epistola, melius statues, quid ex re sit tua. Equidem post cessationem adeo diuturnam, nunc quoque exspectandum censeo, donec mea perduxerit ad umbilicum. Tum etiamsi idem esse volet, qui fuit semper, cum alio alia credo, ineunda erit via. Quamquam quod

Ann. Chr. MDCXXXIX

quod de mulieribus Comicus [a] ait, id de hoc hominum genere (etiam illo melioris notae, quale illud, qui cum negotium nobis) merito dicere liceat, in eodem omnes videri ludo doctos, si non ad malitiam, saltem ad lucrum, cum alieno etiam dispendio. Nunc ad aliud venio. Historici operis tui nullum hactenus exemplar accepi, nedum Mylius, vel amicorum alii, quibus ea a me mitti voluisti. In caussa est, quod quamdiu necdum inter heredes Blauwios sit conventum, minime conducibile existiment, exemplaria his terris ulla in hominum manus venire; ne suspicio oboriatur, intercepti commodi ex libris divenditis. Quam vellem, ne facilem adeo te praebuisses literis ad Blauwium proximis. Simul ac cognovi te, iis etiam adnumeratis exemplaribus, quae inter amicos hic distribui cuperes, necdum accepisse xx. hominem pro iure meo increpui, ac negavi, pauciora debere, quam xxxvi. Proinde ad te xviii. mitti oportere. Ille unum hoc habere κρησφύγετον, temet literis tuis acquiescere, si sena mittantur exemplaria. Pertendi ego, nescire me, quid ad ipsum scripseris; sed probe ex iis, quae ad me exarasses, perspectam habere sententiam tuam. Quocirca, si non possem impetrare aequum, saltem mediam insisteret viam, nec pauciora mitteret duodenis. Et ita discessi, ut facturus videretur. Quod ad Academiam adtinet Leidensem, in ea non sine magno rei literariae dispendio, decessit vetus collega noster, Petrus Cunaeus, ac paullo post eius obitum, uxor etiam est consequuta. Oratione ei parentavit Vorstius; versibus autem complures. Opinio multorum est, eius in locum successurum esse Iacobum Gothofredum I. C. Dionysii filium, Syndicum Genevensem. Saltem literis Curatorum Leidensium ei professio est oblata. Sed hesterna die, ex filio Isaaco Leida redeunte, cognovi, eos, quibus is notior, desperare propemodum. Sunt, qui sermonem iniiciant de Amplis. Simone Beaumontio, Middelburgensis prius Reip. nunc Roterodamensis Syndico, qui intermedio tempore inter proceres, ut vocant, Generales foederatae Belgicae fuit. Aiunt, non abhorrere ab hoc Professorio ac tranquillo vitae genere. Sed enim vix fore arbitror, ut in eo vocando conveniant Curatores, & Consules. Scis, quas ille partes sequutus sit, scissa ante annos xx. Reip. nostra. Iam mihi cum uno Professorum Leidensium sermo fuit, qui id fore negabat. Vides manere magnam partem malignitatis temporum, quae te meque, & tot bonos vexavit immerentes. Aristarchus, sive potius Exercitationes sacrae in N. T. quibus scis Heinsium diu noctuque incumbere, vix intra menses duos vel tres iuris erunt publici. Vtinam quoque divulgaret, quae eiusdem argumenti elaboravit Iosephus Scaliger. Scis enim summum Virum multum in eo desudasse, sed edere sua ausum non fuisse, quia in multis non a Beza modo, sed aliis etiam e doctoribus nostris, dissideret. Salmasius post excusum prius de Vsura volumen, nunc in alterum incumbit. In Simplicium quoque animadversiones edit. Vorstius parat scribere adversus ea, quae Salmasius scripsit in Exercitationibus Plinianis ad Solinum: ubi in eo totus est, ut doceat, Saccharum veterum esse a nostro diversorum. Hanc Salmasii opinionem esse erroneam exprobravit ei Vorstius in convivio multis praesentibus: ac postea quoque apud amicos eandem improbavit. Poposcit igitur Salmasius, ut publice refelleret. Id se is facturum promisit. Ceterum recepit Vorstius se amice cum eo acturum, non, ut nunc multi solent e Theologis, aut Criticis. Argumentum enim de Saccharo nil nisi dulce exigere, sane amarorem omnem & animi, & sermonis aversari. Primus, quod sciam, hanc controversiam movit Ioannes Manardus Ferrariensis, in Epistolis Medicinalibus: eumque in Paradoxis Medicis est sequutus, nescio an gentilis, saltem cognominis mihi Leonardus Vossius, seu, ut ipse scribebat, Fuchsius. Verum Salmasius novis opinionem eam argumentis stabilire est adgressus. Mitto ad te literas Gronovianas cum fasciculo, in quo Observationum eius libri. Iuvenis est integrae vitae, & ingenii acumine doctrinaque pollens, dignus plane amore tuo, & omnium bonorum. Misit ante hac ad te epistolas Casauboni; in quibus & illae comparebunt ad te exaratae, quas hoc fine, ut ederentur, miseras mihi. Intra quatuordecim dies iturus Gronovius in Gallias. Quare si quid ei scribere voles (velle puto, quia id eius praeclarae dotes merentur) ad me literas mittes, qui ad eum sum procuraturus tuas; simul etiam, quibus tibi responderit, Soram missurus. Scylacem Caryandenum Isaaci filii mei tandem vides. Quod mitto exemplar unicum est. Nullum in aedibus superest. Alioqui & alterum ad Dom. Stephanium addidissem; sed Blauwius non perpetitur ulla ex aedibus suis exire, priusquam conventum sit inter heredes; & vix illud, quod mitto, potuit impetrari. Collegae tuo amplissimo D. Christiano Matthiae salutem dices plurimam. Dolet, quod non, ubi decreram, una cum doctissimo Fischero conviviolo excipere licuerit. Etiam salute imperties Dom. Laurenbergium. De Dom. Stephanio adderem, nisi ad eum transmittere hoc tempore exemplum literarum, quas per mercatorem Severinum [b] nuper mittere statueram. Paucis post diebus misi per alium, Germanum natione, hominem doctum, &, ut putabam, fidum; sed metuo, ne acceperit. Et fortasse ne tu quidem eas, quas tum scripseram. Vxor tuae coniugi, filius filio, filia filiae salutem adscribi iussit. Amstelodami CIↃIↃCXXXIX. XII. Kal. Apriles St. N. [c].

Tuus aeternum tuorumque

G. I. VOSSIUS.

DCCLXXIX.

(a) *Male hic edita scribit* Coniicio. GRAMMIUS.
(b) *Perperam edita* Svecum. GRAMMIUS.

(c) Est CCCL. inter editas p. 331. Respons. ad has est epist. CCLXXXII. in altera Parte Vossianar. p. 186. GRAMMIUS.

Ann. Chr. MDCXXXIX.

DCCLXXIX.

FRANCISCVS AB ARSEN IO. MEVRSIO

MOnsieur, vostre lettre du duodecime de Novembre, ne m' a esté rendue plustost qu' hier, sans que j' en aye veu le porteur, pour luy en demander la cause, & que pourroit estre devenuz Opera Historica, *dont il y est faict mention, & lesquels sans point de doute ont esté par luy esgarez: j' en plains la perte, mais avec dessein de n' en demeurer là; le libraire la reparera, s' ils se trouvent à vendre. Car comme je fay estime de vostre personne, aussi suis je curieux de tout ce qui part de vostre main; & certes, Monsieur, je vous confesse librement, que de long temps rien ne m' est avenu de si aggreable, que d' apprendre par vostre dite lettre, que nostre separation, & long silence n' a estouffé en vous l' affection, que me souliez porter, la quelle vos belles qualitez m' ont tousjours faict desirer, & cherir, avec regret, que l' Université de Leyden, qui doibt prendre son lustre de tels personnages, ait souffert que vous en soyez esloigné, en un temps qu' elle en avoit plus besoin. Ie n' ay jamais eu le bonheur de vous obliger de rien, que de mon inclination a vous aymer, & honorer: mais l' occasion venant à s' en presenter, mettez, s' il vous plaist cette declaration a l' epreuve, & vous trouverez que j' ay apprins d' estre plus liberal d' effect, que de promesses. Sur ceste verité, Monsieur, je vous conjure de me tenir en vostre souvenance, au rang de vos plus intimes, & confidens amis, & serviteurs; ce n' est pas pour long temps, car tirant fort sur l' aage, il faut finir, ma famille vous demeure tenue de vostre salutation. I' ay tous mes enfans mariez, & nombre de rejettons d' eux. Ie desire que vous, & les vostres prosperiez en santé, gloire, & contentement, commandez moy icy pour vostre service, & me tenez tel que je suis, & me signe, Monsieur; c' est. Vostre bien humble, & tres affectioné serviteur.*

De la Haye ce premier d' Avril MDCXXXIX.

DCCLXXX.

IO. RAVIVS IO. MEVRSIO S.

QVum nuper a vobis rediret communis Patronus noster Generosus, & Nobilissimus Vir, D. Georgius Seefeldius, vocari me illico iussit, librorum causa, quos ex selectissima Bibliotheca tua in suam adscripserat, partim ut sollicitudinem rebus meis ostenderet. Quapropter & de vacua brevi Professione Logices narrare, & consulere, ut operam meam publico bono deferrem; se quoque ipsum amicitia, quam cum Illustri Praeside vestro haberet, pro me usurum. Cui ego actis, ut par erat, gratiis quam maximis, quemadmodum ultro & ipse ambire non possem, demonstrabam. Siquidem periclitari nollem de praesenti munere, domestico admonitus exemplo, quo vix, ac ne vix quidem Regiae personae medicum D. D. Fabricium (a) servare, muneri suo, totum collegium, potuimus. Ingrati autem prorsus, vel incogitantis sit, Illustriss. Principis gratiam usque eo negligere, ut incertissima prensare cupiam, quam hoc Catone contentus esse. Praecipue quum hactenus evidentibus exemplis domi meae expertus sim, non currentis esse, sed miserentis Dei; a cuius gratia etiam praeter vota mihi quam plurima successerint. Quod si ergo Generosus D. Seefeldius existimaret, rem Academiae vestrae non adspernaturam profectus meos, posse eum tuto mihi favere spopondi. Siquidem & humaniores literas, vel potius amorem earum, quod ipsum quoque omnino proletarium non est, cum Logicae studio coniunxerim. Ab iisdem maxime edoctus, quae causae nobis artem illam apud elegantissimos quosque homines exosam, vilem certe reddiderint. Destitutam rectis ingeniis, verborum autem foetoribus ita contaminatam, ut & nos quoque Ennii exemplo, tam pretiosam, & caram opem nescio quibus ex abiectis rebus collegerimus. Audeo quoque, si grave non sit, aliquid polliceri; ita me in Logicis, literarum, atque eruditionis subsidio, eruisse, quae necesse fuerit ceteros ignorare, qui nescio qua incogitantia correpti, ad Scholasticorum nugas magis, quam rectam rationem, & omnis sapientiae magistros advertere pulchrum duxerint. Et est de me in hoc genere studiorum aliqua non mediocris, & publica exspectatio. Tu ipse, nobiliss. Meursi, quantum prudentia, gravitate, iuvare autem per ceteras interiores literas, & ardentem suopte ingenio industriam, & conatum possis, longe rectius exitu ipso clarum foret, quam spe praeceptum. Ego quoque pro ista mediocritate mea, qua per sex integros annos in Logicis data opera versatus sum, accurateque, quantum fieri ab homine non indiligente, atque insipido potuit, cum ratione ratiocinationes doctorum contuli, adseverare ausim, me in istam Philosophiae partem, felicitate magis, an consilio dicam, deflexisse, quae per tot secula, tantis agitata altercationibus, amissa suis adsertoribus, quam occupata est. Et quod gloriae non duxerim, Witebergensem Professorem ante tres, & quod excurrit, annos, publico scripto, quum contra me praelegere institueret, ita redargui, ut sibi quoque satisfactum adfirmarit; testimonio, quod ab adversario mihi quoque datum est. Cetera taceo, quae malim experiundo alios discere. A quo argumento

per-

(a) *Iacobus Fabricius* Med. D. & Principum Mecklenburgicorum Archiater, quum anno 1637. in aulam Danicam a *Christiano IV.* Rege evocaretur, petiit a suis beneficii loco, ut ad Spartam professionis Medicae, quam in Academia Rostochiensi per multos annos ornarat magna existimatione, sibi liceret redire, si forte postea id rebus suis conveniens futurum esse animadverteret, quod parum absuit, quin ipsi negaretur. Verum peregit, quod reliquum vitae ipsi contigit, in Dania, Hafniae tandem an. 1652. exstinctus 75. annos natus. GRAMMIVS.

persuasus sum, ut qui iuventutis carnificinam huc usque viderim, eique succurrere semel instituerim, non ambire quidem vestrum munus debere, sed neque subterfugere, si occurrat, cogitem. Nulla ambitione ductus, sed fiduciam partim; partim modestiam Deo permissurus. Quapropter statim apud animum meum, Nobiliss. D. Meursi, soli quidem tibi, & quae acta sint cum Gen. D. Seefeldio, & quae defugiturus non sim, aperire. Quum enim Professorum unus plurimum possis, & me nescio quis amor, atque observantia iam diu occupaverit, dubitare nullo modo potui, quin filialem, quamquam tenuis admodum hominis, adfectum, apud te, magni animi virum, aliquid valere, passurus sis. Ego quoque ut omnia circa spes, & vota mea tibi uni commendo, ita spondeo, ac confirmo, eum me cum omni familia futurum, quem amiculum eiusmodi benevolentia semper complexurus sis. Aeterna mea in te pietas amandi necessitatem imperat ei, a quo & perpetua, & domestica bene merendi argumenta accipiet? Vale optime, quem revalescentem maximo cum gaudio accepimus, bonisque ominibus prosequuti sumus. Raptissime Ringstadii III. Non. April. CIϽIϽCXXXIX. (a)

Ignosce, si quid fugerit diligentiam, certe non licuit relegere.

IO. RAVE.

DCCLXXXI.

ADOLPHVS VORSTIVS IO. MEVRSIO S. P.

FAteor equidem, Vir amplissime, me, me peccasse largiter, quod non ante ad tuas responderim. Veniam tamen dabis, si non animo immutato, aut supinae negligentiae, sed valetudini per menses aliquot minus prosperae, totum id imputandum esse dixero. Theophrastus tuus & recte mihi redditus est, & propediem typis Elzevirianis minore forma imprimetur. Potuisses digniori opusculum illud inscribere, quam mihi; at, qui maiore te adfectu constantioreque prosequeretur, nemini. Certe honorificum mihi duco quam maxime, si posteritati constet nos vixisse amicissimos. Gratias itaque ago immortales, quod isto me honore, & amoris tui certissimo pignore dignatus fueris, quod postremis tuis in eo refingendum censuisti, diligenter a me curabitur. Scriptae sunt illae sine Consule ac die, quod prae festinatione nimia evenisse arbitror. Miseras priores tuas, uti praeseferunt ipsae literae, per Cl. Laurembergium, Collegam tuum, & recte quidem eae traditae: verum Vir iste doctissimus, quod optassem, conspectus mihi numquam. Quid causae fuerit, ignoro. Paraphrasis Prisciani Lydi in Theophrastum de sensu non videtur scripta in eum librum, qui nunc exstat, ita multum inde abit; sed in alium fortassis, quo caremus hodie. Vnde coniicere est, Theophrasti non esse, qui nunc illius nomen praefert: aut non fuisse Theophrasti eum, quem Priscianus μετέφρασε. Habeo ego in Bibliotheca mea Ficini opera, inter quae versio huius paraphraseos reperitur. Sed nolim tam rarum opus typographis maculandum tradere. Ab Heinsio, si consultum fuerit hanc tuo syntagmati iungi, forsan impetravero seorsim in quarto apud Aldum editam. Valet is recte, & ad umbilicum perduxit Exercitationes suas in N. Iurisconsultum; opus grande, ac variae eruditionis. Non dubito, quin rumor de obitu Viri Cl. & communis amici P. Cunaei, ad vos iam perlatus fuerit. Mitto Orationem, quam in funere eius recitavi; quod opus in me suscepi nulla eloquentiae fiducia, verum sola pietatis professione erga amicum defunctum. De privato meo publicoque Acad. damno per tanti Viri amissionem loquatur ipsa oratio, quam lectione tua, ut spero, non indignam censebis. Maritum mense post insequuta uxor est. Ita supremo Numini visum, domum paulo ante florentissimam orbitatis calamitate adfligere. Quaeritur illi Viro hactenus successor dignus. Gothofredus Genevensis vocatus, conditionem se accipere non posse, quamvis honorificentissimam existimaret, rescripsit. Vale Vir Cl., & salve plurimum cum tua tuisque a me meaque, qui semper vestri futuri sumus amantissimi. Raptim Lugd. Bat. Anno CIϽIϽCXXXIX. XX. Aprilis.

DCCLXXXII.

CHRISTOPHORVS BOLERVS IO. MEVRSIO S. P. D.

Vir summe.

POstquam a primis annis te, ob sublime ingenium, variam, & simul summam eruditionem, incredibilem cum pari iudicio diligentiam, & maxima in Remp. literariam merita, admirari, & colere coepi, nihil magis in votis habui, quam ut devotum animi mei in te cultum, quum coram agendi nulla copia mihi detur, vicaria epistolae opera tibi propius testificarer. Sed tum publica horum temporum calamitas, quae nobis hactenus omne scribendi commercium intercipit, tum locorum intervalla, ac inprimis timor, ac modestia me retraxere, ne tibi me ostenderem. Nunc vero quum Thaumasius noster, communis amicus, cui bonae mentis soror egestas diu obstitit, ne pro dignitate, & merito suo emergeret, lautam mihi humanitatis, & facilitatis tuae fidem faciat, & quotidianus mihi auctor & suasor existat, amico, & animo meo obsecutus te devote saluto, ac me totum tibi dico consecroque. Anceps huius se-

(a) Factus est seq. anno professor in Acad. Sorana *Io. Ravius*, *Christiani* supra laudati frater: de quo eiusque scriptis legantur *Alb. Bartholinus*, & *Molleri Hypomn.* ad eum pag. 299. seqq. Parco de illius ingenio dicere hoc loco, de quo iudicari quodammodo potest ex epistolis eius ad *Gerh. Io. Vossium*. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXXXIX.

seculi fortunâ me diu varie iactatum, tandem in nidulum aliquem tranquillioris otii reposuit; quum ante hoc quinquennium S. P. P. Vratislaviensis mihi in Gymnasio suo Historiarum, & Poeseos provinciam, & ante trientem anni Bibliothecae suae publicae curam crediderit, ut ita sorti meae mediocri adquiescere possem. Tu vero ex Academia Leidensi (cuius insigne olim ornamentum, nunc desiderium ingens, sublatis non ita pridem fatali necessitate Heinsio, & Cunaeo, quibus tu olim discedens, lampadem tradideras) in Regis, & Regni Cimbrici oculos protractus, in tractu Arctoo fulges, ut inter ignes luna minores. Patere itaque, Vir humanissime, ut in cursu bonae mentis famae qualicunque velificaturus, te tamquam benignum aliquod sidus, ac numen tutelare respiciam, & me meosque conatus tibi commendem. Destinabam ad te quaedam *Pericula Poetica*; sed quia Tabellionem moles nimis adgravare videbatur, pauca haec exemplo sufficiant. Suasu amicorum iam Iuvenilia mea publice edenda colligo, quae licet ab auctore suo parum, aut nihil, tamen aliquid lucis ab Euphemiis Doctorum adoptivis foenerabuntur. Quod si illis tuum nomen clarissimum adiungere digneris, in prima felicitatis meae parte ponam. Ceterum quum Viri docti admodum optent, tuos ingenii foetus errantes in corpus quoddam redigi, rogo per communia Musarum sacra, & posteritatis studium, ut bono publico, & tot desideriis, hac in parte, si fieri possit, satisfacias. Vale, aevi nostri peculiare ornamentum, & me amare incipe. Vratislaviae XVII. Kal. Iulii Iuliani A. MDCXXXIX. (a)

DCCLXXXIII.

CORNELIUS VAN DER MYLEN IO. MEURSIO S.

Monsieur, La vostre du 29. de mois passé m' a fort contristé par la relation des maux, & maladie, qui vous avoyent abbatus, & detenus, par queques mois; mais aussi extremement consolé, m' asseurant, qu' avec l' ayde de Dieu esties eschappé de toutes ces afflictions, & jouissiez d' une bonne santé, en la quelle je prie sa divine bonté vous vouloir conserver longues années, à fin de servir à sa gloire, & au bien public. A Leyden ils ont perdu le Professeur en la Theologie, & Recteur d' Vniversité pour cest année Valeus. Thisius ne se porte que mediocrement bien. Le S. Apo. Schotte Conseiller, au Conseil d' appel a esté correfuement malade, mais se porte un peu mieux. Monsieur Heinsius estoit hier ici, qui me dit qu' en son grand ouvrage avec les Indices, les quelles l' avoyent long temps retarde, en fin estoyt absolu, & que la semaine prochaine il le presenteroit a Messeigneurs les Estats d' Hollande, & qu' alors les libraires en disposeroyent. Il y a long temps, que le dit ouvrage est fort attendu en Italie, France, & Angleterre. le ne sçay, si vous aurez appris, qu' il y a plus des deux mois, que mon nepveu le S. de Berthol plus jeune fils de feu mon beau frere Monsieur de Groenvelt, mourut à Paris. Il a desiré d' estre enseveli ici auprés de son dit pere, & grand pere, à cette fin son corps est entendu en ce lieu de temps en temps. Avec luy la branche de la maison d' Oldenbarnevelt, qui depuis cent ans, & d' avantage, estoit veu au pay d' Vtrecht, & ici, quand à la lignée masculine, est esteinté, & la femme ou enfants de mon nepveu de Nordvvyck recuillent avec le temps une belle succession outre celle, qui est desja eschoüé. Vides, quid fit de rebus humanis. Monsieur de Groot est en ce lieu depuis environ trois semaines venu avec lustre, & bon train comme Ambassadeur. Madame sa mere estant trespassée il y a quelque temps, il s' en va avec ses coberitiers pour partager leur biens en Zelande. I' ay en suivant vostre ordre escrit vers Amsterdam à Monsieur Vossius. Vous verrez, si vous plaist par la copie ce qui m' a respondu, & en suivant le contenu de sa lettre le tout m' a esté delivré; vous remerciant trés cordialement de ma part, & quant à ce qu' est destiné pour le S. Bonifacius, je auray soin que par le moyens de Monsieur l' Ambassadeur de Venise le S. Iustiniani, il luy soit addresé le plus seurement que possible sera, soit en une ou diverses fois, avec le temps en aurez advis de la reception, s' il plaist à Dieu. C' est seulement hier, que j' ay receu ce gentil ouvre (b). L' Impression en est trés belle, & ne souhaite rien tant, si non que ce premier tome puisse successivement estre à son temps suivi de ce que reste. S' il plaist a Dieu, non retardray pas d' achever de lire tout ce que je n' ay encore veu. Vostre effigie est tres bien representée, & me rendit le tout encores plus aggreable. Ie me recommande a vos bonnes graces, a celle de Madame vostre chere consorte, & de tout ce qui vous est cher, priant Dieu de vous conserver en trés longue prosperité. De la Haye ce XXV. de Iuillet MDCXXXIX.

DCCLXXXIV.

NICOLAUS HENELIUS IC. IO. MEURSIO S. P. D.

Nullum genus officii est, quod usurpo libentius, quam quum, vel coram, vel per literas commendandi sunt Viris magnis generosae indolis, ac praeclarae spei adolescentes. Ex quibus, tanquam Surculis arbores exspectandae, ac deinde fructus, qui in Remp. & Ecclesiam se spargunt. Ex hoc genere est Ernestus Rhedigerus a Stisa, & non tam ob nobilitatem praeclarissimae familiae, cuius illustria exstant in literas literatosque beneficia, & in cuius adeo nomine exultare Phoebum, laetari Minervam, tripudiare Charites, magnus ille Ianus Gruterus noster venustissime scripsit, quam pro-

Meursii Epist. S s pter

(a) *Christophorus* hic *Colerus* Silesius fuit, ac in Patria Gymnasii Vratislaviensis Rector, probe distinguendus ab altero, eiusdem nominis & cognominis, haud parum celebriore Viro, *Valerii Maximi*, & Notarum in plures Auctores veteres, editore, cuius Vita legitur in *Memoriis Professorum Philos. Academiae Altorfinae*. GRAMMIUS.

(b) Opera Historica *Meursii* collecta, & impressa in folio: GRAMMIUS.

Ann. Chr. MDCXXXIX.

pter singulares, & eximios ad virtutem doctrinamque impetus longe mihi carissimus. Qui quidem a parente suo viro Generoso, ac strenuo D. Gulielmo a Rhediger & Strisa, Hereditario in Slisa, Schonborn, & Ruckes, Ducatui Vratislaviensi a Consiliis, & expeditionibus primariis, eo nimirum, qui me adolescens studiorum suorum, ac peregrinationum ducem, & magistrum habuit, in Academiam Soranam mittitur: qua litterarius ibi, qua equestribus studiis, atque exercitiis operaturus: patris certe, ac nostro voto destinatus, ut aliquando universae Silesiae honori, atque emolumento esse possit. Enimvero, ut tibi potissimum, Vir Nobiliss. & Clarissime commendarem, & una eademque opera ipse quoque tuam ambirem amicitiam, duo mihi fiduciam fecerunt; Eruditio nimirum, atque Humanitas tua, sive adeo unum utraque sunt, quando nec illa sine hac plena, aut proba est satis, & haec ex illa, vulgari etiam, oritur plerumque, e solida debet oriri semper. Sed quicquid sit, utraque insignis in te, mihique adeo altera e scriptis, & lucubrationibus multifariis, altera ex amicorum relatu sic testata: ut quamvis intervallo satis longo disiunctum, non possim te non amare iuxta, & colere. Nimirum facile inter bonos hic nodus stringitur boni amoris: quo absentium animi sine corporis impedimento coeunt, atque ut liceat uti Luciliana eloquentia, congerminascunt. Hunc vero sicut tibi absque fuco, ac fallaciis promitto, nunquam commissurus, ut inter eos reperiar, qui Comici verbis lingua factiosi, inertes opera, sublesti fide: ita si redamari mereor, fac quaeso Nobilissimo huic iuveni adfectus tui, atque προθυμίας testimonium evidens exhibeas: auctoritate illum, & gratia tua complectaris: lare, & mensa, si absque incommodo tuo fieri queat, digneris: aut, si id non liceat, saltem benigna favoris aura ad optima quaeque animes: ab ipso denique, haud docentem modo audiri, sed & coli te, atque interdum quoque, vel honoris, vel consilii causa adiri patiaris. Sumtus necessarii ne filio desint, pater curabit: sed hactenus ne modum sibi praescriptum in iis excedat. Id quod ideo monendum duxi, quod nobilissimi Viri facultates, quas larga Dei indulgentia possedit genere suo dignas, per haec bella diuturna, per militarium harpyiarum rapinas, & expilationes, per immensam illam contributionum abyssum, & inexplebilem voraginem eo usque sunt arrosae, ut rei domesticae male quassatae in solidum reponendae, vel maxime parcimonia, atque frugalitate sibi opus esse statuat quam rectissime. Sed faciet filius (si ita spondere ausim) officium, ac sicut ipse benevolentia tua dignum se praestabit sic parens, & ego non laetabimur tantum, meam apud te commendationem aliquid ponderis habuisse, sed & in partem accepti beneficii vertemus, operam uterque daturi, ut qua perpetua eius memoria, qua gratiae referendae, si detur occasio, studio, atque conatu paria tecum faciamus. Vale Vir magne, tuique serio amantem, & amaturum ama. Ex illustr. Silesiorum Metropoli, Kal. Augusti MDCXXXIX. (a)

(a) De *Nicolao Henelio ab Henefeld*, illustri illo patriae suae Cive nescio an opus sit, vel tantillum adnotare, magis quam in tot aliis hucusque factum, quos, quia ne tyronibus quidem in Hist. Literaria ignoti sunt, praetermisimus illaudatos. Neque enim latere quemquam putamus eximia *Henelii* huius scripta, quibus res natalis soli memoriasque maiorum, toga, & sago insignium, aeternitati commendavit, *Silesiographia renovata*, *Breslographia &c* ut *Commentarium* eius *de Veterum Iurisconsultis*, aliaque tum Iuridici, tum sacri argumenti omittamus. GRAMMIUS.

DCCLXXXV.

CHRISTIANUS FRIIS IO. MEURSIO S.

Salutem in Iesu Christo Domino nostro.

FRiderici II. Historiam hisce mitto. Illam quidem utcumque a Lyscandro literis consignatam, & a Secretario Eggebrechto p. m. in linguam Germanicam translatam, per occupationes tempus perlegendi mihi non concessum fuit. Ipse pro tua prudentia, quae retinenda, & inserenda, quaeque omittenda, facile diiudicabis. Nec dubito, quin ad manus sint alii, qui tam Latine, quam Germanice bella Sveticum, & Dithmarsicum publici iuris fecere. Chytraeus, licet in vicinia habitarit, varia de bello Svetico (ut & de aliis Frid. II. gestis) suis immiscet, graviter tamen saepius hallucinatur. Vale. Lindholm. IX. Aug. MDCXXXIX.

DCCLXXXVI.

NIC. FOSSIUS IO. MEURSIO S.

LAetabar non modice, lectis tuis, quas non ita pridem ad me dedisti, literis, ob commodiorem, quem nunciabant, valetudinis tuae statum, quem denuo novi mali insultu adfligi non sine dolore animadverto. Narravit enim Adfinis meus te cum dextri renis dolore ceterisque consuetis symptomatis, iterum purulentam reddere urinam. Sed bono te animo esse iubeo, & ut in eodem, quo hactenus, non sine fructu usus es, consilio pergas, suadeo. Spero enim & illud ulcus, absterso leviter pure, consolidatum iri. Lac vero caprillum, vel eius serum (si abstersione maiore eget ulcus) saccharo rosato tabulato ad palati placitum temperabis. Addo nunc confortantia alacriora, confectionem scilicet Alchermes, & Electuarium, quibus promiscue uti licet, inprimis vero mane, & mox ante somnum. Alvum segniorem per vices clysmate, vel diacassiae cum manna drachmis quinis, vel senis, paulo ante prandium sumptis, clementer movebis. Non parum vero ulceris consolidatio promoveretur, si averso a renibus seroso ichore sudores consueti revocarentur. Mitto vero huic usui destinatas herbas binis cartis inclusas. Quantum vero una carta habet, in vasculo terreo novo collocetur, addito passular. manipulo, eique adfundantur aquae fontanae pottae ternae. Vasculum opercu-

lo

Ann. Chr. MDCXXXIX.

lo probe munitum loco calido per diem naturalem collocetur, tandemque prunis candentibus committatur, ut omnia horae unius spatio ferveant. Huius poculum modicum colatum mane ebibes tepide, & stragulis coopertus sudorem exspectabis. Iterabis id alternis diebus, alternis vero in usu lactis caprilli perges. Haec sunt, quae nunc monenda censui. Faxit Deus, ut in tui commodum cedant. Vale, & cum tuis plurimum salve, diuque bono publico superstes vive. Dabam Hafniae IV. Septemb. MDCXXXIX. (a)

DCCLXXXVII.

ADOLFVS VORSTIVS IO. MEVRSIO S. D.

ITerum me postremis tuis, Vir amplifs. de Theophrasti tui procuranda editione, sed memorem quam maxime, monere voluisti. Atque utinam tam mei fuisset arbitrii, id quod postulas, perficere, quam apud Elzevirios, maioribus hactenus operibus distractos, eoque lentulos nimis, ut voto ac desiderio tuo fiat satis, urgere. Quod sicuti sedulo feci, ita tandem impetravi, ut proxima hebdomada praelo subiiciatur, ne ultra spe vana lactemur ambo. Fidem huic rei verbis quoque faciet Elzeviriorum Nicolaus, qui variis cum mercibus librariis ad vos contendit, & hasce tibi traditurus est. Dabo autem operam, ut quae tum prioribus tuis in eo opusculo censuisti immutanda, tum ultimis eidem inferenda, singula suis recte aptentur locis. Historicorum tuorum exemplar nullum in hunc usque diem mihi visum, neque a quo id mihi exigere liceret, cognitum. Gratias interim ago, quod per te non stetit, quo minus me praeclari ingenii tui monumento beares. Valetudine nunc incipio uti prosperiore, veteri meo malo hypocondriaco exercitus tota praeterita aestate. De te tuisque omnia auguror secunda, quae ut vobis velit esse perpetua supremum Numen supplex oro veneror que. Vale, ac salve, Vir praestantissime cum lectissima coniuge liberisque, & tui constantissimum in amore pari constantia redamare perge. Raptim Lugd. Bat. a. d. XIII. Sept. MDCXXXIX.

Tuus totus, & ex animo

ADOLFVS VORSTIVS.

DCCLXXXVIII.

DAN. HEINSIVS IO. MEVRSIO.

Clarissime, & Celeberrime Vir.

PEtii hic ab eo Typographi nomine ad vos profectus est, quum in procinctu esset, ut *Exercitationum* nostrarum exemplar tibi meo nomine obferret. Quod facturum non dubito. Id autem ut eo accipias animo, quo mittitur, serio nunc a te peto. Vale Cl. Domine, & me ama. Lugd. Bat. Anno CIↃIↃCXXXIX. Septemb. XIII.

Nomini tuo devotissimus

DANIEL HEINSIVS.

DCCLXXXIX.

THEODORVS CANTERVS IO. MEVRSIO S. D.

Lugdunum Batavorum.

EA quae literis tuis, amicissime Meursi, mihi adscribere videris, minime in memet ipso recognosco: quare vide in posterum ne Cantero tuo nimium tribuere videaris, in quo scies omnia esse longe infra mediocritatem, amo tamen viros pios, & probos. Et quotiescumque Romanas Historias lego, libere, & promptissime dixerim, pudet Christianitatis. Si illis, ut nobis, cognitio veri Dei fuisset, & veram pietatem praeseferre licuisset, illisque datum esset, ad summam felicitatis pietatisque metam pervenissent, & quam ferventi zelo eam amplexi fuissent, qui tantopere in falsa religione, & de qua ipsi naturae quodam ductu dubitabant, excolenda, religiosi erant. Nos nunc, proh dolor! nihil praeter nudum Christi nomen circumferimus, ceteris omnibus virtutibus nudi, & expoliati. Metuo nobis omnibus, ne in die iudicii meliori loco, qui Christum non cognoverunt, sint futuri, quam nos. Non quod operibus quicquam, aut plurimum tribuendum censeam, sed quia ex operibus nostris, internam cordis fidem, & in Deum pietatem palam reddimus. Vtinam Romanorum virtus nobis semper ob oculos versaretur? Quanta in illis hominibus fuit probitatis aequitatisque studium, qui Masinissae inter cetera responderunt, *se Masinissae causa omnia velle, sed ius gratiae non dari*, o aureum dictum! Quid nos Christiani? Vtinam illud dictum penetralibus pectoris nostri penitus impressum insculptumque esset. Haec tecum. Emendatio tua Arnobiana placet, quamvis meo iudicio non incommode legi possit: *munera sanandis animis hominibusque portabant*. Tu iudica. Alteras etiam tuas accepi, & emendatio Festi perplacet, quamvis otium non fuit penitus eam introspicere. His vale, & Scriverium meo nomine saluta, cuius Codicem fortunate accepi, & quum usus fuero, bona fide, remittam. Saluta etiam officiose Dominum Scaligerum. Iterum vale, raptim. Vltraiecti XXI. Septemb. MDCXXXIX.

Fragmenta Lucilii si ad me per occasionem miseris, pergratum feceris; indicato pretio statim refundam.

(a) *Nicolaus Fossius*, in Cimbria Boreali natus, Med. D. & Practicus, modo Hafniensis, modo Lundensis in Scania, Vir doctrina elegantiori excultus, & in medicina factitanda dexterrimus. Iuvenis meliorem Europae partem studiorum causa peragrarat, inque Italia apud artis suae principes profecerat plurimum. Mortuus anno 1645. familiam reliquit, felicitatis suae heredem, sive ingenium, atque indolem spectes, sive cetera naturae fortunaeque bona. Filii enim, tum qui ad Medicinam, tum qui ad sacra, nec non qui ad humaniora sese studia adplicuerunt, egregii, & celeberrimi nominis Viri in patria evaserunt. GRAMMIVS.

Ann. Chr. MDCXXXIX.

DCCXC.

GERHARD. VOSSIVS IO. MEVRSIO S. P.

QVod meliore utaris valetudine, iucundum fuit cognoscere mihi, & meis omnibus. Ego quoque mediocriter nunc valeo, ac pariter uxor, & liberi, uno excepto Matthaeo. Tandem responsum a fratribus Blauwiis accepi de editione tuorum: sed non quale illis dignum erat, qui sexennium, vel ultra non dico vana te meque spe lactaverant, sed tot etiam fecerant promissa, te etiam de iis non cogitante, sponte ad tua cuncta excudenda se obtulerant. Malum factum. Nec quo sese excusent, inveniunt, praeterquamquod mors paterna consilia sua disturbarit. Significavi, multum me metuere, ne publice de iniuria hac conquereris. Non aliud responsum, quam id quidem in te esse: sed se sibi probe conscios esse innocentiae suae. Tentavi animum Iansonii; sed is ait nullos typos sibi otiosos intra annum fore: adeo multis se edendis distineri. Elzevirius existimat se intra menses non ita multos hac in urbe propriam adornare velle typographiam. Sed non arbitror illi eas opes, ut tam grande opus ausit suis suscipere impensis. Fortasse tamen patrueles Leidenses parati fuerint, in hoc adiutare. Laminam aeream, cui vultus tui incisio, item alia, praecipue scripta tua remisissem, nisi Blauwius uterque ab urbe abesset, ut recipere nihil licuerit. Prodiere tandem Exercitationes Heinsianae in N. Iurisconsultum. Fore puto, ut adversus eas scribat, ac singula pene refellat Salmasius: nisi intercessione amicorum Heinsii suffiaminetur. Existimabat Heinsius, se sic cum hoc doctissimo Burgundo agere posse, uti tecum, mecum, & tot aliis scilicet. [(a)] Sed est Salmasius omnis iniuriae gravioris impatientissimus. Haec raptim, quia iam iam currus ascendendus erit, Hagam ituro, quod bene vortat. Vale cum omni familia, & ab omnibus nobis salve. Amstelodami CIƆ IƆ CXXXIX. XXV. Sept. [(b)]

Tuus aeternum

G. I. VOSSIVS.

DCCXCI.

IO. MEVRSIVS THEODORO CANTERO S. [(c)]

LIteras tuas V. A. reversus obsendi, abfui enim ab urbe dies XIV. Gavisus fui, probari tibi meum de Chrisologo iudicium, quod sperabam, quam confidebam. Criticus meus excuditur, ubi absolutus erit, habebis exemplar. Sed tua fide, Domine Cantere, placetne hoc factum meum? vereor enim, ut succenseas tanquam falcem in tuam messem iniectum eunti. Sane nolim. Pereant enim omnes lucubrationes meae, quam ut mihi amicitiae propter eas Virorum magnorum. Amare autem, & colere te (sine fuco dico) iam olim coepi, & persevero in isthoc adfectu, quem nulla unquam dies imminuet: tu vicissim animum mihi tam benevolum serva. Chrysologi editionem Parisiensem hanc facile venalem invenero; quum tamen, parebo petitioni tuae. Interim si voles mea uti, libentissime communicabo. Venerunt nuper in manus meas Arnobii nostri Adnotationes in aliquod S. Scripturae loca, vidistin? ego sane nunquam antehac. Gilbertus Cognatus, edidit *Basileae* anno CIƆ IƆ CXLIII. Heus vero assem para, & accipe non fabulam, ut ait in Epistolis Plinius, sed Historiam, & quidem monstrosam. Adpulit ad littus nostrum piscis prope Catuicum longus pedes LV. ut audio, (nec enim visum excurrere libuit) qui venundatus florenos CXX. Dum haec scribo, narratur femella quoque prope Harlemum adpulsa, mariti forte desiderio. Audi rem magis miram, & plane horrendam. Roterodami XIII. Kal. Februarias natus est infans masculus, cuius anteriora testudinem, posteriora plene liniamenta humani corporis omnia referebant. Caput grande, in ore eius duo ingentes praecisores, & genuini aliquot. Vixit horas praeter-propter duas. Mirum, nisi obscenum hae res omen portendant: quicquid id sit, Deo in manu est. Nos quidem parati ferre animo forti, & Christiano, certi optime commeruisse peccatorum nostrorum multitudine, & faeditate. Vale, Epeus Traiecti meae, & Meursium, quod facis, amare perge.

DCCXCII.

IO. MEVRSIVS INCERTO.

Illustris, & Generose Domine.

POstquam domum a te redii, de his, quae mandato Regis Serenissimi postulaveras, sedulo cogitare coepi. Iterum vero tuo nomine Vir generosus Iustinus Heugius, Academiae nostrae Praeses, cum a Rege revocatus, coram id praestare haud posset, datis ad uxorem litteris, aurem vellit, memoremque quamvis monet. Quod Cimbrorum veterem armaturam adtinet, haec in veterum monumenta inquirenti sese obferunt. Nuda corpora, longis clipeis tegebant, quidam ferreis loricis usi; capita muniebant galeae, queis scaevarum belluarum rictus additi: tum in summo cristae alatae; telum gestabant bipenne; gladios lon-

(a) Confer quae *Vossius* scripsit ad *Grotium* p. 342. Ep CCCLXVII. quibus hic respondit, epist. data 1. Octobr. 1639. num. 1256. inter Grotianas: inter alia his verbis: *Magnum Salmasium bene valere gaudeo. Est qui id nolit, nempe quod Fragili cupiens illidere dentem offendit solido. Si quid prospicio, nos egregie vindicabimur. Vtinam diu vivat, ut commissionem hanc diu spectare possit noster* Meursius. *Nam & ille non delebit inventum, qui in omnes grassanti sat obvium*. GRAMMIVS.

(b) Editarum haec est CCCLXV. pag. 340. Praeter has ad *Meursium* Patrem exstant in Vossianarum Sylloge tres; ad filium p. 348. 376. 392. & quinque *Meursii* filii ad *Vossium* P. II. p. 189. 193. 194. 196. 209. GRAMMIVS.

(c) Quum insequentes Epistolae nullam notam temporis haberent, in calcem Collectionis tumultuarie coniecimus. LAMIVS.

longos, item graves. Pro tympanis pulsabant pelles, curruum praetentas cratibus; quibus sonitus terribiles edebantur. Quod ad corpora nuda adtinet, clypeosque galeas, cristas, & loricas, gladiosque, inspice icones, quaeso, quas Cluverius repraesentat *Germaniae* suae *libr. I. pag.* 369. Dices forte, de Germanis illum loqui; at cum Cimbris, queis vicini, habitu eodem illos usos esse, nihil dubitandum censeo. De vestitu vero Regum nil invenio, neque facile inveniri posse puto. Habent tamen eos universos pictos, sua veste, ut accepi a Stephanio, regii aerarii quaestor, & inter Viros Academiae Hafniensis literatos non postremus Olaus Wormius. Petere ab illis poteris, & eligere, quae accomodata maxime iudicabis; quippe frustra sunt equidem existimo, in his talibus aliquid certi statuemus.

Qui optime coniexit, eum vatem perhibebo optimum, ut nunc istud veteris Comici hic usurpem. Et tu ipse satis nosti, illustris, & Generosissime Domine; quem ut Deus diu sanum, ac florentem conservare velit, supplex quaeso venerorque. Raptim, urgente, qui has feret, Sorano. (a)

DCCXCIII.

Io. MEVRSIVS TH. CANTERO.

STatianam hanc correctionem e multis unam vide. *Lib.* 3. *Thebaid. p.* 184. *edit. Vltraj.*

Ne mibi tunc moneo lituos atque arma volenti
Obvius ire pares ventis atque alite visa
Bellorum proferre diem.

Quid *ventis* hic loci? plane non video. An ex iis omina etiam captari solita? Nescio. Sic scio legendum:

Ne mibi tunc, moneo, lituos atque arma volenti
Obvius ire pares, extisv' aut alite visa,
Bellorum proferre diem.

Prima tantum dictionis litera in finem, unde avulsa, reiicienda, cum nota ἀποστροφῆς. Transeo ad Agellium lib. 16. c. 16. ubi locus item hodie mendosus: *Esse autem pueros in utero Varro dicit capite infimo nixos sursum pedibus elatis.* Corrigo, *capite in imo*, vel *in infimo, nixos &c.* Haec te, mi Cantere si vacat, arbitrari velim.

DCCXCIV.

HVGO GROTIVS MEVRSIO SVO S.

QVoniam & occasio, & amicitiae nostrae necessitudo flagitabant, ut tibi literulas meas mitterem, id ipsum praetermittere non potui, ne vel μέγαν καιρὸν, vel διὰ . . . φίλιον obfenderem. Cum itaque die lunae patrem domi non invenirem, die hoc (qui Lucripotis Dei est) reversurum, die Martis navi Roterodamum profectus sum, in qua perlegi Notas Canteri ex Codice Romano, ad Varronem nostrum: conatus sum itaque aliquot in locis propius ad veritatem Romani Codicis accedere, quam vel Gelenium, vel Canterum factitasse videmus. Nisus hos tibi mitto, adiecta numeri nota, qua & in contextu, & in notis pro Μηνύτῃ uteris. Libro itaque primo ad notam I. ex Collatione Codicis legere malim; *Exterminati sumus dudum quasi p. n. e. t. m. m. sint f.* Illud enim dum ex repetitione, longe eius glossa. Ad n. 2. *nec madidari imbribus arva succedit.* Ἑλληνικῶς οὐδ' ἀρουρὰς ὄμβροις βρέχεσθαι συμβαίνει. Ad n. II. *Et tamen 6 m. ç. a. a. n. eum irasci p. l. a. i. a. d.* ita, sublata interrogatione. 14. tibi coram dixi. 16. Canterus interponit distinctionem male, nam *princeps Dominus* est ὕπατος κρειόντων. 25. Locus valde corruptus. Gelenii lectio hic nimis abscidit; substituo. *Tisianera Buceroque nati.* Tisianiara est Laeda, vel Nemesis, vel ultrix Latinis. Bucerus est cornutus, vel admodum cornutus Ammon, ut Phaestius Graecus.

Τὰς λιβύης ἄμμων κερατηφόρε κλῦθι μάντι.

Ex quo nati Dioscuri. 28. *ex olivi unguine adipatum*; sic *adipata oratio* Ciceroni, non hic *olivi unguen* non est, εὔοδμον, neque lectio Canteri εὔοδμος mihi. 35. *f. quo eius est.* Iupiter enim ad flaminem proputim pertinebat, vel, *qui eius est*, ut referatur ad flaminem. 39. *& munera nudis animi hominibus deportabant. Nudi animi homines*, sine fuco; ut supra, *Adseverationes nuda*. 41. *glabre*, pro glabrum, quemadmodum hilare & hilarum, affabre, & affabrum. 52. *dilacerare (si potessetis Deum) vultis.* Graece καταταμνειν (ἐὰν θεὸν ὄντα δύναιτε) βούλεσθε. Lib. II. n. 27. demoretur iners, quamvis, nam, valeat in aere sunt glossae ineptissimae τοῦ demoretur, & iners. 43. aut velle, scire contendere esse id verum quod p. Lib. III. 14. Nam si liquido sciretur quin esset v. v. i. e. f. f. c. p. e. conveniret assensio? 17. memorationis parcissimae, nam dixit nominibus ignotis. Lib. IV. lo, pro aliis. Lib. V. 4. exantlatus ille vi. ii. quantum fias. Graece ὅσον γένοιο βροτοῖς γελοῖα. 38. nec ad verum rerum vocare contextum. Lib. VI. 6. non in Ciceris Eleusinae humatae omnibus perhibentur officiis. 27. discere lego 33. ne unum quidem haberet scrupulum, quo hirundinibus hospitis. (Varro dicit) Tennites se obstentaret, factum enim hoc in Sicilia, in qua Apollinis Tennitae fanum a Cicerone in Varinis refertur. Lib. VII. 8. atque animum dexteritate. Salve mi Meursi, & me ama.

DCCXCV.

MEVRSIO HVGEIANVS GROTIVS.

SAlutem tibi, mi Meursi, mitto: & mehercule, aut valde ego animi fallor, aut maiore iam te iure absentem salute im-

Meursii Epist. S s 3

(a) Hanc epistolam obsendimus ad calcem Voluminis Lundiani in quo illae ad *Meursium* exstabant Lundius eam, procul dubio, ex chartis Meursianis exceperat, ignorans cui scripta fuisset. Nos, quin Christianus Frisius Dominus de Kragerup, Magnus Regis Christiani IV. Cancellarius, iste fuerit, neutiquam ambigimus.

impertio, quam nuper praesentem. Impertio enim iam te re, quam habeo, tunc qua carebam. Gaudeo itaque mihi super hoc dono, quod mihi tanquam postliminio a D. O. M. obtigit, tu gratulare, & iam scio, hoc facis: Nota enim mihi animi tui in me benevolentia, quam & literae tuae redolent, & ipsae illae Theodoreticae Lectiones, verant, aut saltem mihi verant. Et in priore quidem mendum levius, in altera vero gravius; unde etiam factum est, ut non statim coniecturam probaverim. Veniebat enim mihi in mentem legere me aliquando in Hesychio (ni fallor) λειμῶνος praeter vulgatam significationem etiam θάλασσαν designare, ex quo loco, nescio quid nugabar. Postea tamen me frustra esse comperi, & desiderare hunc Theodoreti locum opificem coniecturae tuae manum, & eam esse genuinam hic lectionem. Quare pedibus eo in tuam sententiam. Facerem identidem aliquot mea tuae Censurae, sed die Lunae Lugdunum cogito. Dabitur tum, ut spero, στόμα πρὸς στόμα λαλεῖν: nunc Hare.

Tuus

HVGEIANVS GROTIVS.

DCCXCVI.

MEVRSIO SVO HVGEIANVS GROTIVS S. D.

LIterae tuae, merum Atticum mel, mihi fuere, mi Meursi; & quid mirum, quum tu

apis Matinae
More modoque
Antiquorum hominum perlibes aurea scripta?

Inter quos non ultimus Augustinus, qui o utinam aliquando (siquidem iam, & Theologus esse coepisti) tuus audiat. Specimen sane illud, quod ad me mittis, non parvam mihi spem iniecit te, vel de Augustino, vel simili quopiam Theologo (scis quem innuam) bene posse mereri. In prima illarum, quas ad te misi, coniecturarum, deceptum me video, dum verba illa *si per nos* Geleniana figmenta esse non satis animadverti. Has coniecturas vide in duobus συγχρόνοις altero Gentili, altero Christiano. Symmachus in Oratione pro *Sacris Patriis*: *Omnia quidem ideo plena sunt, nec ullus perfidis tutus est locus*.

Lego: *Omnia quidem Deo plena sunt*. Prudentius lib. contra Symmachum secundo, loquens de Pictoribus, atque Poetis:

Sic unum sectantur iter, sic inania rerum
Somnia concipiunt.

Luxuriantur versus. Codex antiquus, *cessa figuris*
Somnia ———

Lego: *cassa figuris*. Idem.

Semina tum fultis committitis, arva cavete
Dura lapillorum in acie ne decidat illic,
Quod seritur.

Lego: *Dura lapillorum macie*.

Vale, & quod facis, me ama, & (si placet) per hunc literas remitte.

DCCXCVII.

EGBERTVS VERHORSTIVS IO. MEVRSIO S. P. D.

D. Ioannes Meursi: Frater tuus D. Cornelius per me has ad te literas exarari voluit. Miraberis (scio) qui hoc fiat; sed nihil dico, nisi summam extorsisse necessitatem. Fraternus enim animus hoc unicum semper expetit, ut quem amet maxime, eum velit certiorem facere de omnibus, quae sibi eveniant, sive sint adversa, ut amicus cum amico doleat; sive laeta, ut congaudeat. Hunc etiam animum in fratre tuo esse experientia iam docet, & qui auritus sum testis, adfirmo. Voluit namque, ut cum ipso gaudeas, quod Deus Opt. Max. qui suos solummodo castigat, etiam se castigare sit dignatus, & rem iam eo deduxisse, ut coelestem patriam ad quam pii omnes anhelamus, summo animi ardore, desideret, brevique se eo vocatum iri persuasum habeat. Placuit hoc Deo Opt. Max. placet & sibi: quoniam voluntati, divinae resistere non esse hominis novit, multo minus hominis Christiani. Sed quoniam & illud novit, Deum velle, ut amicos, fratres, parentes honoremus, honorisque non sit minima pars, eos certiores de statu suo facere; voluit etiam, haec tibi transcriberem, utpote qui te fratrem suum unicum habet, intimis cordis penetralibus infixum: sperans te etiam non immemorem fratris tui esse: ideoque nuncium hunc (licet adversa quaedam ferat) non minus tamen acceptum fore, quam si alia quaedam nunciasset. Simul petit, ut si quem medicum, aut tu, aut parentes novissent, qui peritus curandae febris ardentissimae (quae hodie in Hollandia maxime est vulgaris) haberetur, eum huc adduci curares. Quod si non posset quis inveniri, saltem medicamina mitteres. Hic enim qui sunt medici, non nisi noctu operam suam conferre sunt ausi. Heri àdfuit D Bontius, verum redire ante vesperam recusat: causam huius morae adfert, ne, quos alios habet aegros, adventum suum horreant. Haec sunt, quae transcribi iussit: adfui iam hora decima, cum & illud adderet: pannus; quem petiisti, coemetur, & per nautam modo curabitur. Vale amicorum magne, & salutem a fratre tuo unico tui amantissimo, & Egberto Verhorstio accipe. Raptim XIV. Septemb.

DCCXCVIII.

IDEM EIDEM.

EN literas, Meursi, longe alias ab Egberto, quam ante triduum accepisti. Fratrem tuum, cum quo videbatur esse conclamatum, ὑγίεια, & salus voluerunt salvatum. Eo enim nunc in statu est, ut sicut hora octava ipse mihi dixit, iam paratus esset prodeambulare, nisi obstaret medicorum sententia, & recta ratio. Cibum avide petit, petitum stomachus fideliter retinet. Continui ferme sunt sudores, somnum he-

hesterno die cepit ab hora secunda pomeridiana usque ad quintam, naturae convenientissimum, eo excitato videbatur sibi totus sanus, tres per nares guttas sanguinis emisit, quod hospita superstitiosa ominosum putabat. Nos cum Medico nullius ominis mali indicium esse credimus. Plura non addo, nisi optimam de fratre tuo nobis esse spem; quod, & matri tuae hisce literis significatum volui, quas primo quoque tempore, si placet, ad ipsam curabis. Bene vale, Meursi doctissime, & Isebrandum, si ita sit commodum, meo saluta nomine. Frater tuus te salutare iussit quam officiosissime. Iussu patris tui has litteras matri inscripsi. Ex Musaeo nostro XVII. Septemb.[a]

DCCXCIX.

I. POLYANDER IO. MEVRSIO.

VT Graias redoles, Meursi, Latiasque Camoenas,
Sic celebres calamo reddis, & ore tuo.
Parva loquor. Themidis Leges, & Martis utroque
Bella refers, Batavae, & iura sacrata togae.
Dignus, quem caneret, si posset, Phoebus, at ipse
Cum Pater hoc nequeat, filia Fama canit.

DCCC.

G. BVYTEWECH IO. MEVRSIO S.

Ornatissime Domine Meursi.

VIdi literas tuas, & adfectus erga me indices, quid potui, nisi cum adfectu legisse? Sane malis avibus humaniora haec nostra ego tetigerim, si non & me ità fecerint humaniorem, ut didicerim adfectum in eodem genere tibi parem reponere. Id quod serio nunc ago, mi Meursi, & revera animitus gaudeo, occasionem mihi datam, & noscendi te propius, & quando opportunum fuerit, etiam fruendi. A facie quidem certe, ut dicis, necdum te novi, paulum tamen, ut mihi videor a mente & ingenio, & vel unus unguis docuerit Leonem. Quod ad reliqua quod velis me de istis veterum, & de te quoque in ista, iudicare, agnosco humanitatem quidem, sed simul & errorem in isto iudicii tui iudice eligendo. Falleris, o Meursi, falleris, qui tale quid a me putes exspectandum, quod naribus tuis emunctissimis: (nam ab aliorum etiam iudicio te, novi, nec ita fallis, ut putas;) possit esse gratum. Nos ea cura in veterum scriptis non sumus versati, ut possimus τὴν κριτικὴν circa ea aut ipsi nobis adrogare, aut ab aliena nobis humanitate delatam tuto adsumere. Harum partium iure felicioribus cedimus ingeniis, qui possint in iis operae pretium quid praestare. Hoc puto & te posse, & in isto genere & doctius aliquanto nobis aliis intelligere, & accuratius exerceri. Saltem in istis, quae nunc vidi (quia vis me in talibus aliquid etiam videre) adsentior, & praesertim in primis Macrobii, & Statii posterioribus, quae valde mihi adrident. Sed nihil opus hic diffundi cum per sermones possimus uberius. Nulla, necessitas decurrere ad haec vicaria colloquiorum remedia cum ea ipsa liceat adhibere. Quod fiet, Ornatissime Domine Meursi, cum tibi videbitur, & fuerit opportunum. Vale.

DCCCI.

BALTH. MORETVS IO. MEVRSIO S.

Clarissime ac Doctissime Domine.

SArcinulam hanc librorum D. Pantinus Decanus Bruxellensis mihi commendavit, tuto ac statim ad te curarem. Facio libens per consanguineos isthinc meos, nec minus facturus, si respondere Decano placeat, mihique curandum transmittere. Salve ab ignoto, etsi tui iam pridem ob doctrinam amante

BALTHASARE MORETO.

DCCCII.

CL. ET PRAESTANTISSIMO VIRO D. IOANNI MEVRSIO DOMINO ET AMICO HONORANDO.

Salve a Piccarto tuo, Cl. Meursi.

CVm & virtus vestra, & fortuna alio vos vocet, de fortuna videre te Vir Praestantissime, & Amice iucundissime praeter hac non contingat, quod peto adhuc fieri, id negligamus. Officiose ergo, & per amanter te rogo, uti ad hodiernam lentam promeridianam ad me visere non graveris, de tenui caerula cum Cl. Viris D. Rimero, & D. Quoëio mecum frui. Ostendes hoc mihi officio, & te me amare, & amicitiae mecum contractae nondum te poenitere. Ego operam dabo, enitarque, ut nec ullo modo apud me graveris, & deinceps intelliges nihil mihi, & notitia tui gratius, & amicitia antiquius esse, aut futurum B. V. Vir Cl. & sine omni excusatione venturum condicito.

Tuae praestantiae omni officio, & fide

PICCARTVS.

DCCCIII.

IOANNES CANTERVS IO. MEVRSIO S. D.

GRatae mihi tuae literae, Doctissime Iuvenis, plenae amoris, & adfectus, ex quibus nostram amicitiam te expetere intellexerim. Quam tuam illam humanitatem

(a) Nescio quando, vel quo anno scripta, nisi quod *Meursi* uterque parens adhuc tum in vivis esset. GRAMMIVS.

(b) Quis fuerit, ignoro; scripta autem videtur Epistola primis annis a coepta claritate nominis Meursiani.

tem, tam ultro obviam, tam paratam homo non sim nisi amplectar, & exosculer, nisi ei quibuscumque potero officiorum generibus respondeam. Amicitiam igitur nostram ex litteris (ut scribis) ortam, polliceor summa fide a me cultum iri, idque tibi ita futurum plane persuadeas velim, nec opus sit voluntatem hanc meam verborum lenociniis explicare, & ornare. Nota mihi iam pridem morum tuorum summa cum eruditione coniuncta suavitas, notum sincerum, & rectum in litteris iudicium tuum, tum ex honorificentissimis nostrorum aequalium de te sermonibus, tum ex libris, quos antiqua eruditione refertos iam edidisti plurimos. Correctio tua in Statium, & Agellium valde mihi probatur, ut & alia tua scripta. Tu quo coepisti pede de humanioribus literis bene mereri perge. Habe ante oculos mortalitatem, a qua adserere te hac una re, vel maxime poteris. Cetera fragilia, & caduca, non minus quam ipsi homines, occidunt, desinuntque. Pauci, quibus hodie haec studia curae sunt, ad alia fere, ex quibus praesens lucrum, & utilitas decurritur. Si quos praeterea libros apud te adfectos habeas noli diutina cunctatione tua studia fraudare. Per otium si dederis interdum ad me literas, feceris mihi gratissimum, & ego tibi literarum vicissitudine data occasione respondebo. Vale, doctissime Iuvenis. Deus te servet incolumem ad annos multos Reipublicae literariae. Vltraiecti XII. Kal. Septemb.

Credideram Rectorem Scholae nostrae ad vos excursurum, cui has literas tradere decreveram, sed ob eius nimiam moram diutius expectare nolui.

DCCCIV.

Io. MEVRSIVS IANO GRVTERO S. D.

ET doleo, & indignor non redditas mihi, quas ais inclusisse, vel Scaligeri, vel Dousae, vel Vulcanii. Tabellariorum fidem accusabo, nam ipsorum certe, neque audeam, neque debere me existimem. Quod gratum tibi nostrum istud *De Gloria* gaudeo: utinam quoque post lectionem sit; forte enim non iniuria metuo, neque quid tum gratiae perdet. Sed quicquid deerit, large supplebis ob adfectum in me tuum; mihi scio peccare, me nihil posse. Matrimonium tertio contractum gratulor, & ex animi sententia precor, ut felix faustumque. Martialem tuum videre aveo, ut & augustissimum illud opus Inscriptionum. Mihi quod carmen praefigendum petis, blande hoc quidem facis, & more tuo amplum ingeniolo huic honorem habes. Ego vero an negare audeam? imo an praestare? Istud vetat promta tibi quacumque in re gratificandi voluntas, hoc tenuitas mea, & ineptia. Sancte adfirmo: ab octo novem annis vix carmen scripsi. Nunc tamen iuvat, & propositum est paullo diligentius versari inter illas Musarum Choreas. Habe itaque qualecumque, sed eorum, quae praefatus memor. Scis quantum tum in quovis studiorum genere, tum in hoc maxime valeat usus, atque exercitatio, quae mihi hactenus, nescio quo animi fastidio, neglecta. Quibus salutem dicere iusseras te salutant, & te amant. Quod de patruo discipulorum meorum quaeris, vivit, valetque, & Syndici munus Roterodami sustinet. Vale Vir Clarissime, & me, quod facis, amare perge. Hagae Comitis VI. Eid. Nov. CIↃIↃCI.

Laetior immensum Phoebus percurrit Olympum
 Accenditque suo clarior igne diem.
Nigraque nulla tegit nubes, patet undique coelum,
 Lunaque in offenso lumine nocte micat,
Insolitumque aether lucem miratur in axe,
 Et facie cerni fulgidiore iuvat.
Et stupet & nescit quae sortis causa benignae,
 Vnde sibi veniant gaudia tanta latet.
Sed novit Phoebus; neque enim res fallere certe
 Vlla potest coeli Numina: cuncta vident.
Aspicit excelsae rursum post secula Romae
 Magna per atificem surgere tecta manum:
Et totum priscis regnatum legibus orbem
 Ausoniae Domino subdere colla iugo
Scilicet id gaudet, perque aethera vectus apertum
 Gratatur Romae pristina regna suae.
Iupiter aeternam Veneri promiserat urbem,
 Coeperat ille tamen pene carere fide.
Nam misere collapsa, suaque sepulta ruina
 Numquam posse caput tollere visa fuit.
Quaeque tot adtulerant extremam gentibus horam
 Fata timebantur conteritura semel.
Et merito, si non aut enthea Scaligeri vis
 Labentem prompta sustinuisset ope.
Aut tua per seros pictas memoranda nepotes,
 Maxima Vindelici gloria Marce soli;
Aut etiam flagrans sollertis cura Gruteri,
 Quam tenero eduxit Calliopea sinu.
Nunc erit augustos iterum cognoscere fasces,
 Nota iterum trabea, & sella curulis erit.
Sanctaque discentur venerandi iura senatus
 Rostraque linguarum nobilitabit opus.
Cernentur currus cum tot victoribus alti,
 Ardua Tarpeii scandere templa Iovis.
Rursus ad antiquas descendent Numina sedes,
 Ac coelum in septem montibus esse putes.
Quaecumque & domina miramur in urbe fuisse
 Omnia nunc se se conspicienda dabunt.
Felices animae quorum virtutibus ista
 Praemia nobilibus fata dedere pia.
Debeat ut vestrae pietati Roma salutem,
 Et vestrûm teneat munus in imperio.
Suetaque quae dominos antehac adgnoscere nullos,
 Sit dominos posthac vos habitura suos.

DCCCV.

Catalogus librorum MSS. Graecorum Rev. D. PETRI PANTINI Decani Sanctae Gudilae Bruxellensis.

1. THucydidis opera, littera antiqua. fol.
2. Aphthonii Sophistae Progymnasmata.

Her-

Hermogenis Ars Rhetorica.
Aristotelis Rhetorica ad Alexandrum fol. (fuit aliquando *Stephani Nigri*.)
3. Quinti Calabri Poema fol. manu *Georgii Tribellii*.
4. Demetrii Chalcondulae in vitam & scripta Homeri Commentarius.
Scholia in Argonautica Apollonii Rhodii fol.
5. Epistolae Libanii Quaestoris Sophistae.
Epistolarum halieuticarum Alciphronis Rhetoris libri duo 213. & 232.
Epistolae Theanus 243.
Epistolae Chionis 14.
Epistolae Anacharsidis 262.
Epistolae Apollonii 265.
Epistolae Michaelis Apostolii 269.
Epistolae Cronii, & Demosthenis 301. sunt Luciani.
Epistolae pars Demosthenis ad Athenienses, qua conqueritur se ab altari, ad quod confugerat, ab ipsis abstractum, & Philippo traditum fuisse fol.
6. Iulii Pollucis ὀνομαστικὸν, cui primum folium deest, optimae notae, & in multis varians ab excuso. fol.
7. Etymologicum perantiquum, & ex quo existimo Marcum Musurum suum illud magna ex parte consarcinasse.
8. Athenaeus, Bito, & Hero, de machinis bellicis.
Apollodori Poliorcetica.
Iulii Africani Cesti, βελοποιητικά.
Heronis Alexandrini. fol. recentiori manu.
9. Georgii Pediasemi Chronicon ab orbe condito usque ad Constantinum Magnum.
Deinceps cuiusdam Theophanis Confessoris, usque ad Alexandrum Comnenum, in quo etiam definit.
Zonaras. fol. recentiori manu.
10. Plutarchi de Vtilitate ex amicis capienda. 1.
De Amicorum multitudine. 15.
De Fortuna. 24.
De Cupiditate divitiarum. 30.
De Superstitione. 41.
Consolatio ad Apollonium. 56.
De Curiositate. 93.
De Animi Tranquillitate. 109.
De Inutili Pudore. 133.
De Virtute, & Vitio. 147.
De Puerorum Educatione. 150.
Quomodo quis sentiat se in virtute proficere. 174.
De Garrulitate 196.
De Eruditione. 124.
De Non irascendo 249.
Vtrum Aqua an Ignis utilior 276.
Muta Animalia Ratione uti. 283.
Praecepta de tuenda Valetudine. 302.
Praecepta Nuptialia. 338.
De Virtute Morali. 356.
Non oportere foenerari. 381.
Ad Imperatorem imperitum. 392.
Philosopho cum Viris Principibus esse disputandum. 400.
De Amore Fraterno. 409.
Quomodo quis se ipsum laudet contra invidiam. 444. fol. antiqua manu.

11. Collectio Paroemiarum Michaelis Apostolii Byzantii. Liber rarus, & duplo copiosior excuso. fol. antiqua manu.
12. Apollonii Rhodii Argonautica.
Orphei Argonautica.
Nicandri Theriaca. fol. antiqua manu.
13. Odyssea Homeri cum Notis. fol.
14. Cicero de Senectute translatus a Theodoro Gaza. 1.
Vlysis contra Alexandrum Oratio ad Troianos. fol. 16.
Herodiani Historia fol. 21. antiqua manu.
15. Aeliani varia Historia. 1.
Georgius Gemistus ad defensiones pro Aristotele a Georgio Scholario adlatas. f. 35.
Epistolae Euripidis 65.
Epistolae Hippocratis. 68.
Epistolae Heracliti Ephesii. 80.
Epistolae Diogenis Cynici. 85.
Epistolae Cratetis. 92.
Epistolae Aeschinis Rhetoris. 94.
Plethon De Deorum Generatione. 103.
Diversorum De Nili incremento. 130.
16. Demosthenis Olynthiacae tres cum argumentis. Libanii, ut puto, 6.
Contra Philippum. 25.
De Pace. 36.
Contra Philippum Oratio secunda. 41.
De Halonefo 48.
De iis, quae in Chersoneso. 56.
Contra Philippum Oratio tertia. 69.
Contra Philippum Oratio quarta. 82.
Super Rhodiorum libertate. 94.
De Corona. 107.
Contra Aeschinem De Falsa Legatione. 163.
De Largitione.
Contra Philippum ad eius Epistolam. 230.
De Stipendio conferendo. 239.
De munerum societate. 246.
De Megalopolitis. 253.
De Foederibus cum Alexandro. 259.
De Immunitate ad Aretinem. 264.
Contra Mudiam de Condylo. 297.
Contra Aristocratem. 242.
Contra Androtionem. 395.
Contra Timocratem. 409.
Contra Aristogitonem. 449.
Iterum contra Aristogitonem. 466.
Contra Neaeram. 471.
Amatoria Oratio. 497.
Epitaphius. 508.
Prooemia 515. fol. parvo, antiqua manu.
17. Themistii aliquot Orationes non editae. in. 4.
18. Grammatica quaedam antiqua, in qua est Lexicon de Spiritibus, collectum ex Tryphone, Cheroboscо, Theodoreto, & aliis.
19. Sophoclis Oedipus Coloneus. 2.
Trachiniae. 69.
Antigone. 131.
Philoctetes. 176. 4.
20. Stoboeus de Virtute, & Vitio. 4.
21. Erotemata de Prosodia, Emmanuelis Moschopuli. 4.
22. Aristotelis Metaphysica. 1.
Eiusdem De Plantis. 221.
Eiusdem Problemata. 459.

Sal-

Salluſtii Simocattae Problemata. 478.
23. Cyri Theodori Prodromi ad Erotemata Aungusae. 4.
Grammatica.
24. Hypotheses Alexandri Aphrodisiaei. 4.
25. Theodori Grammatici liber De Syntaxi. 4
Item Scholia in Aiacem Sophoclis.
Michaelis Apoſtolii Byzantii ad defensiones Theodori Gazae contra Plethonem de Eſſentia.
Florentinorum Oratio congratulatoria ad Nicolaum V. Pontificem Maximum. 4.
26. Actuarii De Facultatibus, & Paſſionibus ſpiritus animalis.
27. Simeonis Magiſtri De Facultatibus Nutrimentorum.
Epiſtolae Bruti. 1.
Epiſtolae Phalaridis. 17.
Icones Philoſtrati. 66.
Michaelis Apoſtolii Byzantii Reſponſio contra illos, qui adfirmaverant Occidentales Orientalibus praeſtantiores eſſe Philoſophos 134.
Item de Proceſſione Spiritus Sancti.
28. Plutarchi Praecepta Nuptialia. 105.
Schedae ſacrae in 4. ſine principio & fine.
29. Plutarchi Apophthegmata Regum, & Ducum. 1.
30. Hymni Homeri.
Sententiae Theognidis.
Hymni Homeri iterum.
Hymni Orphei.
Procli Lycii Hymnus in Solem & alii. 4.
31. Euripidis Hecuba. 2.
Oreſtes. 46.
Phoeniſſae 105.
32. Grammatica antiqua.
Somnium Scipionis Graece.
Michaelis Apoſtolii Adlocutio ad Beſſarionem.
Eiuſdem Epitaphius Beſſarionis.
Emanuelis Chriſtonymi Deploratio captae Vrbis Conſtantinop.
De Eſſentia tractatus incerto Auctore.
De Varietate ſignificationis Particulae &c. incerto Auctore.
Duodecim Herculis Labores.
Gorgiae Encomion Helenae.
De Verſu Heroico, incerto Auctore.
33. Hexaemeron Baſilii ſine principio.
Gregorii Nyſſeni, De Creatione Mundi.
De Opificio hominis, incerto Auctore (eſt Meletii) eſtque ſine principio, & fine in 8
34. Chronicon ſine principio, verſibus Politicis ſcriptum uſque ad Nicephorum Botoniatem. fol. 1.
De Imperatoribus Romanis 154. uſque ad Conſtantinum.
Chronicon ab Adam uſque ad Alexandrum M. 165.
De Imperatoribus, ſeu Regibus Graecorum. 168.
De ſex Synodis. 170.
Quomodo oporteat illuminare eos, qui ab haereſi redeunt. 175.
De Conſtantinopolitanis Praeſulibus 174. 4.
35. Georgii Pachymeri Dialectica.
Cleomedes de Circulo.
Paroemiae vulgares ex Collectione Diogeniana.
36. Sententiae ex Sophocle, Euripide, Homero, & aliis.
37. Orationes ex Thucydidis Hiſtoria. 1.
38. Pſalterium Davidicum.
39. Michaelis Presbyteri Syngeli Giecoſo-cyniorum methodus Syntaxeos.
40. Thucydidis opera in 4. forma; cui inſunt, Dionyſius Halicarnaſſeus De Idiomatis Thucydidis.
Demoſthenis tres Olynthiacae cum Notis antiquis.
Eiuſdem prima Oratio contra Philippum.
De Pace; ſed non eſt integra.
Ex Photii Bibliotheca fragmentum, incipit de Libris Ariſtodemi, & deſinit in Plutarch. Ciceronem.
Dionis Romani de Regno Oratio prima
Item ſecunda.
Etiam Syneſii eiuſdem argumenti tractatus.
Eiuſdem Dion; ſive de ſua vivendi ratione.
Eiuſdem De Laude Calvitii.
Petri Theopolis, ſive Antiochiae, Patriarchae contra Argyrum &c. vide Baronium. Tom. XI.
41. Baſilii Seleuci Thecla. 4.
42. Chartae quaedam ſolutae, quibus continentur,
Aphthonii Progymnaſmata.
Hermogenis Rhetorica.
Euclidis Geometria.
Ariſtotelis de Natura animalium, & alia nonnulla vetuſtate pene conſumta.
43. Damaſceni, Chryſoſtomi, Germani &c. Orationes in chartis ſolutis, forma 8.
44. Vita S. Theophanis per Nicephorum Gregoram.
45. Septem Pſalmi Poenitentiales.
46 Orationes Themiſtii MSS. in fol.

DCCCVI.

NIC. HEINSIVS IO. GEORG. GRAEVIO. (a)

Vltraiectum.

EXſpectabam iam pridem reſcripti nonnihil ad meas, quas exaravi ultimas, praeſertim, quod ex rumore cognoſſem ab Amſtelodamiis te evocatum, ſtipendio haud modico, ad obeundam iſta in civitate litterarum humaniorum profeſſionem publicam. Cuius equidem rei per te ipſum ignarus eſſe haudquaquam debuiſſem, quum alii, uſu minore mihi perſpecti, ſignificare non ſint gravati. Interim cum *Edmundo Figrelio Gripenhelmio* proximis diebus egi de ineditis *Ioannis Meurſii* operibus, quotquot in Bibliotheca Regis adſervantur publico permittendis. Promiſit ille hac de re ſe acturum eſſe cum Regina Matre, nec praevideri abs ſe difficultatem in hoc negotio, praeſertim ſi nonnihil horum voluminum Regi per te dedicetur. Potiſſimum, quantum recordor, ſunt opera, Siber commentarius, quem *Bibliothecam Atticam* inſcripſit, ubi agitur de Atticis Scriptoribus. Tum alius de Antiquitate trium Inſularum *Cypri*, *Cretae*, & *Rhodi*. Nam de *Regibus Laconum*, deque *Vita Theſei* ſunt libelli nimis grandes: quos tamen emitti in lucem publi-

(a) Inſequentes Epiſtolas adteximus, quod in iis de *Ioanne Meurſio* agatur. LAMIVS.

blicae utilitatis interfit. Tuum nunc est sine procrastinatione Bibliopolam nobis circumspicere, qui hanc provinciam suscipiat, ne Regem frustremur irritis promissis. De re litteraria quod nuntiem ex hoc terrarum tractu nil prorsus est in promptu. *Scbefferi* literas, quas per *Elzevirium* curabam non ita nuper, accepisse debuisti. Eius luculentum de Militia veterum Navali Commentarium iam oportet esse perlatum ad *Elzevirios*, qui per te incitandi sunt, ne editionem operis praeclari trahant. Audio apud vos proximis diebus Codices complures manu exaratos, in membrana veteri fuisse divenditos. Cuius notae istae fuerint, tum quid inde usibus tuis compararis fac sciam. Quid *Gudius*? quid *Scazzius*? Salveant optimi mortales, quaeso. Ex Galliis Italiaque diu est, quod nil rerum novarum ad me perfertur. Tu, qui in tanta litterarum degis luce, ac bonarum artium nobis in hoc terrarum angulo extremo constitutis non debebas invidere, quicquid bonae frugis ad te perfertur. Illustri *Weebio* me commendes rogo, sed nota de meliore. Tu vale, mi *Graevi*; festinabam manu praepropera. Holmiae Svecorum Anno CIↃIↃCLXVIII. ad XVI. Decembr. Iulian.

De *Gronovio* nihil audivi, ex quo pedem extuli patria. Aiunt illum cum pertinaci valetudine luctari. Quid Pliniana eius? Promovetne multum? Quid Tacitus? Elector Saxonicus *Andream Bosium* rogavit, ut curam Reinesianarum Inscriptionum edendarum in se recipiat. Quod ille onus a suis humeris est amolitus, quum in aliis sit occupatus.

DCCCVII.

IDEM EIDEM.

Vltraiectum.

IAm grates, quas debebam, egissem tibi, pro insigni hospitalitate, quam more solemni nuper exhibebas, nisi spem fecisses discedenti excursus ad nos tui mox secuturi. Subspicamur moram properanti iniectam ab inclementi coelo, nunc quando omne gelu sopitum est, vide ne quid porro spes nostras, & tuas pollicitationes insuper habere pergas, operamque da, ut quando sis expectandus nobis, quamprimum rescìamus. Sunt enim de quibus agendum erit tecum. Idem mecum exoptat ample *Terborchius*. Ex quo discessi a vobis, omnia mihi hic barbara videntur, tam delicati fastidii sum factus per sermones tuos omni litteratura exculptos, prae quibus nihil hic obsertur nobis. Amicos omnes iubeo salvere, & in hisce loco non postremo Cl. *Burmannum*, apud reliquos subitaneam profectionem meam excusasti iam, credo. Vale virorum amicissime. Hagae Comitum XXIV. Ianuar. CIↃIↃCLXXVI.

Apostrophe iocosa ad Cretam quum Meursianas eius Insulae antiquitates, diu multumque sub praelo typographico fringentes, V. C. Io. G. GRAEVIVS editor promisisset non semel nobis, & tamen praestare promissa differet.

> Dic Creta, Creta, haec quando desines
> tandem
> Dare cassa rebus verba, spemque frustrari
> Iam pollicendo sat superque dilatam?
> Moremne semper obtinebis antiquum,
> Cunas Tonantis, & sepulchra post rapti
> Iactata falso, tauriforme post monstrum,
> Post Daedaleae pervium aerem pennae,
> Atque inferis Minoa Iudicem adlectum?
> Nos fabularum magna portio facti
> Sumus heu! tuarum: nos inane promissum,
> Labyrinthi ut error flexuosus exercet,
> Procrastrinatrix, & miserrime ludit
> Proles Meletis cum vetusta Smyrnaei,
> Fons ille vatum, mixta proximus Phoebo,
> Te criminetur arguatque mendacem,
> Vt promereris, auctor haud minus verax?
> Antiquitatis ecce promus adsertae
> Tibi eamdem inurit *Graevius* notam noster,
> Par Creta Cretae Meursiana Minoae.
> Iam parce coepto, parce, totque cum larvis
> Omnem adparatum tolle ludicrae scenae,
> Oblita temet, ut mei recorderis.

DCCCVIII.

MAGNIFICO D. RECTORI CL. M. D. RECTOR.

VLtimo nostro congressu dupliciter me fefellit memoria, primum quod M. Aurelium Imp. nominarim pro M. Antonino de vita sua; qui Graece, & Latine excusus est Basileae: deinde, quod hunc Hispanice versum existimarim. Sed res ita se non habet, De M. Aurelii vita Hispanice versa tecum sentio fictitium recentioris alicuius Graeculi scriptum esse; & fortassis ex Italico Hispanice versum, neque enim Graece uspiam exstare arbitror. Tu ignosce μνημονικῷ ἁμαρτήματι quod huic aetati est familiare.

Graeci illius auctoris, cuius tum mentionem faciebas, velim inspiciendi copiam mihi facias.

M. T. addictissimus

BON. VVLCANIVS.

DCCCIX.

IO. MEVRSIVS GER. IO. VOSSIO S. P. (a)

NOn dubito, clarissime, & celeberrime Vir, fautor plurimum honorande, quin rumor de obitu Patris mei, ad Excellentiam vestram fuerit adlatus. Quare dolore, & tristitia me adfectum iudicabis facile. Hoc etiam, Vir celeberrime, te angere, mihi non absque te persuasum habeo. Primum propter iacturam rei literariae, (quam lugent omnes Musae, Gratiaeque omnes) cui tu solus nunc servator existis. Secundo propter sincere ante annos XL. initae amicitiae foedus, quod fatis invisum, a morte iam interruptum videtur. Ego igitur abs te peto, Clarissime Vir, prosequaris tali amore, Meursium filium, quali Patrem

(a) Insequentes Epistolae *Ioannis Meursii Iunioris* sive ad eum, merentur quidem ut heic adponantur, nam aut de *Meursio* patre agunt; aut eius sunt, qui a patre separari non debet. LAMIVS.

trem prosequutus es, ut in statu tristiori, hoc solatium mihi supersit Vossium benevolum habere; & profecto me repulsam laturum non confido: quandoquidem aequa & iusta sit petitio. Actus funebris habitus est, die VIII. Octobris, more Magnatum, & Equestris Ordinis hominum. Diem etiam obiit magnus Cancellarius Christianus Fris, Patris mei amicus singularis. Celeberrime Vir, fautor plurimum, videtur mihi Blavius, in excudendis Historiis tardus admodum fuisse, sed iam sane in ceteris lucubrationibus, quae ad secundum tomum operum pertinent, tardior. Intellexi autem ex tua Epistola, nuper per Sartorem nostrum accepta, quod lucubrationes excudendas, velles remittere; quod si ille Typographus nolit incoeptis finem imponere, facias quaeso. Et hac de re me certiorem reddas, Vir summe, maximopere rogo. Huic epistolae, incomparabilis Vossi, adiunctam invenies Dissertationem, contra Anonymum, qui falso conatur Maiestatem debitam Reipublicae Serenissimae Venetorum, de bono titulo, & iure Insulae Cretae, atque Cypri, adimere. Quod autem specimen meum, antequam praelo subiiciatur, quaeso corrigas, & in illo delenda deleas, & inserenda inseras; spero etenim mihique persuasum habeo, hoc in negotio, me consilio tuo, & iudicio uti posse, propter amorem erga patrem meum, etsi mortuum, tamen vestigia cordi tuo perpetuo impressa. Vale, Vir summe, fulcrum rei literariae, ornamentum patriae &c. Datum Sorae, anno CIƆIƆCXXXIX. XVI. die Octobr.

Tuus omni cultu, & observantia

IOANNES MEVRSIVS Filius.

DCCCX.

GERARDVS VOSSIVS Io. MEVRSIO S. P.

VAlde me, mi Meursi, adflixit excessus clarissimi, & summi Viri, parentis tui; non me solum, sed omnes meos: Vxor mea vicem dolebat matris tuae; filii, tuam; filia, illam sororis tuae: interea ut nobis, sic & vobis solatio esse debet, quod terrenam hanc vitam meliori commutavit, quod aeternum vivet nominis sui fama: quod etiam in liberis vivet, te inprimis, quem paternae virtutis, ac doctrinae aemulum fore pollicemur nobis. Eam in nobis fiduciam gignit cum ingenium, & sub tanto doctore, parente tuo, educatio, tum specimen illud doctrinae, quod ut paternae adderetur, Cretae, transmisisti. De eo edendo curae mihi erit. Sed hactenus non licuit cum Blauwio colloqui, quia uxorem quam vix tribus habuit mensibus, amisit, & adhuc totus lucti se dat, me quoque hisce tribus hebdomadibus, intra quas literas mihi tuae redditae sunt, domi detinuit, tum obitus unicae, ac dilectissimae meae Ioannae, tum gravissimus morbus filii Gerardi, de quo parum spei posse, vel diem supervivere: fiat voluntas Domini, quem interea oro, ut nobis conservet tam carum pignus modo, & nomini divino gloriosum, & nobis filioque salutare sit. Eripuere mihi filiam morbilli, ut nunc vocant, morbus Epidemicus, ac mire malignus: quo & filius decumbit. Huic tamen longe maius a febri continua, & ardentissima, quam morbillis ipsis periculum est. Non potui committere, egregie, & amicissime iuvenis (nosti illud Isocratis πρέπει τὺς παῖδας, ὥσπερ τὴν ὐσίαν, ὕτω ϗ τὴν φιλίαν τὴν πατρικὴν κληρονομεῖν) quin in summo licet dolore, & animi anxietate haec pauca ad te exararem, praesertim rogante id Severino vestrate mercatore. Cui & monumenta tradidissem, paterna, de quibus scripsisti; sed aiebat se terra iter facturum, eoque nihil hoc tempore ad vos praeter literas posse perferre. Captabo ipse occasionem aliam nisi Blauwius mutato consilio, editioni se accingat. De omnibus colloquar tecum literis proximis, si Deus, & valetudo permiserit. Ego, & omnes mei matrem tuam, & liberos optimos peramanter salutamus, omniaque obferimus officia, quibus utilis his terris opera nostra esse possit, Plurimam etiam salutem dicito clarissimis Viris Stephanio, & Laurembergio. Amstelod. MDCXL. VIII. Kal. Apr. St. Gregor.

Tuus tuorumque

G. I. VOSSIVS.

DCCCXI.

DOMINO ISAACO VOSSIO IOANNES MEVRSIVS FILIVS S. P. D.

ADplaudo fortunae meae benignitati, quae tam comiter mihi se dederit, ut te amicum, thesaurum profecto quantivis pretii, literis tuis invenerim. Me recte accepisse paternas lucubrationes, gratum mihi fuit, sed te, ac tuos valere gratius. Quum ex tuis legerem, Typographum lugdunensem Iacobum Marci Dissertationem meam de dominio Cretae accepisse, gaudebam, & absolutam putabam: sed amplius perlegens, egregie me deceptum videbam. Ideo nunc haec mea summa, & quidem prima petitio est, quamque rogo, mihi denegare velis, ut nempe qualibet data occasione illum Iacobum Marci de absolvendo libello meo admoneas atque instiges. Si quae sint, quibus tibi in hac terra utilis esse possum, paratissimum me habebis, atque praeterea ad quaevis officiorum genera promptissimum. Vale, ac vive diu, cum laudatissima vestra familia, cuius diens dici cupio. Scribebam Sorae a. d. III. Octobris MDCXL.

Tui Tuorumque

IOANNES MEVRSIVS FILIVS.

IN-

AD EPISTOLAS MEVRSIANAS

APPENDIX.

DCCCXII.

IOANNES WOWERIVS IO. MEVRSIO S. D.

SAlve, eruditissime Meursi. Nescio quo fato acciderit, ut dum nimis diu haereo apud Amplifs. Virum Dn. Legatum, currus, quem conduxeram, abierit. Itaque coactus adripere occasionem, quae sese offerebat, datum non fuit repetere aedes Dn. Dousae, ubi reliqueram librum tuum Atticorum, quem, quaeso, a Francisco Dousa petas, & tecum adferas, ut & manus meae emblemate (quoniam sibi ita visum) insi gniri possint. Quaeso simul inspicias Lycophronis exemplaria, quae mihi dedisti; nam video duo exemplaria Lycophronis, Spicilegium Theocriticum non video. Ignosce petenti, integrum utrumque dabis, tradasque Dousae, ut aliis libris meis, quos penes se servat, adiungat, & ad me curet. Nunc te rogo, extinguas desiderium tui gratissimo adventu, quem mihi iucundissimum fingo, imo praelibo. Mira de te N. miro in te animo, de quibus omnibus incoram. Nunc mihi vale, amicissimum pectus, & me ama. Lugduni Batavorum CIↃ IↃXC IX.

DCCCXIII.

IO. GERARDO VOSSIO.

CUm hic noster ad vos iret, virorum amicissime, & amicorum praestantissime, committendum non putavi, quin te tribus saltem verbis salutarem. Quanquam autem hieme superiore ad te scripserim, & responsi necdum quicquam ad has acceperim, tamen meus in te amor, quem perspectum satis habes, non permisit, ut exemplo tuo uterer. Itaque per hunc rescribe, quis sit rerum tuarum status, & quid publici literarum boni causa moliaris, quidve edas. Tum de Academia quoque, eiusque in praesens conditione, scire aveo; an Collegae omnes vivant valeantque. Ego nihil hactenus mearum lucubrationum vulgare potui, quia Typographo caremus, quem deinceps tamen habituri sumus. Ordiar autem a Solone, cuius vitam hic contexui; ut Pisistrati, cum apud vos commorarer. Inquies forte, post Plutarchum & Diogenem? Ita certè; nam non pauca post utrumque observavi, & nonnulla accuratius inquisivi; ita ut confidere ausim, non te operam damnaturum. Scripsi nuper etiam ad communem amicum, Adolphum Vorstium: saluta virum meis verbis peramanter, & responsum item pete. Saluta etiam, nisi grave est, Dominum Rivetum, cuius literas, cum humanitatis plenas, tum adfectus, recte accepi; & gratias ago, quod rescribere tam benigne nobis voluerit. Experietur meam in amore, & cultu, constantiam. De Clemencello, quod rogaverat, inquisivi; sed rescifcere nihil potui. Denique tu quoque salve, amice longe praestantissime, a me meaque, cum lectissima matrona, uxore tua, item liberis.

Scribebam raptim Sorae, ad diem XI. Iulii Iuliani CIↃ IↃ CXXVI.

Tuus ex animo,

fide optima,

IOANNES MEVRSIVS.

DCCCXIV.

DOMINICVS MOLINVS IO. MEVRSIO.

MONSIEVR.

LE lettere vostre delli XI. d' Aprile passato, inviatemi dal Signor Cornelio Vandermylle, mi pervengono con somma contentezza dell' animo mio, e con tanto maggior mio gusto, quanto più grande era la brama, in che vivevo, di aver buone novelle del vostro stato, come pur queste portato mi hanno. Che la guerra travagliosa di cotesti paesi abbia a voi, o Signore, partorito qualche ozia, e somministrata comodità di poter impiegare la valorosissima vostra penna nel perfezionare le bellissime opere, delle quali vi è piaciuto darmi parte, è veramente stato particolar favore del Signore Iddio, che con l' assistervi della sua santa grazia ha voluto dal male cavar un gran bene. Ora resta, che voi, o Signore, anco per termine di gratitudine verso la divina beneficenza, per non defraudare voi stesso, le vostre meritevoli fatiche, la gloria del vostro nome, il gusto e l'utilità del mondo tutto, andiate pensando di prender senza maggior ritardo risoluto partito sopra la celere impressione delle opere medesime, per non lasciarle alla indiscrezione della fortuna, che molte volte per li ritardi infrappofti dagli uomini ha con impensati accidenti resi inutili e vane le loro grandissime e nobilissime fatiche, andate male, ovvero sepolte nelle tenebre di qualche armario, e riserbate per alimento alle tarme, materia agli incendii, o altra

cosa simile. Un esempio vaglia per tutti, ed è la perdita, che si è fatta delle lunghe e stentatissime fatiche, fatte dal già Monsignor Casaubono sopra Polibio, e sopra alcuni Autori Tattici, le quali mentre egli da un giorno all'altro, stando nella irresoluzione, ritarda a stampare, sopraggiunto nel fior di sua età dalla morte si sono smarrite, nè mai più d'esse si è potuto aver novella; e pur si sa certo, ch'erano perfezionate, perch'io tengo non una, ma molte lettere di lui, che mi era amorevol amico, nelle quali qualche anno avanti la sua morte mi scriveva averle del tutto compite: e trattava della loro impressione con quelli, che attendono a così fatta mercantile professione. Comprendo anco dalle Esercitazioni del medesimo sopra gli Annali del Baronio aver corsa la medesima fortuna le opere di Gioseffo Scaligero sopra Gioseffo Ebreo, tante volte citate da esso Casaubono nelle suddette sue Esercitazioni.

Lo aspettare d'aver costì comodità di stampa, sono cose lunghe, e difficili. Lo attendere il tempo, che voi possiate portarvi in luogo, ove questa si ritrovi, è incerto, e sottoposto alla varietà di mille accidenti. La più dritta, e la più sicura, crederei io che fosse il mandarle, e il raccomandarle, al già detto Signor Cornelio Vandermylle, che cortesissimo, e tanto amorevole vostro, quanto si sa, ben si contenterà di acquistarsi il merito, e la gloria, di aver levato di mano alla Fortuna il modo di poter colpire così fatte nobilissime intraprese. Io a lui già ne ho scritto, ed espressogli il mio senso; il simile ho voluto fare a voi, o Signore, che ben mi assicuro lo riceverete in buona parte, mentre io mi movo a farvi questa rimostranza bensì per utilità publica, ma anco per interesse vostro particolare.

Che li libri stampati, ed anco diverse belle curiosità manoscritte, che due volte vi ho inviate, e per la via di Amsterdam, e per quella di Amburgo, siano andate a male, io ne sento particolar dispiacere, tanto più quando che non avendo conservata nota delle cose inviate, mi riesce impossibile il ricordarmi quali esse si fossero per mandarle di nuovo, che ben volentieri, e prontamente lo farei. Pure anderò raccogliendo qualche cosa per vedere, se potessi in qualche maniera rimediare in alcuna parte al disordine. Tra tanto goderete, o Signore, l'aggiunta Elegia di un virtuoso Gentiluomo amico mio, e mi conserverete il grado d'amore in che mi ha condotto la vostra benignità. Che Dio N. S. conceda a voi il colmo d'ogni maggior bene.

Di Vinegia li XV. Giugno CIƆ IƆ CXXIX.

Vostro Cordialissimo ed Affezionatissimo Amico
DOMENICO MOLINO.

Laetior immensum Phoebus percurrit Olympum
Accenditque suo clarior igne diem.
Nigraque nulla tegit nubes, patet undique coelum,
Lunaque inoffenso lumine nocte micat.
Insolitamque aether lucem miratur in axe,
Et facie cerni fulgidiore iuvat.
Et stupet, & nescit quae sortis causa benignae;
Unde sibi veniant gaudia tanta, latet.
Sed novit Phoebus: neque enim res fallere certe
Ulla potest coeli numina: cuncta vident.
Adspicit excelsæ rursum post secula Romae
Magna per artificem surgere tecta manum:
Et totum priscis regnatum legibus orbem
Ausoniae domino subdere colla iugo.
Scilicet id gaudet, perque aethera vectus apertum
Gratatus Romae pristina regna suae.
Iupiter aeternam Veneri promiserat urbem:
Coeperat ille tamen pene carere fide.
Nam misere collapsa, suaque sepulta ruina,
Numquam posse caput tollere visa fuit.
Quaeque tot attulerant extremam gentibus horam
Fata timebantur contritura semel.
Et merito, si non aut enthea Scaligeri vis
Labentem promta substinuisset ope;
Aut tua per seros pietas memoranda nepotes,
Maxima Vindelici gloria Marce (a) soli;
Aut etiam flagrans sollertis cura Gruteri,
Quem tenero eduxit Calliopea sinu.
Nunc erit augustos iterum cognoscere fasces,
Nota iterum trabea, & sella curulis, erit.
Sanctaque discentur venerandi iura senatus,
Rostraque linguarum nobilitabit opus.
Cernentur currus cum tot victoribus alti,
Ardua Tarpeii scandere templa Iovis.
Rursus ad antiquas descendent numina sedes,
Ac coelum in septem montibus esse putes,
Quæcumque & domina miramur in urbe fuisse,
Omnia nunc se se conspicienda dabunt.
Felices animae, quarum virtutibus ista
Praemia nobilibus fata dedere pia.
Debeat ut vestrae pietati Roma salutem,
Et vestrum teneat munus in imperio.
Suetaque quae dominos antehac adgnoscere nullos,
Sit dominos posthac vos habitura suos.

(a) *Marcum Velserum* Augustanum intelligit. *Lamius.*

DCCCXV.

IO. GERARDO VOSSIO.

Vir Clarissime.

ETsi nihil fere haberem, quod in praesens ipse scriberem, aut te scire velle crederem, tamen tabellarium tam certum nactus, non dimittere eum potui, sine literis, quanquam brevibus. Non irascor quidem tibi; (nam qui possim, adeo amico capiti, adeo a me amato?) verum doleo vehementer, quod biennio plane toto tuarum mihi literarum adloquio carendum fuerit. Adfirmo enim, nullas sane accepisse post illas, quas ante biennium dabas Id. Maiis cIↄ Iↄ cxxviii. Ego tamen interim non defui amicitiae nostrae. Quaeso quam uberrimis defectum suple: & fac sciam, de Academia, de Repub. quicquid novi. Vidi nuper Catalogum Bibliothecae Rutgersianae, plenissimae certe librorum quorumcunque optimorum. Scribo ad communem amicum Dominum Heinsium, heredem atque venditorem, ut existimo; uti mihi hanc gratiam faciat, eximatque au-
ctio-

ctioni, quos subiunxi, ac mihi vendat. Nosti id fieri interdum. Itaque si forte se difficilem praebeat, nava mihi hic operam tuam, & impelle tua Suada, ut gratificari velit. Pretium, quod etiam ipse iudicabit, ab adfine meo, Ministro Wassenariensi, statim accipiet. Nam ad eum etiam hac de re scribo. Possem exspectare tempus auctionis, sed quandoquidem hominem nunc certum habeam, per quem tuto deferantur, occasione utendum puto, quae non alias facile se exhibitura est. Qua de causa etiam te atque etiam rogo, ne deesse hic mihi velis. Scripsi bis ad Elzevirium de quibusdam lucubrationibus meis, quarum editionem urget maximopere Illustrissimus Molinus; (a) sed responsum nullum accipio; mone hominem, ne contemnat veterem amicum; &, si commodum ipsi non sit quicquam edere, saltem verbo id significet, neque ultra exspectatione torqueat. Tunc habebo quod respondeam Molino, communi Moecenati nostro: cui alias excusare me non possim. Nam is vehementer flagitat. Cum haec scripsissem, tuae mihi exoptatissimae per Stephanium adferuntur; quas profecto, ut accepi, exosculabar. In ipso initio, dolorem incussit casus filii tui maximi, quem plus minus mense scribis oculis fuisse captum; sed Deo gratia, qui restituit; quanquam id ex literis tuis magis coniectura capio, quam intelligo: nam non diserte dicis, quod Britannicum tibi iter tantopere placuerit, tum quod viros illic plurimos quoque offenderis qui te solide amarent, tibi gratulor, mihique gaudeo. Libens quoque intellexi, de Critonii Pet taeique in me tam benigno animo. Si fortasse aliquando literas ad utrumque dabis officia illis mea defer, mutuumque amorem nuntia. Gratulor autem in primis de Canonicatu illo, quo te donavit Rex Britanniae Serenissimus: sed nil scribis, quam ob causam, qua occasione, dederit. Fac ut sciam ex proximis tuis, quas praesentium latori ut committas, in maiorem modum rogo. Nam cum certa mittendarum literarum occasio non se semper obferat, quotiescunque ea datur, amplectendam esse censeo. Amicus quidam ad me scribit, librum quendam Regi abs te dedicatum, ideoque istud tibi honorarium decrevisse. Sed tu nihil tale indicas. Merito hunc Regem docti omnibus praeconiis mactent, qui ab illo in hunc modum aestimantur. Sine dubio dolent oculi animusque isti (b) nostro; qui invidere & obtrectare nunquam desinit, apud suos: sed alat ille perpetuum tormentum suum: nos illi non invidemus. Scripsit ad me tributum sibi nil tale exspectanti (quod credat Iudaeus Apella) munus Historici & stipendium Scaligeri τῦ μακαρίτυ: nempe florenos bis mille, & quadringentos: quibus si stipendium addat Bibliothecarii, & Secretarii, una cum emolumentis, effici sexcentos alios. Tu vero scribis, datum illi munus Historici, cum stipendio florenorum annuorum septingentorum. Arsenii conatum praeclarissimum, de Salmasio in Scaligeri veterem locum evocando, non possum digne satis praedicare; utinam perficiat, cum ingenti Academiae patriae gloria. Neque dubito, quin omnino obnitatur noster iste, qui prae se vix alium aestimat. Sed illum Manes sui exagitant. De Casauboni literis quod mones, est id sane per quam gratum; & accipe quas ad me scripsit. Institutiones tuas Oratorias videre aveo: nam si quisquam est, qui tua aestimat, is ego sum. Golium rediisse & duplicem Professionem obtinere sane gaudeo; neque ullum habeo dubium, eum olim non dumtaxat patriae communis nostrae, sed totius adeo aevi, singulare ornamentum futurum esse. Saluta illum, nisi grave est, meis verbis; & dic, fausta ipsi omnia adprecari. Sed de Heinsio, antequam finiam, illud quaerere volebam, Ordinum Hollandiae, an Generalium, sit Historicus; fac ut sciam. Vale, amicorum omnium optime, maxime. Uxor quoque tibi tuaeque plurimam salutem adscribit; tum & filiae item tuae. Saluto etiam V.R. Andream Rivetum; cui potes meis verbis adfirmare, me, in ipsius amore atque cultu, constantiam tueri Nec Barlaeum praeteribo, cuius Carmen de Silvae Ducis obsidione recte accepi. Profecto ille vir parem se summis in hoc scribendi genere viris praestat, si non superat. Iterum Vale.

Raptim Sorae ad diem V. Martii,
CIϽ IϽ CXXX.

Tuus fide Batava,

IO. MEURSIUS.

Quaeso, indica locum ex Epistolis Scaligeri, in quo acerbe quiddam, & nequiter, ut mones, de me dictum: oportet inspiciam; nam Epistolas hic habeo Laurenbergio salutem dicam, cum redierit: nunc enim abest. Hafniam profectus. Opus tuum de Historicis Latinis summa cum voluptate legi; est praeclarum, id est, tuum; quo ut optime de defunctis es meritus, ita viventium sane studia plurimum tibi obstrinxisti. Placent quoque supra modum, quae pro socero, viro summo, admodum luculente dixisti. Est profecto, in tanto Historico, crassus error; tum malignum nimis iudicium, idque in gratiam potissimum, ut vere dicis, viri illius, magni quidem, sed non candidi alienarum virtutum aestimatoris: maxime in illis, quibus animus erectior erat, & a turpi adulatione alienior: quod & ipse sum expertus.

Sequitur in Epist. MS. Catalogus Librorum quos ex Rutgersianis poscit V. Cl. sed ut longiorem, nec Lectori ullomodo utilem, omisimus.

De Noomsio tuo quaerere me ex te memi-

(a) Respicit ad Litteras *Molini* superiores. (b) Dan. Heinsio opinor.

mini, ut loci, & quid ageret; quaeso fac me certiorem. Ad Dominum Heinsium, ut statueram, scribere in praesens haud licet, urgente admodum mercatore, & vix me permittente, ut has finiam; itaque salutem illi meis verbis plurimam dicito. Te vero in primis rogo, ut negotium hoc librarium des effectum. Ac si ille, quod non spero, se difficilem tibi praebeat, operam dabo, uti habeas undeunde, ac quocunque item pretio, saltem quatuor istos, Pappum, Apollonium, Oribasium & Diodorum Euchiontem[a]. Facile autem vobis est recuperare, inter tot auctiones, quae passim habentur. Qua de causa maiorem te in modum rogo, ut huic meo desiderio satisfacias. Amicissime, vix finem impono; ita plane, dum ad te scribo, sermonem tecum serere videor. Finiendum tamen semel. Vtinam autem coram colloqui daretur, quod, ut maxime ego opto, & desiderio maximo cum desidero, tamen tempora non permittunt, obsidente adhuc vias, ac potissimum circa Embdam, milite Caesariano. Iterum vale, Amicorum omnium prime. Sed vero de libris istis comparandis, iterum tibi aurem vello. Oro te, obsecro & obtestor, per humanitatis tuae, & communis amicitiae nostrae, genium, uti desiderio meo satisfacias. In penultima epistolarum Casauboni, si illa de Viro plane eximio, Socero tuo, minus placent, dele aut muta, prout visum fuerit tibi[b]. Habet Heinsius quandam epistolam, scriptam sub exitum anni CIↃ IↃ CVIII. quam tunc ipse mihi praelegit, In hac elogio sane amplissimo ὁ μακαρίτης. Casaubonus me ornabat: &, ut memini, praedicabat meam cum ipso conversationem, dum Lutetiae commorarer; praedicabat, praeter doctrinam, etiam probitatem, gravitatem, fidem, integritatem, & alia. Nescio an is eo candore illam epistolam sit edendam exhibiturus, quo tunc mecum communicabat: quod fortasse oblitus erit. Nosti ipse ingenium hominis. Sed videbimus, & eventus nos docebit. Rursum vale, & ignosce confundenti scriptionem. Habes epistolam prolixam, & quae tibi adfectum meum repraesentet. Vide epistolae huius fatum! Nondum licet finem facere: scripseram de Elzevirio, & quarundam lucubrationum mearum editione; ac nunc literas accipio, quibus preli occupationem obtendit; id est, per ambages negat, uti ego quidem interpretor. Mihi certum, nunquam illi aut istiusmodi hominum generi supplicare. Equidem contentus esse parta hactenus fama possum; & deinceps mihi, ac Musis, lucubrabo: ut canebat Antigenidas. Mitto autem ad te Denarium Pythagoricum, indelibati in te adfectus qualecunque monumentum apud exteros posterosque; Panathenaea, cum Scrutero dividebas; hoc opusculum, tuum ex asse esse volo. Facile puto id excudet Commelinus, qui Athenas quoque meas pridem excudit: vel Lemaerius quoque tuus, qui excudit, tua omnia. Quod si uterque aspernatur, poteris ad me remittere, ut cum ceteris suo carceri mancipetur. Vale quartum,

Tuus, sine ullo fuco, uti nosti,

IO. MEVRSIVS.

DCCCXVI,

IO. GERARDO VOSSIO.

Dedi ad te, Vir clarissime, prolixas admodum literas ante triduum, aut quatriduum, quas non dubito quin acceperis, quando eas homini certo ferendas dederim, Iterum nunc ad te scribo: sed brevissime. Qui has tradit, cum Hollandiam cogitaret, videre Leidam nostram voluit & te in ea ante omnes. Nec hoc tantum; sed & unice amicitiam tuam expetit; qua experieris eum minime indignum esse. Est autem Iuris Candidatus, Ethicesque aliquamdiu Professorem extra ordinem in hac Academia egit: nec remotus est a munere, sed removit a se ipse, studio peregrinandi. & ubique viros claros cognoscendi. Scis talem animum non posse cadere, nisi in eum qui virtutem & doctrinam pariter amet. Facit ipse: & utramque hactenus praeclare satis est sectatus. Deprehendes, si licebit experiri. Non commendo eruditionem eius, sed virtutem, probitatem, integritatem. Vno verbo: est cum quo in tenebris micare possis. Summa voti est, si ad mensem unum, aut sesqui (nam diutius commorari non constituit) domo tua, & mensa uti concederes. Id si impetrat,

Sublimi feriet sidera vertice.

Oro te, Vir amicissime, si id rationes tuae ullo modo patiuntur, fac hanc gratiam, & mihi beneficium imputa. Nec ingratum aut indignum ille se est praebiturus: & me item in maiorem modum obstringes. Si quem unquam talem mihi commendabis, vicissim ostendam, quanti tuam commendationem faciam. Vale, amice incomparabilis, cum uxore, liberisque in annos Nestoris. Vxor mea te, tuamque, ex animo salvere iubet.

Raptim, Sorae Danorum ad diem XV. Mart. CIↃ IↃC XXX.

Tuus ex interiore animi adfectu.

IOANNES MEVRSIVS.

DCCCXVII.

(a) *Pappus* Alexandrinus, & *Apollonius* Pergaeus, Geometrae; *Oribasius* Medicus. Quid rei sit *Diodorus Euchion* ignoro. *Io. Albertus Fabricius* in sua Graeca Bibliotheca certe eius non meminit: nec *Meursius* ipse in Bibliothecis suis Attica & Graeca. *Lamius*.

(b) Infida corruptio & depravatio operis alieni. *Lamius*.

DCCCXVII.

Io. Gerardo Vossio.

MI frater, nam quidni te sic adpellem, quem ut fratrem ipse amo? Cupio scire de tuarum rerum statu; tum quid factum sit Denario illo meo Pythagorico: quem quin commendatum habeas, nihil dubito. Avet quoque animus scire, quid futurum libris istis, quos petierim ex Rutgersiana mihi auctione comparari. Edidi hic Historiae meae Danicae Libros III. operae maioris specimen. Mitto aliquot exemplaria, tibi & amicis reliquis, quae te distribuere velim: Riveto, Cunaeo, Heinsio, Vorstio, Barlaeo, Scriverio, quanquam nostri nihil amplius memori. Vorstio vero etiam alterum addi cupiam, pro avunculo Buchelio, ad quem ille recte mittet. Literis vero ad Mylium, quas inclusi, adde exemplaria quatuor. Eundem modum rogo ut tenere velis in Denario dividendo. De pugna navali serenissimi Regis nostri cum Hamburgensibus, & victoria, iam te accepisse puto. Vale cum lectissima uxore, liberisque, & salve a me, meaque & meis.

Dab. raptim, Hafniae, quo nunc excurri, ad diem XIX. Septembr. CIↃ IↃC XXX.

Tuus adfectu

instar Fratris

Ioannes Mevrsivs.

DCCCXVIII.

Io. Gerardo Vossio.

SCripsi ad te ante aliquot septimanas, Vir clarissime, & adiunxeram alias ad amicos literas, ut & exemplaria aliquot Historiae Danicae. Spero recte ad manus has pervenisse. Ego illud scire aveo; tum & quid Denario meo Pythagorico sit factum: an promissam lucem videat, aut visurus sit propediem. Etiam certiorem facito, quid ab Heinsio impetraveris in negotio librorum, quos parari mihi petieram ex Rutgersii Bibliotheca. Qui has adfert, est Ericus Rosencrantzius, magni Oligeri nostri, qui te in maiorem modum amat, filius: adolescens est insignis, a quo magna exspectamus. Petiit Pater, ut amicis illis meis commendare eum vellem: quorum cum te unum mihi plurimorum instar habeam, uni tibi commendandum existimavi. Itaque, quod commodo tuo facere poteris, hic ostende, quod me, uti facis, ames, patrem existimes: qui, ut hactenus te amavit, sic deinceps etiam arctiore adfectu complectetur. Habet Ephorum, Ioannem Mulenium, ut doctrina, sic modestia pariter, & probitate, perinsigni. Ipsa te experieris, me non temere commendare. Vale, amicorum princeps, cum lectissima uxore tua liberisque. Vxor mea liberique, tibi, tuae, atque tuis, plurimam salutem dicunt vero animi adfectu.

Sorae, ad diem XVIII. Novemb. CIↃ IↃC XXX.

Tuus,

Ioannes Mevrsivs.

DCCCXIX.

Io. Gerardo Vossio, Amicorvm Opt. Max.

ERgo Amstelodami agis? & conditione quidem adeo lauta? Ita me postremae tuae credere iubent. Gratulor profecto ex animo. Digna est fortuna ista virtus tua. De Barlaeo inaudiveram iam ante, de te nihil: & nil minus, fateor certe, cogitaveram. Sed an Graecas quoque literas, uti Leidae profiteris: an Historias dumtaxat? illud fac ut primis literis scire possim: tum quis tibi in Leidensi Academia substitutus: insuper, quem finem illa urbium duarum controversia sortita fuerit: & quid ab utraque curia iudicatum. Denarii mei exemplaria recte accepi, gratiasque magnas ago pro editionis cura. Scripseram de literarum Casauboni editione; ac quaesiveram quo in loco illa esset; sed tu plane nil rescribis. Nuper admodum, aliud agens, incidi & in istas duas: quas, si tempestivum est, curabis suo loco inseri. Quod invitas, ut excurram, vellem ut vis; sed haec tempora non permittunt, insidentibus passim vias praedonibus potius quam militibus. Quam iucundum mihi foret te videre & amplecti! sed laetitiam hanc congressus mox tristitia, postquam discedendum foret, oppido, acerbam faceret. Mihi bene est in Dania, Dei gratia; favent proceres, amant docti, nec mutare temere velim; optem tamen si, sors ita utriusque nostrum ferat, ut corporibus iungeremur usque ad mortem individui, sicut animis iuncti sumus: esset mihi id profecto omnium multo iucundissimum: sed permitto ista Deo, qui res hominum omnes ordinat; eiusque sanctae voluntati me subiicio. De Historia amici nostri, idem plane hic Doctorum est iudicium. Meam vero adeo probari tibi valde gaudeo: neque dubito, quae placere tibi potuit, eam etiam aliis placituram esse. Plura vellem, si liceret coram colloqui. O si tempus aliquando istud nobis donet Deus! quam utrique nostrum isthuc gratum foret! Vale, Vir clarissime, & amicissime, in aetatem usque Nestoris; & salve cum tuis omnibus a nobis. Resalutant Laurembergius, & Stephanius.

Dabam Sorae ad diem III. Iunii CIↃ IↃC XXXI.

Tuus fide optima,

Ioannes Mevrsivs.

DCCCXX.

DCCCXX.

IO. GERARDO VOSSIO.

ITane te, Vir clarissime, negligere amicum, & tam bonam occasionem, quae vix semel toto anno sese obfert! Non speraram; nec profecto tu debebas. Nimis cali de ut te amo, ita literas tuas cupio & exspecto. Aegre etiam fert uxor, nil responsi ab uxore item tua se ad suas accepisse. Atqui non est quod obtendas festinationem eius, per quem respondendum erat, qui se dies decem & septem Amstelodami substitisse; & uxorem quoque tuam (nam te convenire haud licuit) de responso semel item, iterumque, compellasse adfirmavit. Misi tibi ternas lucubratiunculas typis illic evulgandas, sive meo, sive alieno, sumtu. Admodum desiderabam scire, quid hic effecisses; nunc incertus animi pendeo. Certe cum incertitudo mittendarum literarum tanta nobis sit obiecta, unam certam occasionem praetermittere nullo modo debebamus. Ego quidem minime officio defum, sed te iure hic accuso. Vide, mi amice, quid agas & quam graviter amicitiam nostram laedas, cuius munia non exerces tam fideliter ac debebas. Ioannes Ioansonius Bibiliopola illic vester, operam mihi suam obtulit, si quid meum apud vos excusum velim. Mitto itaque *Regnum Atticum*, quod tu illi in manum trades, cum editionem volet inchoare. Interim tibi reservabis; & urgebis etiam hominem, si fortasse lentulum aget. Vale & salve cum tua tuisque a me, mea, item meis.

Raptim Sorae ad diem VIII. Aug.
CIↃ IↃC XXXII.

Tuus sine fuco,

IOANNES MEVRSIVS.

DCCCXXI.

IO. GERARDO VOSSIO.

SCripsi ad te, Vir clarissime, ante paucos aliquot dies; &, ut puto, recte literas accepisti; nam per certum hominem misi. Responsum tuum avide exspecto, nec conceptam in te iram, ob priorem negligentiam, ante ponam; ac, ne literae deinceps errent, sicut hactenus, ecce tibi virum certum ad quem iubeas deferri, Arnoldum van Gendt Notarium Publicum in novi biscocti foro, prope Camelum, commorantem; ille Hafniam curabit, ad filium illic, mercatorem notum mihi, & amicum; isque ad me sine mora recte mittet, uti inter nos convenit. Nuper aderam illustri Cancellario Regio, & iniectus de te sermo; aestimat te & scripta tua, neque ego, ut confidere facile potes, sicut dignum amicitia nostra erat, aliquid detractum ivi. Idem accidit apud Casparum Brochmannum, Theologiae Doctorem, & Professorem in Academia Hafniensi. Cupiebat ille scire, quisnam Academiae vestrae, seu Gymnasium adpellandum est, status foret: an futurum existimetur, uti illic aliquando facultates universae sint docendae, an vero mansuri sitis intra terminos facultatis Philosophiae. Insuper & hoc quaerebat, anne Eloquentiam, praeter Historiam, etiam profitereris: quod si faceres haud paucos ex alumnis nostri Regis ad te commeaturos esse. Responde, quaeso, ad haec quamprimum, atque salve cum uxore liberisque a me, mea, atque meis.

Raptim Sorae ad diem XXIII. Aug.
CIↃ IↃ CXXXII.

Tuus, ut nosti,

IOANNES MEVRSIVS.

DCCCXXII.

IO. GERARDO VOSSIO.

VIR CLARISSIME.

LIteras tuas, quas postridie Kal. Iun. ad me dabas, recte accepi. Admodum invitus sane intellexi, tantas esse occupationes tuas, ut per illas vix ex voto respondere tibi liceat. Tamen mihi in primis potes, quia semel toto anno, ac vix iterum, cum non obferat certa se scribendi occasio, ad te literae meae eant: & hoc ipsum efficit, ut debeas quoque; cum non possis, quando velis: itaque nunc etiam peto, iure meo, ut per hunc amicum meum saltem verbis quam paucissimis rescribas. *Artem Grammaticam*, & *Origines*, sicut & *Poeticam Artem*, te iamdudum promittente, valde exspecto, & a filiis *Iulium Caesarem*, *Rabbi Maimonidem*, & *Historiam Reidani*. Quaeso fac promissa adpareant. Pro *Oratione* tua, filiique Dionysii *Panegyrico*, magnas sane gratias ago. Vidit uterque Cancellarius Regis ac Regni; vidit Dom. Rosaecrantzius; omnes laudant, idque in maiorem modum. Operis mei de *Atheniensium Regibus* exemplaria avide videre velim: & impositum esse finem, literae tuae spem fecere, quam si fallunt, quaeso hominem impellas, ut absolvat. Cupiam videre quoque quod futurum indicasti separatim *Piraeeum*, *Reliqua Attica*, & *Familias*. (a) Utinam & voti huius compos fiam: nam exspectant, & incusant quoque tacite fidem meam, qui inscripta ea opuscula sibi norunt. Quaeso isthic operam item tuam nava. Mitto nunc quae necessaria ad priorem operum meorum tomum; nempe *Bibliothecam Atticam*, *Ceramicum*, *Theseumque*; & inserenda aliis lucubrationibus iam vulgatis. Addo exemplar *Solonis*, ut Graecorum Auctorum loca, hic Latine tantum expressa, ob penuriam typorum, Graece quoque exhibean-

(a) *Familiae Atticae* opus, ut videtur, iam elaboratum & perfectum, & typographo traditum, *Ioannis Meursii*, ad nos non pervenit; quare cum aliis simul edere non potuimus. *Lamius*.

beantur: quod omnino fieri velim [a]. Tum Poematum reliquiae multo plures, quam quae hactenus vulgatae adiunguntur; minime praetermittendae. Ipse isthac ut lubebit arbitrabere. Addo effigiem aeri incisam, quae in fronte suo loco, quem putabis convenire, collocetur. Quicquid filia tua expendit meo nomine, en remitto, gratiasque quantas possum ago maximas. Vtinam vicissim tuae inservire mea posset: faceret libenti animo uti debet, & ut amicitia nostra suo illud iure possit, *Atticam Feriatam* meam, quae debebat in hoc tomo comparere, nunc omisi; nam cum eam ex *Graecia Feriata* excerpere, & seorsim exhibere, statuissem, aliud consilium cepi. Vale, vir praestantissime. Vxor mea te tuamque, liberi liberos, salutant; ego seorsim Franciscum tuum, & Dionysium, & ut porro patrem imitari pergant, serio hortor.

Raptim, Sorae, ad diem XX. Augusti CIↃ IↃC XXXIII.

Tuus sine dolo,

IOANNES MEVRSIVS.

DCCCXXIII.

IO. GERARDO VOSSIO. AMICORVM OPT. MAX.

QVas dedisti pridie Calendas Maias nudius-tertius accepi: quibus certe perculisti vehementer, dum de obitu Dionysii tui scribis. Doleo maiorem in modum ereptum tibi tantum filium, mihi vero, filioque item meo, amicum ratum, orbi virum aliquando certe maximum: sed ostendere illum Deus voluit potius, quam concedere. Non solamen ullum obfero, quod abunde a te habes: ac largitur tibi ratio, quod daturum esset tempus. Maimonidem eius, Caesaremque, & Reidanum, quos promittis, avide exspecto: & accuso Elzevirium qui cum ad nos commearet, te in transitu compellandum non putavit. Nollem factum Grata mihi mentio de Noomsio nostro, sed quod queritur, edi a me Bibliothecam meam Atticam, & inter nos aliter olim convenisse, fallit virum optimum, & amicissimum, hic memoria. De altero, quod restat, opere nempe Bibliotheca Graeca, egeramus; quam si edere etiamnum est illic animus, per me licet: ego libens adquiescam? ac si a me edi velit, gratum erit: & laborem quoque istum impendam Reipub. Literariae. Fac me quaeso proximis tuis certiorem. Interim consilio tuo obsequutus, testandae veteri amicitiae meaeque in amando ipso constantiae, dedicabo eius nomini opus sane luculentum Creticarum Antiquitatum libros quatuor, quod secundo statim tomo comparebit. De dissidio Typographorum sane doleo, magis etiam quod per hoc editio meorum operum differatur. Quaeso, quod promittis, urge & efficito, ut admoveat tandem manum. Iam salivam movi multis in hoc Regno eruditis, & magnatibus; itaque ne fidem meam hic destituat; ac ridendum, aut sugillandum me prostituat. Regnum Atticum admodum mendose excusum est; & errata tibi mitto quae Typographus tempestive emendabit. Perlegantur quoque Graecorum Auctorum loca, quae festinans non inspexi. Nullus dubito quin mendorum illic plaustra inveniantur. Mitto nunc Praefationem primo tomo praefigendam; missurus statim quicquid ad secundum tomum pertinebit, ubi primum inchoatum intellexero. Habe tamen operum illorum elenchum, quae in eo comparebunt. Vale amicorum maxime. Vxor mea quam potest amantissime tuam, liberi liberos, salutant, & in primis filia filiam.

Sorae XII. Iulii. CIↃ IↃC XXXIV.

Aetatem Tuus,

IOANNES MEVRSIVS.

Adiunctas ad Spelmannum, quaeso, ut prima occasione curare velis.

DCCCXXIV.

IO. GERARDO VOSSIO.

VIrum utriusque nostrum adeo amicum nactus, Vir praestantissime, nolui eum sine meis ad te literis dimittere. Scripsi anno superiore exeunte per Elzevirium, ac te accepisse puto. Nunc enixe abs te peto, ut Typographum impellas, quantum possis, nimis hactenus cunctatum; maxime pro voto meo, & meorum in hoc Regno amicorum, ac fautorum: inter quos illustris Dom. Cancellarius iure suo primum sibi locum vendicat. Ad quem quam Praefationem nuper misi, subprimendam in praesens nuntio. Siquidem ille e re mea esse censet, uti Regi Serenissimo opera mea dedicentur: itaque consilio eius morem, uti aequum est, geram. Insuper est in opusculis meis Atticis, quae in primo tomo adparent, aliquod Othoni Skielio dedicatum: sed cum diem ille suum nunc obierit, magno cum dolore meo, nam amabat me vir iste maximopere; muta pro prudentia tua inscriptionem, & praefige nomen Goudaei Rosaecrantzii nostri, cui Familias meas Atticas dedicavi; & repone Erici Rosaecranzii nomen, ut succedat frater fratri. Quae ad secundum tomum pertinent, & in istis Creticarum Antiquitatum libros IV. mittam proxime. Tu me, quaeso, fac de rebus tuis omnibus, & librorum editione, certiorem; tum quo loco etiam res meae sitae. Mitte quicquid ad me voles, uti pridem

[a] Voti compos *Meursius* factus non fuit: ipse tandem eius Manibus, ut ita dicam, praestiti in hac eius operum editione. *Lamius.*

dem indicavi, ad Ioannem Van Gandt mercatorem; isque ad me curabit recte. Bene vale, ac salve, cum uxore liberisque a me, mea, & meis.

Raptim, Sorae, ad diem XI. Mart, CIↃ IↃC XXXV.

Tuus constanti adfectu,

IOANNES MEVRSIVS.

Praefationem ad Regem mittam tempestive.

DCCCXXV.

EIDEM.

Equidem scribendi ad te nullam occasionem omitto, Vir clarissime, neque cesso etiam molestus esse. Nam quantumvis sponte tua te facturum quidvis credam, quia tamen mora meo desiderio nimis longa est, nequeo non per amicos ad te iter capientes, etiam currentem ultro porro impellere. Quaeso itaque fac quod facis, lentulosque illos excita; siquidem pro uno duos, ut intelligo, nunc posthac sim habiturus. Vtinam nunc tandem incipiant; & duobus, quod promittis, praelis opus coeptum urgeant. Nisi faciant; & cunctari etiam diutius velint, libros decem Historiae Danicae, quibus tracto eos Reges, qui familiam Oldenburgicam praecessere, hic seorsim dare cogar. Scripsi nuper per Soranum quendam civem: quaeso, ut per hunc respondeas, atque certum de negotio toto facias. Qui has meas ad te adfert, est egregia tum virtute, tum doctrina, Fredericus Andreae, antea, ut puto, notus, cum adesset Rosaecrantzio: & illustris Dominus Cancellarius Regius suo filio Ephorum dedit, cui rogare, ut bene, quantum possis, facias, est id hominis illam tuam maximam humanitatem ignorantis. Sophompanaeas Grotii, est excellens plane opus: tui vero de Grammatica Arte libri ceteris in eo genere longe praestant: nec invenio, quod cum illis iure comparare queam. Ex Praefatione Grotii, uno & altero loco, video te de Poetica edidisse. Quod cum necdum ad me miseris, amicitiae nostrae iure, & fiducia, abs te peto. In opere meo de Creta, lib. III. cap. V. post verba Dionis, libro XLV. quae sunt de libertate, ab Antonio restituta, *imperare decrevimus*, adde: Et apud ipsum Ciceronem, Philipp. II. *At quam coeca avaritia est? nuper fixa tabula est, quae civitates locupletissimae Cretensium vectigalibus liberantur: statuiturque, ne, post Marcum Brutum Proconsulem, sit Creta provincia. Tu mentis es compos? tu non constringendus? An Caesaris decreto Creta post M. Bruti decretum potuit liberari, cum Creta nihil ad Brutum, vivo Caesare, pertineret?* Iterum, lib. IV. cap. XII. ubi de Mesomede ago, post, *Musicus Poeta agnoscitur*: adde, *Vide quae de eo Suidas in* Μεσομέδης· *& Iulius Capitolinus, in Antonino Pio*. Illud porro, si licebit, cupiam ex te intelligere, ecquid operis istius dedicatio Noomsio nostro grata fuerit. Mone candide mutaturum, si displiceat. In hoc desino, teque uxorem liberosque plurimum salvere iubeo; quod & mea, ac mei, faciunt.

Sorae ad diem, XXIII. Iunii, CIↃ IↃC XXXV.

Tuus antiquo adfectu,

IOANNES MEVRSIVS.

DCCCXXVI.

EIDEM.

Ante triduum ad te scripsi, Vir clarissime, per Petrum Vilhadum iuvenem doctum ac modestum: nunc nec hanc occasionem negligendam existimavi. Ac Vilhadum fat acceptum tibi fore, nullus dubito. De rebus meis iterum urgeo. Aegre fero, spei meae quasi illudi. Iam triennium suspendor, & de die in diem differor. Ipse filius literis superiore anno datis, ad diem XVII. Iulii statim se editionem incepturum promittebat; & hac hieme eousque perducturum, uti causae nihil foret, cur Typographo Hafniensi Danicam Historiam darem; sed admoneor ab amico, literis ad me ante duos menses scriptis Amstelodamo, necdum admotam manum esse. Et profecto facit res haec, ut ulterioris morae impatiens fiam: itaque semel tandem dicat, quidnam facere constituerit, ut consilium ipse quoque aliud capiam. Si excudere opera mea detrectabit, ob impensam, per me licet, non magnopere laboro. Quamquam enim volupe videre foret, opera mea iunctim edita, non invitus curam hanc deponam tamen, & posteritati tradam; semel ea evulgata, satis habens. In hoc casu cupiam remitti mihi per hunc nostrum Mercatorem, quae non edita pridem misi, nisi forte haec seorsim ob minorem illic sumtum sit libentius excusurus; quod ut uno fieri volumine possit commodissime, & in forma (ut loquuntur vulgo) folii; ita non ingratum erit. Quod si neque illud volent, obsecro, quod dixi facito, & remitte per hunc nostrum: etiam ex aere laminam, in qua sculpta effigies. Nunc est commoda occasio atque certa, quam te rogo ne praetermittendam putes, negligasve. De Creta mea illud quoque abs te peto, ut significes, an ostenderis eam Noomsio; & inscriptio an placuerit. Erit mihi intellectu istud gratum, ut propositum dedicandi vel retineam vel mutem. De Rep. si quid habes, fac me item certiorem. Vale & salve a me, mea, atque meis, cum tua & tuis diutissime.

Sorae ad diem XXII Aprilis CIↃ IↃC XXXVI.

Tuus antiqua fide,

IOANNES MEVRSIVS.

DCCCXXVII.

DCCCXXVII.

Eidem.

Vir Clarissime.

QVi has adfert est Petrus Wilhadus egregius iuvenis virtute & eruditione. Commendatum tibi cupio pro vetere nostra amicitia; paucis tamen, quia multis non est opus, & seipsum satis tibi commendabit ubi videris, & cognoveris. Vixit aliquot iam annos in Clarissimi Borchmanni, SS. Theologiae Doctoris & Professoris in Academia Hafniensi, maximi amici mei contubernio, & hoc ipsum magnae commendationis instar puto. Honestis parentibus honeste natus & educatus, operam studiis iam navavit praedicandam: porro ea & virtutem ante omnia colere certus. Te observat inter eruditos maxime & amari abs te petit. Quaeso facito, ac facturum satis scio, vel virtutis tuae causa, & humanitatis etiam, qua honesta quaeque ingenia sponte tua tibi quovis genere officiorum prosequenda arbitraris. Non hic falles exspectationem nostram, nec virtutem tuam deseres. Post nonnullam mansionem etiam Lugdunum cogitat; quod si quando est petiturus, Heinsio eum, ac Cunaeo, & id meis quoque verbis commendato. Mea opera quo sint loco, & Typographus an inceperit semel tandem fidem datam liberare, ac quousque sit progressus, fac occasione prima scire possim. Valde velim iusto meo desiderio aliquando satisfieri. Vale amicorum princeps, cum uxore liberisque diutissime. Vxor mea te, tuamque, filia filiam, plurimum salvere iubent.

Sorae ad diem XIX. Octobris, CIƆ IƆCXXXVI.

Tuus fide antiqua,

Ioannes Mevrsivs.

Has scripseram anno, ut vides, superiore, sed dilatas propter ingruentem illo tempore pestilentiam, nunc demum mitto: si quidem qui eas feret meo hic consilio usus, iter suum ob eamdem causam distulit. Iterum rogo, ut me prima quaque occasione rerum mearum certiorem facere velis. Si procrastinare pergit, cogar Danicam Historiam nostro huic Typographo tradere. Quod si animus excudendi post dilationem triennii etiam abierit, redeant ad me quae ἀνέκδοτα pridem misi, nisi forte illa excudere sola malit, quod vel sic non improbavero. Si excudere opera nolit, statim effigiem remitte, poterisque commodissime per Ianssonium, qui ad famulum curabit Hafniae res suas agentes. Iterum vale, Vir clarissime, ac nos amare constanter perge.

Sorae ad diem XIX. Apr. CIƆ IƆCXXXVI.

Adiunctas rogo, uti statim Leidam cures per nautam deferri.

DCCCXXVIII.

Eidem.

LAetum mihi nuntium postremae tuae attulere; scilicet, Typographum iam semel tandem manum operi admovisse; verum de constantia dubito, quando cum discederet Ioannes David, nil omnino literarum ad me dederis. Credo, quia pudebat scribere, ab incepto destitisse, maluisti nihil scribere. Quod si ita sese habet, merito desidero in eo homine probitatem; nec a levitatis vitio excusare illum possim, ne quid gravius pronuntiem. Certe neque probus quisquam, fideique suae observans, aliter queat. Itane me ludibrio, nam hoc dicendum, annos quatuor haberi? Reddat potius lucubrationes meas, quae ipsius mala fide nimis diu sunt subpressae. Pater, inquies, potius culpandus erat, nec diffiteor: sed profecto ego metuo, ne quid filius per vestigia patris ire animum inducat suum. Quaeso itaque & obtestor, per sinceram tot annorum amicitiam, per eximiam illam tuam probitatem, ne me ultra decidere patiaris. Mitto tandem, si quid forte hominem exstimulare istud possit, Historiam Danicam, quam praeverti, ceteris sepositis omnibus, maxime velim; nec cessari, antequam ad finem duxerit. Potest autem illud facere, si promoverit diligenter, intra sex aut septem menses. Eapropter Tomi Historici partes duas esse volui, uti suo Typothetae singulae committi possint. Ita autem edi cupiam, uti primus iste Tomus etiam seorsim vendi cuivis possit, Historiae magis quam Philologiae amanti; quod ni faciat, fore sciat ut alius sic excudat. Cupio autem, sicut dixi, maxime editionem maturari. Nam si istic etiam antiquum obtinere velit, sciat mihi αὐτόγραφον esse; & hic edere, de superiorum quoque voluntate, plane item constitutum. In Athenis meis Batavis, cum ad me perventum erit, rogo, ut Catalogo meorum operum ad hunc modum, quem praescripsi, exhibere ne graveris. Idem abs te fieri in tuis velim, & adiungi, quae post illud tempus plurima iuris publici fecisti. Amicorum optime maxime, a te postulo enixe, amicitiae nostrae iure, urge hominem, quantum queas; tum mortalitatem nostrum utriusque, quibus aetas iam in senectutem vergit, animo reputare velis; tum pergratum mihi fore, si priusquam vita excedam, consummatam lucubrationum mearum editionem contueri concedatur. Vtinam hoc votum mihi bonus Deus repraesentet. Absolvi Historicus Tomus potest, si nimirum operas Typographus sic partiatur, ad id tempus, quo Ioannes David noster ad nos reversurus erit: isque exemplaria, mittenda mihi, secum non invitus deferet, suis sarcinis inclusa. Insta Blavio, ne spem meam hanc destituat: poterit culpam praecedentis tarditatis aliquatenus isto modo emendare. Etiam tamen

atque etiam abs te peto, ac per omnia amicitiae nostrae sacra te compello, uti tua mihi fide universam rem exponas, quo se cunque modo habeat: ac, si denuo inchoatam editionem, quod hic animus auguratur, intermiserit, maximopere contendo, uti omnia quae commisi tuae fidei, mox restituenda mihi per Davidem nostrum proxima aestate cures: is subscipiet haud gravate, & curabit bona fide. Ego vero, si me Blavius porro etiam fastidiet, aut inveniam mihi alium, aut non paullo illo rectius adservabo. Itaque permittas cave, ut deinceps mea ipse patientia, quae plus nimio est laesa, abutatur. Vtinam vanus esset metus, quem concepi; certe valde illud velim. Sed persuasum mihi habeo, si omisit inchoata, ut existimo, illum operum meorum editionem promisisse, non ut ederet, at vicino, cum quo male admodum conveniebat, ut subtraheret. Nam & ille, ut meministi, operam suam per id tempus obferebat: ac profecto longe meliore fide, quam expertus iure laudo, praestitisset: nec iniuria poenitet, quod ab ipso me abduci passus fuerim. Equidem tibi nihil imputo, qui propensum in utrumque nostrum animum habuisti, & ab eo lucubrationes meas evulgari voluisti; sed multiplicem adeo dilationem, tot mendaciis excusatam, merito inique fero. Vel nunc demum bona agere fide statuat, & incipiat semel serio, ac continuet; nec priusquam Colophonem imposuerit, conquiescat; & praeterita condonabo. Inchoari autem cupiam, ut iam dixi, ab Historiarum tomo: quem cur classem ducere velim, causam habeo, quam tu facile pro prudentia illa tua divinabis. Cum absolverit, mitte statim aliquot mihi exemplaria, quibus Regis Procerumque desiderio satisfaciam. Nam vix credas, quanta sit operis illius exspectatio; tum privatim mea quoque refert plurimum, ut editio maximopere maturetur. Da hic operam: meque ac mea, quo adfectu consuevisti, porro etiam complectere. Vale, Vir eximie, diutissime; ac salve plurimum, cum uxore liberisque, a me, mea, atque meis. Laurembergius & Stephanius plurimam salutem reddunt.

Raptim, Sorae, ad diem XX. Decemb. CIↃ IↃC XXXVI.

Tuus antiqua fide,

IOANNES MEVRSIVS.

Si quis possit studiosus reperiri, qui in Danicam Historiam Indicem accuratum scriberet, esset ea res Lectori acceptissima, uti nosti, & Typographo non inutilis. *N B.* Praefationem, ad Illustrem Dominum Cancellarium Christianum Frisium, cupio antiquatam, & illius loco poni hanc ad Regem, quam praefixi Historiae Danicae libris quinque prioribus.

DCCCXXIX.

EIDEM.

PAucis scribo, Vir & Amice summe, quia opprimor; tuas tradidit Ioannes David, in quibus bona de Typographo hactenus tricone maximo mihi nuntias. Faxit Deus, ut promissa semel tandem exsequatur! Accepi etiam specimen Historiae Danicae, quod per Elzevirium ad me mittebas. Vtinam tam sedulo pergat, quam est hactenus cunctatus; scribo ad eum, postuloque, ut quae forte excusa erant, ei tradat, qui has adfert. Tu negotium, quaeso, urge pro adfectu in me tuo. Ernstius apud te fuit, utinam mecum & amplecti ex intervallo tantum amicum licuisset, sed hoc voti est, nec speramus ultra quicquam. Fiat Domini voluntas, in qua est acquiescendum; ac si nobis, ut videtur, non licebit, filiis aliquando dabitur per benigni Dei gratiam, ad quos amicitia nostra hereditate devolvetur. Opus tuum de Idololatriae origine & progressu utinam videam, sicut etiam Maimonidem filii τῦ μακαρίτυ (a). Poteris commode ad me mittere per hunc mercatorem nostrum Slaglosiensem, qui negotiorum causa ad vos excurrit: si decennio minor mihi aetas esset, aut nos iter tam longinquum non disiungeret, una item, uti, ante vitae finem, adhuc semel te complecterer, nunc oportet ut ponamus cogitationem istam, & nos Deo permittamus. A Salmasio iam reduce mirum est nil nobis dari. Heinsii in Novum Testamentum Notas, quarum specimen Elzevirius hic ostendit, avidissime exspectamus. Misit mihi Historiam obsidionis Silvae-ducis, sexto ab editione eius anno: idem mihi in mittenda Historia Danica faciendum esse censeo. Nempe hoc est recte amicitiam colere, & amicum aestimare; cuius desiderio ab ipso initio satisfactum oportebat. Tu & ego non sic agimus, ac prohibeat praeses amicitiae Deus, qui coniunxit corda nostra. Is nos servet diutissime. Vxor liberique mei te, & tuam, atque tuos, plurima salute impertiunt. Resalutant officiose Laurenbergius, & Stephanius.

Raptim, Sorae ad diem XXVII. Maii, CIↃ IↃC XXXVII.

Tuus, constanti adfectu,

IOANNES MEVRSIVS.

DCCCXXX.

CLARISSIMO DOM. VOSSIO.

VIR NOBILISSIME ET AMICISSIME,

BInas tuas quas dedisti XXVI. die Martii item XVI. Maii recte accepi. Doleo sane vehementer, quod Historiam meam opera

(a) Consule Superius Epistolam DCCCXXII. *Lamius*.

opera Blavii non acceperis. Petenda tibi sunt per communem amicum virum Gerardum Vossium (a), quem rogarem ut exemplar ad te mitteret, idque nunc effectum spero. Cum acceperis, otiumque ad legendum nactus eris, ut de eo iudicare ne graveris etiam atque etiam velim. Quando vero tres priores libros meos de familiae Oldenburgicae primis Regibus placuisse tibi memini, etiam istos minime displicituros esse, spero. Certe optem: nam abs te probari eos magni fecerim, qui iudicium tuum aestimo. Bonifacii constantem adfectum plane osculor, amo virum, aestimoque quantum quisquam ceu insigne Italiae suae ornamentum (b): cuperemque operis mei itidem exemplar mittere, si id commode fieri posset. In Cunaei morte indolui. Magnam Academia iacturam fecit, & amicum ego amisi non e multis. Ipse quoque per hanc hiemem pessime habui. Vexabat nephritis, ut excernerem calculos plures: accedebat novum ulcus, quod per totum quadrimestre sanguine, & pure, manavit: etiam tertiana febris eaque duplex: insuper magna lassitudo, deiectio virium & adpetitus. Sed nunc Dei Opt. Max. singulari beneficio omnia haec mala evasi; is me porro quamdiu videbitur servet sanum, ut inservire ipsi etiam ultra possim in vocatione mea, ac cetera vita (c). Idem tibi ex animo precor & in eo voto finio. Vxor mea liberique tibi, tuae, atque tuis, officiose se commendant.

Sorae ad diem XXIX. Maii. CIↃ IↃC XXXIX.

Tui observantissimus,

IOANNES MEVRSIVS.

Si exemplar commode ad Bonifacium mitti posse existimabis, pete a Vossio illud ut ad te transmittat, quod Cunaeo iam defuncto destinaveram.

DCCCXXXI.

GERARDO IOANNI VOSSIO.

Literas tuas, & adiunctum filii Isaaci Scylacem, recte accepi. Vir amicissime. Laudo profectum, & gratias ago. Plura ab ingenio isto, & doctrina, iure exspecto. Nae tu admodum beatus, cui ita in liberis quoque summus Deus benedixit. Blavii tricas, dudum expertus, & nunc animo praevidebam: adeoque nihil mihi praeter exspectationem hic contingit; quamquam tamen spem conceperam fore, ut servaret fidem semel tandem, quam tamdiu fefellisset. Nunc quod restat saltem absolutis tuis, quod futurum ad Solstitium, aut Calendas Iunii, scribis, animum inducat pergere; aut, si porro etiam me ludos faciat, vide, an cum alio, quod ipse subgeris, tractare possis, de ineditis edendis, sive singulis seorsim, sive iunctim universis. Habeo etiam inter alia Antiquitatum Laconicarum libros quatuor, & de Regibus Lacedaemoniorum, a primo usque L. librum singularem. Forte alter Iansonius, sicut opus de Atheniensium Regibus pridem excudit, neque ista detrectabit. Explorare viri animum per occasionem poteris, ac me certiorem facere. Blavio vero, illud ut denunties velim, ni deinceps gnaviter in excudendis meis pergat, me iniuriam ulturum esse; & Moltkenio Historiam Danicam recudendam traditurum, cum Auctario rerum Friderici Primi, Interregni, atque Christiani III. tum & curaturum ei privilegium, quo in Regnum hoc importari Blavii editio prohibeatur. Itaque serio secum reputet, quid hic sibi faciendum esse putet. Ego certe non diutius sum passurus me deludi etiam porro, neque patientiam meam ultra laedi. A Vorstio heri accepi literas, & Orationem in Cunaei obitum, itaque accusare desino. Quas adiunxi ad Gronovium, ut curare, cum occasio erit, velis, valde rogo. Valetudo per hanc hiemem admodum mihi mala fuit. Divexabat me nephritis, calculosque aliquot excrevi: postea ulcus in sinistro rene erupit, quod per totum quadrimestre pure & sanguine manavit. Accedebat febris tertiana duplex: insuper magna lassitudo, deiectio virium, & adpetitus. Sed nunc, Dei beneficio singulari, omnia haec mala evasi; qui me porro ut conservet, supplex peto. Idem tibi ac tuis omnibus, ab eodem serio precor. Vale, amicorum maxime, cum uxore liberisque. Mea, & mei, plurimam salutem nunciant.

Raptim, Sorae, Kal. Iunii CIↃ IↃC XXXIX.

Constanter tuus,

IOANNES MEVRSIVS.

DCCCXXXII.

CLARISSIMO, ET INCOMPARABILI VIRO, DOMINO DOCTORI GERH. VOSSIO.

Vir Incomparabilis, Magne Vossi, (d)

Iterum ad te scribere, me inter alia, praecipue observantia compellit. Etsi mihi nullum sit dubium, quin ad manus tuas lite-

(a) Ex hoc loco arguitur, hanc Epistolam *Io Gerardo Vossio* scriptam non esse, sed alteri, quem divinare non est. Ceterum, quum inter Epistolas *Io. Gerardo Vossio* ab *Io. Meursio* missas in editis libris invenerim, & eidem inscriptas, titulum eumdem servavi, nec aliquid immutare volui. *Lamius*.

(b) Est hic *Balthassar Bonifacius* Tarvisinus.

(c) Vsurpari hic apte, & opportune posset illud Psaltis: *Omnia serviunt tibi*. Apud *Esaiam* Deus *Cyrum* servum suum vocat, etsi εἰδωλολάτρῃ. *Lamius*.

(d) Recte factum existimavi, si insequentes Epistolas, post *Ioannis Meursii* senioris obitum, ab *Ioanne Meursio* filio scriptas adderem; non solum, quia de rebus ad patrem spectantibus in iis agit, verum etiam quia quodcumque *Ioannis Meursii* filii ad manus meas pervenit, iterum in hac Sylloge in vultus prodere animum induxi. *Lamius*.

literae ab Elzevirio tibi tradendae recte pervenerint: tamen etiam adhuc sedulo abs te petiturus sum, remittantur omnes, ineunte vere, piae memoriae patris mei, lucubrationes, una cum ad eas pertinentibus epistolis dedicatoriis; excepta autem Creta: illam excudendam quaeso tradas Elzeviriis, quibus hac de re iam scripsi; quare non dubito, quin excudendum hoc Cretae opus in se subsciperent. Ideoque nunc curam in erratis typographicis tibi soli committo, ac te facturum, si Meursii tui memor sis, persuasum mihi habeo, absque repulsa. Causa autem, celeberrime Vir, cur ita Cretam urgeo, est haec, cum etenim in Dissertatione mea, saepius, Cretae patris mei, mentionem faciam. Sed haec, ut se habent, quaeso solummodo responsione, data occasione, me digneris, ac certiorem facias de iudicio tuo, super (a) Dissertationem meam; utrum, ut luci publicae exponatur, digna fuerit.

Dabam Sorae Danorum ad diem XII Ianuarii, anno CIƆ IƆC XL. cuius auspicium felix, feliciorem progressum, felicissimum exitum tibi, uxori tuae, ac liberis, omnes ex animo precamur.

Tuus omni cultu & observantia,

IOANNES MEURSIUS FILIUS

DCCCXXXIII.

VIRO INCOMPARABILI, DOMINO DOCTORI.

GERHARDO IOANNI VOSSIO.

Literae tuae, Vir celeberrime, cum dolorem nostrum augerent, ex tuo, quem non minus domesticum nobis, paterna coniunctio effecit; e vestigio tibi responderi mandabant: ne a fidelissimis amicis destitutus, cum solatium non potes, exspectare videreris συμπάθειαν. Ipse enim nosti, simplex quidem, & vulgare, sed unicum esse nostrum, adversus mala omnia praesidium; voluntatem Dei; quae nullum a Christianis patitur murmur, quia quod infixit, non malum vulnus est. Quippe quo firmitas, & constantia, imo ipsa animae valetudo, ac sanitas, quaeritur. Nos quidem cum patrem, caput amiserimus, sic ferme, veluti naturale est, extabuimus; & tamen resumimus spiritum, tanquam surculos edituri, postquam cladem maximam fortuna fecit. Tibi membrum aliquod abreptum, quamquam carissimum, si nihil aliud, leviorem prae nobis dolorem esse patietur. Cumque orphani nos paullulum erigamur, quid tanto viro defuerit, cui solidum est omne Christianum robur; & in hac causa, viridique senectute, virenti palmae non absimile? Sed hactenus quidem, ne quod dici solet, Sus Minervam. Quod Dissertationem meam spectat; si praeter spem Blauwius manum non admovisset, Elzeviriis eam tradi peto, qui non hanc modo, sed & Cretam ipsam, absque omni mora edituros, polliciti sunt. Quicquid fuerit (nam & Cretam non video sic urgeri nunc debere) quaeso, ut Dissertatiunculam, cum Elzeviriis mitti impressa valeat, quos proxime speramus. Paucarum pagellarum est, iacturae, aut impensae illius, quae ob exilitatem vix aestimari possit. Alias, praeter Cretam, omnes parentis lucubrationes, quotquot fuerint, remitti peto; hoc enim regno excudi facilius curabo. Spero autem antequam de Creta quicquam fiat, me literas a te recepturum; quibus me certiorem facies, an parentis dedicatoria ad Franciscum Molinum (b) adnexa sit. De quibus omnibus, porro te etiam atque etiam rogatum volo, Vir maxime, ut molestiam imputare fidei, ac benevolentiae, tuae cupias; mihique ad omne genus, tam officiorum, quam literariae laudis, facem praebere, imo, ut rectius dicam, calcar addere. Potes enim, potesque. Mater, soror, tui, tuorumque causa, solicitae ac prorsus anxiae, salutem tibi dicunt plurimam, & decumbenti filio, meliora omnia per me, & mecum, simul adprecantur. Vale, decus unicum aevi nostri, nostrae domus praesidium.

Datum Sorae, ad diem XII. April, Anno CIƆ IƆ CXL.

Tuus omni cultu & observantia,

IOANNES MEURSIUS Filius.

Haec scripsi, etenim dubito, num epistola mea, per Hamburgensem nuntium missa, tradita sit.

DCCCCXXXIV.

VIRO INCOMPARABILI, D. DOCTORI

GERARDO IOANNI VOSSIO.

Non potui, Vir amplissime, data occasione, quin literarum aliquid iterum ad te darem: & iis favorem tuum mihi conciliarem. Vir summe, utinam iam mihi, fere desiderio tabescenti, paterna monumenta transmitti possent: si tibi forsan occasio sit denegata, quaeso Ludovico Elzevirio, qui ea omnia, ut recte ad me perveniant, operam dabit. Dissertatiunculam meam pari desiderio exspecto; in cuius frontispicio, hanc imaginem praeponi benevole etiam volo: te, magne Vossi, rogo, propter caritatem, & amorem tuum, quo semper candide patrem meum prosequutus es, sit tibi de Dissertatiuncula edenda cura. Quod adeo urgeo

(a) De qua Dissertatione heic agat, mihi incertum. Nam tres Dissertationes *Meursium* Iuniorem elucubrasse novi, *Arboretum Sacrum* scilicet, quod in calce Tomi X. edidimus: *De Tibiis Veterum*, quam in hoc volumine exhibebimus, & de qua Consulatur interius Epistola DCCCXXXV. aliamque *De Corona*, quam hactenus invenire & comparare non potui.

(b) *Dominici Molini* Veneti Patricii, filius *Franciscus* fortasse fuit.

urgeo, quaeso, mihi ignoscas; nam in caussa est peregrinatio mea, quam, volente Deo, hoc autumno, vel futuro vere, ad ultimum instituere cupio. Dissertatiunculae meae triginta exemplaria bene compacta, inauratis foliis, tradas quaeso meo nomine, illustri Domino Cornelio Vander Mylen (a), qui curabit, ut Venetiis, inter Patricios & Senatores, distribuantur. Vale, decus aevi nostri, nostrae domus praesidium. Mater mea, & soror, tibi, tuisque, per me salutem plurimam officiose adnuntiant.

Scribebam Sorae Danorum, ad d. IV. Iun. An. CIↃ IↃCXL.

Tuus omni cultu, & observantia.

IOANNES MEVRSIVS FILIVS.

DCCCXXXV.

EIDEM.

Celeberrime & Amplissime Vir,

ADeptus certissimam occasionem per hunc studiosum Gothofridum Kretschmarum, iterum ad te scribere non omittendum illud, sed faciendum mihi, putavi. Tum etiam progressum Dissertationis meae exquirere: quam quidem, etsi paratam spero, tamen dubito. Ideoque nunc abs te peto, responsione me digneris, ac hac de re certiorem facias quam celerrime. Clarissime vir, Typographus ille Lugdunensis Iacobus Marci, certe non praestat se erga me honestum, probum, aut sincerum, virum, sed mendacem & nebulonem. Et profecto, si ille Iacobus Marci Dissertationem meam brevi temporis spatio non absolverit, hoc in regno excudi curabo. Sed tunc faciam ad lectorem praefatiunculam, in qua Iacobum Marci (caussis meis iustis adhibitis) ut hominem mendacem & nebulonem apud omnes declarabo. Quaeso maximopere, Iacobo Marci haec epistola ad perlegendum detur. Clarissime vir, Patrone patris instar colende, exemplaria quaedam Dissertationum mearum tibi etiam transmitto, quae pro arbitrio tuo inter amicos dividere velis, obnixe peto. Praeterea etiam habeo sub prelo Typographi nostri tractatum de Tibiis: cuius exemplaria data alia occasione quoque accepturus es. Vale ac vive diu tuis & patriae.

Scribebam Sorae Danorum ad diem VI. Maii Ann. CIↃ IↃCXLI.

Tuus omni cultu, & observantia,

IOANNES MEVRSIVS FILIVS.

EXPLEMENTVM.

QVum vacuae paginae hiarent in harum Epistolarum calce, Typographus rogavit, ut eas aliqua brevi commentatione replerem. Ipse autem reputans, Ioannem Meursium, *& plerosque omnes harum Epistolarum Auctores, in ea haeresi fuisse, quae negat verum & naturale* Iesu Christi *Servatoris nostri Corpus & Sanguinem in Eucharistiae mysterio ab Christianis hominibus communicantibus sumi; ut errorem perspicuis & disertissimis* Christi *verbis adeo contrarium & repugnantem, testimonio etiam Graeci Theologi, qui non aliam, quam suae Ecclesiae persuasionem saeculo ante ortos Sectarios recentiores vertente tenaciter amplectebatur, iugulem, confodiam, evertam; Epistolam Michaelis Glycae,* quam *Bonaventura Vulcanius* sub *Ioannis Zonarae* nomine edidit *heic proferre lubet, in qua talis quaestio & controversia agitatur, qualis ab eo moveri non potuisset, nisi veram* Christi *Carnem, & verum* Christi *Sanguinem, in Eucharistia sumi, plene firmiterque credidisset. Disputat enim, quomodo incorruptus sit Eucharistiae panis, etsi dentibus corrumpatur; respondetque, quum ille sit vera* Christi *Caro, quemadmodum* Christi *Caro corruptibilis fuit, & deinde incorrupta evasit; sic panis Eucharisticus, etsi corruptibilis sit, incorruptus efficitur, speciebus corruptibilibus evanescentibus, & Christo sua gratia, & virtute animae sumentis adhuc inhaerente, & eius Carne, ut antea, permanente incorrupta. Quum enim sit vera* Christi *Caro, similis quodammodo conditionis in Sacramento esse debet, ac in vita mortali fuit. Sin minus autem digne comedatur, species quidem corrumpuntur, Christi autem Caro semper incorrupta manet, licet gratiam & virtutem sumentis animae non impertiatur.*

MI-

(a) De hoc consule superius Epistola DCCCXIV.

ΜΙΧΑΗΛΟΣ ΤΟΥ ΓΛΥΚΑ ΕΠΙΣΤΟΛΗ Η ΛΟΓΟΣ.

Οἶδα μὲν οὖν, ἀγαπητὲ, ὅτι τῷ ἰδίῳ παρασυρόμενοι λογισμῷ τινες, καὶ περὶ τῆς φύσεως τῶν ἀχράντων τοῦ Χριστοῦ μυστηρίων οὐ μικρῶς ἀμφιβάλλουσι· ποτὲ μὲν ἄφθαρτον ἀποκαλοῦντες, ὡς ἀθανάτου ζωῆς πρακτικὸν, ποτὲ δὲ φθαρτὴν εἶναι διισχυρίζονται, ἐπειδὴ δαπανᾶται τοῖς ὀδοῦσιν ἡμῶν, καὶ βιβρώσκεται. Ταύτῃ τοι, καὶ πολλὰ μὲν ἐπιχειροῦσι λέγειν οἴκοθεν, ἀσυλλόγιστα δὲ παίζειν ὡς ἔοικεν ἐν οὐ παικτικοῖς, καὶ γελᾷν ἐν ἀγελάστοις, οὐκ ἀσφαλῶς προαγόμενοι. ἀλλὰ μὴ κατ' ἐκείνους, ἀγαπητὲ, τὰ θεῖα, καὶ σὺ πολυπραγμόνει μυστήρια· μὴ οἷα τεθαῤῥηκὼς ἑαυτῷ ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδᾷν, εἴτε φθορᾶς ἀνωτέρα ἐστὶν ἡ ἁγία τοῦ Χριστοῦ μετάληψις, εἴτε καὶ πρόσκαιρος αὐτὴ, περιεργαζόμενος. Τὰ γὰρ τοιαῦτα σιωπῆς μᾶλλον ἢ ἐξετάσεως ὑπάρχουσιν ἄξια. πλὴν μὴ ἐπὶ τοσοῦτον ἀμφιβαλλέτω σου ὁ λογισμὸς, τῷ μὲν αὐτῶν ὡς εὐσεβεῖ ῥηθὲν προσκείμενος· τὸ δὲ πάλιν, ὡς ἀσεβὲς, μὴ παραδεχόμενος· εὑρήσεις γὰρ ἐπὶ τῆς κοινωνίας ταύτης ἀμφότερα, εἴγε καθολικῶς ἐξετάζεις τοῦ λόγου τὴν δύναμιν. Ὁ μὲν οὖν ἄρτος τῆς προθέσεως, αὕτη ἐστὶν ἐκείνη ἡ τοῦ Χριστοῦ σὰρξ ἡ σφραγισθεῖσα τότε καὶ τῷ τύπῳ δοθεῖσα, καὶ δῆλον ἐξ ὧν αὐτὸς ἔλεγε τοῖς ἀποστόλοις ὁ Κύριος, ἡνίκα τὰ τῆς καινῆς διαθήκης ὑπετίθει μυστήρια. Τούτων γὰρ μεταδιδοὺς αὐτοῖς ἔλεγε, Λάβετε, φάγετε, τοῦτό ἐστιν τὸ σῶμά μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. Πρόσεχε οὖν. εἰ μὴ φθαρτὴ ἐτύγχανεν ἡ τοῦ Κυρίου σὰρξ, οὐκ ἂν ὑπέπεσε τῇ τοῦ θανάτου φθορᾷ. Τὸ γὰρ ἄφθαρτον, πάσης ἀνώτερον ὑπάρχει φθορᾶς. οὕτω μὲν οὖν, καὶ ὁ τῆς προθέσεως ἄρτος φθορᾷ ὑποκείμενος, ἅτε σὰρξ ὢν ἀληθῶς τοῦ Χριστοῦ, καὶ τέμνεται τοῖς ὀδοῦσιν ἡμῶν καὶ ἀλήθεται. Εἰ γὰρ ἄφθαρτος ἦν, οὐκ ἂν ἐδέχετο τομὴν οἵαν δή τινα, οὔτ' ἂν ὅλως παρ' ἡμῶν ἐβιβρώσκεται, πλὴν μὴ ἐπιστυγνάσῃς. μηδὲ βαρὺ δόξῃ σοι καὶ φορτικὸν τὸ λεχθέν. εἰ γὰρ καὶ φθορὰν ἤκουσας ἐπὶ τῆς θείας ταύτης, καὶ φρικτῆς μεταλήψεως, ἀλλὰ, καὶ ταύτῃ ἀφθαρσία ἐφέπεται ὕστερον, ὡς ὁ λόγος γνωρίσει. ἡ γὰρ τοῦ Κυρίου σὰρξ, εἰ καὶ θανάτῳ περιέπεσεν, εἰ καὶ τῷ τάφῳ δοθῆναι ἔφθασεν, ἀλλ' οὐχὶ καὶ διαφθορὰν ὑπέστη κατ' εἰπόντα προφήτην· οὐδὲ δώσεις τὸν ὅσιόν σου ἰδεῖν διαφθοράν. τῇ γὰρ θεότητι φυλαχθεῖσα, παντάπασι γέγονεν ἄφθαρτος· οὕτω καὶ ὁ τῆς προθέσεως ἄρτος κατὰ τὸ δαπανηθῆναι τοῖς ὀδοῦσι, καὶ τῷ οἰσοφάγῳ καθάπερ τάφῳ παραδοθῆναι, πρὸς ἀφθαρσίαν ἀναχωρεῖ, κατὰ τὸν Δαμασκηνὸν Ἰωάννην, τῇ τῆς ψυχῆς οὐσίᾳ κατατασσόμενος· ἔνθεν τοι καὶ ἐκδημῆσαι τῶν ὧδε μέλλοντες, ἐὰν τύχωσι μετασχόντες ἐν καθαρᾷ συνειδήσει τῶν ἁγίων τοῦ Χριστοῦ μυστηρίων, ὑπ' ἀγγέλων δορυφορούμενοι ἀπάγονται δι' ἐκεῖνο πάντως τὸ ληφθὲν, ὡς ὁ θεῖος ἔφη περὶ τούτου Χρυσόστομος. Ἀλλ' ὅρα κἀνταῦθα φιλανθρωπίαν Θεοῦ. Ἐπειδὴ γὰρ ὁ πολυμήχανος δράκων διὰ γεύσεως ἡμῖν ἐνῆκε τὸν ὄλεθρον· διὰ γεύσεως αὖθις καὶ τὰ τῆς θεραπείας ἐπινενόηται. ὅθεν οἱ μακρύνοντες ἑαυτοῖς ὁπωσδήποτε τῆς ἁγίας τοῦ Χριστοῦ κοινωνίας, μετὰ τῶν ζώντων εἶναι ὅλως οὐ δύνανται. καὶ τοῦτο δηλῶν ὁ Κύριος ἔλεγεν, ἐὰν μὴ φάγητε τὴν σάρκα τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, καὶ πίητε τὸ αἷμα αὐτοῦ, οὐκ ἔχετε ζωὴν ἐν ἑαυτοῖς. Οὐκοῦν ἐκκαθάρωμεν ἑαυτοὺς καὶ τῇ πνευματικῇ τραπέζῃ προσέλθωμεν, καὶ οὕτω τροφῆς ἀθανάτου γενόμενοι μέτοχοι, καταντήσομεν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ Κυρίῳ ἡμῶν, ᾧ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΠΡΟΚΛΟΥ
ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥΠΟΛΕΩΣ ΑΡΧΙΕΠΙΣΚΟΠΟΥ
ΛΟΓΟΣ.

S. PROCLI
ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI
ORATIO
CVM IOANNIS MEVRSI EMENDATIONIBVS.

Εἰς τὸ γενέθλιον τῦ Κυρίυ ἡμῶν Ἰησῦ Χριςῦ.

ΛΑΜΠΡΑ ϗ παράδοξος τῆς παρέσης ἑορτῆς ἡ ὑπόθεσις· [1] λαμπρὰ μὲν, ὅτι ξένην ἀνθρώποις σωτηρίαν ἐπανήγαγεν· παράδοξος δὲ, ὅτι τὸν τῆς φύσεως νόμον ἐνίκησεν ὁ τόκος [2]. φύσις μὲν γὰρ ἐννοεῖται τὴν τεκοῦσαν μητέρα [3]· ἡ δὲ χάρις ϗ τεκῦσαν ἔδειξε, ϗ παρθένον ἐφύλαξε, ϗ μητέρα ἐποίησε, ϗ τὴν ἀφθαρσίαν ὐκ ἔβλαψεν. ὦ γῆς [4] ἀσπόρου καρπὸν βλαςησάσης ὐράνιον; ὦ παρθένος ἀνοίξασα τῷ Ἀδὰμ τὸν παράδεισον· μᾶλλον δὲ τῦ παραδείσου ἐνδοξοτέρα ὑπάρχυσα; ὁ μὲν γὰρ Θεῦ γεώργιον γέγονεν· ἡ δὲ κατὰ σάρκα Θεὸν αὐτὸν ἐγεώργησε. δεῦτε οὖν πάντες, τῆς τῦ δεσπότου μητρὸς μήπως ϗ τοὺς γάμους χορεύσωμεν· παρθένος γάρ ἐςι γάμων ἀμύητος, καὶ γάμων ἀβόητος· ἀλλὰ τὰς ἀνυμφεύτου αὐτῆς ὠδῖνας τιμήσωμεν [5]. μήτηρ γὰρ ϗ ἄνευ γάμων ἐγένετο ϗ ἀνδρὸς πεῖραν ὐκ ἔλαβε· ϗ ὀρφανὸς ὁ παῖς οὐχ εὑρίσκεται. δεῦτε ἴδωμεν γαςέρα [6] παρθένου πλατυτέραν τῆς κτί-

In Natalem Diem Domini nostri Iesu Christi.

PRAECLARVM ac admirabile praesentis Solemnitatis argumentum: praeclarum quidem quod novam hominibus revexerit salutem: admirabile autem, quod partus naturae leges evicerit. Nam natura quidem adgnoscit puerperam: at gratia, puerperam pariter effecit, ac custodivit virginem: exhibuitque matrem, nec quicquam integritatem laesit. O terram non satam, quae coelestem fructum protulit! O virginem, quae Adamo paradisum reseravit! imo, quae ipso paradiso gloriosior exstitit. Nam paradisus quidem Dei cultura fuit: haec autem Deum ipsum carnis ratione excoluit. Agite huc itaque omnes, non quidem matris Domini nuptias, choreis ac tripudio celebraturi; virgo enim est nuptiarum expers, ac omnino nuptiarum exsors: sed eius innuptae partum honoribus prosecuturi. Tametsi enim innu-

---

Quum in editione huius Sancti *Procli* Orationis, Lugduni Batavorum cum aliis eiusdem Patriarchae opusculis anno MDCXVII. typis *Iacobi Marci* a *Geverharto Elmenhorstio* adornatae, hanc eiusdem *Elmenhorstii* Epistolam Cl. V. *Ioannis Meursii* Emendationibus praefixam invenerim; operae pretium me facturum existimavi, si Meursianas Emendationes exhibens, & eam in medium adducerem.

GEVERHARTVS ELMENHORSTIVS LECTORI.

DEdi pronuper Iacobo Marci, civi & bibliopolae Leidensi, duas Procli Episcopi Constantinopolitani Orationes, quas ex corruptissimo manuscripto codice excerpseram. Eas dum vulgare parat Typographus forte fortuna inspexit clarissimus, & praestantissimus vir, Ioannes Meursius, Iurisconsultus & Professor Leidensis, qui, ut est Hellenismi peritissimus, loca aliquot male adfecta in illis persanavit feliciter, eaque per Lucam Holsteinium, iuvenem eximium, & propter optimas artes, quas studiose colit, nobis percarum, benigne nobiscum communicavit, quibus te, erudite Lector, fraudare nolui.

In Homiliam Procli in Nativitatem Christi Cl. Viri Ioannis Meursii Emendationes.

(1) Editio Lugduni Batavorum facta anno MDCXVII. legebat: τῆς ὑποκειμένης ἑορτῆς ἡ ὑπόθεσις. Quare *Io. Meursius* ita corrigebat: Λαμπρὰ ϗ παράδοξος τῆς ὑποκειμένης ἑορτῆς ἡ ὑπόθεσις. Scrib. ὑποκ. ἑορτῆς ἡ ὑπόθεσις.

(2) *Meursius* ita correxerat: Τῆς παραδόξος δὲ ὅτι τὸν φύσεως νόμον.) Transposita verba sic restituo. παράδοξος δὲ, ὅτι τὸν τῆς φύσεως νόμον, &c.

(3) *Meursius* locum mutilum existimabat, quare scripsit: Φύσις γὰρ ἀγνοεῖ τὴν τεκῦσαν μητέρα.) Puto mutilum locum, atque excidisse verbum παρθένον, restituendumque Φύσις γὰρ ἀγνοεῖ τὴν παρθένον τεκῦσαν μητέρα. Confirmant coniecturam meam verba sequentia: ἡ δὲ χάρις ϗ τεκῦσαν ἔδειξεν, ϗ παρθένον ἐφύλαξεν, ϗ μητέρα ἐποίησεν.

(4) Non probo *Meursii* lectionem: Ω γῆς ἀσπόρυ καρπὸν βλαςησάσης σωτήριον! Scrib. ὦ τῆς ἀσπόρυ.

(5) Hic *Meursius* haec adnotat: Δεῦτε ὖν πάντες τῆς τῦ δεσπότυ μητέρος μὴ τοὺς γάμυς χωρήσωμεν. παρθένος γὰρ ϗ γάμω ὠμόιητος. ἀλλὰ τὰς ἀνεφεύκτυς αὐτῆς ὀδύνας τιμήσωμεν.) Restituo. δεῦτε οὖν, πάντες τῆς τῦ δεσπότυ μητέρος μὴ τὺς γάμυς χορεύσωμεν. παρθένος γὰρ, ϗ γάμον ἀμύητος. ἀλλὰ τὰς ἀνυμφεύτυς αὐτῆς.

(6) *Meursius* ita adnotat: Δεῦτε, ἴδωμεν γαςέρα πλατυτέραν τῆς κτίσεος. Recte in MS. erat γαςέραν, quod non mutandum. Nam posterioris aevi Graeci γαςέρα dicebant in nominativo, pro γαςὴρ, qualia nobis multa observata in nostro Glossario Graecobarbaro.

innupta, mater effecta eſt, nec tamen eſt ex perta virum, ac neque puer orphanus in venitur, ac orbus patre. Agite intueamur virginis uterum mundo ipſo ampliorem: quem enim ille capere non poterat, hunc iſte capiens non arctatur: atque is, qui & ipſam genitricem cum univerſis aliis manu portat, idem ipſe in utero ab ea portatur. Agite, videamus non exciſum lapidem, in virginali geſtatum uteri tunica, ac ventris aranea, nec quicquam laedentem naturam, ſed mundum fulcientem. Agite, navis mare pervagantis viam oculos fugientem con ſpiciamus, quae nimirum auctorem mali profundo merſerit; primum vero formatum hominem expiſcata, ex imo gurgite extraxerit: cuius & ingreſſus admirabilis ſit, & egreſſus ineffabilis. Agite, ſpiritalem adſpe ctemus ſerpentem ſermones cum Evae filia miſcentem, ac contumaciae libellum abrogantem. Agite, ipſam contueamur divini tatis lucem, quaſi e pellucido corpore, gratiae radios emittentem.

Accurrant mulieres, quod mulier non mortis arborem oſtendat, ſed pariat fructum vitae. Concurrant virgines, quod virgo pepererit, nedum non violata virginitate, ſed & obſignata integritate. Prodiit enim infans, & integras uteri tunicas reliquit, ac naturae opi ficinam, quo repererat modo, dimiſit, augens gratiae cremento. Accurrant matres, eo quod virgo mater, inobedientiae arborem vitae arbore emendavit. Concurrant filiae, quod inobedientiae maternae iniuriam, filiae obe dientia vindicarit. Accurrant patres, pro pter eum, qui noviſſimis ſaeculis natus eſt pater. Concurrant infantes, eius cauſa, qui infans in praeſepio pannis involvitur. Accurrant paſtores, propter ortum ex agna virginali paſtorem. Paſtor namque, novum compactam induit corporis pellem; videntque lupus agni ſpeciem, in eum hians unde quaque incurrit. Verum dentes quidem acuit, carnes tamen agni immaculati nec delibare potuit. *Nam eius caro non vidit corruptionem*. Etenim agnus ipſe lupum occidit, ac quos ille a ſaeculo tenebat, ven trem edacis ferae evomere compulit, ſic humanum extrahens genus, velut olim Ionam

σεως. ὁ γὰρ ἐκεῖ μὴ χωρϑμενος, ἐνταῦθα ἀςενοχωρήτως ἐχώρησε· κ὾ ὁ ἐν τῇ χειρὶ καὶ αὐτὴν τὴν τεκοῦσαν βαςάζων μετὰ πάντων, ὑπὸ ταύτης ἐν γαςρὶ βαςάζεται. δεῦτε ἴδωμεν τὴν ἀλατόμητον [1] πέτραν ἐν τῇ παρθενικῇ ἀράχνῃ ὑπερφυῶς φερομένην, κ὾ τὴν φύσιν μὴ βλάπτουσαν, ἐ τὸν κόσμον ἑδράζουσαν. δεῦτε ἴδωμεν νηὸς [2] ποντοπορούσης ἀθεώρητον πορείαν, τῆς βυθισάσης μὲν τὸν ἀρχίκακον ἁλιευσάσης δὲ τὸν πρωτόπλαςον. ἧς κ὾ ἡ εἴσοδος ἀνιςόρητος, καὶ ἡ ἔξοδος ἀνερμήνευτος. δεῦτε ἴδωμεν τὸν νοητὸν ὄφιν, τὸν τῇ θυγατρὶ τῆς Εὔας προσομιλϑντα, καὶ τὸ γραμμάτιον τῆς παρακοῆς ἀκυρϑντα. δεῦτε ἴδωμεν καὶ τὸ φῶς τῆς θεότητος, ὡς διαφανϑς τϑ σώματος, τὰς ἀκτῖνας ἐκπέμπον τῆς χάριτος.

Γυναῖκες τρεχέτωσαν, ὅτι γυνὴ οὐ θανάτου δεικνύει φυτὸν, ἀλλὰ ζοῆς τίκτει καρπόν. παρθένοι συντρεχέτωσαν, ὅτι παρθένος ἔτεκεν, οὐχὶ τὴν παρθενίαν αἰσχύνϑσα, ἀλλὰ τὴν ἀφθαρσίαν σφραγίσασα. ἐξῆλθε γὰρ τὸ βρέφος, κ὾ ἀκεραίϑς τοὺς χιτῶνας τῆς γαςρὸς ἀπέλιπε. τοιοῦτον ἀφεὶς ἐν προσθήκῃ τῆς χάριτος, οἷον εὗρε τὸ τῆς φύσεως ἐργαςήριον. μητέρες τρεχέτωσαν, ὅτι μήτηρ παρθένος τὸ ξύλον [3] τῆς παρακοῆς διὰ τϑ ξυλου τῆς ζωῆς διωρθώσατο. θυγατέρες συντρεχέτωσαν, ὅτι μητρικῆς παρακοῆς ὕβριν, θυγατρὸς ὑπακοὴ [4] ἐξεδίκησε. πατέρες τρεχέτωσαν, διὰ τὸν ἐπ' ἐσχάτων τῶν αἰώνων τεχθέντα πατέρα. βρέφη συντρεχέτωσαν, διὰ τὸ ἐν φάτνῃ σπαργανϑμενον βρέφος. ποιμένες τρεχέτωσαν, διὰ τὸν ἐκ τῆς παρθενικῆς ἀμνάδος προελθόντα ποιμένα ὁ γὰρ ποιμὴν, τὴν ξενοπαγῆ [5] τϑ σώματος περιέθετο δοράν· κ὾ ὁ λύκος ὡς ἀμνὸν ἰδὼν περιέτρεχεν κεχηνώς· ἀλλὰ τϑς μὲν ὀδόντας ἐκόνησε· τῶν δὲ σαρκῶν τϑ ἀμώμου ϑκ ἴσχυσε γεύσασθαι. ἡ γὰρ σὰρξ αὐτϑ ϑκ εἶδε τὴν διαφθοράν. ὁ γὰρ ἀμνὸς τὸν λύκον ἀπέκτεινε, καὶ τοὺς [6] ἀπ' αἰῶνος ἐξεμέσαι ἠνάγκασεν ἐξ αὐτῆς τῆς γαςρὸς τϑ παμφάγου θηρὸς, ὡς τὸν Ιωνᾶν ἐξελκύσας ἐκ τϑ κήτους τὸν ἄνθρωπον. βασιλεῖς συντρεχέτωσαν, ὅτι ὁ βασιλεὺς τῆς δόξης ἀνθ' ἁλουργίδος [7] τὰ σπάργανα περιέθετο. ἄρχοντες τρεχέτωσαν, ὅτι ὁ ἄρχων τῆς εἰρήνης ἐν τῷ παρθενικῷ ἐργαςηρίῳ χαλκεύσας τὸ ὅπλον τϑ σώματος, καὶ ςομώσας αὐτο [8] τῇ ἀχράντῳ θεότητι, τὸν πολέμιον διάβολον δι' αὐτϑ ἐθανάτωσεν. ὕπατοι συντρεχέτωσαν, ὅτι ὁ ἐπουράνιος τὸν ἐπίγειον κατέλαβεν ὕπατον· δίφρον ἔχων καλλιπρεπῆ τὴν Θεοτόκον παρθένον Μαρίαν· τόγαν

---

(1) Quum corruptum eſſet exemplar *Meurſius* ita reſtituerat: Δεῦτε, ἴδωμεν τὴν ἀλατίμητον πεῖραν ἐν τῇ, &c.) Reſcribo. δ. ἴ. τὴν ἀτόλμητον πεῖραν.

(2) *Meurſius* iam ita correxerat: Δεῦτε, ἴδωμεν ἑωσ' ποντοπορούσης ἀθεώρητον πορείαν.) Scribend. δ. ἴ. νηὸς ποντοπορϑσης.

(3) Reſtituerat etiam *Meurſius*: Μήτηρ παρθένος τὸ ξύλον διὰ τῆς παρακοῆς δι' αὐτϑ ξύλϑ τῆς ζωῆς διωρθώσατο.) Male geminatum verbum Διὰ. Reſcribo. ὅτι μήτηρ π. τὸ ξύλον τῆς παρακοῆς διὰ τϑ ξύλϑ τ. ζ. δ.

(4) Correctionem & *Meurſius* viderat ita ſcribens: Μητρικῆς παρακοῆς ὕβριν θυγατρὸς ὑπακοὴν ἐξεδίκησεν.) Omnino ſcribendum ὑπακοή.

(5) *Meurſius* quoque reſtituerat. Διὰ τὸν ἐπέσχατον τῶν αἰανὸν τεχθέντα πατέρα.) Scrib. ἐπ' ἐσχάτων τῶν αἰώνων τεχθέντα. ὁ γὰρ ποιμὴν τὴν ξενωπαγεῖν τϑ σώματος δῶρα περιέθετο.) Reſtituo. ὁ γὰρ ποιμὴν τὴν ξενοπαγῆ τϑ σώματος δορὰν περιέθετο.

(6) Correxerat *Meurſius*: O γὰρ ἀμνὸς τὸν λύκον ἅπαξ κτεῖνε, κ὾ τϑς ἀπ' αἰῶνος ἐξαίμεσαι ἠνάγκασεν.) Scrib. κ὾ τϑς ἀπ' αἰῶνος ἐξεμέσαι ἠνάγκασε.

(7) *Meurſius* aliter locum reſtituit: Ὅτι ὁ βασιλεὺς ἀνταλϑραίδα τὰ σπάγανα περιέθετο.) Scrib. ὁ βασιλεὺς ἀνθαλϑργίδια τὰ σπάργανα π. Eleganter τὰ σπάργανα vocat ἀνθαλϑργίδια, quae τῆς ἁλϑργίδος ἄξια.

(8) *Meurſius* antea ita correxerat: Καὶ ςομώσας αὐτῷ τῇ ἀχράντῳ θεότητι) Scrib. κ὾ ςομώσας αὐτό.

γαν ὑπατικὴν [1], τὴν ἄσπορον σάρκα [2], λίθȣς ἔχȣσαν [3] τιμίους τῶν ἁγίων τȣ̀ς βίȣς. μαργαρίτας ἀτιμήτȣς, τῶν προφητῶν τὰς πολυτιμήτους προῤῥήσεις· οὐ χρυσὸν σκορπίζων τῆς ἀταξίας τὸν αἴτιον [4], ἀλλ' εὐσπλαγχνίαν βραβεύων τῆς σωτηρίας τὴν πρόξενον. ἰδιῶται τρεχέτωσαν, ὅτι ὁ κριτὴς ἰδιωτικὸν ἱμάτιον [5] περιέθετο, ἵνα τὸν κλέπτην διάβολον δι' αὐτȣ̃ θηράσῃ κρυπτόμενον, ϗ ἐκθωρακίζῃ ὁπλώμενον· ξένον τὸ ἔνδυμα, ϗ καινότατον τὸ ἱμάτιον· ϛ ἡ πῆξις παράδοξος, ὡς ἀνθρωπίνης τέχνης ἀμέτοχος. ὦ παρθένε κόρη ἀπειρόγαμε, ϗ μήτηρ ἀλόχευτε· πόθεν λαβοῦσα τὸ ἔριον κατεσκεύασας ἱμάτιον, ὃ σήμερον ὁ δεσπότης τῆς κτίσεως ἐνεδύσατο; ποῖον δ' εὗρες ἱςῶνα γαςρὸς, ἔνθα τὸν ἄῤῥαφον χιτῶνα ἐξύφανας; ἀκȣ́ειν τῆς φύσεως ἀντὶ τῆς παρθένȣ εἶπον. φυλάττει γὰρ τάξιν τῷ παρθενικῷ τόκῳ τὸν λόγον. ἱμάτιον σαρκὸς δίχα κοινωνίας ἀνδρὸς οὐκ οἶδα ποιεῖν. ὁ ἐμὸς ἱςὸς ῥυπαρὰ ποιεῖ τὰ ἐνδύματα. ἐνεδύσατο ὁ Ἀδὰμ, ϗ ἐγυμνώθη, ϛ φύλλα συκῆς μεθ' αἰσχύνης περιεβάλετο. ὅθεν εἰς διόρθωσιν τȣ̃ φθαρέντος χιτῶνος ἡ σοφία ἑαυτῇ τὸν χιτῶνα τȣ̃ σώματος ἐν τῷ παρθενικῷ ἐργαςηρίῳ κερκίδι θεϊκῆς ἐργασίας ἐξυφάνασα περιέθετο. [6]

Θέλω δὲ διὰ τȣ̀ς ἀπίςους Ἰουδαίους, ϗ τὴν παρθένον ἐρωτῆσαι. εἰπέ μοι παρθένε, τίς σε μητέρα πρὸ τῶν γάμων ἐποίησε; πῶς μήτηρ ἐγένου, ϗ παρθένος διέμεινας; πληροφόρησον τȣ̀ς Ἰουδαίους, ὅτι παρθένος ἐγέννησεν. ἔμφραξον τῶν ἀπίςων τὰ ςόματα. ἡ δὲ τῇ δυνάμει μοι ἀποκρίνεται· πῶς ξενίζονται οἱ Ἰουδαῖοι, ὅτι παρθένος ἐγέννησεν· ϗ οὐ ξενίζονται πῶς ῥάβδος ξηρὰ παρὰ φύσιν [7] ἐβλάςησε; βλέπουσιν ἄῤῥιζον βακτηρίαν ὑπὸ ςέγην βλαςήσασαν, ϗ ȣ̓κ ἐρωτῶσι πόθεν, ἢ πῶς; ϗ περὶ ἐμοῦ μελετῶσιν ἀεί; ἰδοὺ ἡ παρθένος ἐν γαςρὶ λήψεται, ϗ τέξεται ὑιόν. βλέπουσι τὸ βρέφος, ϗ πράγματα πράττȣσι τῇ τεκούσῃ· ϗ πατέρα ζητȣ̃σιν, οὗ τὴν μητέρα παρθένον ἀναγινώσκουσιν; ἢ πατέρα ζητεῖς, ὦ Ἰȣδαῖε, τȣ̃ σήμερον γεννηθέντος ὑιοῦ; ἄκουε τȣ̃ βοῶντος· Κυριος εἶπεν πρὸς με· ὑιός μου εἶ σύ· ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε. οὐκ ἐγώ σου πρὸ αἰώνων γεννήτωρ, ϗ ἄλλος δέ σου σήμερον τεχθέντος πατήρ. εἴτε ἀπάτωρ λεγέσθω ὁ σήμερον τεχθεὶς, ὥσπερ οὖν καὶ ἔςιν. Εἴτε ἐμὸς ὀνομαζέσθω ὑιός. Εἷς γὰρ ὑιὸς ἀπὸ δύο πατέρων γεννᾶσθαι οὐ πέφυκεν. ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε. σήμερον γὰρ

e ventre ceti. Concurrant reges quod rex gloriae pro regali trabea faſciis involutus ſit. Accurrant principes, quod princeps ille pacis in virginali opificina, corporis arma cudens, eaque incontaminata Deitate durans iiſdem diabolum hoſtem interemerit. Concurrant conſules, quod coeleſtis terreſtrem adſumſerit conſulem, pulcram habens ac decoram ſellam curulem ſanctam Dei Genitricem Virginem Mariam; conſularem vero togam, nullo carnem ſatam ſemine, pretioſis illam intextam ac ornatam lapillis, nempe Sanctorum vitis, ac eorum rebus geſtis: inaeſtimabilibus margaritis; praeclaris nempe Prophetarum vaticiniis: non qui aurum diſpergat pravitatis auctorem, ſed qui miſericordiam ſalutis conciliatricem praemio donet. Accurrat plebs, quoniam iudex plebeio amictu indutus eſt, ut eo latitantem capiat furem Diabolum, armatumque exſpoliet. Mirum ſane, ac perquam novum indumentum; texturaque admirabilis, utpote abſque humanae artis ope. O virgo puella innupta, ac ſine puerperio ſordibuſque mater, undenam accepta lana veſtem hanc contexuiſti, quam mundi Dominus hodie induit? Ecquodnam textrinum uteri iugum inveniſti, in quo inconſutilem tunicam illam intexeres? Audiendam loco virginis, naturam ſuadeo: ordine enim ac ratione, virginali partui ſermonem ſervabit. Ego, inquit, haudquaquam carnis veſtimentum abſque viri conſuetudine intexere novi. Mea textura immunda facit indumenta. Induit Adam, atque nudatus, ficus ſe foliis pudore operuit. Idcirco ad corruptam, vitiatamque inſtaurandam tunicam, ipſa Sapientia, corporis tunicam in virginali opificina divinae operationis radio contextam adſumſit.

Verum ipſam quoque virginem infidelium Iudaeorum cauſa percontari libet. Dicito mihi, o virgo, quis te ante nuptias matrem fecit? Quonam pacto mater evaſiſti, & virgo permanſiſti? Fidem Iudaeis adſtrue, peperiſſe virginem: obſtruito infidelium ora. Porro illa in haec mihi verba velut reſpondet: Quid rei novitate ſtupent Iudaei, quod virgo peperit, nec virgam aridam

 prae-

(1) Aliter conabatur reſtituere *Meurſius*: Τὸν ἄγαν πατικὶν.) Scribe τὸν ἄγαν ὑπατικόν.

(2) Aliter legendum cenſet *Meurſius*: Τὴν ἄσπορον σάρκα.) Reſcribe, quemadmodum erat in MS. τὴν ἄσπορον σάρκαν. Poſteriores Graeci dicebant σάρκα pro σάρξ: ut infinita eius formae. Vide Gloſſarium noſtrum Graecobarbarum.

(3) Ita *Meurſius* reſtituit: Λίθȣς ἔχȣσα τιμίους.) Scrib. λίθȣς ἔχȣσαν τιμίȣς.

(4) Ita *Meurſius* quoque legebat: Τῆς ἀταξίας τὸν ἔτιον.) Scrib. τῆς ἀταξίας τὸν αἴτιον. Et mox τῆς σωτηρίας τὸν ἔτιον. Iterum ſcribe τ. σ. αἴτιον.

(5) *Meurſius* ita legendum cenſuit: Καὶ καινότατον τὸ ἱμάτιον.) In MS. erat ϗ καινοταίρων τωριμάτιον. Scribo. ϗ καινότερον τὸ ἱμάτιον.

(6) *Meurſius* locum ita iam reſtituerat: Ἡ σοφία ἑαυτὴν τὸν χιτῶνα τȣ̃ σώματος ἐν τῷ παρθενικῷ ἐργαςηρίῳ κερκίδι θεικῆς ἐργασίας ἐξυφάνασῳ περιέθετο,) Scrib. ἡ σοφία ἑαυτῇ τὸν χιτῶνα τ. σ. ἐ. τ. π. ἐ. κ. θ. ἐ. ἐξυφάνασα π.

(7) *Meurſius* locum corruptum ita pariter reſtituit: Ἡ δὲ τῇ δυνάμει ἀποφθέγγεται πῶς ξενίζονται οἱ Ἰȣδαῖοι, ὅτι παρθένος ἐγγένησε, ϗ ἔμφραξον τῶν ἀπίςων τὰ ςόματα. ἡ δὲ τῇ δυνάμει ἀποφθέγγεται, πῶς ξενίζονται οἱ Ἰȣδαῖοι, τὸ παρθένος ἐγγένησε, ϗ ȣ̓ ξενίζονται, πῶς ῥάβδος ξηρὰ παρὰ φύσιν ἐβλάςησεν.) Abundant verba, male repetita ab oſcitante librario. Eiice, & reſcribe. ἡ δὲ τῇ δυνάμει ἀποφθέγγεται πῶς ξενίζονται οἱ Ἰȣδαῖοι, ὅτι παρθένος ἐγέννησε, ϗ ȣ̓ ξενίζονται, πῶς ῥάβδος ξηρὰ παρὰ φύσιν ἐβλάςησεν;

praeter naturam germinasse stupent? Virgam vident sub tecto nulla radice producentem germen, nec unde, vel quomodo percontantur: de me vero iugiter meditantur? *Ecce virgo in utero concipiet, & pariet filium*. Infantem vident, ac dolos genitrici nectunt; eiusque exquirunt patrem, cuius matrem virginem legunt. Patremne quaeris, o Iudaee, eius filii, qui hodie natus est? Audi in haec verba clamantem: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu; ego hodie genui te*. Non ego te, ante saecula genui; ac alius tui hodie nati exsistit pater. Vel *sine patre* dicatur, qui hodie natus est, uti revera est; vel meus filius adpelletur. Vnus quippe filius, duplici patre nasci non potest. *Ego hodie genui te*. Hodie namque iustitiae sol nobis ortus est; *Populus* enim, *qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam*. Hodie granum illud non satum ex inculta campestri terra germinavit; mundusque famelicus laetatur ac gaudet. Nulla hodie mistione effloruit partus ex impolluto utero, omnisque natura infanti sine patre offert munera; terra, praesepe; petrae, lapideas hydrias; montes, speluncam; civitates, Bethleem; venti, obedientiam; mare, subiectionem; fluctus, tranquillitatem; profundum, pisces; pisces, staterem; aquae, Iordanem; fontes, Samaritanam; desertum, Ioannem; iumenta, pullum; volucres, columbam; Magi, munera: mulieres, Martham; viduae, Annam; steriles, Elisabet; virgines, Mariam Dei genitricem; pastores, laudationis canticum; sacerdotes, Simeonem; pueri, palmarum ramos: persecutores, Paullum: peccatores, publicanum: gentes, Chananaeam; haemorrhoissa, fidem; meretrix, unguentum: arbores, Zacchaeum: ligna, crucem: crux, latronem: oriens, stellam; coelum, Angelos: Gabriel, salutationem, nempe, *Ave gratia plena Dominus tecum*; & ex te, ac ante te. In te, ut ei placuit, illapsus: ex te ut voluit, egressus; ante te, ut ante omnem animi cogitatum, ineffabili ratione, incorrupte, mirabiliter, exnatura, impollute, impatibiliter, sine teste, sine medio, nulla alteratione, ineffabiliter, ac ea, quae Deum deceat, ratione, ex Deo & Patre genitus: qui in coelis sine matre; in terra sine patre est. *Gloria* namque *in altissimis Deo, & in terra pax, in hominibus bona voluntas*: nunc et semper et in saecula saeculorum, Amen.

ὁ τῆς δικαιοσύνης ἥλιος, ἐκ τῆς παρθενικῆς νεφέλης ἀνέτειλεν. ὁ λαὸς γὰρ ὁ καθήμενος ἐν σκότει, εἶδε φῶς μέγα. σήμερον ὁ ἄσπορος κόκκος ἐκ τῆς ἀγεωργήτου πεδιάδος [1] ἐβλάστησε, καὶ ὁ λιμώττων κόσμος εὐφραίνεται. σήμερον χωρὶς μίξεως τόκος ἤνθησεν ἐκ τῆς ἀλοχεύτου γαστρὸς, καὶ πᾶσα ἡ κτίσις τῷ ἀπάτορι βρέφει προσφέρει τὰ ξένια· ἡ γῆ, τὴν φάτνην· αἱ πέτραι, τὰς λιθίνας ὑδρίας· τὰ ὄρη, τὸ σπήλαιον· αἱ πόλεις, τὴν Βηθλεέμ· οἱ ἄνεμοι, τὴν ὑπακοήν· ἡ θάλασσα, τὴν ὑποταγήν· τὰ κύματα, τὴν γαλήνην· ὁ βυθός, τοὺς ἰχθύας· οἱ ἰχθύες, τὸν στατῆρα· τὰ ὕδατα, τὸν Ἰορδάνην· αἱ πηγαὶ, τὴν σαμαρεῖτιν· ἡ ἔρημος, τὸν Ἰωάννην. τὰ κτήνη, τὸν πῶλον· τὰ πετεινὰ, τὴν περιστεράν· οἱ μάγοι, τὰ δῶρα· αἱ γυναῖκες, τὴν Μάρθαν· αἱ χῆραι, τὴν Ἄνναν· αἱ στεῖραι, τὴν Ἐλισάβετ· αἱ παρθένοι, τὴν Θεοτόκον Μαρίαν· οἱ ποιμένες, τὴν ὑμνῳδίαν· οἱ ἱερεῖς, τὸν Συμεῶνα· οἱ παῖδες, τὰ βαΐα· οἱ διῶκται, τὸ Παῦλον· οἱ ἁμαρτωλοὶ, τὸν τελώνην. τὰ ἔθνη, τὴν Χαναναίαν· ἡ αἱμοῤῥοοῦσα, τὴν πίστιν· ἡ πόρνη, τὸ μῦρον· τὰ δένδρα, τὸν Ζακχαῖον· τὰ ξύλα, τὸν σταυρὸν· ὁ σταυρὸς, τὸν λῃστήν· ἡ ἀνατολὴ, τὸν ἀστέρα· ὁ ἀὴρ, τὴν νεφέλην· ὁ οὐρανὸς, τοὺς ἀγγέλους· ὁ Γαβριὴλ, τὸν ἀσπασμὸν, τὸ, χαῖρε κεχαριτωμένη, ὁ Κύριος μετὰ σοῦ, καὶ ἐκ σοῦ, καὶ πρὸ σοῦ· ἐν σοὶ εἰσελθὼν, ὡς ἠθέλησε πρὸ σοῦ, ὡς πρὸ πάσης ἐπινοίας, ἀῤῥήτως, ἀῤῥεύστως, ἀγαστῶς, ἀμυήτως, ἀμιάντως, ἀπαθῶς, ἀμαρτύρως, ἀμεσιτεύτως, ἀνεπιτάτως, ἀφράστως, καὶ θεοπρεπῶς, γεννηθεὶς ἐκ τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς· ἐν οὐρανοῖς, ἀμήτωρ· ἐπὶ γῆς, ἀπάτωρ· δόξα γὰρ ἐν ὑψίστοις Θεῷ· καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη· ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία· νῦν τε ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Αμήν.

(1) Locum depravatum ita *Meursius* correxerat: Ἐκ τῆς ἀγεωργήτου παιδιάδος.) Scribe ἐκ τῆς ἀγεωργήτου πεδιάδος.

IOANNIS MEVRSI FILI DE TIBIS COLLECTANEA.

VIRO ILLVSTRI ET GENEROSO

D. HENRICO RHAMELIO

ACADEMIAE SORANAE PRAESIDI REGIO

DOMINO BECKESCHOVII &c.

PATRONO SVO AETATEM COLENDO.

Illvstris et inclite Heros,

QVANDOQVIDEM animum induxi peregrinationem meam instituere, & ex hoc loco in alia regna discedere; omnino necesse iudicavi, ut pro acceptis beneficiis remunerationis aliquod signum Generositati Tuae offerrem, ac ostenderem, me istius generis hominem natum non esse, qui accepta dissimulare vellet. Sed quia nulla alia penes me potestas iam consistit, quam promti ac volentis animi, idcirco libellum hunc, tanquam mnemosynon Gen. T. relinquere & inscribere volui, obnixe petens, offerentis animum potius inspicias, quam ipsum donum. Hisce vale, Generose Domine, & vive diu Regi, Regno, & Musis Soranis. Scribebam Sorae VIII. Id. Mart. Anni cIↄIↄCXLI.

Generositatis Tuae

Observantissimus

Ioannes Mevrsivs Filivs.

INDEX CAPITUM.

IOANNIS MEURSI FILI
DE TIBIIS COLLECTANEA

CAP. I.

De derivatione Tibiae.

TIBIA proprie est os cruris, oppositum surae. Tibia item vocatur instrumentum musicum oblongum, teres, & foraminosum, quod inflatum, & digitis modo adductis, modo reductis, temperatum, non iniucundam reddit symphoniam. Has primum ex gruum tibiis confectas existimant, & inde nomen accepisse. Horatius *de Arte*:

Tibia non, ut nunc, orichalco vincta, tubaeque
Aemula, sed tenuis, simplexque, foramine pauco.

Et de his plura apud Becmanum in *Manud. ad Latinam linguam.*

CAP. II.

De Tibiae inventione.

FUit Ardalus Vulcani filius, quem Tibiam adinvenisse opinantur: & ab eo Musas dici Ardalidas, in Pausaniae relatum monumentis est. Diodorus Siculus tradit, Minervam Tibias, earumque cantum, & plurima instrumenta, ad varias artes pertinentia adinvenisse, indeque eam ἐργάνην, id est *operariam*, nuncupatam esse.

Plutarchus *de Musica*. Οὔτε γὰρ Μαρσύου, ἢ Ὀλύμπου, ἢ Ὑάγνιδος, (ὥς τινες οἴονται) εὕρημα ὁ αὐλός. οὐ μόνη δὲ κιθάρα Ἀπόλλωνος, ἀλλὰ καὶ αὐλητικῆς, καὶ κιθαριστικῆς, εὑρετὴς ὁ θεός. δῆλον δὲ ἐκ τῶν χορῶν καὶ τῶν θυσιῶν, ἃς προσῆγον μετὰ αὐλῶν τῷ θεῷ, καθάπερ ἄλλοι τε καὶ Ἀλκαῖος ἔν τινι τῶν ὕμνων ἱστορεῖ. καὶ ἡ ἐν Δήλῳ δὲ τοῦ ἀγάλματος αὐτοῦ ἀφίδρυσις ἔχει ἐν μὲν τῇ δεξιᾷ τόξον, ἐν δὲ τῇ ἀριστερᾷ Χάριτας, τῶν τῆς μουσικῆς ὀργάνων ἑκάστην τι ἐχούσας· ἡ μὲν γὰρ λύραν κρατεῖ, ἡ δὲ αὐλοὺς, ἡ δ' ἐκ μέσῳ προκειμένην ἔχει τῷ στόματι σύριγγα. ὅτι δ' οὗτος οὐκ ἐμὸς ὁ λόγος, Ἀντικλῆς καὶ Ἴστρος ἐν ταῖς ἐπιφανείαις περὶ τούτων ἀφηγήσατο. οὕτω δὲ παλαιόν ἐστι τὸ ἀφίδρυμα τοῦτο, ὥς τε τοὺς ἐργασαμένους αὐτὸ, τῶν καθ' Ἡρακλέα Μερόπων φασὶν εἶναι ἀλλὰ μὴν καὶ τῷ κατακομίζοντι παιδὶ τὴν Τεμπικὴν δάφνην εἰς Δελφοὺς παρομαρτεῖ αὐλητής· καὶ τὰ ἐφ' Ὑπερβορέων δὲ ἱερὰ μετὰ αὐλῶν, καὶ συρίγγων, καὶ κιθάρας, εἰς τὴν Δῆλόν φασι τὸ παλαιὸν στέλλεσθαι. ἄλλοι δὲ καὶ αὐτὸν τὸν θεὸν φασιν αὐλῆσαι, καθάπερ ἱστορεῖ ὁ ἄριστος μελῶν ποιητὴς Ἀλκμάν· ἡ δὲ Κόριννα, καὶ διδαχθῆναί φησι τὸν Ἀπόλλω ὑπ' Ἀθηνᾶς αὐλεῖν. σεμνὴ οὖν κατὰ πάντα ἡ μουσικὴ, θεῶν εὕρημα οὖσα. *Non enim Marsyae, aut Olympi, aut Hyagnidis, ut putant quidam, inventum Tibia, neque sola cithara Apollinis est: sed idem Deus & citharae, & Tibiae, cantum invenit. Manifestum hoc est e choris & sacrificiis, quae Tibiis interim canentes Deo adferebant: quod & alii, & Alcaeus in quodam hymno narrat. Sed & simulacrum Apollinis in Delo positum in dextra manu arcum, laeva Gratias habet, quarum quaevis aliquod musicum instrumentum tenet: lyram una, alia Tibias, media fistulam ori admotam. Haec praecedentia Anticles & Ister in Illustrationibus suis retulerunt. Et simulacrum illud ita antiquum est, ut dicatur a Meropibus factum, qui Herculis aetate vixerunt. Sed & puerum, qui Tempicam laurum Delphos defert, comitatur Tibicen. Quin & Hyperboreorum sacra adhibitis Tibiis, citharis, & fistulis, in Delum missa fuerunt antiquitus. Sunt qui ipsum Deum Tibia cecinisse autument, ut narrat optimus cantilenarum conditor Alcman. Corinna a Minerva didicisse tibiis canere Apollinem ait. Itaque veneranda prorsus est musica, deorum inventum cum sit.* Nonnus *Dionys.* lib. III.

Canente Hecate thyasum olentes fremebant
Tibiae.

Hinc constat ab Hecate Tibiam inventam fuisse. Plin. *Nat. Hist.* lib. VIII. ubi de instrumentorum inventoribus loquitur, haec habet: *Fistulam & Monaulum Pan Mercurii: obliquam Tibiam Midas in Phrygia invenit: geminas Tibias Marsyas in eadem gente.*

CAP. III.

De inventione cantus Tibiarum.

TElestes in Asclepio Tibiarum usum ita declarat, ut videre est apud Athenaeum *lib.* XIV. H.

Φρύγα αἰλιπνόων αὐτῶν ἱερῶν βασιλῆα
Αὔδονος ἥρμοσε πρῶτος Δώριδος ἀντίπαλον
Μούσης. νομοαίολον ὀρφναὶ πνεύματος
Εὔπτερον αὔραν ἀμφιπλέκων καλάμοις.

Phrygum Rex leniter personantium Tibiarum sacrum.
Cantum primus invenit, Doricae musae aequiparandum
Aemulum: varie modulatam tenebrosi spiritus
Auram levem atque pernicem arundine circumplectens.

CAP.

CAP. IV.

De genere & differentia materiae Tibiarum.

LOtus, quia cavari facilis, Tibiae materies fuit: *Lotos arboris genus, ex cuius materia frequenter Tibiae fiebant*, inquit Festus. Sic Ovidius *Fastor.* IV.

—sed me sonus aeris acuti (sistra loquitur)
Terret, & horrendo lotos adunca sono.

Et lib. IV. *Metam.* Tibiam Minervae, *Tritoniacam arundinem* dicit, quia Tritonis palus Libyae non procul a Lotophagis, ubi materia Tibiae uberat. Adeo ut, si fuit illa Minervae Tibia prima, e loto prima fuerit. Idem tamen in *Fastis* e buxo primam vult, inventamque Minervae, quae ibi fatur.

Prima terebrato per rara foramina buxo
Vt daret, effeci, Tibia longa sonos

Apud Theocritum *Idyll.* K. succinat tandem victor Tibia Apollo ex Philippi προοιμίῳ:

Ἡμέρον αὐλήσαντι πολυτρήτων διὰ λωτῶν,
Εἶπε λιγυφθόγγῳ Φοῖβος ἐπὶ Γλαφύρᾳ.
Μαρσύη ἐψεύσω τεὸν εὕρεμα· τὺς γὰρ Ἀθήνης
Αὐλὺς ἐκ Φρυγίης ὗτος ἐληΐσατο.

Multiforis blandum cum lotina Tibia cantum
Ederet, arguto Phoebus ait Glaphyrae:
Inventi vanus Marsyas: namque Minerva
Quam Phrygia tulerat Tibiam, habes Glaphyra.

Tibia Phrygia in dextra parte, unum habet foramen; in sinistra, duo foramina. Sacra Cybeleia fiebant ex buxea Tibia, & tympanis, cum maximo ululatu. Virg. lib. IX. *Aeneidos*:

O verae Phrygiae, [neque enim Phryges] ite per alta
Dindyma, ubi adsuetis biforem dat Tibia cantum:
Tympana vos, buxusque vocat Berecynthia Matris
Idaeae.

Tibia avenacea usi sunt pastores, ex qua carmen rusticum, oblectamenti causa, canere soliti fuerunt, ut satis videre est ex sequentibus versibus Virgilii *Eclogae* I.

Tityre, tu patulae recubans sub tegmine fagi,
Sylvestrem tenui Musam meditaris avena.

Plinius *Nat. Hist.* lib. XVI. *Orchomenius est continuo foramine pervius, quem auleticum vocant, hic Tibiis utilior, fistulis ille. Est & alius, crassiore ligno, & tenui foramine. Hunc totum fungosa replet medulla. Alius brevior, alius procerior; exilior, crassiorque.*

Athenaeus lib. IV. *Dipnosophistarum* refert, Tibiarum genus, quas Anacreon ἡμιόπους adpellat, ceteris minores, sonoque minus claro, quod ipsum indicat cognomen.

Solinus *cap.* XI. mentionem facit de differentia Tibiarum, ubi ait: *Thermitanis locis insula est arundinum ferax, quae accommodatissimae sunt in omnem sonum Tibiarum: sive praecentorias facias, quarum locus est ad pulvinaria praecinendi: sive vascas, quae foraminum numeris praecentorias antecedunt: sive puellatorias, quibus a sono clariore vocamen datur: sive Gingrinas, quae breviores licet, subtilioribus tamen modis insonant: aut Milvinas, quae in accentus exeunt acutissimos: aut Lydias, quas & Turarias dicunt, vel Corinthias, vel Aegyptias, aliasve a Musicis per diversas officiorum & nominum species separatas.*

CAP. V.

De Lydiarum, & Phrygiarum, Tibiarum differentia.

NOnnulli produnt, Lydiis Tibiis laeta concinere, veteris fuisse moris, Phrygiis vero tristia: quoniam tres haberent Tibiarum modos, Ionicum, Lydium, Phrygium, qui & barbarus. Ex iis vero innotescit amplius, quid sibi Papinius velit, quum *Thebaidos* lib. VI. ita canit:

Quum signum luctus cornu grave mugit adunco
Tibia: cui teneros suetum producere manes
Lege Phrygum moesta.

Horatius oda XV. lib. IV. *Carm.* usum Lydii generis describens, ita canit:

Virtute functos, more patrum Duces,
Lydis remisso carmine Tibiis,
Troiamque, & Anchisen, & almae
Progeniem Veneris canemus.

CAP. VI.

De laudatione existimatione & precio Tibicinum.

AThenaeus *lib.* I. Ὁ δὲ πατὴρ αὐτῦ Ἀντίοχος, τὺς Σωςράτυ τῦ αὐλητῦ υἱοὺς σωματοφύλακας ἐπεποίητο. *Sostrati vero Tibicinis filii apud Antiochum eiusque patrem satellites fuerunt, & custodes corporis.* Theophrastus inquit, *Andronem Catanensem, Tibicinem primum, cum Tibia luderet, corporis motus aptos, & concinnos addidisse, indeque veteres* σικελίζειν. *saltare dixisse.* Plutarchus in *Quaestionibus Romanis*: Διὰ τί ταῖς Ἰανυαρίαις εἰδοῖς περιϊέναι δέδοται τοῖς αὐληταῖς τὴν πόλιν ἐσθῆτας γυναικείας φορῦντας; ἢ διὰ τὴν λεγομένην αἰτίαν; μεγάλας γὰρ (ὡς ἔοικεν) τιμὰς ἐκαρπῦντο, τῦ βασιλέως Νυμᾶ δόντος αὐτοῖς, διὰ τὴν πρὸς τὸ θεῖον ὁσιότητα. *Cur idibus Ianuarii Tibicinibus permissum est per urbem circuire, vestem indutis muliebrem? An hoc fit propter caussam, quae subiicietur? Magnos illis honores Numa Rex religionis causa contulerat.*

Apuleius *Florid.* I. *Tibicen quidam fuit Antigenidas omnis voculae melleus modulator, & idem omnimodis peritus modificator, seu tu velles Aeolium simplex, seu Asium varium, seu Lydium querulum, seu Phrygium religiosum, seu Doricum bellicosum.* Locus insignis, in quo video & ceterarum usum. *Milesf.* IV. *Sonus Tibiae Zigiae*, [Parens meus *Phrygiae* legendum putavit] *mutatur in querulum Lydii modum, cantusque laetus Hymenaei lugubri finitur ululatu.* Sed & rebus laetis adhibita haec harmonia. Idem *Milesf.* X. *Iam Tibiae multiforatiles cantus Lydios dulciter consonant.* Propertius *lib.* IV. *eleg.* VII.

Ecce coronato pars altera vecta phaselo,
Mulcet ubi Elysias aura beata rosas:
Qua numerosa fides, quaque aera rotunda Cybeles,
Mitratisque sonant Lydia plectra choris.

Minerva laudans artem Tibicinum sic ait, ut testis est Athenaeus *lib.* XIV.

Τὰν οὖν περιθειοτάταν
Βρομίῳ παρέδωκε σεμνᾶς δαίμονος ἀερθὲν πνεῦμ'
Ἀ'ελλοπτερύγων σὺν ἀγλαάνῳ κυτᾶτι χειρῶν κομψῷ δέ.

Hanc artem igitur maxime divinam
Bromio concessit venerandae Deae sublimis & elatus spiritus,
Cum eleganti & arguta velocis manus celeritate.

Tacitus lib. XIV. *Annal.* meminit Eucati, cuius amor obiiciebatur Octaviae [quamvis per calumniam] Aegyptius erat, & Tibiis canere doctus. Habebant Romani Tibicines ad cultum Deorum: & Tibicinum collegium fuit in Vet. Rep.

Lucius Anitius Romani exercitus Imperator, debellatis Illyriis, & Gentio illorum Rege cum liberis capto, & Romam abducto, ludis victoriae causa editis, quovis risu digna multa fecit, ac excogitavit, ut scripsit Polybius *libro* XXX Nam accersitis e Grecia clarissimis artificibus, erectaque in Circo maxima scena, primos induxit Tibicines simul omnes. Theodorum, Boethium, Theopompum, Hermippum, Lysimachum, in Graecia celeberrimos. Eos in proscenio stantes simul omnes, cum choro Tibiis iussit canere. Motu corporis Tibiarum modis apto illis per scenam lente incedentibus, misit qui admoneret, non placere illam cantionem, itaque certarent vehementius. Dubitantibus ipsis quidnam mandaretur, significavit e lictoribus quispiam, ut in sese mutuo verum concurrerent, ac pugnae speciem repraesentarent. Quidnam vellet Anitius, tibicines ubi cognoverunt, tibias cantu inflantes, qui ardori pugnantium militum conveniret, omnia permiscuerunt, medios choros perturbatos cum extremis confundentes, insanis modis ac temerariis complentes omnia, & tibiarum concentu dissoluto in sese mutuo vicissim impetum fecerunt.

CAP. VII.

De contemtione Tibiarum.

PLutarchus in *Alcibiade*: Alcibiades τὸ δ' αὐλεῖν ἔφευγεν ὡς ἀγεννὲς καὶ ἀνελεύθερον. Πλήκτρου μὲν γὰρ καὶ λύρας χρῆσιν, οὐδὲν οὔτε σχήματος, οὔτε μορφῆς, ἐλευθέρῳ πρεπούσης διαφθείρειν, αὐλοὺς δὲ φυρῶντος ἀνθρώπου στόματι, καὶ τοὺς συνήθεις ἂν πάνυ, μόλις διαγνῶναι τὸ πρόσωπον. ἔτι δε τὴν μὲν λύραν τῷ χρωμένῳ συμφθέγγεσθαι, καὶ συνᾴδειν, τὸν δ' αὐτὸν ἐπιστομίζειν καὶ ἀποφράττειν ἑκάστου τήν τε φωνὴν καὶ τὸν λόγον ἀφαιρούμενον. αὐλείτωσαν οὖν (ἔφη) Θηβαίων παῖδες· οὐ γὰρ ἴσασι διαλέγεσθαι. ἡμῖν δὲ τοῖς Ἀ'θηναίοις (ὡς οἱ πατέρες λέγουσιν) ἀρχηγέτις Ἀ'θηνᾶ καὶ πατρῷος Ἀ'πόλλων ἐστίν· ὧν ἡ μὲν ἔῤῥιψε τὸν αὐλὸν, ὁ δὲ καὶ τὸν αὐλητὴν ἐξέδειρε. τοιαῦτα παίζων ἅμα καὶ σπουδάζων ὁ Ἀ'λκιβιάδης, αὐτόν τε τοῦ μαθήματος ἀπέστησε καὶ τοὺς ἄλλους. ταχὺ γὰρ διῆλθεν ὁ λόγος εἰς τοὺς παῖδας, ὡς εὖ ποιῶν ὁ Ἀ'λκιβιάδης βδελύττοιτο τὴν αὐλητικὴν, καὶ χλευάζοι τοὺς μανθάνοντας. ὅθεν ἐξέπεσε κομιδῆ τῶν ἐλευθέρων διατριβῶν, καὶ προεπιλακίσθη παντάπασιν ὁ αὐλός. *Tibiam ut rem sordidam & illiberalem refugit. Nam plectri quidem & lyrae usum nihil dicebat gestum vel formam depravare libero homini convenientem: tibiam vero inflantis hominis ore, vel intima familiaritate coniunctos, vix adgnoscere vultum; praeterea lyram non adimere pulsanti, quin simul loqui & accinere valeat; Tibiam obturare & obstruere cuiusque vocem & incidere sermonem. Ergo, inquit, canant Tibia Thebanorum filii, nam dicere nesciunt. Nobis Atheniensibus [ut a maioribus accepimus] dux Minerva & praeses Apollo est, quorum superior tibiam proiecit, alter excoriavit fistulatorem. Ita iuxta ioco ac serio se ipse Alcibiades, & ceteros ab eo studio abduxit. Statim enim dilata est inter pueros fama, merito Alcibiadem fastidire fistulam, & eius studiosos deridere: unde ex oblectamentis liberalibus plane fuit explosa & prorsus inrisa Tibia.*

CAP. VIII.

De adpellatione Libycae Tibiae.

LIbycas Tibias Poetae adpellant, ut inquit Duris libro secundo *De rebus gestis Agathoclis*, quod Seirites primus, ut credunt, Tibicinum artis inventor, e gente Nomadum Libycorum fuerit, primusque Tibia Cerealium hymnorum cantor. Tryphon libro secundo *Nomenclaturarum*, has recenset cantiones tibiales: Comon, Bucoliasmum, Gingras, Tetracomon, Epiphallon, Choricam, Callinicon, Polemicam, Hedycomon, Sicinnotyrben, Thyrocopicon, quae Crousithyros etiam dicitur, Cnisimon, Mothona, quae omnes cum saltatione canebantur.

CAP. IX.

De Thracibus, & Arcadibus, qui ad Tibiam armati saltabant.

SAltationis hic modus est: Armis adpositis quidam iugatos boves agit, seritque frugem, tanquam metu identidem se obvertens. Accedit praedo: quo prospecto, raptis armis ante iugum arator pugnat, Tibiae modis corporis motum adaptans. Ad extremum vero, praedo vinctum aratorem cum iugo abducit, & nonnunquam praedonem iugarius. Quidam, inquit Xenophon, & Persicam saltaturus exsurrexit, ceterarum, quas collidebat, fragore obstrepens & obtundens: eaque omnia faciens ad Tibiae numeros concinne. Arcades vero arma illi detracturi adsurgunt, inquit, & ad numeros, quos bellicos adpellant, convenienter incedentes, Tibia canunt & saltant. In usu fuerunt Heroibus & Tibiae, & fistulae. Agamemnon fistu-

fistularum Tibiarumque sonos audit: ad convivia tamen illas Poeta non inducit, in bellica saltatione cum celebrarentur nuptiae, Tibiarum tantum mentione habita, quas barbaris tribuit. Apud Troianos igitur sonitus fistularum Tibiarumque multus funditur.

CAP. X.

Quomodo Arcades prae omnibus nationibus pueros suos Tibia ludere adsuefaciant.

POlybius Megal. *Hist.* Lib. *Soli ferme sunt Arcades, apud quos pueri primo ab ipsa infantia ex legibus adsuefiant hymnos & paeanes canere; quibus more patrio singuli suos Heroas & Deos concelebrant. Deinde Philoxeni ac Timothei nomos addiscentes, quotannis per Liberalia ipsi in theatris cum saltatione & Tibiis, summo studio puerilia quae vocant ludicra pueri agitant; iuvenes, quae dicuntur virorum.*

CAP. XI.

De Choreis ad Tibias & fistulas.

MAcrinus, [ut Herodianus sui temp. *Hist.* lib. v. ait] sacra celebrans, choreas circa altaria barbarum in morem ad Tibiam fistulasque duxit. Praecessit etiam ad Tibias & tympana Antoninus Eleagabalus, velut numinis orgia concelebraret.

CAP. XII.

De cantationibus ad Tibias ex Prolegomenis in Pythionicas.

SEcunda Pythiade, *αὐλῳδίαι*, idest, *cantiones ad Tibias*, fuerunt repressae, quod ὐκ εὔφημον ἄκυσμα eas iudicarent, quum σκυθρωπότατα, ἐλεγεῖα & Θρῆνοι, ad Tibias accinerentur: ut videre est. Pythiade prima vicerat Echembrotus, praemio, aeneo videlicet tripode, Herculi Thebis dedicato, quem hac inscriptione insignivit. Ε'χέμβροτος Α'ρκὰς ἔθηκεν Ἡρακλεῖ νικήτας τόδε ἄγαλμα Α'μφικτυόνων ἐν ἄθλοις, Ε'λλησι δ' ἀείδων μέλεα καὶ ἐλέγυς. *Echembrotns Arcas dedicavit hoc simulacrum Herculi, quum praemium Ludis Amphictyonum meruisset decantatis inter Graecos modulis & elegis.* Vt Pausan. citat in *Phoc.*

CAP. XIII.

Tibia ad Bacchanalia, & laetitiae signum usurpata.

CAtullus Bacchantium cohortem describens, ita canit *eleg.* LXV.

Barbaraque horribili stridebat Tibia cantu.

Apud Hom. Troiani de suis rebus prosperis laeti, sese ut oblectent, pernoctantes in campo Tibias inflant. Olympiodorus a Phrygibus inventas fuisse tradit, usumque in certamine Marsyam Tibia.

CAP. XIV.

De Praeficis Tibicinis.

PRaeficae Tibicinae sunt, quas *monumentarias ceraules* vocat Apuleius: quaeque non vere plangunt, sed se plangere simulant, conductae ad excitandum dolorem: & plerumque quas ipsae non habent, ab aliis eliciunt veras & intimas lacrymas. Plinius Nepos Epistola *Regulo lib.* IV. *Amissum luget insane, nec dolor erat, sed ostentatio doloris*, id est, ut Tacitus ait lib. III. *Annal. doloris imitamenta*. Lucilius ex Nonio Marcello de Praeficis:

Conductae flent alieno in funere praeficae,
Multo & capillos scindunt & clamant magis.

Etiam naenias canunt inconditum carmen compositum ab eis; canuntque illud ad Tibias & fides. Nonius in verbo *Naenia*: & sic eliciunt lacrymas: sed *lacrymae nunquam fluunt tam lubenter, quam finguntur turpiter*, ait Seneca *epist.* XCIX.

CAP. XV.

De Tibia funesta, sive usu Tibiarum in funeribus.

VEteres Tibiam funeribus adhibuerunt, religio enim erat, ut *maioribus mortuis* tuba, *minoribus* Tibia caneretur. Propertius de divite.

Tibia funeribus convenit ista meis.

Homerus in funere Hectoris dicit:

Tum pyra construitur, quo bis sex corpora Graium,
Quadrupedesque adduntur equi, currusque tubaeque.

Ovidius:

Tibia, cui teneros solitum deducere manes.

Funeribus, ut etiam sacrificiis, Tibicines adhibiti. Varro *de Vita P. R.* lib. IV. Nam in Tibia moestum carmen, quod testantur Auctores, & Ovidius libro VI. *Fast.*

Cantabat moestis Tibia funeribus.

Horatius in *Arte*:

—Conducti plorant in funere, dicunt,
Et faciunt prope plura dolentibus ex animo,

In exsequiis Pertinacis, ut Xiphilinus refert. multi cecinere flebile carmen ad Tibias. Sedulius *lib.* III.

Funereosque modos cantu lacrymante ferebat
Tibicen.

Athenaeus lib. *Dipnosophist.* IV. Cares itidem ut Phoenices in luctu Tibiis uti solent magnitudine palmi, lugubre quiddam & stridulum sonantibus. Eas autem Tibias Phoenicum lingua *Gringos* vocari, quod iis in Adonidis luctu soleant uti. Porro Adonidem Γρίγγην, id est *Gringam*, adpellant. Hinc iisdem verbum γιγγαίνω.

CAP.

CAP. XVI.

Minervam usam fuisse Tibia, lamentationis caussa.

PIndarus in *Pyth.* od. XII.

——— ὦ ἄνασ-
σ', ἵλαος, Ἀθανάτων
Ἀνδρῶν τε, σὺν εὐμενείᾳ,
Δέξαι ϛεφάνωμα τόδ' ἐκ
Πυθῶνος εὐδόξῳ Μίδᾳ,
Αὐτὸν τέ νιν, Ἑλλάδα νικά-
σαντα τέχνᾳ· τάν ποτε
Παλλὰς ἐφεῦρε, θρασεῖαν Γοργόνων
Οὔλιον θρῆνον διαπλέξασ' Ἀθάνα.

——— *o Regi-*
na, propitia Immortalium,
Hominumque, cum benevolentia
Accipe coronam hanc ex
Pythone, glorioso Midae concinnatam,
Eumque adeo ipsum, Graeciam qui superavit arte; quam quondam
Pallas invenit, audacium Gorgonum
Tristem lamentationem contexens Minerva.

CAP. XVII.

De Tibia Nuptiali.

PRopertius *lib.* II. *eleg.* VII.

Nam citius paterer caput hoc discerpere collo,
Quam possem nuptae perdere amore faces.
Aut ego transirem tua limina clausa maritus
Respiciens udis prodita luminibus.
Aut mea quum tales caneret tibi, Cynthia, somnos
Tibia, funesta tristior illa tuba.

Quos versus Ios. Scaliger Iul. Caes. filius sequenti modo explicavit. Citius morerer, inquit, quam amorem meum nuptiis mutarem, aut transirem respiciens tua limina maritus factus, aut canente tibi somnos nuptiali Tibia. Tibiam intelligit nuptialem, qua novam nuptam mariti domum deducebant noctu. Tunc enim deducebatur nupta, quum iam concubia nox esset. Ovidius pene idem de eadem re.

At subito nostras ut Hymen cantatus ad aures
Venit, & accenso lampades igne micant:
Tibiaque effudit socialia carmina vobis,
At mihi funesta tristior illa tuba.

CAP. XVIII.

De usu Tibiae in bello.

SPartani ad Tibiam & lyram inibant cum hostibus certamina, sicuti enim qui pondera deferunt, & qui remigant, vel aliud quiddam molesti laboris perferunt, concordi voce & tanquam gemitu conantur mentem avertere a laboris molestia consideranda: ita & tubis, & Tibiis, milites in bello usi sunt, non ut haberent aliquid ex harmonia, quo mens excitaretur, aut inderetur fortitudo, sed propter agoniam & perturbationem revocare animum in sese studuerunt. Polybius Megal. *Hist.* lib. IV. *Veteres Lacedaemonii & Cretenses loco tubae, Tibiam & rhythmum ad bella sine caussa usurparunt.* Omnes Lydii Tibiarum ac fistularum sono usque adeo capiebantur, ut ad earum sonitum in bellis struerentur acies, inquit Herodotus.

CAP. XIX.

Usus Tibiarum in conviviis, spectaculis, & bello

ATHenaeus *lib.* XIV.

Ποικιλόπτερον μέλος
Τᾶν ἀοιδᾶν.
Κατεᾶς ἐπιερεῖς βασίλεια.
Οὐ δ' αὐλὸς ὕϛερον χορευέτω.
Καὶ γὰρ ἐσθ' ὑπηρέτης κώμων μόνον
Πυραμάχοις τε πυγμαχίαισιν
Ἔων θέα, εἰς πάροινον ἔμμεναι ϛρατηλάτας

Varii modi sunt accinendi.
Tibiis cantiones praeire gaudet Rex Dionysius.
Post illas canat & saltet Tibicen:
Tibia tantum comessationum administra est,
Spectaculis commoda, quibus pugnant ardentibus animis pugiles,
Et ut quasi temulenti apud se non sint
In conflictibus bellicorum agminum Duces.

CAP. XX.

De longis Tibiis.

QVum post adreptum Imperium Otho sacrificaret primo, dira portendi animadvertit: quamobrem facti poenitens, τί γάρ με, inquit, ἔδει μακροῖς αὐλοῖς αὐλεῖν: *quid erat opus me Tibiis longis incinere?* Tibiis incinuisse longioribus olim inter sacrificandum, Plutarcho credimus, & indicavit Dion. In Tibicines illud est apud Graecos concinnatum,

Ἀνδρὶ μὲν αὐλητῆρι θεοὶ νόον οὐκ ἐνέφυσαν,
Ἀλλ' ἅμα τῷ φυσᾷν χ' ὡ νόος ἐκπέταται

Id est,

Homini quidem Tibicini mentem non ingenerarunt Dii,
Sed simul ac Tibias inflat, difflatur mens.

Marius Victorius de spondaeo: *Dictus a tractu cantus eius, qui per longas Tibias in templis supplicantibus editur*; unde, inquit, *spondulae adpellantur, qui huiusmodi inflare adsueverunt.*

CAP. XXI.

De apertis Tibiis.

APertas *Tibias* Fabius vocat, quae apertis omnibus foraminibus sonant clarius. Nam clausis sonus redditur fuscior & obscurior, ut apertis candidior & clarior, quod & per adagionem usurpat. *Illa vero,* inquit *lib.* II. *cap.* III. *iam pene apertis, ut aiunt, Tibiis*: id est, aiunt, iam clarissima voce. Rursus ibidem: *Nam Tibiae eodem spiritu accepto alium clausis, alium apertis, foraminibus, alium satis purgatae, alium quassae, sonum*

num reddunt. Apertis Tibiis invehi in quempiam, id est, non clanculum obtrectare, sed palam insectari, laceraréque conviciis: aut apertis Tibiis laudes cuiuspiam celebrare, id est, palam & magnifice.

CAP. XXII.

De Synaulia, & Monaulo Aegyptiorum invento.

ΣΥναυλίαν Antiphanes in *Tibicine* lepide qualis esset ita declaravit;

Ποίαν φράσον γὰρ ἤδε τὴν συναυλίαν;
Ταύτην ἐπίσταται γὰρ, ἀλλ' ηὔλουν ἔτι
Μαθόντες ὥσε τὺς αὐλὺς, &c.

A. *Quam, quaeso, noverat is Synauliam?*
B. *Illam enimvero scit adhuc; sed & praeterea canebant Tibia,*
Suorum docti concentuum numeros
Simul iungere cum dulci Tibiarum sono.

Monaulus Aegyptiorum inventum est, hoc est, Osiridis, ut aliqui interpretantur, qui photinga excogitarit etiam, unde & photingia. Sunt autem ex loto, inde lotinae Tibiae dicuntur. Meminit Monauli in *Thamyre* Sophocles. Censetur vero haec nuptialis maxime; *Tityrinon*, quidam item vocant. Fuit vero Monaulus, qui postea dici coepit *calamaules*, id est, *calamo incinens*. Nam *rhapaules* est, qui calamum inflat, id est, stipulam.

CAP. XXIII.

Peius Babys Tibia canit.

ΚΆκιον Βάβυς αὐλεῖ, idest, *Peius Babys cantat*. Hoc adagium iaci consuevit in eos, quorum exercitatio semper vergit in peius. Quod genus sunt Oratores quidam, qui quo diutius dicunt, hoc dicunt indoctius. Refertur autem ad huiusmodi fabulam. Ferunt Babyn fratrem fuisse Marsyae, qui non veritus est ipsum Apollinem ad canendi certamen evocare, a quo cum esset victus, ab eodem supinus de pinu subspensus, excoriatus est. Deinde cum Apollo pararet Babyn quoque perdere, intercessit Pallas, admonens, hunc usque adeo infeliciter & indocte Tibiis canere, ut omnino negligendus esse videretur, Κάκιον, inquies, Βάβυς αὐλεῖ id est, *Deterius Babys Tibiis canit*. Quibus verbis commotus Apollo Babyn adeo contemsit, ut eum ne supplicio quidem dignum existimaret, sed suae potius inscitiae iudicaret relinquendum.

CAP. XXIV.

De certamine Marsyae cum Apolline de Tibiis.

MArsyas Phrygius Tibicen ob similem huic temeritatem & petulantiam non leve supplicium subivit. Hic Hyagnidis fuit filius eius, qui primus omnium mortalium leges musicas ad laudes Deorum, quibus in solemnitatibus Graeci usi sunt, accommodavit, qui Marsyas [cuius iam antea mentionem feci] ausus est cum Apolline de Tibiarum peritia contendere. Fabulati sunt, hunc magna consuetudine cum Cybele fuisse coniunctum, sed diu postea pervagatum in Nysam civitatem ad Dionysum, qui ibi regnabat, eo tempore pervenisse: ubi cum Apolline illic invento, qui, cum ob alia multa praeclara, tum ob inventam citharam, & artem pulsandae citharae, magno in honore habebatur, ausus est contendere; cum ipse Tibias a Minerva eiectas subscepisset, ut aiunt, iisque inflandis factus iam peritior sibi videretur, Apollinem igitur in certamen musices provocavit ea conditione, ut victor victo quodcumque libuisset, imperaret, ut testatur Pausanias in *Phocaicis*. Idcirco mansit ea consuetudo postea in Magnae Matris sacrificiis, ut adessent illis etiam Tibiae, ut ait Myrleanus Asclepiades. In eo certamine igitur cum Apollo citharam pulsasset, mox ore cantabat: at Marsyas Tibiis inflandis tantum erat peritus, quare etiam victus poenas dedit suae temeritatis.

CAP. XXV.

De tempore Sacrorum.

TIbia sane rei sacrae signum erat, precationumque faciendarum tempus indicabat, quasi adesse iam Deum per eam admonerentur, qui sacris adsistebant. Nos quoque cum in sanctis aedibus sacra facimus, aeris tinnuli sono utimur. Sed quod ad Tibiam spectat, minime recens, neque imperitae plebeculae dicterium est, de cessantibus, Tibicinem exspectare, sed antiquum & nobile, quippe quo Scipio minor usus est in Pompeium qui Tibicinis filius credebatur. Pompeius enim C. Laelio consulatum ambiente, cui Scipio maxime favebat, negaverat Scipioni se petiturum, adfuturum vero Laelio, eumque deducturum: quem dum exspectat, auditum est eum iam candidatum prehensare obvios. Tum Scipio ridens: *Nae*, inquit, *nos egregie stulti sumus, qui perinde ac Deos, non homines, precaturi simus, stamus Tibicines exspectantes.* Hinc ansam Cornelius Tacitus, ubi *libro* XIV. de Octavia Messalinae filia loquens: *An quia*, ait, *veram progeniem penatibus Caesarum datura sit, malle populum Romanum Tibicinis Aegyptii sobolem imperatorio fastigio indici?* Nempe propter Pompeium, qui, uti dicebamus, Tibicen a Scipione vocatus est. Octavia vero a Scribonia Augusti uxore descendebat.

INDEX RERUM MEMORABILIUM QVAE HOC TOMO CONTINENTVR.

A

B.

C

D

E

En-

Hen-

I

Io-

Schre-

Ve-

F I N I S.